GALLO-FLANDRIA
SACRA ET PROFANA:

IN QVA

VRBES, OPPIDA, REGIVNCVLÆ, MVNICIPIA,

ET PAGI PRÆCIPVI

GALLO-FLANDRICI TRACTVS

DESCRIBVNTVR:

HORVMQVE OMNIVM PRIMORDIA,

Religio, Mores, Sacra ædificia, Piæ fundationes, Principes, Gubernatores, & Magistratus proponuntur.

DEIN ANNALES GALLO-FLANDRIÆ.

AVCTORE

IOANNE BVZELINO ATREBATE

è Societate IESV.



DVACI,

Ex Officinâ MARCI WYON Typographi Iurati,

sub signo Phœnicis. Anno 1625.

Cum Gratia & Priuilegio.

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VRBIS INSVLANÆ SENATVI.



VOD aggredi nemo tentauit, quod iure vestro flagitare poteratis: id vobis opus, Nobilissimi & Amplissimi Viri, nunc offero, Vrbis vestræ, totiusque Gallo-flandriæ tractus initia, locos, statum, mores, regimen, historiam. Hęc omnia litteris mandare qui posset, facilè poterat alius reperiri: contra, qui vellet, forsitan nemo. Quosdam contemptus ab hoc labore auocauerat: quasi ieiuna, & sterilis esset ea materies. Plerosque metus absterrebat, ne parùm vtilis hæc opera crederetur. Alios iniuriosum patrijs laudibus crimen socordiæ incesserat. Horum omnium quos maximè damnem, haud sanè facile est dicere: cùm grauiter multa singuli peccauerint. Non explorata contemnere, fastidij certè nimiùm superbi est. Nullum ex tradita libris historia fructum sperare, transuersi prorsus animi, & iudicio capti arbitror. Otiandi voluptate à difficili retrahi labore *scrib*endi, pecuinum potius, quàm humanum quidpiam prodit. Nihilominùs tamē hæc omnia secum reputanti animo, plus in eo turpitudinis apparet, qui pecudis more vitā otio transire malit, quàm studio & labore. Equidem ita semper ratus sum, quibus vires, & ingenium magna sunt, ætas verò fluxa & breuis; vigilia & studio ad decus, & vtilitatem eos grassari debere; quoniam duabus hisce rebus homines, qui sese alijs præstare student, longiùs & fructuosius vitam agitant: qui contrà fecerint, vitam & laudem sibi, fructum alijs inuidere. Quippe maximam vitæ partem sapientes viri vigiliam esse iudicant: quam qui capessit ad studium & laborem, multam sibi laudem conquirere, plurimam alijs vtilitatem parere potest. Igitur quoniam multis prodesse, multum interim laboris iucundè perpeti, summo Numini ad gloriam, mortalibus ad fructum, mihi ad meritum facere arbitratus sum: socordię partes procul semper habui; vigiliæ & studio pro viribus multa concessi. Et quia plurimos rebus vestris parùm æquos cernebam; libenter istum velificandi veris laudibus vestris suscepi laborem. Etenim mihi, quàm alijs, secus adeò visum est, vt propter egre-

gia facinora, mores probos, præclarum regimen, varios euentus, laude dignam, & vtilem huius operis materiam esse crediderim. Vetustissima vrbis vestræ cunabula, nobilissimos parentes, elegantiam, opes, situm nihil moror: quamuis istæc omnia magnam satis laudem vobis afferant. In bello fortitudinem, in pace quietem & iustitiam, erga Deum & Principes fidem, in egenos misericordiam, in Religiosos liberalitatem, in auita Religione constantiam, ad res sacras promptitudinem, & feruentem Numinis cultum, admiror sanè plurimùm: quæ omnia in populo Insulensi admodum semper floruisse comperio. Horum certè pleraque Societatem nostram adeò vobis, Nobilissimi & Amplissimi Viri, obnoxiam fecere, vt, quibus ea nomina dissoluat, ipsi vel nulla, vel pauca suppeditent. A non multis Belgarum vrbibus receptam, pro vestro populum adiuuandi desiderio, nec tardè, nec grauatè suscepistis. Et ne quid solitæ in addictos paupertati Religiosos liberalitatis deforet, ad optatos inuitastis annuo censu Classium labores. Igitur postquam intra mœnia vestra sedem fiximus, vti par exspectationi responderet vtilitas, alius alium semper laborem exantlauimus. Et quamuis interdum æris inopia, semper angustæ domus tectis, magno equidem incommodo, stringeremur: vt latissimè tamen ad plurimos ciues operarum manarent fructus, multum impensum est diligentiæ. Tantò siquidem plùs patebant animorum sinus ad ferēdam alijs opem, quantò plùs angustiæ rerum ædiumque arctabant corpora. Sed vos ipsi opportuna plerumque rebus arctis auxilia suffecistis. Et cùm nuper moliremini vrbis vestræ muros producere, seriò voluntatem & animos induistis laxissimam vnà nobis domum exstruendi. In hoc opere plúsne mirari diligentiam oporteat, quàm opes & munificentiam, equidem nescio. Intra sexennium ea moles rebus omnibus absoluta est: seriùs tamen, quàm voluistis. ita scilicet vehemens perficiendi ardor vrgebat. Et quamuis opes regias tot ædificia poscerent: priùs tamen ea stetere, quàm pecuniam subministrandi studium deficeret, & munificentia constringeretur. Habetis tandem, quod optastis. eodem opere vobis ad gloriam, & fructum; nobis ad valetudinem & laborem, prospectum fuit. Exterorum hominum qui vident, maxima id laude efferunt: qui nondum oculis vsurpauere, ad famam videndi desiderio tanguntur. quæ res vtraque non leuem vobis gloriam conciliat. Sed ipsi quantum vtilitatis quotidie capitis, cùm in amplissimo liberi vestri Gymnasio litteris imbuuntur, bonísque moribus? cùm intra vastissimi Templi parietes liceat vobis & cunctis ciuibus ex Sacrificiis, concionibus, Sacramentis maximos percipere fructus animorum? De nostrę Societatis hominibus id nunc verè possum prędicare: quamuis


antea

anteà satis ad toleranda quęlibet in vestrum & Insulensis populi commodum multæ res incitauerint; tam propensam tamen in his parandis ędificiis munificentiam nouos ad subeunda laborum & maxima & difficillima eo valetudinis pręsidio ipsis admonuisse stimulos. Et strenuè profectò laborant omnes, quotquot ea domûs moles includit, obuersante semper animo sententia, publico sese natos commodo, vt sacris beneficia laboribus rependant. Quantulus inter eos in studia, curas, & operas incumbam, nihil attinet significare: tamen post publicos in templo & alibi labores, post domesticas exercitationes, quidquid temporis queo suffurari, ad scribendum id totum confero. Inde scilicet vestris de rebus hoc opus prodiuit; quod nunc vobis exhibeo, Nobilissimi, & Amplissimi Viri. sed vtinam ita politum, vt multis placeat; ita perfectum, vt laudum vestrarum deterat nihil. Votum erat plurima conquirere; ex repertis vera modò complecti; dein pro modulo meo eleganti omnia vestire sermone. Si quid horum secus euenerit, veniam posco, gnarus equidem à scriptoribus multa peccari, non tam vitio, vel affectu, quàm humanæ mentis infirmitate. Vnum assero, tametsi multos laborum ęstus tolerauerim, vel quærendo materiam, vel quęsita concinnando: semper tamen ingentem animo voluptatem obuenisse, quòd res Insulensium & facinora perscriberem, quibus magnopere delectari soleo. Hoc igitur volumen, quanto par est, tanto demum animi grati offero vobis affectu, Viri Amplissimi & Nobilissimi: vos si placet, quanta par est voluptate vestrorum gesta *maiorum, vestra sociorúm*que facta suscipite. Et quoniam præteritorum conscientiâ semper ad maiora stimulari virtutum facinora, ingentis & nobilis est animi: cùm in Historicum hoc opus tot pręclaras magnasque res coactas videbitis, id vnum studete vehementiùs, vt maioribus in dies patriam vestram decoribus ornetis. Quę mihi mentem iniecit omnia vestra litteris tradendi, eadem continuis à Deo precibus Societas vobis ad inchoandas perficiendásque res nobiles auxilia deposcet. Insulæ Kalend. Decembris, an. 1623.

Nobiliss. & Ampliss. D D. V V.
addictiss. in CHRISTO *Seruus*

IOANNES BVZELINVS.

Beneuolo Lectori Salutem.



INSVLA *celeberrimum Belgij Emporium, totúsque Flandriæ tractus, qui Gallicum induit nomen, ad scribendum mihi materies erit, imposita magis necessitate, quàm delectu. Propensum Insulensis Senatus populique in minimam Iesu Societatem, cuius aliquod me membrum agnosco, studium, & liberalitas scribendi necessitudinem iniecit. Et quoniam nuper erectum fuit nobis ab eis Collegium in vrbe noua magnis impendijs, opere ingenti firmóque: Insulensium rerum historiam facto magis, quàm voce, flagitauit. Decebat enim quàm maximè, vt eorum virtutem, facinora, gloriam, æternitati transmitteremus, quorum præsertim operâ in longam ætatem commodis nostris, saluti, exercitationibus, tanta ædificij mole cautum fuit. Quoniam igitur id potissimùm fert ætatem, & mortales æternitati consecrat, quod animus natura sua mortis expers, ideóque vel æterna, vel æternis consentanea meditans, molitur: eò præcipuè voluntatem sensi vehementer impelli, vt res factáque populi Insulensis conscriberem. Verùm istæc agitanti etiam altera suborta est necessitas plurima litteris mandandi, quæ Duaci & Orchiaci coniunctis Insulæ vrbibus, totáque huius Flandriæ Comitatus anguli regione contigerint. Quippe horum pleraque vel parem cum Insula cladem bellis sortita sunt, vel similibus prosperæ sortis euentibus erecta. Et si quæ in ijs præclarè gesta fuerunt; etiam ad Insulæ laudem factura videntur, quæ ditionis vniuersæ est caput. Paucarum quidem vrbium, & angustæ regionis hoc opus: sed propter longam temporum seriem, rerúmque nunc læta, nunc sæua, & varios pugnarum, aliorúmque facinorum euentus, multis, vel Romanis Imperatoribus, vel è Gallia Regibus, aut non paucis Principum aliorum, & non rarò populis, inuehentibus bellum ac discordias: ob multa denique varij generis monumenta, & origines difficile magnúmque. Ad hæc multa Imperatorum, plurima Franciæ Regum, & Comitum Flandriæ gesta; dein etiam Burgundiæ Ducum, & Archiducum Austriæ plerǽque res nobis erunt memorandæ, qui omnes vario, alternantibus sæpè vicibus, eam ditionem imperio tenuere. Denique sacra prophanis miscere, multa virtutum exempla, & vitiorum pœnas inserere, in quem adscriptus sum, sacer Ordo me monuit; cui prodesse, quàm laudare, vel placere iucundius. Ideóque à Pontificibus, aliísque virtute præstantibus viris, vel quorum opera hic populus sacris præsertim legibus, & bonis moribus excultus fuit, vel qui suis natalibus hanc regionem celebrauere, quamplurima gnauus arcessam. Ne tam multa, quàm cuperem, præclara, vel vtilia proferam: fœda profectò quorumdam barbaries temporum, dein hominum socordia causas præbent, à quibus aut nihil prorsus, aut incerta, & ficta quædam libris prodita; ad vltimum exustæ infausto Philippi Augusti Gallorum Regis incendio publicarum Insulæ rerum tabulæ. Sed quæcumque memorabo, ea, ni fallor, satis ingens legentibus erunt partim ad virtutem stimulus, partim animi grati, & diligentiæ argumentum. Quò multa conquirerem legendo; è compertis optima seligerem; multa ipsemet loca perlustrarem; nullum subterfugi laborem: necubi errarem vnà, fallerémque legentes, prauo procul affectu, cæca mentis pernicie, & historicæ veritatis.*

Iam vt aliquid de Ordine, quem sequar, submoneam, in partes duas totum istud opus distribui placuit. Quid vnaquæque contineat, paucis modò complectar.

De Gallo-flandricæ ditionis nomine, finibus, natura; de vrbium, oppidorum, pagorum,


vico-

vicorúmque situ, potentia, cultu, viris illustribus; de incolarum moribus ac Religione; de sacrorum locorum fundationibus & priuilegijs; de Xenodochijs, & Nosocomijs, aliisue locis, pauperum, & peregrinorum, & studiosorum gratia conditis; de Principe, Gubernatore, Magistratibus, Episcopis, Præfectis varijs, opificijs, hisque similibus alijs huius regionis rebus, quæ multa, & vera, & digna lectu comperi, prima pars libris tribus comprehendet, quam libuit Gallo-flandriam, aut Insulę, Duaci, Orciæ, & subiectarum his ditionum Descriptionem nuncupare.

Partem secundam multimoda sibi narratio iam inde à Neruiis huius olim regionis incolis, ad hęc vsque tempora vendicabit: eáque modo proferet, quæ tot seculis intra limites hodiernos Gallo-flandrię varijs euentibus vel acciderint, vel ab incolis exterisque gesta fuerint, aut quæ ipsi Gallo-flandri extra fines suos fortiter probéque fecerint. Neque præteribit, si quid hanc ditionem vicinis etiam commune perculerit. Quod per annorum seriem historica hæc narratio pertexetur, Annales Gallo-flandriæ hanc partem appellare placuit.

Hæc igitur materies erit operis, ac distributio. De scribendi autem modo hîc breuiter accipe. Quæ ternis Gallo-flandriæ libris describo, disputóque, ea plerumque non tam meis, quàm monumentorum veterum, vel auctorum verbis propono: cùm ea fere pars in eo versetur, vt antiquitates eruat, & per quosdam locos classesque dispositas, ac, sicubi difficilia quædam, vel obscura, vel dubia sese offerunt, diligenter ventilatas in medium producat. Quo quidem instituto id maxime mihi propositum fuit, vt non tam styli elegantia, & pari vbique orationis filo legentes oblectarem; quàm varietate locorum ac rerum instruerem, eque multiplici horum difficultate & obscuritate educerem; quàm modo aliorum testimonijs, modo venerandæ antiquitatis simplicibus verbis, eorum fidem facerem, quæ profero expendoque. In Annales autem quæ per annorum seriem ac temporum ordinem distribuo, è contrario ea meis cuncta verbis describere, ac perpetuo ad veterum Historicorum imitationem orationis ornatu vestire decreui. Hîc etenim remotis iam difficultatum & obscuritatum impedimentis præcipuis, eo potissimum narrationem instituo, vti Lector & rerum factarum ordinem causasque perdiscat, & mentem vnà cognitione gestorum, & qualicumque elegantia sermonis imbuat.

Porrò si tantis operis & laboribus aliquid laude dignum egero, & quemdam in animos fructum manasse sensero: id equidem totum æterno Numini acceptum referam: ceterùm vnà vehementer gaudebo, eum mihi ad alia scribenda stimulum dari. Si contrà quidpiam à me dictum fuerit seciùs, quàm veritas patiatur; id non maleuolo tribuas animo; sed potiùs inaduertentiæ, & infideli aliorum narrationi, vel relationi condones: quæ non minùs me fortasis, quàm alios, in errores imprudentem ac nolentem traxerint. His igitur beneuole Lector tantisper fruere, dum Gallo-flandriæ Sanctos adorno, quos animus mihi est alio Tomo in publicum proferre.



APPROBATIO.

HISTORICVM istud opus, cuius inſcriptio eſt, *Gallo-flandria Sacra & profana, dein, Annales Gallo-flandriæ,* à *R. P. Ioanne Buzelino Cameracenſi è Societate* IESV perquàm accuratè conſcriptum, cùm nihil Orthodoxæ Fidei, vel bonis moribus aduerſum contineat; quin potiùs huius Regionis faciem, euentus, & geſta, à præteritis retrò ſeculis graphicè depingens, auitam Religionem pietatémque non parùm confirmet, ab omnibus vtiliter legetur. Quapropter pro poteſtate mihi à Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo Atrebatenſi facta, facultatem concedo, vt typis excudatur. Actum Duaci 3. Ianuarij anni 1624.

Philippus du Trieu è Societate IESV,
Sacræ Theol. Doctor ac Profeſſor.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS *Dei Gratia Hiſpaniarum &c. Rex Catholicus, diplomate ſuo ſanxit, ne quis* Gallo-flandriam Sacram & profanam, Annaleſque Gallo-flandriæ Ioannis Buzelini è Societate IESV, *præter voluntatem* Marci Wyon, *Typographi Duacenſis, intra ſexennium excudat, aut alibi excuſos in Inferioris Germaniæ ditiones importet, aut venales habeat. Qui ſecus fecerit, confiſcatione librorum, & alia graui pœna multabitur, prout latiùs patet in Litteris Datis Bruxellis, decimoſexto die Septembris, anno* M. DC. XXIIII.

Signat.

Prats.







HANNONIAE PARS

Quartier oultre L'Escault.

TOVRNAY

Antoing

Scaldis flu.

FLANDRIAE TEUTONICAE PARS

Melan-

Ferrain.

LANNOY

LILLE

Lisa flu.

COVRTRAY.


MENIN

COMINES

ARMENTIERS.

Scala Milliarium.

1	2	3	4
1	2	3	4






ORCHIES

ARTHESIAE PARS.
ORI. MERID. SEPTEN. OCCID.
Notarum Explicatio.
Vrbes.
Pagi.
Pagi cum Castris
Vicali.
Sacella
Monasteria vel Ab.
AV. batie Virorum et
AF. Faeminarum.
PV Prioratus Virorum.
ORCHIES
DOVAY
ARLEVX
LA BASSEE
INSVLENSE SOCIET.TIS IESV COLLEGIVM
SENATVS INSVLENSIS OPVS.
LANNOY
COMINES

GALLO-FLANDRIÆ
LIBER PRIMVS.

Quid Galloflandria? fines huius, solum, cælumq́, vrbes, oppida, pagi.

CAPVT I.

A QVI Flandriam pinguissimum ad Oceanum Germanicum Belgij tractum describunt, tritariàm omnes eam partiuntur. Potissimam eius partem Comitatum nuncupant: duabus alijs nomen faciunt Proprietariæ, & Dominatûs. Minimum eius regionis obtinet Proprietaria, ipsique Flandriæ corpori extima, versus Orientem Brabantinos & Hannonios aspicit. Ea duobus tantùm oppidis assurgit, Teneramunda, & Gerardimonte, paucósque suis finibus pagos complectitur. Ibi dominantium potestas Proprietariæ vocabulum fecit: quod ea ditione pollentes Flandrorum Principes ius regium obtinuerint, neque Cæsaribus, neque Regibus, neque Principibus clientela & fide obstricti. Dominatum plus soli, oppidorum & pagorum nobilitat.
B In eo trans Scaldim fluuium agri multi, & Alostensis Comitatus; oppida duo Alostum & Nienoua; pagi vicique non minus quàm centum & septuaginta duo ex vulgari calculo, non multo pauciores secundum Flandriæ catalogum. Cis eundem amnem Wasiana ditio, Beuerense territorium, & Quatuor Officia eidem Flandriæ regioni obnoxia. Intra fines Officiorum Axela, Hulstúmque, oppida præcipua: in Wasiensi tractu, Rupelemonda. vbique pagi multi, ac celeberrimi quidam oppidorum specie: arces elegantes, munitæque non paucæ. Cur ea pars Flandriæ Dominatus vocabulum induerit, alius aliam prodidit causam. Ab varijs Dominis originem nuncupationis quidam arcessit: qui olim eius regionis membra tenuere. Placet alijs ita nominari, quòd illic Flandriæ Princeps maiori, quàm tota ditione Comitatus,
C in subditos potestate vteretur, imperioque. Quondam ea Flandriæ portio Imperatoribus obnoxia fuit, vt qui tractum eius aliquem vel hereditate, vel emptione adirent, ab ipsis veniam possidendi petere cogerentur, & in eorum clientelam sese tradere obstricta fide: ideóque nomen Imperialis Flandriæ primò contraxerat. Comitatus cetera huius Prouinciæ comprehendit longè pluribus nobilis vrbibus,
An. 863. oppidis, pagisque, & maiori circuitu porrectus. Primus hoc titulo Gallorum rex Carolus cognomento Caluus ornauit, cùm Balduinum Ferreum Flandriæ Saltuarium in generum reciperet mitior iam factus, ac Iuditham filiam eius coniugem multa dote, regijsque muneribus afficeret. Vt varia tulerunt tempora, & variæ nunc augendi causæ, nunc minuendi: modò maioribus sese finibus iactauit, modò minori-
D bus arctari passus est. Detracta ipsi Tornacesium, Artesia, Bononia, Caletes, Guinesia, & pars magna Picardiæ, quibus olim latiùs porrigebatur. Nunc ab Ortu claudunt Comitatus Alostensis, Tornacesium, Hannones; ad Meridiem Hannones & Artesij; versus Occasum Artesij, Caletes, pars Oceani Germanici; Ad Septemtrionem idem Germanicum mare, Zelandia, Quatuor Officia. Magnis vrbibus quinq; decoratur, Gandauo, Brugis, Ipera, Insula, Duaco: cincta muris oppida, ijsdem nuda municipia omninò multa continet: pagis seu vicis quamplurimis, ijsque pulcherrimis censetur. Ab olim hunc Flandriæ tractum diuisere idiomata, & Lisa fluuius ab montibus Artesiæ progrediens, & longo ac sinuoso meatu Gandauum vsque Flandricas vrbes campósque intersecans. Inter Oceanum & eum amnem quæ porriguntur, nobilissi-

FLANDRIA DIVISIO. Iac. Meier. Pet. Oudeg. c. 8. 164. Iac. Marchant. lib. 1. Ludouic. Guicciard.

FLANDRIA PROPRIETARIA.

DOMINATVS.

Iac. Marchant. lib. 1 Fland.

Iacob Meier. l. 9. Pet. Oudeg. c. 169. Iac. March. l. 1.

COMITATVS FLANDRIÆ. Vide qua dicemus lib. 3. c. 2.

Iac. Meier. l. 9. Iac. Marchant. lib. 1.

Iac. Meier. l. 9. Pet. Oudegh. c. 169. Iac. Marchant. lib. 1. Ludouic. Guicciard.

COMITATVS FLANDRIÆ DIVISIO.

mam & maximam Comitatus Flandrici partem efficiunt. Ad dexteram eiusdem quæ consident, partímque Scarpo, partim Scaldi clauduntur, vel hos etiam inter fluuios procurrunt, alteram constituunt partem huius ditionis. Quæ sinistra Lisæ obtinent, & versus Oceanum protenduntur, ab iis pręsertim incolūtur, quibus Teutonicè loqui natura concessit. Dextrorsum habitantes varius diuidit sermo. Qui versus Orientem iam inde à Menenis & Halevino, cōterminis locis, inter angustias fluminum Gandauum vsque procurrunt, etiam Teutonicâ linguâ sonant: contrà, qui versus Meridiem & Occasum à dictis finibus latiùs diducuntur, paucis ad Lisam sedentibus exceptis, Gallico idiomate animi sensa depromunt. Quantum igitur Vrbium, oppidorum, & agrorum hi obtinēt, Gallo-flandriam his temporibus Belgæ nuncupant, vti sedes aliorum Teutonicæ nomen Flandriæ accepit: idque modò describendum suscepimus. Ea ditio quamuis cum altera Comitatûs Flandrici parte collata, prorsus angustis limitibus contineatur: per se tamen neque modica est, neque suis laudibus caret. Siue ciuitates & oppida, siue pagos & agrum consideres: multa equidem ad delicias, ad opulentiam plurima faciunt. Igitur hoc Gallicum Flandriæ membrum ab Oriente Flandris Teutonicis, & Tornacesio pręcingitur; ad Meridiem Hannonios & Artesios habet; ad Occasum iisdem Artesiis iungitur; inde versus Aquilonem & Ortum Teutonicos latè Flandros aspicit. Ab his magnam partem benigno & fęcundo cursu Lisa disiungit; Deulla intersecat; Scaldis & Scarpus partim circumeunt, partim interluunt commodi omnes, & idonei nauibus ferendis amnes, ideóque ad fertilitatem & opulentiam vario meatu, & deportatione mercium opportuni. Lisam in veteribus monumentis, & plerisque scriptorum Martianensium libris nunc Legiam, nunc Lætiam appellari video: & agrum ei vicinum Legiensem, Lætigum, aut Lætiensem pagum, regionemúe nuncupari. Legiam nominat etiam vitæ S. Bertulphi auctor; Lidum Guilelmus Brito in Philippide, cùm ita loquitur:

FLANDRI TEVTONICI. — GALLO-FLANDRI. — GALLO-FLANDRIÆ SITVS. — GALLO-FLANDRIÆ FLVVII. — LISA. — La Lisse. — Lib. 9.

Inde per albicomas populos, patriámque feracem,
Quam Scaldus fæcundat aquis, Lidusque profundis.

Ac deinde: *Lidus vbi Scaldo commixtus ad æquoris vndas*
Nomen ferre suum Scaldo superante vetatur.

D. Antoninus Lisciam appellat. Deullam monumenta quędam Ecclesiæ S. Petri Insulensis Duplam nuncupant: eodémque nomine in nonnullis Messinensis Monasterij diplomatibus citari aspexi. Dulam in Annalibus nominat Iacobus Meierus. Scaldim à Ptolomęo Tabudam appellatum putant Ioannes Goropius, & Abrahamus Ortelius: ac postmodum à scriptoribus ætatis mediæ nunc Tabul, nunc Tabulam corruptè. In libello Herioli de S. Eleutherij miraculis, Scaudus nuncupatur. Guilelmus Brito tam Scaurum, quàm Scaldum nominat. Citati anteà versus Scaldum repręsentant: hi verò Scaurum:

Parte 3. hist. — DEVLLA. — La Deulle. — SCALDIS. — L'Escaut. — In orig. Antuerp. — In Thes. Geog. — Lib. 9. Philip.

Vrbs erat & rebus, & ciue superba potenti,
Nomine Tornacum, Scauri contermina ripæ.

Nisi malimus hoc loco Scaudi, vel Scaldi nomen reponere. Ab eodem interdum Escaldum appellari comperio. hic enim ipse alibi cecinit:

Lib. 10. Philip.

Iam super Escaldum tentoria reprobus Otho
Fixerat.

Scarpum in vita S. Rictrudis Hucbaldus Scarb nuncupat. vnde quidam nostratium auctorum data terminatione latina Scarbum dixere. Apud Andream Martianensem Yscarp inuenio. A quibusdam aliis Scarp scribitur: vnde nunc Scarpi nomen inualuit. Irrigatum igitur his fluminibus Gallo-flandriæ solum vbique fertile est: minus tamen pars ea fæcunda, quæ versus Artesiam tendit. Cęlum istic satis molle, ac plerisque locis ad fertilitatem & voluptatem obsequens. Pauci protuberant colles, iique nec lapidibus infesti, nec frugum expertes. Pabulensis eorum præcipuus agro fertili, pingui cæspo, altitudine, quamquam is partem maximam Artesiæ subsit. Plerumque solum est nemoribus consitum, vnde struendis ædificiis, & ignibus fouendis, magna lignorum copia suppeditat, dein aliqua venantibus oblectatio. Præ cæteris nomen habent Plinense, Rayssium, Martianense, ac Cysonio vicinum. Quibus ea partibus

SCARPVS. — Le Scarp. — In Chronica. — GALLO-FLANDRIÆ SOLVM ET CÆLVM.

desunt,

A [illegible] industria, & labor sibi ueniunt. Hortos, arua, vias ij cæduis arbori-
bus [illegible], vt plerique pagi, & agri siluarum speciem aspicientibus præbeant. In
[illegible] vary generis fructus arbores ferunt vel patriæ, vel exoticæ.
Quæ [illegible] hortis, itineribus, agris pratisque, infrugiferæ omnes, ac præsertim
vlmi, salices, [illegible] generis populi, & interdum ilices, quercus, fraxini: quarū
[illegible] aliæ focis idoneæ. Vbi coluntur arua, omnis modi frumenta,
[illegible] legumina, & aptas inficiendis colore pannis herbas proferunt
abunde. Quia [illegible] terræ madent, ex multis & lętissimis pascuis sunt nobiles:
ibique [illegible] & boum armenta passim conspiciuntur, ac ingens anserum
alitur copia. Ceterum viscera regionis neque marmoribus, neque metallis turges-
cunt [illegible] lapide candido mollique Insulam iuxta tument; cuius opportunior sit vsus
[illegible] iaciendis, quàm struendis domorum ac templorū parietibus.
[illegible] tres potissimùm vrbes, Insulam, Duacum, Orciam; oppida
B quatuor: [illegible], Cominium, Basseam, & Lannoyam comprehendit; pagos
[illegible] & septuaginta; nobilium arces plurimas, aut prætoria; & ali-
quot [illegible] monasteria complectitur. Opes vbique multæ sunt, seu soli fertilitas,
[illegible] labor & industria, siue res aliunde aduectæ conferant. Paucos videas
pagos [illegible] minus quadringentis mortalibus numeres, qui pueritiam exue-
[illegible] mille censeas, in multis mille quingentos; in quibusdam bis
mille, aut plures etiam [illegible]. Horum pars aliqua in agrorum cultum incumbit in
[illegible] siue domi neant, siue telas & pannos varij generis radio
[illegible] & oppidis otio locus conceditur. Et quò facilius iis
[illegible], rebus, quas parauerint, pecuniæ multum conficiant in-
[illegible] Insula tenet nobilissimum totius Flandriæ empo-
rium [illegible] vel aduectas è tota Europa res coemunt, vel in Belgio
[illegible] in omnes [illegible] partes distribuunt.

GALLO-FLANDRIÆ VRBES, OPPIDA, PAGI. OPES.

C *Insula [illegible] Gallo-flandriæ caput. nomen eius expenditur.*
quis [illegible] ? quibus incrementis ad hodiernam
amplitudinem peruenerit.

CAPVT II.

[illegible] Gallo-flandriæ, quam describo, nomen, situm, fines, loca, natu-
ram [illegible], ad singulas nunc eius partes veniendum arbitror. Ac pri-
mùm [illegible] Insula exordiar, eius dignitas iure suo postulat. Quidquid enim
de [illegible] aliorum antiquitate prodatur, id saltem omnino certum
est, primam [illegible] dignitatem Insulæ, vt meritò mater vrbium dici queat. Certè
[illegible] Comitatui Flandriæ Philippus Francorum rex cogno-
D mento Pulcher [illegible], inter primarias vrbes quarta censebatur: quintum mo-
dò locum Duacum obtinebat magno deinde interuallo Orchiacum est secutum,
[illegible] aliquando magnitudine famam celebrauerit. Hac etiam tempestate multa
Insulam caput esse Gallo-flandricæ regionis ostendunt. Primum enim quoties
[illegible] vrbium mentionem ingerunt vel diplomata, vel monumenta,
vel [illegible], Insulam semper ceteris præponunt. Deinde Ordinum hic comitia
[illegible] & primam & multo maximam coacti ex hac vrbe, & ob-
[illegible] Ecclesiastici, nobiles ac Senatores conficiunt. Tandem vbi
[illegible] Conuentus apud Flandriæ Comitem habetur, inter Gallo-
[illegible] Insulenses primi loquuntur. hanc vrbem inaugurandus Flan-
[illegible] ingreditur, hic iureiurando sese primùm Gallo-flandris ob-
[illegible] sacramento sibi reddit obligatos.

INSVLA GALLO-FLANDRIÆ CAPVT.

[illegible] principem Gallo-flandriæ nostræ vrbem variis cieri nominibus video.
Q[illegible], Illam alij, Lillam nonnulli, plerique Insulam dicunt. Hoc tempore

INSVLÆ VARIA NOMINA.

Iac. Marchant. lib. 1. Fland. vsus obtinuit, vt Insulas, vel Insulam vulgò nominent. Quibusdam sciolis parum id placet; ideóque Lillam nuncupant: vt plus sibi blandiantur, quàm veritati, hoc insuper nixi fundamento, neque vrbem insulari specie cerni, neque Insulanos facilè toleraturos, eo se perstringi adagione; *Insulani mali, Siculi pessimi.* Maluissem eos huius nominis auctorem laudare D. Antoninum, qui non semel hanc vrbem Lillam nuncupat tomo Historiarum tertio. Verùm huic obrogandum appellationi, duo peruincunt, vetus olim vrbis species, dein recepta passim primis temporibus vel Insulæ, vel Islæ nomina. Flandriç Comes Balduinus (quem frequenter Insulensem auctores nominant ob collata in hanc vrbem decora) in eo diplomate, quo Canonicis templóque D. Petri dotem assignat, hunc locũ *à Progenitoribus Islam* nũcupatum asserit: sempérq; ipse vel *Islam*, vel *Islensem* nominat. Liberorum eius natu minor Robertus Frisius iis litteris, quibus Ecclesię Phanopinensi libertatẽ concedit, modò Rogerium *Islensem* Castellanum appellat; modò D. Petri templum Ecclesiam *Islensem* vocitat. Iisdem litteris subscribunt *Islenses Canonici*; datásque apud *Islam*, subiungitur. Eodem modo Radbodus & Baldericus Episcopi Nouiomenses ac Tornacenses in quibusdam sacris diplomatibus frequenter nominant *Islensem* D. Petri Ecclesiam. Idémque facit Rabodo de Runnia in eo syngrapho, quo plerosque in libertatẽ *Ecclesiæ Islensis* asserit. Et quo vtuntur etiam modò Insulenses Canonici, *Sigillum Ecclesiæ S. Petri Islensis* inscribitur. Hanc etiam vrbem à Balderico in Chronicų Cameracensi *Castellum Islense* dici video: & in Tornacensi Chronico veteri & MS. *Islense oppidum*.

A

An. 1090.

B

Lib. 3. c. 70.

Paullò post ætatem eiusdem Balduini Comitis etiam hæc vrbs Insula dici cæpit. Sumptus è Collegio Canonicorum Insulensium Lambertus Atrebatẽsis Episcopus iis in litteris, quibus sacerdotium Moncellanum iisdem Canonicis impertit, plusquam semel D. Petri Ecclesiam *de Insula* nominat. Gregorius Septimus Pontifex Romanus epistolam quandam inscribit *Fulcardo Insulanæ Congregationis Præposito.* Ioannes de Collemedio in vita S. Ioannis Morinensium episcopi, qui prius cum memorato Lamberto D. Petri Canonicus floruit, *Insulam oppidum* appellat. Arnulphus Suessionensis Episcopus *venit ad Insulam ciuitatem, atque illic reperto Comiti* (Roberto Frisio) *obtulit sacras Pontificis litteras*, vt habet Lisiardus. Diplomati Comitis Flandriæ Philippi Elsatij priuilegia quædam Orchiacensibus concedentis subscripsit G. de Messinis, *Præpositus Insulensis.* Neque aliter vrbem hanc, quàm Insulam, vocat Guilelmus Brito iis in libris, quos de rebus Philippi Augusti regis Francorum carmine conscripsit. Sic enim ipse:

Lib. 6. ep. 26.

In vit. S. Arnulph. c. 34.

C

An. 1188.

Lib. 2.

Insula villa placens, gens callida lucra sequendo.

Lib. 9.

Deinde: *Insula post triduum modica fuit obsidione*
Vertice demisso regi parere coacta.

Mandat itaque vrbem, qua de agimus, ab olim non Insulas, non Lillam; sed modò Islam, modò Insulam eodem significatu vocari solitam esse: Islæque vocabulum ex idiomatis Gallici nomine formatum, quod Insulam designat. Nunc videamus, quid causæ huius nominis originem præbuerit. Quidam ferunt, euentu quodam; alij, ab soli conditione inditum. Fama est, cùm mænia circumspiceret, conditorem à præfectis operum quæsiuisse, qualem eam censerent, quam vrbem molirentur? eos responsum dedisse, haud minùs arte sibi, & ingenio loci munitam videri, quàm in medio mari iacentem, & asperis cinctam rupibus Insulam. ipsum igitur ex eo nomen dandi occasionem hausisse, ideóque oppidum Insulam nominasse. A plerisque huius temporis hominibus litteratis ex verò magis creditum, soli naturam fecisse oppido nomen. Quippe regionem vbi situm est, olim palustrem fuisse, ac ideò plerumque aquis tumentem. Crescentibus igitur aquis, vrbem in medio Insulæ specie conspectam: indéque nomen tractum. In palustri loco sitam esse, fecit fidem incendium, quo Philippi Augusti Francorum regis imperio ipsa postmodum absumpta est: cùm etiam solum eius arderet, radicibus herbarum, & iuncis, qui introrsus operti latebant, alimenta igni præbentibus. Tradit enim Guilelmus Brito per tres dies noctésque adeò densum è terra fumum erupisse, vt

Vnde nomen Insulæ, vel Islæ?
Chron. Fland. collect. MS.
Liber Liderici.

D

Lib. 9. Philip.

——— *medias sol per nebulas lucere nequiret.*

En eius

A En eius verba è nono Philippidos libro.

Humidus nam tellus carecto fæda palustri,
Et [illegible] tegens limoso viscera plano,
Interiore sinu, subeunte calore, vaporans,
*In noctis faciem * conuertant aëra, tristes* (* Forsan legēdum, conuerterat)
Exhalans mixto nebulas humore calori. &c.

Neque desunt interdum eiusdem rei argumenta terram profundè scrutantibus [illegible] nonnunquam in imo cum radice iuncis.

Verùm Insulam quis condiderit, haud facilius reperiemus. Ad Balduinum Insulensem quidam respiciunt, eique huius vrbis cunabula tribuunt. Patrem eius Barbatum [illegible] fundasse arbitrantur. Ad Lidericum Buccensem initia quidam referunt. Neque desunt, qui vel Iulium Cæsarem, vel Flandbertum eius oppidi parentem faciant. Quæ Teutonico idiomate scripta sunt Flandriæ Chronica, Iulio Cæsari adhærent. (QVIS INSVLAM CONDIDERIT?) B Narrant enim cum ad confluentes Lilæ & Scaldis amnes Gandam condidisse, abductis inde copiis huc deuenisse alias sedes substruere meditantem. hanc ei regionem placuisse, [illegible] ambientibus siluis: ideóque castrum protinus molitum Bucci nomine, vbi nunc D. Mauritij ædes visitur. (AN IVLIVS CÆSAR?) Alios inuenio id opus in Flandbertum [illegible] inter fortes Bauaci duces cognitum. Quippe cùm rex Belgarum [illegible]us Bauaci ab Romanis arctissimè obsideretur, per subterraneas cum vias multum vulgus parum armis & præsidio idoneum, foras emisisse Flandberto & [illegible] ducibus. (AN FLANDBERTVS?) Hos animi maximi, & virtutis eximiæ viros, eas debiles copias [illegible] ad Lisam fluuium duxisse: in vicinis collibus primas sedes fixisse amœnissimo & pinguissimo luco, vbi modò Balliolum conspicitur. Flandbertum initis postea cum Legato Cæsaris C. Antistio pacis conditionibus, acceptóque totius regionis ab Cameraco ad Oceanum vsque sub Romanis imperio, primum Harlebecum, deinde Insulam struxisse. Ita Petrus Oudegherstius partim Iacobum Guisianum secutus, partim patriæ dulcedinem, quæ multa etiam viris doctis perperam (Annal. Fland. c. 6.) C suadet. In Lidericum paullò plures conueniunt, cúmque statuunt Insulæ parentem. (Annal Hanl. [illegible]) Vanesium que Phinardum vel Finardum (qui patrem eius Saluartium crudeliter occiderat haud procul [illegible] viam innoxiè carpentem) duello victum obtruncasset, eiúsque ditionem [illegible] Chlotharij Francorum regis munere adiuisset: iuxta castrum Buccense oppidum condidisse asserunt, cui fecerit Insulæ nomen. (AN LIDERICVS? Christ. Mass. l. 11. Ludou. Bres. in Chron. Fland. Ms. vet. Chron. Fland. ms lib. Lederic.) Qui Balduino Barbato, seu Bellobarbo fundationem vrbis huius adscribunt, ij & pauci, & obscuri nominis, nisi fortè Balduinum Bellobarbi filium inter eos censeamus, cùm in diplomate huius Ecclesiæ S. Petri Insulensis asserit, hoc oppidum *à progenitoribus suis Islam nuncupatum*: vt ij etiam condiderint, qui nomen dedere. (AN BALDVINVS BELLOBARBVS?) Verùm eo minimè Balduinum respicere crediderim, cùm nomine Progenitorum potiùs maiores intelligat. Scriptum Gallicè vetus Chronicon Flandriæ, quod Dionysius Sauvagius in lucem edidit, prorsus asseuerat, Balduinum Pium Bellobarbi filium Insulam condidisse, ideóque traxisse cognomentum Insulensis. (AN BALDVINVS PIVS? Cap. 8.) D Huius etiam sententiæ video fuisse Ioannem Iperium in Bertiniensi Chronico, cuius hæc verba: *Iste Comes Balduinus dictus est Insulanus, quia villam Insulam condidit.* (Cap. 36.) Et hoc disertè asserit vetus epitaphium, quod olim eius tumulo adscriptum fuit in templo S. Petri Insulæ, & apud Petrum Oudegherstium legitur. (Cap. 43.) Ibi námque inter alia,

*Insulense oppidum cum * castris fundat ibidem,* (* al. ca[illegible])
Ecclesiam ædificans, ô Petre sancte, tuam.

Nunc his omnibus accuratè perpensis, in quam ego veniam opinionē, paucis expediam. Haud dubiè plus vetustatis huic asserēdum oppido est, quàm patiatur Balduini Pij tempora, vti ipsæ res edocent. Cùm enim is Balduinus D. Petri templo, eiúsque canonicis dotem attribueret, quędam *in moneta Islensi* solui iussit. (In diplomate fundationis.) Vnde facilè cōijci potest, non adeò recenter erectum id oppidū fuisse: ex aduerso potius ipsum tūc multum [illegible] cum opibus, tum priuilegiis. Nam alterum saltem è duobus Insulam tum temporis [illegible], quorū prius est Comitis pecuniam cudendi facultas, posterius ad certam nundinationem certum monetæ pretium statuendi auctoritas: quorum sanè

altero plurimum gloriæ ſemper, magnúmque nomen obuenit, cùm ea ſolis vrbibus primarijs Principes concedant. Ad hæc, non deſunt, qui Pium ea in vrbe natum affirment, ſolúmque velint hanc ab eo muris circumdatam foſsíſque, ac nonnullis ornatam ædificiis. Deinde plurimus illic idem Pius agebat, multa ſemper tam principum, quàm procerum copia ſeptus. ibidem frequens Philippum Franciæ regem, cuius tutelam Henricus pater ei tradiderat, coluit aluítque. Et priuſquam ipſe muris foſſáque muniret, Caſtrum appellabatur, ſuíſque Cæſarem Henricum opibus in Gallo-flandriam traxit. Sic enim Baldericus de Imperatore Flandriam irrumpente: *Pertranſiens autem clauſulam illam, & interfectis à dextris, & à ſiniſtris occurſantibus, ad Iſlenſe Caſtellum peruenit: Vbi Lantbertus Comes Lenſenſis cum multis ei occurrens, interfectus occubuit.* Sanè, quod poſteà dicemus, ea tempeſtate oppida quædam vrbéſque magni nominis Caſtrorum vocabulo ciebantur (vt Louanium, Antuerpia, Gandauum, Valentianæ, Duacum) propter impoſitas eis arces, caſtelláque, tutandi gratia. Dein Ioannes de Collemedio in Vita B. Ioannis Morinenſium epiſcopi, quem Inſulenſes Canonicum priùs viderant, quíque vitam finiit anno Domini 1130. quam ſpectauerat ipſe, Inſulam *celeberrimum tunc illius regionis oppidum* nuncupat, cùm ait, ibi Canonicos inter commoratum Ioannem. Igitur ea mihi placet ſententia: ſatis eſſe veritati conſentaneum, excitatam vel ab Iulio Cæſare, vel à Flandberto, arcem initia Inſulenſis oppidi præbuiſſe. Eam primò Buccam, vel Buccum, dein Phinartiam vocari ſolitam: illúdque nomen ei veniſſe ab regione Buccenſi iuxta porrecta, cuius ipſa caput eſſet (niſi contrà malimus datam inde regioni nuncupationem;) hoc à Phinartio tyrannicis moribus inſidente. Id caſtrum eo præſertim loco ſteti ſſe, vbi nunc ædes D. Mauritij cernitur. Eum pontem, qui proximè hoc templum Deullam committit, id non leuiter arguere, ab vulgo ſemper Phinartium, Finiumúe, vocatum. multis à Chriſto nato ſæculis tranſactis cum Phinartio Lidericum Saluartij filium in ſingulare certamen ad eum pontem deſcendiſſe pro caſtri porta. eo feliciter obtruncato, Chlotharij Secundi Francorum regis munere, Caſtri Buccenſis, totiúſque ſubiectæ regionis hereditatem adiuiſſe. cùm placeret is locus, ibique ius diceret æqui rectíque cultor, ad arcem multas ædes conſtrui iuſſiſſe: muros eas circum duxiſſe, foſſáſque. Antonio huius filio Flandriæ curam & regimen obtinente, non multò pòſt à barbaris nudatum mænibus oppidum, hauſtáque flammis ædificia. Exinde centum ferè annos deſolatam & ſuis obrutam ruinis Inſulam fuiſſe: ac poſteà ſenſim nouis ædibus ornatam, alióſque obductos ipſi muros: cùm referant Annales Flandrici, Balduinum Ferreum de ſuis hoſtibus aliquos è pinnis eorum ſuſpendiſſe. Balduinum Comitem cognomento Bellobarbum poſt aliquot ſæcula ei loco exornando nonnihil operæ dediſſe. Pium huius filium inſigni tactum vrbis eius cupidine, multum ad eius munitionem & ornatum incubuiſſe, circumdato maioribus oppido foſſis muríſque, & caſtrum intra, ſiue burgum, D. Petri templo, auláque conſtructis. Parum tamen oppidi ambitum procurriſſe, ſolámque D. Stephani Parœciam, & lacinias aliquas Parœciæ S. Petri complexum. D. Mauritij, Sanctæque Catharinæ ſacras ædes, ac ſubiectos iis vicos in ſuburbiis numeratos. Hoc præſertim è diplomate Comitis eiuſdem arguo. Nam inter ea, quæ D. Petri Præpoſito concedit, intra oppidum S. Stephani Eccleſiam collocat, dum inquit: *In foro Iſlenſi altare S. Stephani cum bodio.* Quam autem D. Mauritij ędem Canonicis aſſignat, idem omnino ſeiungit. Hęc enim eius verba: *Altare in honore S. Mauritij apud Fius.* quibus ſanè id templum non intra vrbem ſtatuit, ſed foris in vico, qui olim modò Fius, modò Fiuiæ nuncupabatur, vt partim è libris antiquis, partim è diplomatibus variis comperi: cuiúſque pars hoc ęuo intra vrbis viſcera conſtringitur, pars in ſuburbio latè procurrit retento Fiuiarum nomine, & vetuſto Prioratu Benedictini Ordinis gaudet. Quæ ſubſunt D. Catharinæ templo, extra oppidum caſtrúmque iacuiſſe manifeſtant ea, quæ idem Comes Canonicis attribuit, cùm ſcribit: *In ſuburbio eiuſdem caſtri, id eſt Iſlenſis, vnicuique Canonicorum curtile vnum.* Nam quos hortos ea donatione Canonici acceperunt, etiam modò D. Catharinæ parœcia continet, partim intra oppidi pomærium, partim extra. Verùm noſtra ętate multò latiùs vrbis

pomærium

Iac. Meier. & Ioan. Molan.

Iac. Marchant.

Lib. 3. Chron. Camer. c. 70.

INITIVM INSVLÆ DEBERI CÆSARI, VEL FLANDBERTO, AVCTORIS SENTENTIA.

Lib. Lider MS. Chron. Fland. Gall. & MS. Lud. Breſin. in Chron. Fland. Iac. Marchant. l. 1 Fland.

Chron. Fland. MS.

PARVVM OLIM INSVLÆ POMARIVM.

A

B

C

D

A pomœrium [illegible] tenditur. Nam prẹter Parœcias Diuorum Petri & Stephani, tres alias D. Mauritij, S. Saluatoris, & D. Catharinæ comprehendit, de quibus posteà, vbi de variis oppidi incrementis memorabimus.

Nunc ad arcem Buccensem, Castrumue Phinartij stylum reuoco, vt quæ pauca de ipso deprehendi, breuiter litteris tradam. In primis animaduerto sępè arcem de Fins, vel de Fin à quibusdam vetustis & manu exaratis Annalibus nominari. Vbi verò sita [illegible] hoc prẹsertim controuertitur. Quidam extra pomęrium vrbis locum assignant [illegible] nomine, vbi quondam id castrum steterit: credíque posset Oudeghersti[illegible] scribere, cum tradit à loco certaminis Lidericum in arcem Buccensem [illegible] oppido paullum remotiùs: Insulámque non intra Buccensem Principatum, [illegible] in vicinia tantùm eius collocat. Visum tamē aliis, eo conditam loco arcem illam fuisse, vbi templum D. Mauritij, quemadmodum anteà diximus, consurgit. [illegible] veteres Annales, qui castrum *de Fins* vel *de Fin* appellant, per[illegible] referunt ad eius pontem Phinartium vel Finardum, à quo ductum sit

B vocabulum [illegible]. Neque verò discrepat Christianus Massęus, dum Phinartium, quem [illegible] à Liderico memorat, gigantem Castri vocat Insulensis. Mihi contrà magnam [illegible] difficultatem id quod Marchantius affirmat, Buccensis videlicet arcis reliquias in veteri castro Insulæ repertas. Nam quoquo modo castrum vetus Insulensi[illegible]us, quinam possit ex vero id dici, non video. Quippe si per castrum totam Insulæ vrbem significet, ex recepto Pij temporibus vsu loquendi, parum id congruit, [illegible] pomęrium minimè protenderetur, vti suprà diximus. Contrà si burgum vel arcem [illegible] eiusdem Comitis ętate florentem indicet, aliis omnibus [illegible] nullus illic castrum Buccense collocat. Dici posset, aliam potius [illegible] conditam fuisse, vbi vetus illud Phinartij vel Buccæ castrum [illegible] literis nondum comperi.

Igitur [illegible] temporibus totum id castrum in plana deiectum erat, eiúsque [illegible] batur. iamque paullùm inde vrbs discesserat cùm

C [illegible] onem rursus ædificata est, nouâ in parte auersâ con[illegible], quam Pius ornauit, quà naues in vrbem recipiuntur. [illegible] Castri nomen olim attulit, & latissimè patuit. D.Petri [illegible] Canonicorum domusque, magnus terræ tumulus (quem hodie [illegible] vocitant ob Mariam Luxemburgicam eius cognominis [illegible] Castellanam; ac prius à Comitibus S. Pauli Castellanis Insulensibus [illegible] donauerant) tota fere Parœcia S.Petri; & forsan quædam pars [illegible] intra muros eius comprehensa. Qui velint hanc arcem ab [illegible] Iacobum Meierum, Ioannem Molanum, & Ferreolum Locrium [illegible] consentaneum, mihi parum liquet. Neque Christianus Massęus, neque [illegible] Oudegherstius inter eius opera censent. Contrà, in epitaphio eius [illegible] est

* al. Castro

*[illegible] cum * castris fundat, ibidem*
[illegible], ô Petre sanćte, tuam.

D At video [illegible] deprehendi, prius id castrum stetisse, quàm Pius ad Insulę [illegible] & operam conuerteret. Is enim cùm memoriæ tradidit Henricum [illegible] Balduino infensum copias Insulam versus duxisse, iam tum eam [illegible] tametsi nondum Comes munitionibus nouis ei cauisset. Ad hæc certò constat Castellanos Insulenses, quibus hoc castrum & officium & nomen [illegible] circa trigesimum & millesimum Christi annum efflorescere [illegible] us S[illegible]alo (nullum enim hoc antiquiorem monumenta suggerunt) postquam diu eo nomine officióque claruisset, Phanopinense monasterium [illegible] nono & trigesimo, longè diu antequam Pius quidquam operis Insulæ moliretur. Igitur de Pio tantùm illud arbitror, nouis id castrum [illegible] D.Petri: & forsan etiam terræ tumulo, cuius anteà [illegible], propugnaculū imposuisse, quo se reciperet ingruentibus arci hostibus. Quippe [illegible] est eum colliculum, qui modo nudus ædificiis conspicitur, olim mu-

CASTRVM BVCCENSE, QVI VOCATVM, ET VBI SITVM OLIM?
Annal. Fland. c. 9.
Cap. 3.
Lib. 13. Chron.
Lib. 2. Fland.
ARX INSVLENSIS PII TEMPORE, QVAM MAGNA, ET VBI SITA?
In Annal. Fland.
In SS Belgij.
In Chron Belg.
In Chron.
In Annal. Fland.
EAMNE PIVS CONDIDERIT?
Chron. Camer. l. 3. c. 70.
Francisc. Pictin. in Chron. Phanop. MS.

nimentis & præſidio tutam præbuiſſe Principi ſedem. Aulam palatiumúe ab eodem Comite intra Caſtrum exſtructum narrat Oudegherſtius. Sed è-contrario placet Florentio Vanderhario priùs illic domicilium Flādriæ Comites habuiſſe, Piúmque partem eius aliquam condendo D. Petri templo attribuiſſe. Ego autem facilè Oudegherſtio aſſentiar: omninóque locum epitaphij ex eo iam citatum ſic interpreter, vt Balduinus vrbem caſtrumúe munierit; in caſtro arcem tumulo impoſuerit; ac cum eccleſia D. Petri palatium ædificauerit: tum quòd pluraliter caſtri nomen vſurpet; tum quòd ex diplomate Pij aliud nihil colligatur, quàm vacuam ædificijs aream, exſtruendis templo, domibúſque, & officinis Canonicorum ab eo traditam. Ac prorſus ea mihi ſedet ſententia, quod fuerat illic Comitum Flandriæ domicilium, id ab Henrico Cæſare priùs deformatum flammis fuiſſe. Hac verò tempeſtate nullum ferè caſtri eius, quo de agimus, veſtigium viſitur, præter illum terræ tumulum aquis obductum. Neque facilè deprehendo, quis hoc munitionibus nudauerit, oppidoúe iunxerit. Roberti Friſonis temporibus aduerſus hoſtes firmum ſtetiſſe, ſatis arguit Richildis Balduini Montenſis viduæ illic latentis ſecuritas, & paullò pòſt, dirum facinus Gerardi Friſio ipſum prodentis eiuſdem Richildis odio. Saltem, Philippi Pulchri Franciæ regis ætate diſiectos arcis eius muros, eámque vrbis corpori coniunctam fuiſſe crediderim, cùm aliam Francis ad portam D. Magdalenes arcem is condidit, vt ciuium motus inde comprimerent. Et ſanè quibuſdam Inſulenſibus placet, ſumptos inde Pulchri mandato lapides ad moliendas noui caſtri munitiones.

A

In Annal. Fland.

Lib. 1 de Caſtell.

PALATIVM IN ARCE INSVLENSI AN PIVS CONSTRVXERIT?

AN. 1055.

Petrus Oudegh. in Annal. Fland. c. 49.

AN. 1071.

B

Nunc autem quæ ſenſim incrementa ceperit Inſula, quam vidimus ab ipſis incunabulis exiguis circumſcriptam finibus fuiſſe, breuiter oſtendamus. Iam ante milleſimum ducenteſimum & ſexageſimum Chriſti annum intra muros vrbis receptas D. Mauritij, & S. Saluatoris parœcias, ex iis pacis legibus conſtat, quas D. Petri Canonici, & vrbis magiſtratus eo tempore condiderunt: vbi & porta de Dergnau S. Mauritij templo proxima, & altera S. Saluatoris, nominantur. Et facilè arbitrer, ſubiectis S. Mauritio Sanctóque Saluatori vicis, aut regionibus vrbem creuiſſe, priuſquam Chriſti annus milleſimus centeſimus, & quinquageſimus tertius inciperet, cùm eo Cæleſtinus Pontifex Romanus eas duas parœcias cum altera D. Stephani vrbi annumeret iis litteris, quas ad Præpoſitum dedit, eccleſiæ D. Petri patrocinium complexus. Paullò ſeriùs D. Catharinæ templum vicúſque intra pomerium vrbis concluſa.

INCREMENTA VRBIS INSVLENSIS.

C

Francorum rex Philippus cognomento Auguſtus, cùm Inſulam Ferrando Comiti ereptam in ſua poteſtate retinere cuperet, anno Chriſti decimotertio ſupra milleſimum & ducenteſimum aliam protinus arcem condidit eo in vrbis vico, cui nomen Darnel erat, vbi diu porta des Rigneaux, vel Dergnau appellata, conſtitit. Id præſertim ſcripto prodidit Guilelmus Brito Philippum regem bello ſecutus. Hæc eius carmina è nono Philippidos libro:

ARX DARNEL A PHILIPPO AVGVSTO CONDITA INSVLÆ.

Inſula poſt triduum modica fuit obſidione,
Vertice demiſſo, regi parere coacta.
Quam multo benè firmatam rex milite munit
*Atque * ſatellitibus, quibus omnibus Athius Hugo*
Præfuit, vt villam vicino ſeruet ab hoſte.
Nam fieri poterat, quòd poſtquàm abſceſſerit inde,
Ferrandus ſubitò adueniens ſibi ſubiuget illam,
Gaudeat & ciuis domino ſeruire priori.
Quod meritò metuens, in vico nomine Darnel
Rex fabricare nouam ſtuduit quantocyùs arcem,
Qua ſua gens tuta eſſe queat, arcémque tueri.

D

** i. Militibus: qua ſignificatione frequenter vſa fuit ætas inferior apud Francos.*

Vbi non dubito verſum vltimum ita corrigendum, *Vrbémque tueri*, cùm ſenſus id requirat. Verùm id caſtrum vt celeriter conditum fuit, ita paucis pòſt menſibus incendio perijt. Nam Philippus receptæ ab Ferrando Inſulæ nuntiis grauiter ſauciatus, nouas huc è Gallia copias pertraxit: ſtatímque oppido vi potitus, flammas ædibus iniici iuſſit; eóque vindictæ aduerſus Inſulenſes iracundiâ ſtimulante prouectus fuit,

A illud fecit, vt structum etiam ab se castrum munitúmque igni corrumperet. Hoc ita dicto loco cecinit Brito. ET AB EODEM EVERSA.

Insula tota perit miseræ seruata ruinæ.
Quicquid enim tota sibi flammea cremabile villa
Reperit, assumpsit: reliquum instrumenta deorsum
Ferrea deiiciunt —— & mox:
Nec turris, quam rex fabricauerat, integra mansit,
Nequid ibi maneat habitabile denuò Flandris.

Multo interiecto tempore, anno Christi millesimo ac trecentesimo primo, Philippus [illegible] Francorum rex Pulchri cognomento in historiis cognitus, ad portam, [illegible] Cortracum, arcem aliam vrbi nostræ imposuit, quadratam fermè specie, [illegible] turribus ornatam tutámque. Is in Flandros omnes flagrantissimo ardebat odio, [illegible] Comitem Flandriæ Guidonem blandis ac sinceris Caroli fratris [illegible], & malis aliorum artibus posteà circumuentum in custodia B Compendii [illegible], in subiectam sibi Flandriam grauiter grassari cœperat: & ne quis deesset, qui se absente eam in gentem sæuiret, Guidonem S. Pauli Comitem, [illegible] Iacobum in hoc tractu reliquerat. Iacobus præferoci vir ingenio, & [illegible] parum sui potens, de regis voluntate Flandriæ Præsidem [illegible]. & quæ rex iusserat, domandis Flandrorum animis, ardenter exsequebatur. Itaque cum videret suos malè Brugis acceptos suborto populi tumultu: ad [illegible] locis nobilioribus arces de regis sententia operam conuertit; [illegible] præsidia faceret. In his locum principem obtinuit ea, quam Insulæ [illegible] mentes, Gallo Flandris ægræ laborem, expensas aliquas, & [illegible] arcem tolerandam. Hæc quippe oppido vehementer imminebat. Verùm [illegible] annos [illegible] ciuibus terrorem fecisset, ipsis denique vltimis Belgij [illegible] nudatum est, qua parte vrbi grauius ingruebat, [illegible] in reliquum vrbis corpus concessit, postquam id Catholi- C [illegible] Philippi [illegible] per venditionem Senatus potestati tradidit. Chronic. Fland. Iac. Meier l.10. ARX A PHILIPPO PVLCHRO INSVLÆ EXTRVCTA. Iac. Meier l.10. Litteræ Philippi Regis.

[illegible] D. Virginis porta, quæ viam aperit Atrebatum versus, [illegible] propugnacula, quibus adiecta recèns non modica vrbi [illegible], tum munitur. Cœptus is labor ingentibus ausis Magistratus anno [illegible] suis numeris absolutus quinto ferè pòst anno. Et dum [illegible], idem Senatus ad Boream Ortúmque nouum vrbi murum obducere cum propugnaculis molitur, quibus terræ multum complexus pomœrium ea parte latiùs [illegible], [illegible] firmitudinis ac elegantiæ: vt sensim maximas inter Belgij vrbes Insula censeatur, siue opes, siue ambitum perspicias. NOVA INSVLÆ CIVITAS.

Insulæ situs, ædificia sacra prophanáque, horti, incolæ, suburbia.

D

CAPVT III.

His de nominibus, origine, conditoribus, & incrementis latiùs paullò discussis, qualem modo Insulam cernimus, in huius capitis tabella ob oculos ponere lubet. Subiectæ sibi ditionis vmbilicum fermè occupat loco plano, & minus, quàm olim, palustri. Tres leucas Menenis abest, quinque Cortraco; totidem ab Tornaco & Orchiaco distterminant: Duaco lapide septimo distat, vt Lensa [illegible] quinto, Armenteriâ tertio, paullò ampliùs Warnestuno, [illegible] quibus omnibus tum vrbibus, tum oppidis in orbem cingitur. Aquæ satis suppetit tam fontanæ, quàm fluuialis. Deulla flumen ab Occasu [illegible] pigro fluxu, aquis lympidis: dein muros penetrat, & sinuoso [illegible] loca perluit. Is tinctoribus maximè opportunus, quorum hîc magna copia INSVLÆ SITVS. DEVLLA FLVVIVS INSVLAM IRRIGAT, ALIQVA PORTVM PRÆBET.

A

gna copia eſt, inficiendis multi generis colore pannis; dein quibuſdam alijs opificibus, variis ciuium commodis, & hydraulicis molis idoneus: ad extremum è regione caſtri iam diruti commodam nauibus præbet ſtationem, quæ plurimæ mercibus graues ab Liſa ducuntur.

Aquarum fontalium vis Insulæ.

Et paratus eſt occultæ aquarum in publicum vrbis commodum immiſſioni locus. Is è vicinis, & ſcaturientibus in ſuburbio fonti bus laticem riuo recipit: dein per varios è plumbo teſtáque tubos diſtribuit. Fiſtularum maiores rectâ ferè viâ ad publicos vrbis locos occultè ſub terrâ procurrunt. Exinde fontes aliquot tacitis & humilibus aquis erumpunt, quorum maximus in foro perenniter laticem præbet. Inde tubi minores aquas ducunt, & priuatis obſequuntur ædibus, vt hauſtris illæ, vel hydraulis pro neceſſitatibus eliciantur.

Insulensium murorum ambitus.

Murorum vrbis ambitus neque modicus eſt, neque parum firmus modò, pulchérue. Vnius horæ ſpatium vix obeunti ſufficiat. Is præcipuo munimine ac elegãtia, vbi adiunctas recèns vrbi partes complectitur.

Porta D. Virginis, et cetera vrbis nouæ munitiones.

Quà protenſum eſt pomærium ad Meridiem Occaſúmque, poſita illic, & deiparæ matris nomine dedicata magno & auguſto porta ſurgit ædificio. Qui ad eam è ſuburbio ducit, latæ impoſitum foſſæ pontem ferrei vtrimque podij decorant inſigni artificio, magnis impendijs ab vſque Leodio vecti. Vtrímque duo procurrunt, eámque portam muniunt propugnacula. Producta verò ad Boream Ortúmque mœnia duas ingenti opere portas, & paribus ornatas ædificijs, pontibúſque (tametſi breuiores hi ſint) oſtentant, quibus à diuis Mauritio & Magdalena in fronte poſitis indita ſunt nomina. Ab his excurrunt quinque propugnacula, quorum quatuor portis tuendis condita, quintum portui opportunè imminet, qui admirabili prorſus opere inter portam D. Petri, eámque molem conſpicitur. Intra paucos annos incredibili hæc omnia vrbis impendio conſtructa. Muri, portæ, propugnacula è ſaxo quadrato, eóque duriſſimo, & aquarum patientiſſimo infernè conſtant; rubris lateribus supernè: portus ex eodem ferè ſaxo, cuius aquâ procul aduecti pretium eſt magnum, inſignem induit faciem.

Insul. oppidi plateæ,

Introrſus plateæ, domus, ædificia publica, ingens copia mortalium vrbem exornant. Plateæ frequentiores plæræque omnes ſunt patenti admodum latitudine: ſæpiùs tamen commeantibus vltro citóque hominum fluctibus anguſtæ ſtatis præſertim per hebdomadam diebus, cùm ad mercatum immenſa vis inſtitorum, & ruſticæ plebis annonam, aut merces curribus & plauſtris inuehentium, aut euehentium conuenit.

Ædes priuatæ;

Ædes hîc confertæ, ac plerǫque inſigni altitudine, elegantia, commoditate. Præcipuus iis decor, quæ vel in foro, vel in vrbe nouâ ſitæ ſunt. Nihil vſquam ædificiorum minimè inſeſſum.

Populi frequentia:

Plurimæ domus duas treſuè familias claudunt: ideóque vel nullæ hîc areæ, vel arctiſſimæ: rari admodum horti, iíque peranguſti; ingenti tamen paſſim curâ coluntur, & ad ſtuporem ſpectantium verno tempore peregrinis floribus rident.

Horti;

Hi nonnullis peculij loco, plantæ immenſi pretij merces. Multi ſex millibus florenorum, nonnulli ter mille nummis aureis, quidam etiam quatuor vel pluribus æſtimati nuper: rebus æui breuis, adeóque ſolis & aëris iniuriis obnoxiis, auro certantibus, cùm tuliparum plæræque ſexcentis, & ſeptingentis interdum florenis vænierint.

D

Sacra ædificia. Templum S. Petri Canonicorum. Parœciæ.

Publicorum ædificiorum ſacra plus laudis merentur. Cunctis auguſtius eſt D. Petri templum à Canonicis inſeſſum. Curiales eccleſiæ quinarium explent numerum, & Diuorum Petri, Stephani, Mauritij, S. Saluatoris, Beatæ Catharinæ nominibus gaudent. D. Petri parœcia adiunctam templo Canonicorum ædem habet. Ceterarum templa ſatis magna, & plurimo paſſim ornatu tabularum, pictorum in feneſtris vitrorum, ſacræ veſtis, ſtatuarum vaſorúmque argenteorum, alius pretioſæ ſupellectilis decôra. Quod rarum alibi eſt, in horum ſingulis à multis ſacerdotibus omnes diuini partes officij magnificè peraguntur, & canuntur quotidie. In diui Stephani æde principem ornant aram duodecim elegantes, & magni pretij ex argento Apoſtoli: dein veſtes ſacrificantium & aureo panno, & phrygionum picturis præſtantiſſimæ, ac nullis ferè ſecundæ: ad extremum eiuſdem materiæ operíſque vmbellâ, quam paſtophori quatuor in ſupplicationibus Chriſti corpori obtendant. Quæ ſacra moles D. Mauritium habet patronum, inſigni nuper fornicatione lapi-

dum

A dum tecta fuit, & qua nauis choro iungitur, eminenti tholo nobiliter assurgit. Templum S. Saluatoris extrà turris è candicanti & secto eleganter lapide alta pulchráque decorat: intrà baptisterium ex ære fusum miri operis ingeniíque pretij. Vt in S. Petri, sic in omnium parochiarum turribus varij generis campanæ pendent, & in iis quædam immensi ponderis, ad musicum aptæ concentum: quibus periti cantus homines quidlibet suauissimè modulantur: nullaque harum instructo ferreis rotis tympaníſque horologio caret, cui Nolarum concentus modulatissime præludat, insigni ciuium commodo & voluptate.

Intra muros pleraque sedent cum virorũ tum fœminarũ monasteria. D. Dominici sectatores è suburbiis huc traducti grassantibus Belgij tumultibus sunt: ne magna ædificij moles quam ad S. Petri portam insigniter structam habebant, illic latendi seque muniendi præberet hostibus causas. Quamuis anguste modo, tamen satis commode habitant in ipso fermè vrbis vmbilico, & rigido carnibus abstinendi, viuendique arctiùs instituto efflorescunt. Ad veteres muros Orientem versus in [illegible] sedem habent è S. Andreæ prouincia D. Francisci asseclæ. [illegible] habitant loco Patres Capucini. hortorum extrema [illegible] [illegible] tunus, quas habent texendo sibi, aliísque ordinis domibus panno. Nostris [illegible] natu Sociis non procul à porta beatę Virginis secundum [illegible] vrbis [illegible] sum est abundè. Nam eius diligentia singulari, & impendiis maximis [illegible] ipsis ingens ædificium, vt modico fastu, sic opere firmissimo. Qua [illegible] centis ad Ortum pedibus in platea procurrit, ternos aditus habet. In Gymnasium dexter ducit. Ibi centenos quaqua versus area pedes patet. Inibi [illegible] exedrę tingendis doctrina, & pietate adolescentibus. Superne longa [illegible] aula scholasticorum declamationibus habendis. Aditu sinistro latiori & augustiori templum petitur: quæ moles ad centum & octoginta pedes in longum exurgit, in latum octoginta. In ædes Sociorum domicilio [illegible] media transmittit ianua. Centum pedes magnum ingredientibus occurrit impluuium. Dein aliç in penitiori recessu
C areæ duę dispari tamen spatio, multis circumseptç ad varios vsus ædificiis. Conclauium, cubiculorum, officinarum, hortorum abundè suppetit, quantum necessitatis, & sanitatis ratio postulat. Receptis nuper in vrbem Augustiniensibus Eremitis sedes angusta est, haud tamen incommodo sita loco, & ad populi frequentiam opportuna. Carmelitæ nudis pedibus incedentes secundum hos vrbe donati sunt: ibique loci ædificia construunt, quem ipsis Senatus in vrbis nouæ pomærio surgenti loco ad portam, quæ ducit Cortracum, concessit. Iis religiosis, quos Minimos ipsorum fundator S. Franciscus de Paula vocari voluit, data nuper etiam hic commorandi facultas eam proximè portam, quę Barensis nuncupatur.

Sua sunt etiam sacris virginibus domicilia in vrbe. Ad Ortum assidet mœnibus Abbatiola B. Virginis Mariæ, vbi Sancti Dominici regulæ moniales obsequuntur nunquam egrediendi, & è clatris ferreis alloquendi legibus adstrictæ. vtcumque laxus earum est locus. Angustiores minúsque commodas ædes insident Claranæ virgines ad frequentissimam vrbis plateam, cui nomen Ægroti fecere. Ex earum sunt
D genere, quas institutum asperrimis constringit legibus ex occulto cum externis loquendi, nunquam vescendi carnibus, nudis semper pedibus ambulandi. Qui spiritualibus earum bonis aduigilent, diuina peragant officia, eleemosynas corrogent, ad nouem decemúe religiosos habent Franciscanos è Flandriæ prouincia. Brigittanis Virginibus lata satis habitatio, & recèns à fundamentis constructa percommodè ædificia. Sparsa sunt etiam alia per vrbem monialium cęnobia. Primum est emersarum è libidinis cęno puellarum, quas D. Magdalenę Pęnitentes nuncupant. Aliud incolunt Virgines Tertianç D. Francisco pàrentes, Grisiæ passim dicuntur Sorores, quod id genus coloris vestes habeant, cui Leucophero veriùs nomen. Tertio cætui vocabulum est ab indumenti colore, Nigris Sororibus; ab regula, S. Augustini. Intra muros tria quoque Nosocomia sacris ædiculis instructa præcipui nominis numerantur, in quibus Sanctimoniales ex pręscripto D. Augustini vitam agentes, ægrotis operam nauant. Primarium est, quod ab fundatrice Cognomen

Comitissæ

Marginalia: MONASTERIA VIRORUM. DOMINICANI. — FRANCISCANI. — [illegible] — AUGUSTINIANI. — CARMELITÆ DISCALCEATI. — MINIMI. — MONASTERIA FEMINARUM. — ABBATIOLA B. VIRGINIS. — CLARISSÆ. — BRIGITTANÆ. — PENITENTES D. MAGDALENÆ. — SORORES GRISIÆ. — NIGRÆ SORORES. — NOSOCOMIUM COMITISSÆ.

Nosoc. S. Salvatoris.
Nosoc. S. Ioan.
Xenodochia.
Ptochotrophia.
Seminarium Hibernorum.
Hospitia Religiosorum.
Sacellum S. Michaelis.
Ædicula Castri.
Sacellum Candelæ D. Virg.
Ædicula S. Christophori.
S. Trinitatis.
Virginis Lauret.

Comitissæ induit, aliàs B. Mariæ nuncupatur. Sancto Saluatori consecratum alterum. Inditum tertio est à Patrono, D. Ioannis Baptistę; à fundatore, Gantoisi vocabulum. Neque desunt aliquot peregrinis sub tectum recipiendis hospitia, vel vrbis pauperibus alendis domicilia, quę sacellis etiam ornata sunt. Illius generis habentur Xenodochia S. Iuliani, & Grimareorum: huius Grangia, seu puerorum ptochotrophium, Bonarum puellarum domus, Martharum contubernium, Paralyticorum hospitale, & S. Iacobi ædificium. Est hîc quoque structum Hibernis pauperibus studijs operam nauantibus cum eleganti capacique templo Seminarium. Visuntur etiam variis in vrbis locis à religiosis cętibus exstructæ domus, quò sęuientibus bellis è iacentibus in agro Monasteriis sese suáque recipiant. Pręcipuæ sunt Laudensis, Marquettana, Cysoniensis, & Phanepinensis: quarum ędificia pulchra, magna, commoda, & suis quoque sacellis instructa. Non sunt omittendæ aliquot ædiculę Diuorum, quę variis in vrbis regionibus solę conspiciuntur, & populi religionem sentiunt. S. Michaëlis sacellum D. Petri templo est proximum. Quam appellant Castri ędiculam, in arcis iam dirutæ area est non procul vrbis portu, in qua hucusque parochianis D. Magdalenes intra muros inclusis sacra sunt prębita. In conspectu Curię Senatorum id sacellum consurgit, quod Beatæ Virginis candelam asseruat è cereo Atrebatensi productam. Non procul inde multis gradibus in consecratum S. Christophori nomine locum ascenditur. In Ægrorum platea Sanctissimæ Trinitatis ædes conspicitur iam dictis omnibus longè capacior. Ad D. Stephani templum stat Sacellum in Beatæ Virginis Lauretanæ memoriam dedicatum, ipsáque tum ædificij, tum ornatus elegantia erga Dei matrem populi ciet religionem.

Palatium Regium.
Obser. March. l. 2. Commẽtar. Iac. Meier. l. 16. Pont. Heuter. lib. 4. Burg.
Senatorum Curia.
Rationum Camera.
Seminarium vrbis.
Carcer.
Bursa.

Inter prophana vrbis ædificia palmam obtinet Regis palatium. Philippus cognomento Bonus Burgũdionum Dux, & Flandriæ Comes futuram sibi suísque posteris sedem exstruxit, & recèns conditam magnificentissimo dedicauit epulo, vbi multos Principum, Equitũmque aurei velleris, ac nobilium mensis accumbentium ad sacrũ cõtra Turcas impelleret bellum. Omnino magnum est, elegans, commodum, multi sumptus, & tanto Duce dignum opus. Senatus Curia duplici fronte forum aspicit. Vetusta minus consurgit, & parũ etiam eminus pollicetur. Nouam cominus alabastrites, marmor, iaspis, forma, & eminentia commendant. Intus angustiæ certant cum varietate, commodis, & ornatu locorum. Rationum Camera, vt vocant, aliquod etiam ædificio decus vrbi conciliat, sed longè maius ipso nobili virorum Collegio. Neque contemnenda iudico Roubaisianæ gentis nobilissimæ, Santensísque Domini, seu Comitis Anappiani palatia, itémque domum Quesnoyani reguli. In vicinia Collegij Societatis Iesu nouum surgit ædificium Senatus impendiis, vbi ciuium liberi, externíque iuuenes ad litteras humaniores incumbentes liberaliter educentur: cuius magnitudo, forma & commoda laudem non vulgarem à videntibus impetrent. Ad fori latus in conspectu Senatorum Curiæ supra destinatum examinandis omnigenarum mercium ponderibus locum publicus carcer insigni fronte, magnóque ædificio cernitur: vt qui in foro furantur, ob oculos & custodiæ, & iudicij, & necis locum habeant. In ipsa fori area iuxta ædiculam D. Virginis, cuius antea meminimus, sub dio locus est, quem modo Bursam, modò Bellum Aspectum nuncupant, vbi negotiatores bis quotidie, ad meridiem, & sub vesperum, inambulando, de mercibus collybo cambióue, & pecunijs agitant. Hoc nomen à vicina obtinet domo, quam olim Gamet dixere, anno deinde 1426. Burgundiæ Dux Bellum Aspectum dici voluit.

Porta Insulenses.
Suburbia Insulensia.
Prioratus Fiuienses.

Ad septem vrbis huius portas, quarum hæc nomina, Fiuiensis, Ægrotorum, D. Virginis Mariæ, Barensis, S. Petri, D. Magdalenes, S. Mauritij totidem suburbia visuntur pulchra, longa, latè porrecta, insigni habitantium frequentia, & pleráque oppidorum specie: vbi plurimi ad ciuium voluptatem consiti arboribus horti, & variis picti floribus, pergulas quoque habent epulis opportunas, & grassante pestilentia recipiendis curandísque lue contactis, & purgandis eo malo vrbis domibus percommodas. Ad Orientem protensa Fiuiensem ostentant Prioratum Monasterio

S. Nicasij

A S. Nicasii Remensis obnoxium ac perpetuis ad eum locum aquis fontium scaturiunt.

Ab octingentis retro annis vicum hic nobilem fuisse, cuius pars iamdiu Insulensibus muris conclusa est, è litteris constat Gislæ S. Eurardi Comitis, & Cysoniensis Monasterii fundatoris coniugis anno regni Caroli Calui XXXV. *sub malo publico* conscriptis, cum illic [illegible] episcopus, & Odelricus Comes, præsente Gisla, publicam audiendis iudicandisque litibus operam darent.

Quæ vergunt ad Austrum cæteris angustiora: sed illic ingens planities patenti aere quam plurimis obtexitur molis, quibus, vento vela complente, frumentum, [illegible], [illegible] & lini semina, idque genus alia conteruntur magno pecuniæ pro[illegible]. Stat [illegible] ibi, quà Duacum tenditur, vetus cum sacello ædificium, ciuibus [illegible] laborantibus [illegible] quondam erectum, & plurimis instructum locis, dotatumque censibus. Quæ Zephyrum excipiunt, quà Stegras & Armenteriam iter ducit [illegible], aliaque commendant. Portum efficit Deulla fluuius eò deflexus, exonerandis quæ [illegible], [illegible], Bassea deferuntur, frumentis, aliisque mercibus. B Huic assidet Deiparæ virginis ædicula, cui Consolanti nomen, ob præbitum ab illa quibusdam mortalibus in angustiis & periculis solatium. Et quà idem amnis sinuatur, ingens à Ponte Cantelenio pratum huc pertinet, vbi pestilentia sæuiente ciuium pauperes in tuguriis è materia tumultuarie excitatis agitant: eo malo exstincto, boum a [illegible] hominibus immissorum armenta herbis pascuntur. Haud procul inde alterum est leprosis cum sacello domicilium, & lateritiæ domus peste contactorum. In suburbio D. Petri, quà in Flandriam tenditur, conclusus cernitur locus, & in varias distinctus ædes, vbi Beginæ morantur, & in extrema parte ad flumen, non procul a ponte, earum templum eminet. Vlterius D. Andreæ parochiana ædes conspicitur, & è regione S. Sebastiani sacellum pestiferis destinatum, ob-[illegible] [illegible] pestilitate consumpti tumulantur. Cortracum versus longissime procurrunt suburbia. Ad extremas ædes curiale templum D. Magdalenæ [illegible]. Ab [illegible] Menenas vsque trium Leucarum itinere, constrata saxis C via producitur, ita frequentibus ferè semper aut arboribus, aut villis, aut ædibus, & hospitiis, vt continui speciem pagi præbeat.

Mola pneumatica.

Leprodochium.

Portus novus.

Ædicula D. Virginis.

Leprosaria domus.

Beginæ.

S. Andreæ paroch.

Ædicula S. Sebastiani.

Parochia S. Magdalenæ.

Insulæ opes, negotiatio, & opificia.

CAPVT IV.

Ab ædificiis & structionibus, ad opes transeo. A bello quietis, & secundis temporibus Insulanæ vrbis opulentia, & felicitas ad summa pertingit, prona plerumque ad vitia combinatione, hic tamen gentis suapte natura in virtutum studium rectique pronæ laudatis moribus parum aduersa. Opum abundantiam hæc [illegible] conciliant, census, mercimonia, opificum labores, loci opportunitas. Ab censibus annuis magnam auri copiam faciunt Canonici, quorum opima sunt D sacerdotia, Rationibus Principalis ærarij Præfecti, nobiles plerique viri, & multi ciuium vitam in otio ducentes, sola ex fundis, ac ædibus quas possident, pecunia contenti; causidicorum, cognitorum, pragmaticorum, quæstorúmque non exiguus numerus. Ingens vis eorum est, qui mercimonijs, & negotiationibus operam nauant. Quas aliunde merces inuehi curant, aut quas ipsi alio transferri faciunt, præcipuam præbent opulentiæ causam. Quidquid ex omnibus Europæ regionibus vel necessitati [illegible] congruit, vel cupidinem implet, vel delicio blanditur, id maximè in Belgio post Antuerpiam, & Amstelredamum Insula videt fruitúrque. Varia pannorum telarúmque genera vel hic pertexta, vel in alijs circà locis confecta, in diuersas ipsa mūdi partes emittit. Aduectis per Oceanū è Liuonia, Polonia, Noruegia, Dania, Moschouia, Orientalibus Germaniæ populis, Frisia, Hollandia, Zelandia, Scotia, Anglia, Hibernia, Gallia, Hispania, Indicis regionibus, Africa, Sicilia, Italia, mercibus abundat. Nihil earum deest, quæ multi ex Italia, Sabaudia, Heluetia; curribus ex Germa-

Opes Insulæ faciunt census annui.

Negotiatio.

nia, Gallia, Lotharingia, Burgundia, & Belgicis ditionibus portantur. Vt magnas ex his rebus opes comparent Insulani, nundinę, mercatus, & quotidianus aduenarum confluxus efficiunt. Nundinas habent solennes ac liberrimas postridie decollati S. Ioannis Baptistæ, ad quas diebus quinque omnibus in vrbem accedere licet, quos aliàs vel nomina creditoribus, vel crimina prehensioni, & pœnis obnoxios facerent. Omnis generis merces, equiue tunc venales prostant abundantissimè. Hebdomadarij mercatus dies duos sibi vendicant Mercurij & Sabbathi. Florentior is, cui dies Mercurij concessus: quo sanè ingens hominum fit concursus, qui vel commeatus inferunt, vel boues, equos, oues vęnum adducunt. Ab D. Remigij festo, vsque ad lucem S. Martino consecratam, incredibile est, quantus boum numerus portas subeat, vendatúrque. Bis mille interdum, pluresúe vno die veneunt. Non minor est eorum celebritas, qui dicto iam die Insulam hebdomatim è variis vrbibus oppidisúe aut merces prębituri venales, aut ab ciuibus propositas empturi adueniunt. Vixque tempus aliquod elabitur toto anni circulo, quo non frequentes hîc visantur negotiatores, quos vel emendi quidpiam, vel vendendi cupido è remotissimis etiam regionibus pertraxerit. Ad hæc non exiguus est eorum numerus Insulæ, qui campsuali negotiatione, vel collybo ingentes contrahunt opes, seu repręsentandum in Italia, Hispania, Gallia, Germania, Britannicis Insulis, Hollandia, Noruegia, Daniaúe, Lotharingia, Burgundia, & alijs regionibus, hîc aurum accipiant; siue numerent ipsi, dictis in locis ab suis postea recipiendum. Multa quoque opificiorum Collegia parandis in vrbe diuitijs obsequuntur. Quatuor præsertim eminent. Vnum est eorum, qui pannos lanásque coloribus tingunt. Alterum iis constat, qui pannis è lana densis elegantiam procurrant, aut carduis eos pexendo, aut tondendo forficibus villos: vel etiam eos foris confici curant, deinde domi concinnatos diuendunt. Horum ingens numerus, & affluentes diuitiæ, quoniam vt plurimum pannos ornant, & Indicis vermiculis, quos coxenillios appellant, magni pretij & elegantiæ colorem præbentibus, varium in modum inficiunt, ac deinde multum pecuniæ colligunt. Alia duo eos complectuntur, qui pannos pertexunt è lana leuiores incredibili multitudine. Ea collegia multò ceteris frequentiora, vt tertiam ferè partem vrbis occupent. Horum priori continentur Sayetarij, altero Bourgetarij. Istos sic appellant, quòd Bourrettas leuissimi & tenuissimi panni genus filis partim laneis, partim bombycinis præsertim conficiant: illis à Sayis nomen inditum altero panni genere paullo densiori & filis tantùm laneis pertexto. Qui Sayas texunt, eas tantum albas faciant, oportet; ab aliis Bourrettas è filo colore viridi, rubro, alioúe tincto fieri necesse est. Vtrisque permissum vt bicolores aut tricolores etiam pannos alios conficiant, quos Changeanos à colorum mutatione, Gallica nominis origine, nuncupant. Datum etiam Bourgetariis, vt Trippas (villosus is pannus est holosericum ęmulans) radiis percurrendo contexant seu lanei seu serici villi emineant, híque vel vniformes sint, vel varias ostentent figuras. Dici omnino nequit, quantas vis horum immensa pannorum & varietas mercatoribus, opificibus, vrbísque ærario concilier opes, dum libera est cum exteris negotiatio. Ab annis ferè quadringentis magnum ideò nomen Insula contraxit, nummósque plurimos. Qui gesta scripsit Philippi Francorum regis cognomine Augusti, Guilelmus Brito id asseruit, cùm cecinit.

Insula villa placens, gens callida lucra sequendo,
Insula, quæ nitidis se mercatoribus ornans,
Regna coloratis illuminat extera pannis,
Vnde reportantur solidi, quibus illa superbit.

Qui tamen versus non tam de leuioribus, quàm densioribus accipiendi sunt pannis: quòd eo tempore nondum fuerit Insulensibus facultas concessa tenues contexendi. Vt minus hodie densi pannorum in exteras regiones, quam olim portentur; quòd alibi etiam horum ingens copia comparetur: tenuiores tamen, quorum antè meminimus, non modò in Germania, Gallia, Italia, Hispania expetuntur; verùm etiam in Africam & Asiam longissimè penetrant.

Margin notes: Nundinæ. — Mercatus hebdomadarii. — Cambium. — Opificia.

A B C D

A

Qui Principes Insulam coluerint, eique sua præsentia, vel operibus claritudinem attulerint?

CAPVT V.

SED quoniam nulla ferè vrbium in quolibet mundi tractu conspecta est, quam non aliquando nunc læta crexerint, nunc aduersa perculerint: priusquàm ad regionem Insulæ subiectam progrediar, hanc etiam instituti mei partem aliquam esse arbitror; vt primum quę iucunda, vel ad voluptatem, vel ad magnificentiam ab varijs Flandriæ Principibus hanc in vrbem manauerint; quos ipsa viros insignes in auras eduxerit; quibus aliunde profectis hominibus floruerit; deinde quas ipsa clades pertulerit; in tria quatuorúe capita coniiciam. Igitur locíne opportunitas, an gentis mores pellexerint, sane Principum Flandriæ multi sedem Insulæ fixere. Qui primus laudabilem & gratam subditis vitam agitauerit, *Lidericum* Buccensem, de quo suprà memorauimus, fuisse comperio, quem *Annalium* Flandricorum auctores plerique primum nominant Flandriæ Saltuarium. Priusquam hoc oppidum moliretur, & arci Buccensi adiungeret, iam tunc isthic attributo sibi per Chlotharium Secundum Franciæ regem populo ius dicebat incorruptus, & sapienter iudicia exercebat: éque filia regis eiusdem vel Idona, vel Rothilde (in hoc enim nomine auctores variant) quindecim filiorum occultis nuptiis parens effectus, magnificè familiam alebat. Postquàm verò celebrato publicè Dagoberti Franciæ regis, & coniugis fratris, voluntate in Francia matrimonio regium sibi fauorem comparauit, ac per eum latè ditionem ad vsque Somonam fluuium porrexit: tum denique in ea etiam vrbe, quam prædictæ arci coniunxerat, principum more, ac regiæ congruam affinitati vitam traduxit, vnde iam tum Insula licet recèns nata efflorescet, vt Annales Flandrici tradunt.

LIDERICVS. Cap. 2. — *Vid. l. 3. c. 2.* — *Io. Mar. Lant. [illegible] 1. Fland.* — *Pet. Ouder. c. 11. An. Fland.*

Qui posteà principatum Flandriæ administrans hac in vrbe domicilium posuerit ante *Balduinum cognomento* Pium, vel Insulensem, vix est aliquem certò e libris deprehendere. Licebit tamen quibusdam arbitrari, saltem huius parentem Balduinum Bellobarbum non raro vitam Insulæ duxisse, qui planè sibi persuadent, aut natum, aut conceptum ibidem eius filium. Et forsitan quoque prioribus annis infessam ab Flandriæ Comitibus Insulam possemus arguere, si verum sit, quod Florentius Vanderharius memoriæ tradidit, ante Pij Comitis tempora structam Principum Flandriæ aulam Insulæ stetisse.

Iac. Meier. Ioan. Mel. — *Lib. 1. de Cast. Insul. c. 4.*

At enim his omissis ad Comitem Balduinum, quem modò Pium, modò Insulensem auctores cognominant, progrediamur. Hunc enim præ ceteris Principibus non modò diuturnum habuisse domicilium Insulę certò constat: verùm etiam plurimum ei attulisse voluptatis & gloriæ. Vt erat ipse per nobilissimas cum Adela Roberti Franciæ regis filia nuptias, deinde per Philippi etiam Franciæ regis, & Francorum imperij tutelam, ab Henrico Primo illius parente ceris vltimis sibi commissam, plurimum adeptus auctoritatis & potentiæ: conuenientia dignitati suæ, & opibus, omnia semper vsurpabat, ideóque & magnificentissimè Principatum administrabat, & frequentissimus ei semper aderat Nobilium comitatus. Igitur cùm Insulæ esset, nihil non illic præclarum, & magnificum, & nobile cernebatur. Nunc ipse regem Philippum sumptuosissimo apparatu excipere, & colere; nunc alios Principes in vrbem insigni pompa inducere: his aliqua voluptate cienda, modò ipse ludos præbere, modò ab aliis edita spectacula oculis vsurpare: nunc peramplis ac sumptuosis ędificiis intra muros construendis, nunc munitionibus obducendis operam dare. vnà denique Principis liberalissimi & magnificentissimi, parentisque amantissimi & prouidentissimi, aduersus aduenas, & ciues suos munus obire. Horum quædam ex his Ioannis de Collemedio verbis colligo: *Apud Insulam deinde, celeberrimum tunc illius regionis oppi-*

BALDVINVS INSVLENSIS. — *In Vit. B. Ioan. Mor. episc.*

dum, aliquanto tempore moratus est; vbi, quia ex beneficio Balduini Marchionis nuper fuerat fundata, multisque bonis locupletata Ecclesia, plurima ibidem erat Cleri studio eiusdem Marchionis vndecunque collecti frequentia. Inter quos ipse quidem corporaliter tenebatur, † specialiter autem à mundo, qui in corde eius crucifixus aruerat, peregrinabatur, exteriori specie habitus alijs consimilis, sed moribus valdè dissimilis. Cùm enim alij vanitates intenderent, & spectacula vel ludicra spectarent. Apud Iacobum Meierum, & Iacobum Marchantium inuenio diu satis educatum in Flandria Philippum Franciæ regem, cuius antè memini. Sic enim Meierus: *Philippus Francorum rex, qui tum in Flandris ab Pio educabatur.* Cui paria sunt ista Marchantij: *Regem Philippum Primum pupillum suum sæpè in Flandria educauit.* Quoniam autem frequentiùs Insulæ Comes tempus transegit, omnino nihil dubitem asserere, isthic etiam hunc regem altum cultúmque. Certè cùm Pius traderet Ecclesiæ D. Petri, quam condiderat, sacrum dotis diploma, eum præsentem fuisse affirmat his verbis: *Actum apud Islam in S. Petri Basilica, coram Philippi Francorum regis præsentia.* At quanto Insulam amore Balduinus prosequeretur, eo præsertim duplici facto patefecit, quorum altero templum, & Collegium Canonicorum D. Petri, attributo in castro fundo, & donatis pinguibus admodum censibus, condidit: altero sacram ædem, quanta potuit magnificentia, & nobilissimorum hominum frequentia, curauit dedicari. Illius Ioannes de Collemedio, vt antè perspeximus, mentionem ingerit; hísque verbis idem tangit breuiter Ioannes Iperius: *Ecclesiam Canonicorum ædificauit in ea D. Petro, magnificéque dotauit.* & vetus ipsius Comitis epitaphium:

Annal. lib. 3. Fland. lib. 2. In Chron. Bertin. cap. 36. † spiritualiter A B

Insulense opidum cum castris fundat ibidem,
Ecclesiam ædificans, ô Petre sancte, tuam.
Quam magnis etiam præbendis constabiliuit.

Lib. 3. Annal. Lib. 2. c. 13. C An. 1066.

Ac paullò latiùs Iacobus Meierus nobis repræsentat, dum ait: *Eodem anno Balduinus Insulæ, quod oppidum muro ac fossa cinxerat, Principi Apostolorum ædificauit templum, vbi quadraginta legit Canonicos, decem sacerdotes, in quibus duo semper forent Episcopi Tornacensis, ac Morinorum, decem diacones, decem hypodiacones, ac totidem acolytas.* Sed nos alibi hunc locum diligenter examinabimus, verúmne sit præsertim quod de Tornacensi episcopo dixit ex Comitis instituto. Certè plurimum gloriæ intra muros arcis collocato tam frequenti Ecclesiasticorum hominum Collegio accessisse Insulensi oppido, nihil dubito: cùm præcipuè Balduinus primos inter Canonicos è clarissimis Flandriæ familiis tum genere, tum scientia & moribus viros legerit nobilissimos, vt latiùs aliàs declarabimus. Quòd verò ad Principis Apostolorum templi dedicationem attinet, nihil potuit ad Insulæ gloriam excogitari præstantius, quàm quod Pius maximæ religionis argumento præstitit. Ad eius quippe consecrationis cumulandam celebritatem non modò Francorum rex Philippus, vti iam vidimus, Insulæ cernebatur, totáque Flandriæ nobilitas: verùm etiam omnes è tota Comitis ditione cum sacris Diuorum corporibus acciti Præsules; in quos ideò Pius non vsitata liberalitate certauit. De nobilium atque Ecclesiasticorum frequentia Balduinus ipse meminit iis in litteris, quibus possessiones eidem Ecclesiæ & Canonicis donabat, cùm inquit: *Adstantibus quàmplurimis nobilibus & idoneis testibus clericis atque laicis.* Qui verò in iis eminerent, è catalogo illorum, qui tabulis prædictis subscripserunt, facile est colligere. Illic enim nominantur Balduinus Montensis, vel Hannoniæ Comes, Pij filius; Isaac Comes Valencenensis; Balduinus Nouiomensis, Wido Ambianensis, Drogo Taruannensis episcopi, quorum opera dedicatum est templum; Fulcardus Nouiomensis, Wernerus Taruannensis, Warmundus Cameracensis Archidiaconi; Clarboldus Comitis Flandriæ Pincerna, Theodoricus eius Dapifer, Rengotus de Gandauo, siue, vt opinor, Gandensis Castellanus, Anselmus Caluus, Robertus Aduocatus, Ioannes Aduocatus (forsan hic Atrebatensis, ille Bethunæus magna viri nobilitate, & potentia.) Walterus Duacensis Castellanus, eiúsque frater Hugo, Rodulphus Tornacensis Castellanus, Waldericus è prima Tornacensi nobilitate, Balduinus Cancellarius. At de sanctorum corporibus, & variis Præsulibus, qui magna hæc pompa in vrbem tum temporis deuexere, D

A [illegible] est Ioannes Iperius, qui cap. 36. Chronici Bertiniensis ita loquitur: *In [illegible] [illegible] patriæ suæ cum Sanctorum Reliquijs aduocauit, quas peracta, in pignus [illegible] Prælati fuerant hospitati, eorum Ecclesiæ contulit, sicut ipse [illegible] perpetuo [illegible]. Per hanc donationem nobis prouenit ea terra, quam in [illegible] habemus, quia [illegible] Abbas noster Rodericus hospitatus fuit cum corpore S. [illegible], & alijs Sanctorum nostrorum Reliquijs.* Hæc Iperius, quantum ad Bertiniani Præsulis nomen parum fuit memor, cùm aliàs ex eius calculo constet eo tempore, quo hæc gerebãtur, Bertiniensibus Bononem præfuisse. Sed quàm viuens adeò Pius [illegible] est, atque liberaliter ornauit Insulam eandem mortuus etiam [illegible] voluit. Cum enim isthic extremi morbi doloribus angeretur, in ea, quam [illegible], æde corpus suum terræ mandari præcepit: vbi hodieque tumulus eius in [illegible] conspicitur. Ac tum sanè rursus insignem e tota Flandria [illegible] hominum, qui funus efferrēt lugubri pompa, multitudinem hoc oppidum [illegible].

B Qui postea Principes huius exemplo Insulam vel continuo domicilio, vel muneribus [illegible], ante Ioannam Balduini Constantinopoleos Imperatoris, & Flandriæ Comitis filiam, ab nullo memoriæ mandatum reperio. Quamquam fortasse non videtur ab veritate alienum, Montensem Balduinum, qui Pio Patri successit in Flandriæ Comitatum; eiúsque fratrem Robertum Frisium, qui postea vi Flandriæ Principatum arripuit; Balduinum Securiculam, & Carolum cognomento Bonum Kanuti Daniæ Regis filium; qui etiam Flandriæ Comites floruere; Theodoricum Elsatium (quem, exacto Guilelmo Normanno, ad capessendum Comitatum Flandriæ ab Elsatia vocauere, primíque Insulenses intra muros excepere) postquam hanc vrbem aduersus eundem Guilelmum obsidio prementem, egregiè [illegible] mortuo, Flandriam pacificè obtinuit: non rarò istic tempus transisse. Etenim [illegible] diplomata, quæ tum Robertus, tum Carolus & Theodoricus Insulæ [illegible]: ac de Securicula, eodémque Roberto nonnulla

BALDVINVS MONTENSIS. ROBERTVS FRISIVS. BALDVINVS SECVRICVLA. CAROLVS BONVS. THEODORICVS ELSATIVS.

C extant monumenta, quæ hoc in oppido testentur eos consedisse.

Verum [illegible] tum genere, tum virtutibus nobilissima, quæ contulerit ad [illegible] Insulæ modò videamus. Nusquam ipsa frequentiùs commorata est [illegible] or visa, vel ciuibus magis addicta. Duo tamen isthic [illegible] Prius est D. Virginis Mariæ Nosodochium, (hospitale Comitissæ vulgò [illegible] vbi ciues indigentia pressi, & cum morbo conflictantes liberaliter à Fratribus & Sororibus D. Augustini regula obstrictis haberentur. Quò enim [illegible] & [illegible], a [illegible] pluribus curandis pauperibus sufficeret, Aulæ suæ partem ei [illegible] & condendis censibus tum prædia, tum molas, & alia multa donauit. Ac ne quid deesset ad optimam eius loci gubernationem, vt tam spiritualibus, quàm corporalibus ægrorum commodis prouideretur, sapienti cauit edicto, cuius nos [illegible] exemplar repræsentabimus. Posterius censeo insignem quà numero [illegible] officiorum varietate Senatum, quem ipsa Insulæ constituit, vt ex [illegible] monumentis [illegible], planum fiet.

IOANNA FERRANDI CONIVX.

Lib. 2. cap. 30.

Lib. 3. cap. 15.

D Quæ Ioannam sine liberis ex hac vita digressam excepit Margareta iisdem nata parentibus, quamdiu nobilissimum Flandriæ Comitatum moderata est, non absimilis [illegible] hanc vrbem studio certauit. Hîc enim ipsa persæpè multum temporis [illegible] & [illegible], vt ex Iacobo Meiero, aliisque arguitur, splendidam semper, & quasi regiam, propter Imperatoriam patris dignitatem, alebat familiam, insignique [illegible] erat nobilium numero: non modicum etiam splendoris Insulæ attulit. Inter alia opera, quibus vrbis huius incremento & magnificentiæ studuit, hæc [illegible] monumentis deprehendo. E familia D. Francisci Patres aliquot euoca[illegible] domum in suburbiis attribuit, quos paullò pòst ipsius desideriis obsecun[illegible] Senatus in vrbem admisit. Virginum sub placitis S. Dominici æterno numini ac Beatæ Virgini Mariæ seruientium Parthenonem, cui datum Abbatiolæ cognomentum est, condidit. Amburbalis pompam Supplicationis ad B. Virginis honorem per Senatum institui iussit quotannis: & quo vis ingens mortalium è vicinis vr-

MARGARETA IOANNÆ SOROR.

Diplom. Marg. bibus pagisque confluentium eam celebraret, ab Summo Pontifice peccatorum indulgentias impetrauit, fidémque securitatis publicam omnibus intra nouem dies, quibus hic supplicatur, oppidum subeuntibus, tabulis impertiit. *Diploma Marg. Iac. Meier, l. 9.* Insulensibus nundinas equorum ad dies quinque concessit: eosdem ab omnibus vectigalibus vrbem intra pendi solitis liberos esse iussit. A

GVIDO DAMPETRAVS. Litt. Guidon. Iac. Meier. l. 10. Non inferior Matre fuit Guido Comes, vbi Comitatus Flandrici habenas capessiuit. Quippe frequens etiam Insulę vitam traduxit, eámque semper & magnifecit, & non illiberaliter habuit. Hallæ, vt vocant, macellum, forúmque, ab eo Insulanis concessa: indéque collectis emolumentis fruendi facta Senatui potestas est.

ROBERTVS BETHVNAVS. Neque verò filium Guidonis Robertum insignis aduersus Insulanos amor destituit, cùm intra muros eorum ab Francis obsessus nihil illorum omisit, quibus charam sibi vrbem ostẽderet, quam acerrimè & grauissimè, quoad licuit, tutatus est. Ac postquam subinde ipsius dominio per dolum malum exutus est, nihil reliqui fecit, vti vel iure, vel armis reciperet, ac iugo Francorum liberaret.

PHILIPPVS PVLCHER FRANCIÆ REX. Et Philippum Franciæ regem, qui Pulcher à dignitate corporis cognominatus est, vbi tandem hanc vrbem in potestatem redegit, magnum in eius studium cura perpulit. B Primum enim etsi multum, ne grauiter mulctaretur, metuentibus, ideóque veniam flagitantibus suppliciter oppidanis vetera firmauit priuilegia, & consuetudines, tridúumque apud eos egit anno Domini 1297. *Diploma Phil. Lib. 10. Meieri.* Quadriennio inde nondum exacto cùm in Flandriam vnà cum regina, & florentissimo comitatu descenderet, vt in Comitem passim reciperetur: bis hoc oppidum magna sibijt alacritate. Cúmque anno supra millesimum & trecentesimum vndecimo Flandriæ Comes Robertus Enguerrani Marignij artibus deceptus tota se Flandria exuisset, eámque regiæ potestati subdidisset, quartum etiam Insulam venit, *Regist. Duac.* ibique mirè sua præsentia, & munificentia ciues sibi obstrinxit, vt eos in officio retineret, quos propter erectam arcem non parum commouisse videbatur.

PHILIPPVS VALESIVS REX FRANCORVM. Et plus etiam Philippus alter è Valesiorum familia Francis imperans, affectus amorísque aduersus Insulam prodidit. C Cùm enim superatis in Flandria hostibus, triumphantis modo id oppidum intrasset anno Christi 1338. in ipsum paterni animi sensum induit. Exinde scilicet multa fluxere diplomata, quibus nunc Insulensium priuilegia legésque confirmauit, nunc plerisque hominum generibus ad Insulenses Magistratus aditum inhibuit, *Lib. 3. c. 15.* quemadmodum postea latius perscribemus, cum de Senatu Insulensi sermo instituetur.

IOANNES FRANCORVM REX. Huius filius Ioannes cum eiusdem regni sceptro potiretur, non potuit non etiam munifico Insulam animo prosequi. Dum captiuus in Anglia detineretur, Insulenses pro eius redemptione octodecim nummorum regalium millia fuerant polliciti, obsidésque in Angliam Ioannem Luxemburgium Castellanum suum, ciúsque filium Guidonem miserant. *Diplomata Ioan.* Ergo delinitus ea liberalitate Ioannes primùm Institoribus ad nundinas Insulenses proficiscentibus publicam trium hebdomadarum fidem indulsit, quo plures eas celebrarent, cùm tanto tempore vel in vrbe esse, vel iter carpere cuiuis liceret. Deinde exulibus in vrbem reditum inuito Senatu molientibus scripto spem ingrediendi ademit. D Ac denique cùm ceteris vrbibus, vacuefacto iam ærario, vectigal imponeret, ad sexennium Insulenses liberos esse voluit.

LVDOVICVS MALEANVS COMES FLANDRIÆ. Verùm vt ad Comites Flandriæ oratio reuertatur, haud parum etiam Insulæ fauoris splendorisque Ludouicus Maleanus attulit, postquam è regum Franciæ potestate per filiæ nuptias cùm Philippo Duce Burgundiæ contractas Gallo-flandricam tripolim exemit, Flandriæque restituit. *Diplom. Lud.* Tunc primum in eam ab ipso munus exstitit eorum priuilegiorum, quæ Margareta Princeps indulserat, dein legum & consuetudinum antiquarum confirmatio. *Iac. Meier. l. 13.* Et cùm anno 1379. Alborum Gandaui Capitiorum sæuiret factio, aulam suam Mechlinia Insulam transtulit. Hic insignem conuentum nobilium, consiliis de opprimenda factiosorum hominum potentia captandis, habuit. Cúmque paullò pòst Aldenardam coniuratorum castris arctissimè circumdatam liberasset, nusquam frequentiùs ac diutiùs, quàm Insulæ commoratus est. Et hîc ipse magnum posteà præsidium expertus est, vbi ferociter

inua-

[illegible] conspicientibus ferro, flammisque A [illegible] menibus hostem [illegible] [illegible] custodiret suras. Igitur ab illo tempore [illegible] cupidine & amore, vt [illegible] [illegible] ibique ac coniugi mortuæ tumulum [illegible], postquam Audomaropoli [illegible] abijt, [illegible] quod prius annos aliquot [illegible] [illegible], vt nihil magnificentius [illegible] [illegible] quidem omnino videtur, quemadmodum [illegible] [illegible] Froissartus.

Tom. 2. c. 148.

[illegible]gundio, qui per vxorem Flandriæ [illegible] impe-[illegible] aliquid molitus est. Hic enim cum

AN. 138[illegible] [illegible] ea celeriter [illegible] ab B [illegible] constitueret, cuius corpus Præside, Consiliarijs, & [illegible] constaret: cum Insulæ maluit, quàm [illegible] Franciæ rex Carolus eius nominis Sextus cum [illegible] intra muros sese videndum Insu-[illegible] anno 1385. dum in Flandriam aduersus Gan-[illegible] cùm magno Oceanum nostrum co-[illegible] Anglorum bello peteret. Ab eoque fluxit illud, [illegible] priuilegijs diploma conscripsit.

PHILIPPVS AVDAX BVRGVNDIÆ DVX. Lud. Philipp. Iac. Meier. l. 14. Ger. Vredig. c. 170. Iac. Marchant. lib. 1. Ioan. Froissart. t. 3. c. 164. Iac. Meier. l. 14.

[illegible] Burgundus, quem Intrepidum vocauere, pater-[illegible] etiam indicat cum non modò frequens in ea [illegible] non paucis ipsam comitijs, alijsque rebus honesta-[illegible] Conuentum Clericorum, ac Nobilium Flan-[illegible] Aureliani Ducis causa: deinde alterum anno se-[illegible] C [illegible] Leodiensi, Comite Hannoniæ, & alijs quam-[illegible] Leodiensibus negotijs agitaretur. Vix annus ille præ-[illegible] eodem in oppido conueniunt Antonius Bra-[illegible] Guilelmus, cùmque coniux, Leodiensium episco-[illegible], aliaque multa nobilitas, vt eo componatur [illegible] & quinquaginta florenorum [illegible] inter Bra-[illegible] maximè. Quarto post anno è tota Flandria & Ar-[illegible] Ioannes iterum huc accitur, cum de Ducis Au-[illegible] cuperet. Ac tunc etiam ad eum [illegible] legati, quorum capita erant Comes Warwicus, ac S. [illegible] regis filio in matrimonium peterent. Ac pau-[illegible] Dux Antonius, & Comes Niuernensis aduenit-[illegible] equestres ludos insigni apparatu Intrepi-[illegible].

IOANNES INTREPIDVS BVRGVNDIÆ DVX. Meier. l. 14. Iac. Meier. l. 14. Meier. l. 15. Iac. Meier. l. 15. Iac. Meier. l. 15. Iac. Meier. l. 15. Iac. Meier. l. 15.

D [illegible] Insulam celebrandi patefecit, ac Philippus [illegible] Burgundianum Duci & Flandriæ Comiti ab suauissimis & [illegible] Boni cognomentum fuit inditum. Hic enim is cum fre-[illegible] non solo pulcherrimis ædificijs, sed etiam plurimis [illegible], & varijs ad maiestatem & voluptatem excogi-[illegible] Anno 1430. hanc vrbem potissimum elegit, vbi [illegible] vndecunque accitos congregaret, ijsque disceptan-[illegible] Brabantiam mortuo Philippo duce, sibi suisque posteris [illegible] longè florentiorem nobilitatis conuentum [illegible] celeberrimum illud Aurei velleris Collegium inter [illegible] insti[illegible]erat, sed nusquam adhuc vel scriptas [illegible] leges [illegible]erat, vel selectos in eam Societatem [illegible] congregat. Ipse cum vtrumque insigni pompa peragere [illegible] placuit, quàm D. Petri templum Insulense

PHILIPPVS BONVS BVRGVNDIÆ DVX. Meier. l. 16. [illegible] Meier. l. 16. Lud. Guicciard. [illegible]

Ibique simul vno tempore nobilissimos quà genere, quà virtutibus Equites, & selectissima præscriptarum eis Legum ad Christi Domini nostri, Deiparæ Virginis, ac S. Andreæ honorem capita exhibuit, cùm sacer huic Apostolo dies illuxisset. A
Ac tum etiam per aliquot dies varijs ludorum & decursionum equestrium oblectationibus, post conuiuia, nobilitas populúsque exhilarati fuere. [*Monu. Insul.*] Cùm verò curreret annus Christi 1456. Eadem ædes S. Petri alterum excepit Equitum Aurei velleris consessum, [*Iac. Meier. l. 16.*] eodem Philippo Duce hos Insulam euocante, postquàm paucis antè diebus **Lotharingiæ** dux Renatus, Carolus Bourbonij Dux, & Franciæ Cancellarius cum plurima nobilitate conuiuijs, & omnis generis delectationibus vnà fuissent eadem in vrbe ab ipso perhonorificè culti. Secundo & quinquagesimo post millesimum & quadringentesimum anno ingens lætitia, & festiuus apparatus hoc idem oppidum iucundè perculit, [*Oliuer. March. l. 1. c. 22.*] dū Philippus Adolphum Rauestaïni toparcham, ac nepotem suum Isabellæ Conimbricensi per nuptias iunxit: ideóque connubiales epulas & omnis modi ludos tam nobilibus viris, quàm ciuibus hilarandis exhibuit. [*Monstr. to. 3. Oliuer. March. l. 1 c. 28. Iac. du Clerc. lib. 2. Meier. l. 16.*] Anno sequenti postquàm ad Gaueram cæsos, & postulantes pacem Gandauenses in gratiam Bonus recepisset, multos secum Insulam tum Belgij, tum Franciæ traxit Principes ac nobiles: ibíque omnes per multos dies conuiuiorum & ludorum apparatibus oblectauit. B
Ac tunc nihil ad epularum & equestrium decursionum varietatem defuit: cùm ibidem paullò pòst Cliuiæ Dux vna cum Stampani Comitis filia nuptias contraxit, & ingenti celebrauit magnificentia. [*Monstr. to. 3. Oliuer. March. lib. 1. c. 29. Iac. du Clerc. lib. 2. Iac Meier l. 16. Pont Heut. l. 4.*] Verùm hæc omnia longè superat apparatus ille tam magnificus & regius, quàm Ecclesiæ Catholicæ subueniendi studio insignis: quo idem Princeps Philippus epulum præbuit Insulæ anni 1454. principio. Is palatium recenter amplissimum, ac elegans sibi suísque posteris in extima vrbis parte non procul foro magnis sumptibus exædificauerat: annóque præcedenti ab supremo Ecclesiæ Pontifice Nicolao venerat legatio petendis aduersus Imperatorem Turcarum, qui recèns Constantinopolim subegerat, auxilijs. Igitur cùm vellet Philippus Romani Pontificis desiderio satisfacere; ac non tantùm suis expensis classem aliquam adornare; verùm etiam è Principibus, ac nobilissimis hominibus perplurimos accendere, vt bellum vnà secum in potissimum Christianæ fidei hostem capessent: C
in aula Curiæ suæ maxima instructissimum & apparatissimum omnibus epulum dedit. Ad hoc multis antè diebus seu ciborum ferculis, seu mensarum oblectationibus, & missibus vel oculis, vel auribus modò lenocinantibus; aulæ theatris, & peripetasmatibus; mutis, aut loquentibus spectaculis; pedestribus pugnis, aut decursionibus equitum præparandis, operæ multum ac studij datum fuerat. Etiam longè latéque non modò cunctas Belgij prouincias, verum etiam Franciam & Angliam fama pompæ mirabilis, & insolitæ magnificentiæ impleuerat. Quo igitur die conuiuium celebrari oportebat, vix hominum multitudinem, qui vndique confluxerant epulum ludósue spectandi cupidine accensi, vrbs capere potuit. Et profectò nihil non intra muros detinendis hominibus pulcherrimum & florentissimum spectabatur, seu Principem Philippum ac inuitatam nobilitatem, seu rerum omnium apparatus, seu ciues ipsos Insulenses, qui tum maximo quà vestium, quà [*Annal. l. 9.*] supellectilis splendore luxuriabant, attentiùs quispiam oculis lustraret. Sed huius D
non est loci, cuncta in medium proferre, quæ commodius alibi ex Oliuerio Marchano aliisque memorabuntur. [*Oliuer. March. lib. 1. c. 30. Iac. du Clerc. lib. 2.*] Octaua post hoc epulum luce inter Carolum Philippi Ducis filium & Isabellam Bourboniam celebrata sunt Insulæ sponsalia: & transactis aliquot mensibus, eodem in oppido horumdem festum nuptiale Ducis coniux adornauit quanto per festinationem licuit apparatu: insignésque tum ludos equestres edidit Rauestaïni regulus.

[*Monst. t. 3. Chron. Fland. MS. Lib. Atreb. MS. Iac. du Clerc. lib. 2. Iac. Meier. l. 16.*] Ineunte Christi anno 1464. altera Insulensibus communis obuenit lætitiæ causa. Quippe regem Franciæ Ludouicum Vndecimum, Cardinalem Albanum, Biturigum Ducem, Augensium Comitem, Pedemontanum Principem quanto potuit honore, quanta licuit pompa, in oppidum Philippus deduxit, ac diebus hîc quatuor omni deliciarum conuiuialium, spectaculorum, & certaminum genere oblectare studuit. Eóque gratior aduentus eorum ciuibus accidit, quod ipsos Spineticis, vt

vocant,

A vocant, concertationibus (de quibus hos posteà) intentos vnà cum Duce aliisque principibus viris rex spectauerit. Et alio atque alio huius anni mense nunc Marchio Ferrariensis, ac plerique Senatores Veneti legationem obeuntes; nunc totius Belgij proceres in Conuentum Generalem euocati; modò Carolus Philippi Ducis filius cum insigni equitum sexcentorum comitatu; modo Comes Augensis, Franciæ Cancellarius, & Narbonensis Archiepiscopus regis Francorum legati, non modica populi voluptate vrbem celebrauere. Igitur quamdiu in viuis egit tam liberalis, magnificus ac benignus Princeps Philippus, Insula vehementer floruit, [illegible] vt alterum parentem eum mirificè semper coluit, [illegible], vel negotiis feliciter expeditis, huc ad suas veluti delicias reuerteretur. [illegible] verò postquàm mortalitas intercepit, etsi [illegible] hanc vrbem Flandriæ Comites [illegible], nihilominus tamen tum fide, tum religione semper eorum [illegible] conciliauit.

B

Quinam viri genere, doctrina, virtute nobiles Insulam ornauerint, dum in ea commorati sunt.

CAPVT VI.

POstquam eos Principes lustrauimus, qui non [illegible] ménque factis suis, munificentia, & [illegible] dem arbitramur, ab officij nostri ratione alienum, [illegible] gare & legentium oculis subijcere, qui [illegible] non [illegible] momentum generis nobilitate scientiarum vel disciplinarum [illegible] excellentia, & multarum præstantia virtutum, ad huius nobilissimi emporij laudes attulerint.

C Verùm hoc in capite sic mihi temperandum existimo, vt nolim eos omnes hic complecti, vel quos è nobilibus, & ad militiam natis hominibus gubernandi [illegible] arcemúe munus hac in vrbe constituit, vel quos [illegible] principes rationibus officiisúe præfecerint. De his enim posteà melior scribendi occasio dabitur. Ad eos ergò tantùm viros animum calamumque vertemus, vel quos in Clerum adscitos genus, scientia, virtúsque nobilitarunt, vel quos religione constrictos ob illustrem probis moribus doctrináque vitam, admirata quondam est Insula. Neque verò profiteor omnes hic eos enumeraturum me, à quibus hoc in genere claritudinem accepit Insula: tum quod aliqui meam subterfugiant notitiam, tum quod [illegible] ipsa multitudine legentem opprimere.

Qui dignitatibus & canonicis in Collegiata insignique Ecclesia D. Petri sacerdotiis floruerint, & præclaro cæteris ad virtutem incitamento sapientia & [illegible] fuerint, complures inuenio. Primus hoc loco sit ille Lambertus è Guinensium Comitum familia, qui Canonicus & Cantor in eo vix condito templo consedit. VIRI MAGNI, QVI IN ECCLESIA D. PETRI CLARVIT INSVLAE. LAMBERTVS GVINENSIS CANTOR ET CANONICVS S. PETRI, QVI POSTEA EPISCOPVS ATREB.

D Quantus is fuerit vir, seu doctrinam, seu virtutem aspicias, duo præsertim patefaciunt. Primùm enim is plurimum sapientiæ ex diuinis litteris apud præclarum Iuonem hausit, qui Carnotensem episcopus Ecclesiam moderatus est, vt ab Ioanne de Collemedio scriptum video: idque propter apud Gregorium Septimum Ecclesiæ Romanæ Pontificem adeò gratiosus exstitit, vt res ei maximi momenti perficiendas commiserit, & pro ipso aduersus Præpositum & Canonicos S. Petri acerrimam scripserit epistolam, ex qua hæc profero: *Mandamus ergo vobis, & Apostolica auctoritate præcipimus, sicut Canonicis specialiter munitis priuilegijs B. Petri, quatenus hunc filium nostrum Lambertum Fratrem & concanonicum vestrum cum omni beneuolentia, & dilectione suscipiatis, & sua sibi integrè restituatis: remittentes vobis eodem interueniente, quidquid in eo, & nobis deliquistis.* Deinde cùm nouus esset de sententia Summi Pontificis episcopus Atrebati constituendus: eius Ecclesiæ Clerus ad electionem Lambertum mitti postulauit, à quo feliciter in tanto negotio dirigeretur. Istud hæc In Vita B. Ioan. Morinor. episc. Lib. 6. epist. 16.

verba

verba ſcriptarum ab eo ad Capitulum Inſulenſe litterarum ſignificant: *Quocircà fratres chariſſimi per Charitatem Dei, & dilectionem proximi, & per amorem ſanctæ Matris Eccleſiæ obteſtamur & obſecramus, quatenus ad hanc electionem, quam proxima die Dominica ſtatuimus finiendam, tres, vel quatuor ex fratribus veſtris, qui nobis tanto operi, cooperante Spiritu Sancto conſilium & auxilium ſubminiſtrent, dignemini tranſmittere. inter quos propulſa omni occaſione Dominum Claremboldum, Dominum Cantorem Lambertum, alium quoque Lambertum de Comines mittere elaborate.* Et ſanè cùm omnibus ad electionem Atrebati cõſidentibus admirationi eſſet hominis ſapientia virtúſque; in ipſum omnes oculos votáque verterunt, nullúmque alium epiſcopum voluere. Igitur quàm mæſtis Inſulenſibus, tam lætis Atrebatibus, pontifex ei datus Eccleſiæ eſt, in qua poſteà cum citharedis in concordiam reuocatis è cælo candentem à D. Virgine Cereum accepit, qui nunc etiam integer Atrebati ſeruatur. Quæ donauerit eccleſiæ D. Petri Inſulis, quæ multa in Eccleſiæ Catholicæ vtilitatem fecerit ea nos vel in Annalibus, vel in Beatis Gallo-flandriæ hominibus latè memorabimus. A B

Minu. MS. Atrebatenſ.

Hiſt. de Cereo Atreb.

IOANNES CANONICVS INSVLENSIS, QVI POSTEA EPISCOPVS TARVANNENS.

Cum Lamberto claritudine generis, & virtutum doctrinæque excellentia Inſulam Ioannes ornauit, qui natus ad Liſam Warneſtuni vel Garneſtani à Principe Flandriæ inter primos D. Petri Canonicos lectus eſt. A quibus inſignem biberit doctrinam, ita docet in eius vita Ioannes de Collemedio: *Suis verò temporibus licet plures magiſtros habuerit, duos tamen, quos hic profuæ integritate vitæ commemorandos iudicamus, præ ceteris coluit. Vnus fuit magnæ religionis & ſcientiæ Magiſter Lambertus Traiectenſis: alter verò, qui & maior ab vniuerſis habitus eſt. Domnus Iuo, qui poſt Epiſcopus fuit Carnotenſis.* Quibus verò ad virtutis ſtudium & Collegas, & alios ſtimulare factis nitebatur, idem hunc in modum repræſentat: *Apud Inſulam deinde celeberrimum tunc illius regionis oppidum aliquanto tempore moratus eſt. Vbi, quia ex beneficio Balduini Marchionis &c. Cùm enim alij vanitates intenderent, & ſpectacula vel ludicra ſpectarent, vel alijs ipſi ludendo ſpectanda præberent: ipſe cæleſtibus magis quàm intentus terrenis, lectioni, vel orationi vacans in conclaui reſidebat. & nuſquam, † cùm ad Eccleſiam foret eundum, procedebat. Qui ſi ſpectacula illa in eundo, vt aſſolemus, offendiſſet, graui quadam velocitate prætéribat, ſaltem nec reſpicere volebat. Omnes ergò ſuæ merito ſanctitatis eum venerabantur, nonnulli & venerando imitari conabantur.* Sed non diu licuit Ioannis præſentia, virtutúmque ſplendore Inſulenſibus frui. Is enim maximo mundanarum tędio rerum affectus in Montis Eligiani ſe Monaſterium abdidit religionis & ſolitudinis colendæ gratia: vnde poſtmodum à Lamberto Atrebatum Epiſcopo in Archidiaconum adſcitus, Taruannenſi denique præfectus eſt Eccleſiæ, quemadmodum Ioannes de Collemedio in eius vita latiùs deſcribit, quam nos in tomo de Sanctis Gallo-flandriæ proponemus, & illuſtrabimus. C

† niſi cùm

CLAREMBOLDVS INSVLENSIS CANONIC. QVI POSTEA EPISCOP. SYLVANECTENS.

Ioan. de Collemed. in Vit. B. Ioan. Morin. epiſc.

Vixit etiam cum vtroque apud Inſulenſes Claremboldus in idem adſcriptus Canonicorum S. Petri Eccleſiæ Collegium. Quanti eum fecerint, Atrebates Canonici ſatis oſtenderunt, quando litteris ſuis, vnà cum Lamberto Cantore, ad electionem ſui Pontificis tranſmitti petiere, vt producta paullò antè in medium verba declarant. Et placuerat ipſi Lamberto maxima viri tum virtus, tum ſcientia, cùm diuturnam cum eo vitę ſocietatem haberet Inſulę: Eámque ob rem Atrebatum tandem abduxit, vt Archidiaconi munere fungeretur. Sed tum denique & Inſulenſes, & Atrebatenſes haud ſine męſtitia cognitum habuere, quanto fuerint viro priuati, cùm Siluanectenſibus is pontifex datus eſt. D

INGELRANNVS INSVLENS. CANONICVS.

Lib. 4. epiſt. 11.

Cum his eadem claruit ætate Ingelrannus eorum trium D. Petri Canonicorum vnus (quantum arbitror) qui cognomines inter primos huius Eccleſiæ Clericos conſedere. Haud dubiè multa ipſum virtus, doctrina & ſapientia condecorauerant: quoniam apud Gregorium Septimum Romanæ Sedis Pontificem & magna vſus eſt familiaritate, & multam ſibi auctoritatem comparauit. Non ſemel eius mentionem ab eodem Pontifice fieri animaduerto. Primum enim cum is ad Robertum Friſium Flandriæ Comitem aduerſus Simoniacos & fornicarios ſacerdotes litteras ſcribit, hæc inter alia ipſi præcipit: *Hæc noſtra verba, licet ruſtica, cùm communi fideli noſtro*

Ingelranno,

A *[illegible] Veritatis amatoribus [illegible].* [illegible] Hugonem D[illegible] episcopum alloquitur, hæc memorat: *[illegible] per aliquos, & maxime Ingelrannum Flandrensem [illegible] Robertum Flandrensem Comitem ab Huberto Legato nostro, [illegible] communicationem inimicorum suorum excommunicatum esse.* Vbi vero [illegible] D. Petri Insulensis primum Præpositum eiusdemque ecclesiæ Canonicos [illegible] increpat epistola, de eodem ita scribit. *Non mediocriter [illegible] Lamberti filij nostri à vobis illatas, [illegible] per Ingelrannum nostrum vobis mandauerimus, [illegible] propter obedientiam, quam sibi iniunximus.* Lib. 6. epist. Lib. 6. epist. 16.

[illegible] Walterus, qui post Fulcardum Insulensem D. Petri [illegible]. Nam enim [illegible] dumtaxat præclaris moribus famam sibi [illegible], cui præerat, Ecclesiam ornauit [illegible] cum [illegible] permissu Radbodi Nouiomensium & Tornacensium B episcopi [illegible] Radbodus verbis testatur. *Proinde notum fore volumus, quod Walterus [illegible] ecclesiæ Archidiaconus, atque Insulensis ecclesiæ Præpositus, [illegible] fratribus, nostram adijt præsentiam, obsecrans vt [illegible] tenebat, eidem Ecclesiæ ad vsus supradictorum Fratrum [illegible] &c.* WALTERVS [illegible] PRAEPOSITVS INSVLA.

[illegible] Insulæ sparsit Lambertus ille Cominæus, de quo iam [illegible] memoratus D. Petri Canonicus floreret. Genus [illegible] familia cum duceret, omni se studio virtutis & litterarum [illegible] non tantum Insulæ, verum etiam alibi famam nomini suo [illegible] animi decorum præstantiam Attrebatenses cum [illegible] præsentia præstare voluerunt, quando per Summi Pontificis [illegible] episcopum legere aggressi sunt. quemadmodum [illegible] patent. LAMBERTVS DE COMINES INSVL. CANON.

C [illegible] Insulensibus Castellani Cortracensis, & [illegible] Castellani nepos, Desiderius. Etenim propter [illegible] Canonicorum D. Petri factus est Insulæ Præpositus, [illegible] Cancellarium & Archidiaconum egit. *Verum [illegible]* eorum vota præmitterent. Quippe [illegible] eius fama [illegible] exstincto Milone, Taruannenses [illegible] Morinensium Catalogus episcoporum [illegible] *Milonem minorem desiderio desiderant Morinensis Ecclesiæ [illegible] Insulensis Præpositum, & Tornacensis ecclesiæ Archidiaconum [illegible]. Desiderium autem [illegible] Domini anno M. C. L. XI.* DESIDERIVS PRAEPOSITVS S. PETRI, ET POSTEA EPISCOP. TARVANNENS.

[illegible] Desiderio S. Petri Insulensis Ecclesia. Decanus [illegible] dignitate etiam vitæ sanctitas collegij ac ciui[illegible] priusque vitam is religioso congruentem homini duceret. D [illegible] Regulares Canonici Assone mortuo de noui Pastoris [illegible] flagitauere. Non renuit vir bonus id munus capessere, quod [illegible] & Religiosis fructuosum fore cognoscebat. Etenim dudum in [illegible] arctioris vitæ gratia optauerat, & suam perspiciebat [illegible], si collabentem illic disciplinam monasticam in pristinum splendorem [illegible]. DESIDERIVS S. PETRI DECANVS, ET POSTEA MONTIS S. ELIGII ABBAS. Mon. MS. Montis Eligensis Camby. Ferreol. Locr. in Chron. Belg.

Sed eo in [illegible] demigrante, non defuit Insulensibus Canonicorum [illegible] præclaro [illegible] præstinguerentur, & ad virtutem impellerentur [illegible]. Is Fulco fuit, [illegible] natione Flander, patriâ Gandauensis, cuius [illegible] doctrina [illegible], cui [illegible] mores sanctissimi præclara præbuerunt exempla virtutum. [illegible] est vnà numinis pertinaciam castigantis [illegible] patienter tolerantis documentum; quo partim Insulenses [illegible], partim ad patientiam in aduersis erigerent. In FVLCO CANONICVS S. PETRI.

Apum lib. 2. c. 22. pag. 2.

hæc verba id nobis repræsentat Thomas Cantipratanus. *Venerabilis Fulco de Gandauo natus, Canonicus apud Insulas fuit. Hic ergò (vt ipse nobis narrauit) à Magistro Iacobo de Vitriaco Legato, & prædicatore Crucis contra Albigenses, rogatus, vt secum Crucem per Flandriam prædicaret, renuit. Cui cùm insisteret per amicos, vt eum adiuuaret in negotio Ecclesiæ tam necessario & deuoto, renuit ille secundò, & nullo modo se facturum asseruit. Tunc Magister Iacobus illum magis præceptum timere confidens; & ego, inquit, præcipio tibi auctoritate quâ fungor, vt in nomine Domini Iesu Christi, in remissionem omnium peccatorum illud negotium assumas. Cui dictus Fulco: Nullo modo, inquit, assumam: & rogo te, vt nequaquam me de hoc vlteriùs fatiges. Mox Magister Iacobus grauiter commotus corde, & ferè vsque ad lachrymas fatigatus, ait illi: Cùm vtique dignè possem te excommunicare, auctoritate commissa, & omni beneficio iam priuare, propter inobedientiam contumacem; nolo tamen, ne grauamen tantum ingerere videar tanto viro. Rogo tamen Deum, qui omnium cordium est inspector, quatenus reddat te non solum ad illud, quod spernis, sed prorsus inutilem ad omne opus; Mira res, mox ad hæc verba quartana febris eum cum fluxu ventris inuasit, & vsque ad finem vitæ suæ per viginti quinque annos irremediabiliter fatigauit. Et audi lector mirum Dei iudicium de hoc viro. Cum talis & tantus esset, vt ei Dominus Iesus Christus (sicut per Ægidium Fratrem ordinis Prædicatorum Gandaui percepimus) ante mortem quasi recenter extensus in cruce visibiliter appareret, & eum ante finem mensis Augusti prædiceret moriturum: nullo modo tamen Dominus illi in hac vita parcere voluit, quin eum pro inobedientia tanto spatio temporis flagellaret.* Apud Iacobum Meierum breuis hæc eius mentio, *Fulco cognomento Vtenhoue, patriâ Gandensis, percelebri tum virsapientia, quum nullis posset modis impelli ab Iacobo Vitriacensi Innocentij Legato, vt eam pro more expeditionem concionaretur, idoneum se esse negans, subitò, seu vindice irato numine, grauissima corripitur hæmorrhoide, quam XXIV. per annos tam forti infractóque tulit animo, vt Christum Seruatorem ante mortem (vt aiunt) videre, diémque obitus præscire meruerit. Canonicus erat Insulanus. Condidit Gandaui domum hospitalem pro egenis, cui nomen est Bileka.* Eius munere duas Insulenses Canonici domos accepere, quemadmodum posteà memorabitur.

A An. 1210.

B

Lib. 8. Annal. Fland.

C

Lib. 2. c. 13.

GERARDVS ELSATIVS S. PETRI PRÆPOSITVS, ET FLANDRIÆ CANCELLARIVS.

Et præfuit huic Canonicorum Ecclesiæ magna cum laude Gerardus Elsatius tum generis magnitudine, tum Præpositi munere illustris. Patrem hic habebat Theodoricum Elsatium, Fratrem Philippum inter Flandriæ Comites ingentibus bello pacéque, foris ac domi, gestis rebus clarissimos. Pueritiam apud Laudenses Religiosos Cisterciensi habitu ornatus posuerat; ibidémque non leuiter fuerat religiosis moribus tinctus. Inde postmodum eductus non modò S. Petri Insulæ, verùm etiam D. Donatiani Brugis Ecclesiam Præpositus rexit, & Flandrensis Comitatus Cancellarium egit paternis virtutibus artibúsque præstabilis. Quam biberat in Laudensi Monasterio erga Virginem Mariam religionem, eam quoque his auctus dignitatibus retinuit. Video enim id sacellum Deiparæ Matris cultui dedicatum, quod iuxta Palatium à patre conditum Insulæ, ab fratre Philippo acceperat, in Decani & Canonicorum ius transcripsisse: vbi plus ei venerationis, ac religionis accederet. En aliqua earum litterarum verba, quibus illud Decano & Canonicis concedit: *Verumtamen ne omninò deperat seruitium B. Mariæ in capella prædicta, statui, vt prouida deliberatione Decani & Canonicorum ordinetur, quòd saluo omni seruitio, & omni iure Ecclesiæ B. Petri, & altaris S. Stephani, seruiatur gloriosæ Virgini Mariæ dignè & laudabiliter in prædicta capella.*

An. 1205. D

GVILELMVS S. PETRI PRÆPOSIT. ET INSVL. CASTELL.

Non exiguum posteà lumen Insulensibus præbuit Guilelmus Ioanne Castellano Insulensi patre genitus. Cùm enim litteris tam diuinis, quàm humanis non leuiter esset ornatus, ad D. Petri factus est Canonicorum Præpositus. Quam dignitatem dum præclaris admodum factis, probísque moribus sapienter sustinet: maioribus natu fratribus Roberto & Rogerio absque liberis vita defunctis, Insulensem Castellaniam, & cęteras horum hereditates adeptus est. Quoúe plus momenti ad rectam Insulensium institutionem conferret, Dominicanis Patribus ex Francia petendis, & in suburbano Insulæ loco statuendis fundandísque præcipuus laborauit.

An. 1224.

Claruisse

A Claruisse posteà inter Canonicos huius ecclesiæ Ioannem Froissartum, qui tomis quatuor sui temporis historiam Gallicè complexus est, asserunt Insulenses, idque nõ modò veteri tenent traditione, verùm etiam ex eius postremo volumine colligunt, vbi non obscurè D. Petri se beneficio donatum Insulæ significat. Huícne assertioni velit repugnare Aubertus Miræus, haud equidẽ scio: saltem hic tantum ista in elogijs Belgicis de ipso memorat: *Froissardus quidem Valẽtianus ad Scaldim in Hannonia natus, Canonicus ac Thesaurarius, vt vocãt, Chimachensis (quod Croyæ gẽtis apud eosdẽ Hannones oppidũ, Principatus titulo nobile) exstitit, & Commentarios suos ab anno Christi* CIↃ. CCC. XXXV. *vsque ad annũ* CIↃ. CCCC. *perductos, Eduardo* III. *Angliæ Regi, cui Philippa, Guilielmo* III. *Hannoniæ Hollandiæq; Comite nata, in manũ conuenerat, [illegible] obtulit.*

IOANNES FROISSART CANONIC. INSVL.

Multis temporibus interiectis non paruam Insulæ famam peperit Ioannes [illegible] Auantagius in æde S. Petri Canonicorum Præpositus. Etenim quibus admodum [illegible] bat, dignum virtus & scientia fecere, vt Ambianensium episcopus legeretur.

AN. 1437.

IOANNES L'AVANTAGE PRÆPOSITVS S. PETRI EPISC. AMBIAN.

Haud minorem eidem vrbi splendorem attulit Fortigarius de Placentia, tum propter insignem sapientiam & doctrinam, tum propter præclaras animi dotes, quibus

B apud Canonicos D. Petri Præpositus illuxit. Omninoque magnum [illegible] rium reliquit, cùm Atrebatum euocatus est, [illegible] dignitatem capesseret. Vt hominis præstantiam agnoscas, [illegible] hoc loco [illegible] epitaphium proponere, quod sic ostentat Cathedrale templum Atrebat[illegible]

Hic iacet bonæ memoriæ Reuerendus in Christo Pater [illegible] Atrebatensis, de oppido Brugensi in Flandria oriundus, [illegible] Duci Burgundiæ [illegible] Brabantiæ Consiliarius, qui anteà magnum Archidiaconatum Atrebatensem [illegible] Petri Insulensis rexit, & XXVI. *die mensis Ianuarij anno* CIↃ. CCCC. XXXIX. *[illegible] Sancti à venerabilibus suis fratribus de Capitulo Atrebatensi, vnanimiter fuit electus [illegible] per Sanctissimum Dominum Papam Eugenium* IV. *pronuntiatus & confirmatus [illegible] de S. Walburgis Furnensis ac etiam in West-Frisia in Ecclesia Traiectensi Præpositura [illegible] pacificè possidens, & Protocapellanus & Eleemosynarius prædicti Ducis fuit.*

[illegible]

C Non multis deinceps euolutis annorum curriculis magno prorsus hanc vrbem lumine illustrauit Iacobus de Conimbria. Vt enim e nobilissimo Lusitaniæ Regum sanguine ortus erat, & Burgundiæ Ducis Philippi Boni coniugem Elisabeth [illegible] proximo tangebat gradu consanguinitatis, ita multis erat animi donis & bonis artibus clarus. *Quo sanè perfectum fuit* vt primum Atrebatensis pontifex, deinde Vlysiponensis Archiepiscopus, ac denique Cardinalis crearetur.

IACOBVS DE CONIMBRIA [illegible]

Manauit etiam posteà splendor aliquis in vrbẽ Insulensem Ioanne Carninio apud D. Petri Canonicos Decanum agente. Hic enim e nobili ortus prosapia magna quoque comparandorum animi ornamentorum rationem habuit, quibus commisso sibi gregi præluceret. Hierosolymam eum Christi monumenta venerandi ergò pietas pertraxit. Et cùm inde viam relegeret, ad Romanam vrbem diuertit Apostolorum Principes colendi studio. Illic dum moram duceret, pecuniæ multum impendit, vt ab Summo Pontifice veniam demum perpetuam impetraret non pauca D. Petri Insulensis Ecclesiæ minora sacerdotia iis musicis Cantoribus impertiendi, à quibus diuinæ laudes occinuntur quotidie.

IOANNES DE CARNIN S. PETRI DECANVS *Ipsius epit.*

D Neque verò modicum luminis eidem Ecclesiæ vel virtutum præstantia, vel nobilitate generis attulit Franciscus Melunius, cùm eius Canonicorum Præpositus Insulæ moraretur. Natalium splendorem à Melunia, vel Meloduņa domo is trahebat, cuius apud Gallos nobilissima est origo, & magna in Belgio dignitas. Vt insignem virtutum eius doctrinæque præstantiam percipias, primùm apud Atrebates consecratus est Episcopus anno post millesimum & quingentesimum decimo, ac deinde post biennium ad Taruannensium cathedram euectus.

FRANCISCVS DE MELVN EX PRÆPOS. S. PETRI EPISCOP.

Qui post hunc proximè adeptus eandem est Præpositurae dignitatem, haud minus vrbem Insulẽsium ornauit, quamquam hìc exiguo tempore consederit. Is Cornelius à Bergis fuit, ex illustri tum Bergana, tum Zeuembergana familia paternum maternúmque genus ducens. Quæ plurima ipsum virtus, morum præstantia, & doctrina condecorabant, adeò valuere, vt Leodiensium Episcopus renuntiaretur.

CORNELIVS DE BERGVES PRÆPOSITO INSVL. EPISCOP. LEOD.

FRANCISCVS DE ROSIMBOS D. PETRI PRÆPOSITVS.

A

Sua quoque Insulenses non leuiter affecit pręsentia Franciscus Rosimbosius. Hunc enim è nobili Rosimbosiorum familia editum propter virtutũ excellentiam D. Petri Canonicis Pręposituũ dedit Carolus V. Imperator, ac suo pręfecit Oratorio. Cúmque idem Augustus, huiúsque filius Hispaniarũ Rex perspectam eius haberẽt prudẽtiam, magnorũ sapienter expediendorũ negotiorũ gratia in varias ipsum regiones misere.

GVILLEBERTVS D'OIGNIES D. PETRI PRÆPOS. EPISCOP. TORNAC.

Resplenduit etiam non parum Insulæ Guilleberti Oigniesij virtus ac morũ præstantia, cùm is apud S. Petrum Præpositus Canonicis pręesset. In lucem ipsum pernobilis Oigniesiorum & Lannoyorum familia produxerat. Tantúmque doctrinæ aliorúmque animi decorum cõparauerat sibi, vt etiam Hispaniarum Rex Philippus Episcopalibus infulis dignũ censuerit, ac Tornacẽsibus denique pontificem concesserit. Epitaphium eius hîc propono, vt ex eo viri religionẽ & liberalitatem agnoscas.

Quis iacet hîc? Ego Guilbertus cognomine d'Oignies.
Quæ tibi conditio? Præsul in vrbe fui.
Quod pietatis opus? Christo nunc iudice clarum est.
Ecquis opes? Templum, pauper, & hospes habent.
Quid fuit in voto? Sanctæ perfectio vitæ.
Euge, & quæ sursum sunt, bone Pastor, habe.

B

IOANNES POLLET CANONICVS ET INQVISITOR.

Eadem ætate inter S. Petri Canonicos minimè paruam meruit laudem Ioannes Polletus domo Cortracensis, studio Theologus, officio hęreseon Inquisitor: qui moribus admodum placidis emicuit, & insigni erga pauperes liberalitate. De ipso quãuis fortassè minus eleganter, verè tamen hæc Antonius Meierus in Threnodia cecinit.

Hæreseos curam frater Quæsitor habebat.
Id doctrina viro, relligióque dedit.
Audiuit melius, quàm Titelmannus eodem
Nomine, qui vulgò sæuior est habitus.
Crescere sensit vbi errores, stigiúmque venenum,
Oppida per simul & rura valere magis:
Ingemuit toto ex animo, decedere Christo
Innumeras animas, exitióque dari.
Cœpit eo mærore simul tabescere corpus:
Audijt optantis vota migrare Deus.
Multa prius dederat; quo non contentus, egenis
E tumulo promit nunc quoque dona suo.
Hebdomadæ cuiusque dies vbi quinta recurrit.
Certi inopes properant è regione sua.
(Septem sunt numero, populosa quot Insula constat
Classibus) in templum Petre beate tuum.
Panibus adijcitur nummus. lętantur euntes,
Polletique sui nomen ad astra ferunt.
Nec breuis impensa est: reditus non desinet vnquam:
Quod septena ferat dextera, semper erit.
Quàm doctrina videns nunc opportuna, Brabantæ
Dicitur argentum constituisse scholæ.
Quo pueri, fortuna quibus non fauit, alantur
In studijs, reditúsque ille perennis erit.

C

D

MAXIMILIANVS MANARD. PETRI PRÆPOSITVS.

Vitam quoque laudabilem in hac vrbe traduxit, ac multiplicis speculum virtutis præbuit postea Maximilianus Manaræus eiusdem Præpositus Ecclesiæ: quem prius Decanum & Canonicum B. Virginis Tornacum viderat. Respõdit quotidianis eius eleemosynis extrema quoque volũtas. vt enim loquitur appensum ipsi epitaphium: *Testamento pauperes voluit heredes, Louanij ac Duaci octo in studiosorum, hîc & Tornaci decem in mechanicorũ gratiam bursis institutis, ad hoc etiam residuo bonorum suorũ legato.*

HVGO DES TAILLEVRS CANONIC. S. PETRI.

Neque verò absque laude in eodem Canonicorum S. Petri Collegio vitam transegit Hugo des Tailleurs, vt hoc eius epitaphium breuiter asserit: *Religioni & memoriæ Venerabilis Hugonis des Tailleurs presbyteri, Thesaurarij & Canonici huius ecclesiæ*

mortui

A [illegible] *XVII. Sept. anno M. D. XCIX.* [illegible]
[illegible]

[illegible] etiā cupidissimo lectori suggerere [illegible] Scriptores Insulenses Dominicanorum familia.
[illegible] ibique diligenter inuestigatum, dum
[illegible] Insulensibus affulserit, tempus admonet
[illegible] virtutibus, eruditione, diuinaque eloquentia
[illegible] Hæc namque apud Franciscum Piclinum de ipso
[illegible] *Insulensium, clarissimorū doctissimorumque* In Chron. Phan. cap. 21.
[illegible] *ac pietate conspicuum.* Et inter Cyso-
[illegible] ex hoc loco euocatos video, qui Ioanni Sa-
[illegible] domus suæ molienti operam nauarent.

[illegible] resplenduit Beatus Pater Zegherus, vel Se- B. Zeghervs.
[illegible] sed incertum omnino est, idne cogno-
[illegible] propter diuturnam in familia Insulenti com-
B [illegible] scribit Thomas Cantipratanus in Prologo Vi-
[illegible] verbis. *Amico & fratri in Christo charissimo F.* [illegible]
[illegible] *Insulis.* Vnde non obscurè colligitur: mag-
[illegible] ad virtutem populo Insulenti concionibus
[illegible] Hyacinthus Choquetius domo Insulensis, & apud
[illegible] Doctor ac Professor Duaci, multis gratissimum
[illegible] undique gratia. Eius hic verba operæ pretium In lib. de Sanctis B. [illegible] Prædicat. c. 6.
[illegible] inquit. *B. Zegheri sanctitatem pluribus etiā videndi*
[illegible] *Ioanna, Cameracēsis episcopus, aliique*
[illegible] *imagine recrearentur, tum vt salutaria*
[illegible] *stolico quidē exciperent.* De se quidē hoc testatur
[illegible] Thomas à Cātiprato istis eum alloquēs verbis: *Tua fama,*
[illegible] *te à multo antè tēpore cupieham: vnde post Augustum*
C [illegible] *& videre, vt spero, nullatenus sine fructu.* Qui-
[illegible] nomen Beatus hic Pater apud Insulentes ac vicinos
[illegible] auctorem: nósque posteà diffusius enarrabimus,
[illegible] cum de Gallo-flandriæ Sanctis tractabitur.

[illegible] Insulę F. Iacobus de Halla eiusdem Ordinis Prædi- F. Iacobvs de Halla.
[illegible] porum æqualis. Eius meminit Thomas Canti-
[illegible] Margaretæ Iprensis rebus gestis præfixit, dum B. Si-
[illegible] alloquitur: *Saluta ex parte mea F. Iacobū de Halle.*
[illegible] Comitem haud leui gratia, dum viueret,
[illegible] Prædicatorum Ecclesiæ cùm eburneam, & lipsanis orna-
[illegible] donaret, suis hæc litteris inseruit anno 1244. *& hanc*
[illegible] *Iacobo de Halla:* vt subeat animū suspicio, sanctam
[illegible] Ioānam, vt hoc munus S. Dominici asseclis
[illegible] vel à confessionibus, vel à sacris animi cōsilijs sibi delegerit.
D [illegible] non parum splendoris ex eadem domo Insu- P. Ioannes Saracenvs.
[illegible] qui sub [illegible] decimiquinti sæculi floruit. Cum enim
[illegible] sacram prælegeret suis sapientiam: & mirabilē
[illegible] que moribus omnes affecit. Quę res omnino
[illegible] Ioannes Chiuoreus Phanopinensis Abbatiæ
[illegible] cum cętui suo prefecerat Phanopini, cum studiorum
[illegible] degeret. Hæc enim de ipso apud Frāciscum Piclinum
[illegible] Chronico leguntur: *In quibus* [illegible] *Saracenus*
[illegible] *& pietate suspiciendus Ordinis*
[illegible] *Priorem Lectorémque* [illegible] *erat, ascitus.*

[illegible] æstate Ioannes de Angulo suprema Theolo- P. Ioannes de Angvlo.
[illegible] quæstionibus prælectum [illegible]
[illegible] dum fluerer Christi annus supra millesimum & quadringentesimum

 nonus

nonus & septuagesimus. Insulæ præsertim commoratus est, postquam Acta Hollandicæ Congregationis ipsum huius domus Religiosis inseruerunt. A

P. IOANNES FRELIN.

Famam etiam obtinuit in eodem Conuentu P. Ioannes Frelinius, cùm ei præfectus Prioris munus exsequeretur. Perspecta siquidem eius virtute doctrinâque, Nicolaus Coppinus Ecclesiæ S. Petri Louaniensis Decanus, & in Belgio Generalis hæreticæ prauitatis Inquisitor, anno 1527, vicariam ei potestatem impertijt hæreticos in Gallo-flandria persequendi.

P. IOANNES COVCELLS, ET ALII.

Iisdem propè temporibus in dicto Phrontisterio floruere Ioannes Coucellius, Ioannes Nocartus, ac Petrus Clerici: quos omnes propter virtutem doctrinámque Sacræ Inquisitionis capita vidit Gallo-flandria.

P. IOANNES VVALTERI.

Suppar his fuit Ioannes Walteri ex eodem Ordine Prædicatorum decus supremum sacri studij adeptus: quem Religiosi Louaniensis Academiæ Regentem habuere. Inter principes viros hæreticorum inquirendorum officio admotus emicuit, & Tridenti cum Patribus Generale Concilium celebrauit.

P. IACOBVS FABER.

Claruit etiam in hac domo virtutum doctrinęque facibus P. Iacobus Faber, qui supremum Theologiæ decus assecutus, Regentis munus posteà Louanij magna cum laude sustinuit: ac denique cùm non procul ab hac vrbe in manus hęreticorum incidisset, inter vexationes & cruciatus animam feliciter exhalauit. B

P. NICOLAVS DE REVX.

Neque verò parum luminis Insulensibus prębuit nostris tēporibus P. Nicolaus de Reux, quamdiu Priorem eum habuit hęc familia. Apud Attrebates vitam hauserat, ac pręclaris à natura dotibus fuerat exornatus. Exantlatis diuini studij laboribus etiamnum iuuenis Doctor renuntiatus insignem memoriam & dicendi facundiam ad impellendum quolibet concionibus populum attulit. Et cùm propter eximiam gubernandi gratiam, animósque tractandi rationem ordini suo placeret, non modò Insulæ Prioris, verùm etiam per totū Belgium Prouincialis partes personámq; laudabiliter sustinuit. Inerat ei pręclarum propagādæ ad veterem D. Dominici normā religionis studium: sed inter pios calidósq; reformationis conatus pręmatura mors animā eius abripuit Insulæ. Atqui de multis D. Dñici asseclis ij modò satis sint, quos protulimus.

ILLVSTRES VIRI INSVLENSIS FAMILIÆ D. FRANCISCI. In histor. Seraph.

Apud Patres Franciscanos pręclaris quoque luminibus Insulam fuisse multis temporibus illustratam vti doceamus, ratio postulat. Etenim horum de Phrontisterio verissimum istud est Francisci Gonzagę Ordinis istius Ministri Generalis testimonium: *Habuit & hactenus semper quàm plurimos probatissimæ vitæ Patres & Fratres, doctrina & religione conspicuos: è quorum numero quidam fuerunt Imperatori Carolo V. à concionibus & confessionibus. vt multos interim breuitatis gratia prætercam sacræ Theologiæ Baccalaureos, Licentiatos, & Doctores, qui dum viuerent, magno cum affectu in Religionē Christianā & monasticā multum laborarunt.* C

P. PETRVS FABRI.

In horū numero P. Petrum Fabri aliquando degisse, duo eius monumenta testantur, calix nimirùm Crúxque argentea, quę tum eius nomine inscripta, tum Caroli V. Imperatoris insignibus exornata sunt. Quantus verò is vir fuerit, quaúe sapientia imbutus, ac quibus illustris virtutibus, vel inde cognoscas licet, quòd eiusdē Augusti conscientiam multis annis direxerit, eique noxias confitenti aures prębuerit.

P. ANTONIVS DV BVS.

Suis deinceps virtutibus, ac doctrina hunc locum exornauit P. Antonius du Bus. Sacri studij lauream adeptus is erat, multúmque dicendi gratia pollebat. Ob insignem gubernandi rationem, bis Andreanæ prouinciæ minister impositus fuit. D

P. GVILIELMVS DE GHELDRES.

P. Guilielmo de Geldres inter cœtum religiosum hîc admisso tantum è sacratum litterarum studio scientiæ prouenit, vt Theologi Doctoris decora fuerit assecutus. Idem & populum vi dicendi ad virtutes impellebat vehementer, & plurima familiam regendi gratia valebat: quò factum sanè est, vti compluribus asceterijs moderandis admoueretur.

P. MATTHÆVS HVOT.

P. Matthæus Huot magnam quoque suo labore doctrinæ copiam sibi comparauit, eadémque tum alios, tum Insulenses ad vitam rectè componendam plurimum adiuuit, seu consilia petentibus impertiretur, seu verbis è suggestu instrueret. Et placuit etiam eius regimen, vel cùm Insulæ D. Francisci familiam gubernaret, vel cùm supremum prouinciæ magistratum sustinuit.

Neque

A Neque vero parum luminis huic Phrontisterio laudisque à P. Ioanne Iehu accessit. Etenim is cùm isthic inter alumnos Seraphici Patris fuisset cooptatus, nihil omisit diligentiæ, vt animum & virtutibus & scientia decoraret maximè: Igitur inde tam rebus ad benè concionandum necessarijs instructus, quam idoneis ad rectam gubernationem præsidijs munitus, ecclesiastæ ac moderatoris partibus abundè satisfecit cum Insulæ, tum alibi: vt ex eius quoque prouinciali præfectura non leuem Ascetæ fructum perceperint.

P. IOANNES IEHV.

Quos viros dignitate, doctrina, virtutibus magnos Insula produxerit.

CAPVT VII.

B ATTENTAM quibus Insula liberis aliquando floruerit, qui magnam ipsi famam & nomen, adeptis ecclesiæ dignitatibus, variorum cultu studiorum, scientia multiplici, & præclara virtute pepererunt, tempus est vt dispiciamus. Ab iis ordiendum erit, quibus insignis doctrina, & virtutis cultus episcopales infulas conciliauere. Quo sanè in genere præclarus ille fuit Alanus qui cum Insulæ vsuram lucis hausisset, primùm Cisterciensis ordinis institutum cupidissimè arripuit, dein plurima virtute illustris Ripaloriensem Abbatiam moderatus est, ac denique infulis clarus Antissiodorensium Ecclesiam pontifex gubernauit. Apud Aubertum Miræum in Belgicis & Burgundicis fastis hæc lego: *Natus est Insulis Flandriæ emporio & in Clara-Valle, sub S. Bernardo Abbate, monachum induit. Postea primus Ripalory Abbas fuit, ac demum Antissiodorensis Episcopus. Religiosæ quietis amans, post annos tredecim Episcopatu se abdicauit, & reliquum vitæ in Clara-Valle pijssimè transegit: vbi & obijt anno 1181. pridie Idus Octobris.* C Dum mentionem eius facit in Antissiodorensium episcoporum Catalogo Iacobus de Aula doctor Theologus, apud Demochatem ista breuiter suggerit: *Alanus Flandrensis sedit annis 14. obijt 5. Idus Octobris. 1167. sepultus Clareuallis tempore Ludouici Pij Regis, Pontificum Adriani, & Alexandri 3.* Vnde profectò colligas, quantum in Chronologia auctores hi duo discrepent. De ceteris temporibus nulla mihi suppetunt ad eruendam veritatem. Circa mortis annum id asseri posset; Iacobum latuisse, post episcopatus abdicationem Alano rursus religiosam in monasterio vitam placuisse; ideóque arbitratum, eo præsertim ipsum tempore ad superos euolasse, quo denuo in Clareuallensem Abbatiam sese abdidit quietius degendi gratia.

VIRI PRÆCLARI INSVLANATI ALANVS EPISCOPVS ANTISS.

14 Octob.

Exactis deinceps annis compluribus in eadem natus vrbe claruit Galterus, quem Magalonensi Ecclesiæ datum pontificem reperio. De ipso hæc Trithemius, vnde præstantiam hominis colligas: *Galterus Episcopus Magolensis ex Insulis oppido Flandriæ oriundus, Vir in diuinis litteris longo studio exercitatus, & secularium litterarum non ignarus, ingenio præstans, & clarus eloquio, qui suo tempore propter doctrinam & eruditionem magno fuit in pretio. Scripsit ad petitionem Præpositi & Clericorum Insulensis Ecclesiæ opus limato sermone decorum super Psalterio lib. 1. & quasdam ad diuersos, vt ferunt, non inelegantes epistolas. alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam nostræ lectionis minimè venerunt.* Hactenus Ioannes, apud quem non dubito reponendum, *Magalonensis*, pro *Magolensis*: cùm Magalone insula sit Mediterranei maris è conspectu Galliæ; vbi olim ciuitas fuit, vt habet liber notitiarum; & quemadmodum notat Aubertus Miræus, templum Canonicorum S. Augustini regulis obsequentium, ac posteà sæcularium, vt nominant, cum episcopatu Narbonensi Archiepiscopo subiecto, cuius denique sedes in Montis Pessulani vrbem translata est Pauli Tertij Romanorum Pontificis voluntate anno Christi supra millesimum & quingentesimum trigesimo sexto. Maagalæ contrà in Palestina: vel Magalis in Hispania nullum adscribit Pontificatum episcopatuum notitia. Notat Antonius Posseuinus nostræ Societatis

D

GALTERVS MAGALON. EPISCOP.

In Catal. Illust. virор. German.

Lib. 5. Notitiæ Episcopat.

In Appar. Sacro.

cietatis auctor Galterum anno Domini 1230. claruisse. Henricus à Gandauo Walterum nuncupat. A

IOANNES EPISCOPVS LEODIENSIS.

Neque parum ad splendorem Insulensis oppidi contulit Ioannes Guidonis Flandriarum Principis filius. Etenim cum minimè dubitem auras eum vitales hausisse Insulæ, profectò multum ei ad gloriam fecisse consentaneum est tum scientia, & virtute, tum varijs dignitatibus ecclesiasticis, quibus admodum inclaruit. Inerat illi sacrorum canonum præclara cognitio: ideóque tam suam, quam subditorum vitam ad eorum amussim diligenter excoluit. Apud Donatianos Brugis Præpositus fuit, Flandriæque Cancellarius. Insula D. Petri Præpositum vidit. Mediomatrices primùm, dein Leodienses Episcopum habuere. Apud Ioannem Hocsemium Leodiensem Canonicum de ipso hæc reperio: *Itaque Ioannes filius Guidonis Flandriæ Comitis & Namurci vir nobilis, humilis, & modestus, doctor decretorum, Metensis episcopus, ad Leodiensem transfertur Ecclesiam à B. Lamberto 43. Pontifex computatus. Hic primùm venit Leodium anno Domini 1282. in vigilia omnium Sanctorum.* Quibus omnino respondent ea quæ referunt Abbatum S. Laurentij Chronicon & Ioannes Presbyter. Inter eius facta memoriæ consecranda, Synodus Leodiensis, ac liber synodalis, Huensis castri molitio, Pax Leodiensis, admodum memorantur. De synodo hæc Ioannes Presbyter: *Eodem anno Ioannes noster Episcopus vniuersis Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Decanis, Conuentibus, Capitulis, ac Ecclesiarum rectoribus, & Prælatis, Clericis, & alijs suæ ciuitatis ac Diœcesis coram se & Capitulo Leodiensi conuocatis fecit Synodum generalem dicens: Nos auctoritate Pontificali malitijs obuiare, & libertati ecclesiasticæ, & ecclesiasticarum personarum ciuitatis & diœcesis nostræ Leodiensis prouidere in quantum poterimus cupientes, ac generali Synodo de consilio ac voluntate Capituli nostri maioris Ecclesiæ Leodiensis Constitutiones Synodales, quas in ipsam compilationem nostram redigimus, resecatis alijs superfluis, approbamus & ratificamus, & vnà cum nostris Constitutionibus præcipimus inuiolabiliter obseruari. Tunc statuta Synodalia illic facta, & in libellum redacta, disseminata sunt, & per nostram diœcesim Ecclesiasticis personis, videlicet Archidiaconis, Decanis, & Curatis Ecclesiarum.* De castro Huensi Hocsemius in hunc modum refert: *Hic episcopus in castro fecit Hoyensi nouam aulam magnis sumptibus fabricari, & vastam turrim Basini scalijs operiens, mansiones infrà distinxit.* De pace mentionem breuiter ingerit Iacobus Meierus: *Pacem inter Leodiensem Ecclesiam & ciues composuit.* Eam inuenio multis legibus factam Ioanne Lotharingiæ Duce vnà cum Episcopo nostro studium & operam adhibente, vocatamque Clerquiensem. Captum verò Ioannem, & in custodiam retrusum numinis voluntate, vt præclarum patientiæ suis exemplum relinqueret, à quibusdam Memoriæ traditum fuit. Ioannes Hocsemius hunc in modum id factum memorat: *Postmodum Episcopus vbi venabatur in siluis circa Bullionem à quibusdam solus inuentus capitur: à quibus per quinque menses continuò detinetur. tandem exacta ab eo, vt fertur, magna pecuniæ summa, cùm iuramento, quòd nunquam proderet exactores, reuertitur cum immenso suorum gaudio liberatus.* Longè aliter id narrat Ioannes Presbyter, dum inquit: *Vulgatum est à multis, quòd Luxemburgensis cum suis fratribus instinctu Comitissæ Namurcensis eorum sororis, & Nouercæ eiusdem Ioannis episcopi, eum imprisonarunt: quia fortè episcopus in auribus suæ nouercæ præfatæ aliquod nefas ab ipsa perpetratum reprehenderat: quare animo irato suis fratribus conquesta fuerat.*

Lib. 2. cap. 24. de Pontif. Leod.

B

An. 1282.

C

Lib. 1. c. 16.

Lib. 10.

Apud Chap. in notis ad Hocsem.

Lib. 1. c. 16.

D

MICHAEL VVARINGHIEN EPISCOP. TORNAC.

In Chron. ms.

Ad Michaelem Warenghienum transeo ex eodem Insulensi oppido profectum, qui renitens à Tornacensibus Canonicis infula donatus est anno Christi post millesimum & ducentesimum octogesimo secundo. Cùm de mira eius electione sermonem instituit Ægidius le Muisis apud Tornacenses D. Martini Antistes, his vtitur verbis: *Michael de Waringhien Insulensis, in temporalibus simplex, Canonicus tamen & Scholasticus, bonus, & litteratus.* De gestis eius idem sic posteà memorat. *Præfuit Michael annis circiter decem. Visitabat in Aduentu & Quadragesima prædicando in ciuitate & extrà: emitque domum Episcopalem Parisijs, de qua vsus fuit, & vtuntur sui successores. Fecit domum in Helchin. Defendit iura Episcopatus plusquam ceteri prædecessores.* Nonnulla etiam de ipso aliquis interioris temporis auctor anonymus in hæc verba.

In Catal. episc. Tornac. ms.

A [illegible] *in primis [illegible], Tornacensis consecratur Episcopus [illegible] in Aula Insulensi. Erexit [illegible]* [illegible] *quolibet habitandi* [illegible] *Verum quisquis ille fuerit*, à quo hæc fuerint tradita [illegible] [illegible] dum albi pontificatus annum expressis, & [illegible] Michaele [illegible] communione motum asserit: cum certò [illegible] *Ægidij*, Michaelem e viuis abijsse, dum flueret secundus [illegible] post millesimum & ducentesimum. Quòd verò [illegible] ea res narrationem postulat, quam nos posteà [illegible]

Annal. Gallo-fl. lib. 3.

Doct[illegible] Michaelem alterum Insula, qui primum in familiam S. Dominici [illegible] virtutum luce resplenduit, intérque Theologos Doctores [illegible] Coloniæ, ac demum creatus est Salubriensis episcopi [illegible] Suffraganeus. Eo de viro hæc tradidit Guilelmus

B [illegible] Ordinis Theolo[illegible] *Auctor hic Ordinis nostri religiosissimus, sacræ* [illegible] *Prouinciæ tuæ, cui feliciter præest vac Conuentus* [illegible] *Episcopus Salubriensis. Qui primùs Coloniæ* [illegible] *deuotionem Rosarij in cuius promotione non mini-* [illegible] *promouit, Quodlibetica Quæstione eius sanctæ Societatis* [illegible] *Factus deinde Serenissimi Archiducis Burgundiæ Phi-* [illegible] *primo pædagogus, deinde eleemosynarius, Consiliarius, ac* [illegible] *Aulam tàtum secutus à studijs quieuit, libellum scripsit* [illegible] *Archiducem peculiari ratione destinatum, quo Aulam* [illegible] *communiter Aulici fedantur*. Ab eodem etiam id opus [illegible] inditum *Claui Cellarij diuinæ & humanæ sapientiæ*, [illegible] iam nominatus F. Guilelmus Oonselins. Hunc ve- [illegible] is docuit, cuius hæc verba exarato manu Insulensis

C [illegible] *Nota quòd hanc artem per cellulas primò adinuenit, &* [illegible] *anno 1486. F. Michaël Francisci Conuentu* [illegible] *Theologiæ professor, & nunc Regens in dicta Vniversi-* [illegible] Insulensium Phrontisterio vitam posuerit, incertum [illegible] eo sacro peristylio (claustrum vulgò nominant) [illegible] fuerat, sortitus est, dum adhuc in suburbio staret Mo- [illegible] in vrbano claustro, quod è lapidibus suburbani [illegible] tabula veteribus elegans coloribus, & subscriptum [illegible]

Eu[illegible] vsuram accepit Ioannes Sixius, quem episcopali- [illegible] coluere. Qualis, quantusue is fuerit, ita paucis [illegible] quod etiamnum tabulæ affixum in S. Petri tem- [illegible] *in Christo Patri Domino Ioanni Six Philosophiæ ac* [illegible] *magna cum laude Professori, dein in Parochiali ecclesiæ D.*

D [illegible] *annis pastori vigilantissimo, inde ob virtutem & merita ad* [illegible] *post à Reuerendiss. D. Gerardo ab Hamericourt* [illegible] *Vicario Generali, ac tandem in episcopatu successori,* [illegible] *ergò proficisceretur, febri correpto, ac* [illegible] 4. Id. Octob. [illegible] *ætatis verò suæ 55.* [illegible] *Iacobus Willant ex sorore nepos, & huius ecclesiæ Ca-* [illegible] Alterum è liberis Insulanæ ciuitatis [illegible] temporibus habuit. Is Ioannes Venduillius fuit, ad [illegible] & in quo singularis sapientiæ & doctrinæ vis insigne [illegible] contubernium. Ortus eius admirabilis, & D. V[illegible] infantia & pueritia humanio- [illegible] philosophiæ doctrina, geometricis [illegible]ibus, Iuris vtriusque [illegible] profundè acutus; variarum dona linguarum,

MICHAEL FRANCISCI EPISCOP. SALVBRI-ENSIS.

In Præfat. ad Colum. Sap. [illegible]

IOANNES SIX EPI-SCOP. AV-DOMAR.

IOANNES VENDVILLIVS EPISCOPVS TORNACEN.

exactum ad regulam Apostoli coniugium; impensi gnauiter excolendis scientia iuris iuuenum animis anni complures; subministrata in Sanctiori Catholici regis Senatu sanissima & prudentissima consilia; libelli aliquot extirpandis hæresibus conscripti; promouendæ religionis gratiâ in Italiam ad Summum Pontificem, & in Hispaniam ad regem Philippum spontanea, iisque viris maximis gratissima profectio; ad erectionem Academiæ Duacensis labor impensus; toleratæ pro stabili firmaque in Deum ac Regem fide calamitates; continuus homines ad Dei cultum amorémque reducendi ardor; in pauperes insignis profusio, decursa in pontificatu sanctissimè & vigilantissimè vita, minimè loci huius angustiis comprehendi constringíque possunt. Igitur qui volet accurata horum omnium cognitione animum pascere, Nicolai Zoësij libellum adeat, qui fusè ac prorsus eleganter totam Ioannis vitam complectitur. A

EVSTACHIVS GOMER ABBAS BERTINIANVS
Ioan. Iper. in Chron. Bertin.

Nunc ab episcopis ad eos, qui virtute doctrináque fulti variorum regimen onusque Monasteriorum sustinuere, stylum converto. In Bertiniensem Benedictini Ordinis antistitem lectus est Audomaropoli anno Christi 1294. Eustachius Gomerius ex ea genitus Insulæ familia, quæ iam anteà non leue nomen sibi conciliauerat, & in hęc vsque tempora sui generis splendorem protulit. Hoc de viro ita scriptum à Francisco Waloncapellio Bertiniani Monasterij Religioso in Bertiniana historia inuenio: *Eustachius cognomine Gomer (vario enim modo scriptum reperio) Insulis Flandriæ natus, ab ineunte ætate tyrocinium religionis Monasticæ apud Sithienses exercuit, vbi & habitum accepit monachalem; adeóque omnibus fratribus gratus exstitit, vt dicto Reuerendo Waltero morte sublato ad regendam domum Bertiniensem dignus haberetur.* Vix tres annos regiminis impleuerat, cùm septimo die Martij è terris migrauit magno sui apud omnes relicto desiderio. B

HIERONYMVS RVFAVLD. ABBAS VEDASTINVS.

Apud Atrebates Vedastini eiusdem S. Patris Benedicti asseclæ Hieronymum Ruffaldum Archimandritam sibi datum perlubenter coluere. Ad id munus quî peruenerit, & quibus primùm ad Gerardimontensem, dein ad hanc dignitatem virtutibus gradum sibi strauerit, malo lectorem ex Chronici Vedastini verbis, quod admodum Reuerendus Dominus Philippus Cauerellius eius Monasterij antistes pereleganter conscripsit, quàm meis cognoscere: *Hieronymus*, inquit, *Rufaldus Insulanus, eo patre genitus, qui se altè in gratiam Cæsaris insinuauit, iuuenis sedulam nauauit studij operam Louanij, præceptore vsus Ludouico Viue summa doctrinæ viro, cuius exstat ad Hieronymum dicatus Suetonius, præter complures epistolas. Eo præceptore præ ceteris fecit non pœnitendum progressum in litteris, quo lætatus pater impetrauit à Cæsare (apud quem quiduis poterat) vt Abbas Gerardimontensis designaretur; tantáque dignitate insignis rursus vt Martino Asseto Coadiutor decerneretur, quo mortuo sumpsit prouinciam. Ad quam rectè obeundam multas attulit virtutes, eruditionem, mansuetudinem, contemptum gloriæ, castitatem, liberalitatem, pietatem in Deum, in suos, & exteros, maximè autem in pauperes. Quibus omnia omnino munia optimi Antistitis impleturus videbatur, impleuitque longè maxima ex parte primis potissimùm annis, posterioribus ob senectutem nonnihil remissior.* C

GVILELMVS ABB. LAVDENS.
IOANNES ABB. LAVDENSIS.
ÆGIDIVS GAMANT ABB. LAVDENS.
MICHAEL REQVILLATRE ABB. LAVD.
DIONYSIVS BAVVINS.
IOAN. MARIAGII ABB. LAVD.
VINCENT. LONGVESPEE ABB. LAVD.

In vnum Bernardinę familiæ Monasterium, cui primo ab Insula milliari dissito nomen datum est Laudensi, paullò plures ex oppido Insulensi manauere, in quos eius loci translata sunt gubernandi munera. Etenim quę scripta ibidem monumenta seruantur, Primò Guilelmum, deinde Ioannem nullo alio interiecto, continenter Antistitum officio functos memorant, nullis tamen eorum adiectis cognominibus, nulláque, quas gesserint, rerum producta in medium historia. Tantum Ioannem insigni clarum animi demissione; Guilelmum multa fuisse nobilem virtute repræsentant. Solo interposito Theobaldo his successit Ægidius Gamantius è nobili tum temporis Insulæ domo Gamantiorum progenitus. Longo posteà interuallo pedum illic adeptus est Michaël Requillatre summa donatus sacrę doctrinę laurea: cúmque Dionysius Bauvins excepit proximè. D

Vnico fuit interposito regimini admotus Ioannes Mariagius. Elapsisque annis compluribus tandem Sacrum ibidem imperium obtinuit Vincentius Longuespeus,

qui

A [illegible] propter [illegible] negotia Romæ diu tractata, præclaraque [illegible] opportunus credebatur.

[illegible] Abbates habuit Cysoniense monasterium [illegible] D. Augustini Canonicis Regularibus [illegible] insessum. Prior eorum fuit Alardus Cuvillon, cuius memoriæ ad tumulum [illegible] consecrata cernuntur. *Alardo [illegible] ac in omnes benefico, qui cum huic C[illegible] XXVI. [illegible] Abbas electus XIV. annis [illegible] ob[illegible] 4. euocatus incredibile sui desiderium omnibus [illegible]* nomen fuit Ioanni Desrumeaux, quem ipsi nuper in prouecta [illegible] animo religionis studium vehementer laborantem, vt [illegible] disciplinam restitueret, rebúsque optimè constitutis vita defunctum [illegible] priusquam ibidem loci Religiosi S. Augustini regulis obstricti [illegible] Canonicorum, vt vocant, Secularium Præpositus extitit Herimannus [illegible] nobili equestríque genere prognatus. Isque sponte Remis [illegible] Præpositura sese exuens caulam præbuit Religiosum Cysonii [illegible] Canonici, regendi ac primus illic S. Augustini institutum [illegible] primo Antistiti sese submisit. Neque verò dubium est, [illegible] Insulensium pedo infulisque fulgentes aliquando similis religione [illegible] iis tamen vel eruendis vel in medium proferendis super[illegible]um: quemadmodum neque omnes scrutari lubet, neque li[illegible] [illegible] vel intra Monasteriorum septa, vel extra, virtus insignis [illegible] celebrauerint. Igitur iis relictis alios inuisamus; ac primum aliquos [illegible] doctrina fulti magnum sibi nomen parauere: deinde [illegible] cæteris prætulerunt.

Aalardvs Cvvillon Abbas Cyson. 36.

Ioannes Destrumeaux [illegible] Abbas 39.

Hermannvs Præpositvs Cysoniensis. [illegible]

Qui [illegible] complexus animo studia, ideòque nomen Vniuersalis Doctoris [illegible] equidem gloria Alanum Insulensis vrbs peperit. Apud Trithemium [illegible], & scriptorum Syllabus: *Alanus de Insulis Magister* C *[illegible] eruditissimus, & in secularibus litteris nulli suo tempore [illegible] clarus, & poeta celeberrimus, qui Ecclesiasticæ [illegible] vbi in omni scientia diuina pariter & humana clarus [illegible]ersalis nanciscis meruerit. Scripsit metro & prosa [illegible] notitiam non omnia, sed paucos peruenerunt: Super [illegible] 4. Q[illegible] lib. 1. Ad Abbatem S. Ægidij de vocabulis sacræ Scripturæ [illegible], Oculum sacræ Scripturæ lib. 1. De Doctrina lib. 1. In [illegible]. In Cantica Canticorum lib. 1. De Pœnitentia ad Patriar[illegible] De Æquiuocis mysticis lib. 1. De sex alis Cherubim lib. 1. De plan[illegible] Virtutum & Vitiorum lib. 1. De parabolis lib. 1. De arte præ[illegible] lib. 1. De Maximis Theologiæ lib. 1. De naturis animalium lib. 1. [illegible], & Epistolas ad diuersos varias scripsisse dicitur, quæ si om[illegible] possint [illegible] denique in multos Bibliorum libros commentarios & lectiones [illegible] composuisse fertur, præcipuè in Prophetas, Euangelium, & Apostolum, sed nihil* D *[illegible] nostras memini peruenisse. Claruit sub Alberto Imperatore anno Domini* M. CCC. Placet hoc loco ex opusculis eius duo in medium proferre, quæ tam [illegible], quàm pios animi sensus patefaciant: quòd ea non facilè sint ob[illegible] de Christi Incarnatione Rythmus perelegans, quo diuinum id opus [illegible] liberalium regulas aspernatum fuisse perquàm ingeniosè cecinit.

Alanvs Doctor, vniversalis.

In Catal. illust. hom. German.

Ex MS. Cod. Abbat. Martian.

Grammatica: *Exceptiuam actionem*
Verbum Patris excipit,
Dum deludit rationem,
Dum naturam decipit:
Casualem dictionem
Substantiuum recipit,

Actioque

Actióque paßionem
In hoc verbo concipit.
In hac verbi copula
Stupet omnis regulà. A

Rhetorica. *Peregrinat à natura*
Nominis positio,
Cùm in Dei transit iura
Hominis conditio.
Nouus tropus in figura,
Noua fit translatio,
Nouus color in iunctura,
Noua fit constructio. B
In hac verbi &c.

Arithmetica. *Dum ab vno non recedit,*
Alteratur vnitas,
Dum in vnum se concedit,
Vnitur alteritas:
In diuersum idem cedit,
In idem diuersitas,
Suum tamen non excedit
Limitem simplicitas.
In hac verbi &c. C

Musica. *Dum factoris & facturæ*
Mira fit coniunctio,
Quis sit modus ligaturæ,
Quis ordo, quæ ratio,
Quæ sint vincla, quæ iuncturæ,
Qui gunphi, quæ vnio,
Stupet sui fracto iure
Musica proportio.
In hac verbi &c.

Geometria. *Suæ artis in censura*
Geometra fallitur. D
Dum immensus sub mensura
Terrenorum sistitur.
In directum curuatura
Circuli conuertitur,
Sphæram claudit curuatura,
Et sub ipsa clauditur.
In hac verbi &c.

Dialectica. *Inter locos locum nescit*
Locus à contrariis,

Sui

A *Sui locum obmutescit*
Exceptum ab alijs:
Fit elinguis, obstupescit,
Fallitur in proprijs,
Et de suis erubescit
Logica fallacijs.
In hac verbi &c.



Astronomia.

Solis lumen nube tectum
Nubis sub velamine,
Nostræ carnis fert obiectum,
Nec hebet in lumine:
B *Nostrum vergit in defectum*
Sol ortus in Virgine.
In defectu dans effectum
Lumen in caligine.

Altero Alanus Rythmo graphicè naturam hominis fluxam & caducam depingit

Omnis mundi creatura,
Quasi liber, & pictura
Nobis est, & speculum.
Nostræ vitæ, nostræ mortis,
Nostri status, nostræ sortis
Fidele signaculum.
C *Nostrum statum pingit rosa,*




Nostri status decens glosa,
Nostræ vitæ lectio.
Quæ dum primo mane floret,
Defloratus flos effloret
Vespertino senio.
Ergò spirans flos exspirat,
In pallorem dum delirat,
Oriendo moriens.
Simul vetus & nouella,
Simul senex & puella
D *Rosa marcet oriens.*
Sic ætatis ver humanæ




Iuuentutis primo mane
Reflorescit paullulum.
Manè tamen hoc excludit
Vitæ vesper, dum concludit
Vitale crepusculum.
Cuius decor dum perorat,
Eius decus mox deflorat
Ætas, in qua defluit.
Fit flos fœnum, gemma lutum,

Homo

A

Homo cinis, dum tributum
Homo morti tribuit.
Cuius vita, cuius esse,
Pœna, labor, & necesse
Vitam morte claudere.
Sic mors vitam, risum luctus,
Vmbra diem, portum fluctus
Mane claudit vespere.
In nos primum dat insultum
Pœna mortis gerens vultum,
Labor mortis histrio.
Nos proponit in laborem,
Nos assumit in dolorem;
Mortis est conclusio.

B

Ergò clausum sub hac lege,
Statum tuum homo lege,
Tuum esse respice.
Quid fuisti nasciturus;
Quid sis præsens, quid futurus,
Diligenter inspice.
Luge pœnam, culpam plange,
Motus fræna, fastum frange,
Pone supercilia.

C

Mentis rector & auriga
Mentem rege, fluxus riga,
Ne fluant in deuia.

Hartmannus Schedel vel quis alius auctor in eo volumine, quod mundi Chronica inscripsit, ad millesimum & trecentesimum Christi annum hoc de nostro doctissimo viro ita scribit: *Alanum autem Doctorem celeberrimum, cognomento Vniuersalem nonnulli his temporibus ascribunt. Qui cùm in omni scientia admirandus esset, præcipuè tamen in Theologia, ac philosophia excedens, Vniuersitatis vocabulo insigniri meruit. Cuius sepultura in loco Cysterciỹ ostenditur, exeuntibus de oratorio ecclesiæ ad dexteram in sepulchro marmoreo. Cuius Alani magni Doctoris hoc epigramma exstitit,*

Hic iacet Alanus ——
—— quem breuis hora breui tumulo sepeliuit.
Qui duo qui septem, qui totum scibile sciuit. D

Vbi nescio, num per *duo*, testamentum vtrumque sacrum sit intelligendum, quod vt perfacilè totum intellexit, ita ferè totum illustrauit commentationibus: per *septem*, artes septem liberales indicentur, quas apprimè calluit.

GALTERVS CASTELLIO. In Catal. illust. Viror. German.

Qui verò litterarum diuinarum cognitioni Philosophiæ studium & poëtices adiunxerit, in ea vrbe lumen vitæ accepit Galterus cognomento Castellio. Apud Trithemium de ipso hæc nobis proponuntur: *Galterus dictus de Castellione, oriundus autem ex Insulis oppido Flandriæ, vir in diuinis scripturis studiosus, & eruditus, atque in sæcularibus litteris egregiè doctus, Philosophus, Poeta, & Theologus clarissimus, ingenio subtilis, sermone Scholasticus, metro valdè promptus & peritus. Scripsit eleganti carmine gesta Alexandri Magni opus profectò non abiiciendum: quod tanta auctoritatis in scholis Grammaticorum antiquitus fuit, vt † pro ipso veterum poëtarum lectio neglecta videretur.*

† præ

Sed

A *Sed & alia multa composuit, quæ ad me non venerant.* Huius ita meminit Guillelmus Brito in præfatione Philippidos:

Gesta Ducis Macedûm celebri describere versu
Si licuit Galtere tibi, quæ sola relatu
Multiuago docuit te vociferatio famæ.

Hunc perperam cum Galtero Magalonensi episcopo confundit Guilelmus Eysengreinius; cùm Ioannes Trithemius disiunxerit, & diuersis temporibus assignauerit.

E veteri Hangouartiorum familia prodijt Walerandus; quem Insula Decanum S. Petri, Duacum S. Amati Præpositum, & primum Vniuersitatis Cancellarium, Bethunia S. Bartholomæi Præpositum vidit; quem Carolus V. Imperator, filius eius Hispaniæ rex Philippus, (his enim ab eleemosynis fuit) aliique summi viri, nunc de rebus Theologicis acutè disputantem, nunc sacras prophanásque leges explicantem, nunc Mathematicas difficultates enodantem (tot enim præditus erat facultatibus) libentissimè audierunt. Non displicebit, opinor, si quæ olim Antonius Meietus Magni Iacobi nepos, & Atrebatensis Ludimagister doctissimus de ipso cecinit, ob oculos ponam. Hi enim eius Hendecasyllabi non minùs elegantes, quàm libenter Walerandi memoriæ consecrati. VVALERANDVS HANGOVARTIVS.

B

Hic est nobilis Hangoartus ille
Frater Præsidis Atrebatiorum:
Qui sacra columen refulsit æde,
Curiam velut ille Principalem
Ornauit. Bonus vsus est vtroque
Princeps Carolus; vt sacris præesset
Alter muneribus pius sacerdos;



C
In ciuilibus alter, atque Iure
Reddendo, foret alter Imperator.
Germanos, Italos, suósque Iberos
Algerámque petens inhospitalem
Cæsar iussit adesse Vallèrandum,
Cui non absque labore semper hæsit,
Algeræ quoque maximo periclo,
Vix vt naufragus enatârit vndis.



Natales memorare Vallerandi
Claros & veteres nihil necesse:
Doctrinam, rogitàs, an vllam adeptus?
D
Legum propria cùm foret facultas,
Omnes Theologum pereruditum
Mirari, vt nihil in sacris lateret.
Quin his addiderat Mathesim: vtque
Paucis omnia, prorsus absolutum
Doctrinæ sibi compararat orbem.
Quàm libris studijsque sedicaris,



Testis bibliotheca hero superstes,
Exquisita, perelegans, referta.
Vir tali ingenio peritiáque
Collectâ simul & libris, & vsu,

Non mirabere, ſi putatus idem A
Prudentiſsimus omnium fuiſſe.
Hinc, cùm regia nuper eſt Duaci
Grandi mole Academia inſtituta,
Cauſa lectus honoris vnus hic eſt,
Rector primus vt eſſet, atque primus
Cancellarius Vniuerſitatis.
Sic aulæ placuit, Senatuíque
Vir prudens ita ſe probauit, vt nec
Poſt Auguſti obitum ſit impetrata
Tandem miſsio, rege poſtulante, vt
Seruiret ſibi dignitate eadem. B
Non ſolùm benè collocauit autem
Regum munera: de ſuo benignus
Deuinxit meritis domi foriſque
Supplices miſeratus vniuerſos,
In primis patriæ fauens, & his qui
Muſas, & ſacra Apollinis colebant.
Quæ virtus adeò ſeuera, qui vir
Continens adeò, quis eſt ſacerdos,
Qui ſi creſcere liberalitate
Regis poſsit, habere plus recuſet!
Numum millia bis decem quotannis, C
Vt Cambronius Abba Vallerandus
Liberè fieret, parum mouebant:
Contempſit reditus, ſimúlque honorem.
Non aſſumere cura, non lucrari,
Dandi maior erat. Dedit ſuperſtes
Quantum res ſineret, domúſque alenda.
Omnem mox remoram benignitatis
Excuſsit moriturus; vſque fundum
Hauſit tunc loculos gregi indigenti.
Paupertas erit Inſulana diues
Legato, quoad oppidum manebit. D
Ter ſeni capiunt ſenes in æde
Petri ritè priùs Deum precati,
Quantum corporibus ſat eſt habendis.
Bis deni pueri indolis probatæ
Arte in Grammatica & ſcholis aluntur.
His Lanoïus additus Magiſter
Noui Gymnaſiarcha ſeminarî
Id lecti pueri, ſenéſque lecti
Vitæ præſidium ferunt, ferúntque
Sancti munificentiâ Decani.

Qui

A *Qui vestigia persequens auita,*
Maior diuitijs honoribúsque,
Exemplis quoque maior Aulicorum,
Virtutem tenuit, nec abdicatus
A virtute fuit; comes profecta est.
Haudquaquam sine veste nuptiali
Ad conuiuia, nuptiásque magnas
Inuitatus abiuit Hangouarius.
Lector si decus, innocentiámque
B *Consectaris, habes quod æmulere.*

P. IOANNES GHERI.

P. Ioannes Gheri inter D. Francisci asseclas minimè vulgaris, eam Theologiæ, & Philosophiæ, aliarúmque homine libero dignarum artium cognitionē adeptus est, quæ præclarum ei nomen peperit. Cùm Parisiis fuisset vltimam sacri studij lauream consecutus, per diem integrum de quauis scientia propositas theses egregiè defendit. Ad eam doctrinæ varietatem melius explicandam, insignem quoque dicendi artem comparauit; adeoque inter concionandum eloquentia valuit, vt paucos in eo genere pares habuerit, magnúmque ardorem patefecit hæreses palàm è pulpito refellendi, cùm vltimis Belgium ciuilibus motibus quateretur.

F. ÆGIDIVS FROIDVRE.

Ægidius Froidurus inter Phanopinenses Ascetas variâ sese imbuit rerum cognitione. Ab sacris prophanísque historicis conscripta ferè omnia felici sepserat memoria: Arithmeticæ leges, astrorum cursus, aspectúsque, Geometricas dimensiones, ad
C modum callebat. versus elegantes pangere didicerat. Sed quamuis multa libris man-
An. 1598. dasset, nulla tamen ratione, vt in lucem ederet, adduci vnquam potuit. Hominem exuit Insulæ dum Nosocomio D. Virginis præesset.

P. ELEVTHERIVS DV PONT.

Admissus in Iesu Societatem P. Eleutherius Pontanus non minùs insignem se rerum diuinarum scientia, medendi morbis cognitione, scribendorum poëmatum arte, Grammatices Latinè peritia; quàm præclaris virtutibus, pertrahendorum ad veri cultum numinis mortalium feruore, variáque eiusdem Societatis Collegia Bibonæ in Sicilia, Turnone in Gallia, Cameraci, Tornaci, Atrebati in Belgio moderandi sapientia præstitit. In historia iam laudatæ Societatis præclara sanè de virtutibus eius exstant testimonia. Dum nouum Bibonæ Collegium Rector administraret, hoc contigisse memorat Nicolaus Orlandinus: *Cùm enim biduum ac duas noctes parturiens femina frustra leuamentis humanæ artis adhibitis, grauissimè torqueretur, ad Eleutherium, vt semper faciebant, Bibonenses accedunt: eóque negante sibi vel medendi scientiam, vel edendi miracula vim inesse, nunquam precando absistere, quoad Pater partim perseuerantia fatigatus, partim eorum fide confisus, edicta domesticis precatione, tradidit eis aquæ vasculum consecratæ, iu sis in fronte, pectore, vteróque laborantis crucem illa*
D *formare. quod cum fecissent, subinde incolumi parente ac prole facillimus consecutus est partus.* Subdit postea, vt hominis admodum sese demittentis virtutem agnoscas: *Rector Eleutherius pueros classis infimæ prima rudimenta docebat.* Apud Franciscum Sacchinum eandem stilo prosequentem historiam, & Turnonensis initia Collegij explicantem, hæc leguntur: *Idcircò vocatus Apamijs Edmundus Augerius, & Romà missi sex lecti sacerdotes, & aliquot laici vnà cum Eleutherio Pontano, qui Parisijs Magister, Romæ Doctor creatus, Philosophiæ & Theologiæ sciens, optimi vir exempli, Rector destinatus erat.* Quid vero postmodum insigni suo labore perfecerit Eleutherius, dum Cameracensi Collegio præesset in Belgio, idem sic enarrat: *At Eleutherius Pontanus Cameracensis Collegij Rector, nobile Castrum, cui Cameracensium nomen est, non magni tempore longè præclariùs immutauit. Id Castrum Galliæ finitimum ob frequentia bella, & vndique confluentes hæreticos, non contaminatum modò erroribus, sed efferatum etiam præter modum erat: adeò vt hæreticu audacia numeróque pollerent, nec qui Catholicorum supererant, prodere se auderent, neque Archiepiscopus eò*

Tom. 2. lib. 16.

Tom. 2. lib. 5.

Tom. 2. l. 8.

sibi tutum fore accessum putaret, Is tamen pro ingenti studio sui explendi muneris, cum ei quoque sui ouilis tam affecto consulere gregi vellet, Eleutherium misit, qui feras prauasque hominum mentes Catholicæ lenitate ac norma doctrinæ mitigaret, ac regeret. Pontanus in Monasterio Benedictinorum diuersans, diuersoribus in primis suis, cum id sciret ad plurimorum mox vtilitates manaturum, & hospitij gratia postularet, laborum suorum dedicat partem. Vt erant secundorum Dei bonæ mentes, ac studiosæ profectus, per exercitationem spiritus, per priuatos congressus, per homilias publicas, longe plurimum ad sanctitatem processere. & post aliqua: *Nequaquam euentu dissimili cum populo actum est. Turbæ, quibus dies ac noctes omnia miscebantur, sublatæ. Seditiosorum ita compressa insolentia, vt vix tam publico vterentur, & in conspectum reliquorum venirent, qui intolerant sibi è modò se iactantes neminem vsquam pacatum sinebant consistere. Amplius centum ad religionem reuocati Orthodoxam; veterum Catholicorum erectus animus, denique mitigata vulgò barbaries feraque mores mansuefacti.* Quę deinceps idem Pater varijs in locis perfecit, haud minorem sanè laudem merentur: horum tamen aliquid modò exponere, pro instituti mei ratione necessarium minime arbitror. Id duntaxat subiicio, insigni cum spiritus discernendi peritia valuisse diuinitus: tam in alios benignum ac lenem, quàm in se rigidum asperúmque fuisse: adeò corporis edomandi studio flagrasse, vt id frequentissimè funiculis diuerberaret, grauique cilicio comprimeret, ac interdum ea se nodosa & pungenti lorica per integrū anni spatium affligeret continenter: egenorum, ac præsertim publicis in custodijs attentorum, & in Nosocomiis iacentium consortia iucundè complexum, atque adiuuandis tum spiritus, tum corporis subsidia diligenter impertitum: ea floruisse animi depressione, vt, opprimendis aliorum tentationibus, eas frequenter patefaceret, quas olim spiritus corporisque pugnas fuerat perpessus grauissimas: cum morbo vrgente felicem Atrebati spiritum emitteret, apud Artesiorum Prouinciæ Præsidem Rainutium Francium, Vedastinum Antistitem Philippum Caucrellium, aliósque principes ciuitatis eius homines magnum sui desiderium simul reliquisse, & non vulgarem peperisse sanctitatis opinionem: vt periucundum iis fuerit extremis eius verbis erigi, & aliquod animæ corporísque præsidium impetrare.

IOANNES MOLANVS. *Aubert. Mir. in elog. Belg. Henric. Kuyck. in Præfat. ad Diar. Medic.*

Ioanni Molano, quem Insulæ natum sua Louanienses ciuitate, ob ingentia merita, donauerunt, insignis obuenit, propter indeptam Theologici Doctoratus lauream, & præclaram historiæ sacræ cognitionem, famigeratio. De rebus diuinis Louanij prę sertim disseruit. Multum temporis & laboris absumpsit, dum varias Canonicorum & Monachorum bibliothecas perlustraret, chartásque archiuorum excuteret, haurienda sacrorum monumentorum multiplici peritia. Profecta sunt inde plurima, quæ partim ipse prælo subiecit, partim mors suppressit. De Sanctorum Belgij Natalibus liber, ad Martyrologium Vsuardi additiones Notæque, Sanctorum Medicorum Diarium, Sacra Ducum Brabantiæ Militia, de Sacris Imaginibus, & Canonicis libelli, lucem aspiciunt, cunctis gratissimi paratus eius Illustres ad Martyrologium Romanum Annotationes, Vrbis Louaniensis Descriptio & Historia, Theologicæ opus Bibliothecæ, cupida exspectantium vota sunt frustrata, dum labores eius interrupit mortis importunitas. Noluit è vita priùs discedere, quàm ex tenui, quod supererat, peculio, ita testamentum conderet, vt annuos trecentos florenos caperent in perpetuum studiosi aliquot ad pastoralem se curam animorum sacris litteris & sapientia imbuentes. Dum laudes eius in ea prosequitur epistola Henricus Cuickius, quam Medicorum Diario præfixit, multa sanè, eáque permagna commemorat, quibus abundè hominis sanctitas & præstantia cognoscantur. vtque scrupulum quibusdam eximat, qui Louaniensem potiùs, quàm Insulensem fuisse existimant, hinc initia laudum eius deducit: *Vir erat optima indole, & optimis procreatus parentibus, Schoonhouiano altero, altera Louaniensi: sed in Insulensi nobili emporio (quò discendi idiomatis Gallici gratia concesserant parentes) in hanc lucem effusus.* Apud Aubertum Miræum hoc eius epitaphium legitur.

Mol. epitaphium.

Nulla meum condent Lethæa obliuia nomen,
Clarus & à sera posteritate colar.

A *[illegible] Diui, quorum pia facta tenebris*
Eripui, calamo restituique meo.
Forsan & aetherea praeconem sede locabunt
Numina ero sacri pársque aliquando chori.

Ioannem Cuuillonium honestis & opulentis ortum parentibus, ad Philosophicas & Theologicas quaestiones explicandas idoneum sanè finxit natura. Quo factum est equidem, vbi se Societatis Iesu Religiosis adiunxit, vt in Lusitania Conimbricae, in Italia Romae, in Germania Ingolstadij fauorem secundę multum collegerit, dum eas disciplinas maxima cum laude profiteretur. Cùm eius mentionem facit in historia eiusdem Societatis Nicolaus Orlandinus, ita primum scribit dum Belgica [illegible] *Ioannes Cuuillonius Insulanus, vir & ipse pereruditus, & Graeci sermonis* [illegible]. Haec alibi postmodum litteris mandat, cùm res Ingolstadienses explicat: *In Academiam [illegible] ad docendum admissi Ioannes Couillonius, & Hermannus Tiraeus, ille Psalmos Dauidis, hic quartum Sententiarum Librum explicare aggressi, scholas etiam [illegible], Principis iussu continuarunt. Statimque non solum [illegible] praestantia, sed etiam inducta acriter disputandi consuetudine, [illegible] frigus & languor solet obtundere, vtilitates Academiae* [illegible]. Neque vero idem auctor, & Franciscus Sacchinus, qui alterum historiae Societatis Iesu tomum edidit, silentio praetereunt, tanti doctrinam huius viri [illegible] Dux Albertus cùm ad Generale Concilium legauit Tridentinum, [illegible] suum oratorem & Theologum esse iussit. Aptius reor nihil ad [illegible] & ingenium Ioannis pernoscendum, quàm quod ei mortuo Academia Ingolstadiensis elogium his verbis posuit. Lib. 4. n. 1. Lib. 16. Lib. 4. Lib. 6.

B *[illegible] Iesu, Sacrosanctae Theologiae Doctor, natus Insulis, nobili [illegible] & [illegible] ingeniorum matre. Vnus ex primis Societatis Patribus fuit, [illegible]. Multa illi laus ex diligentia, ex doctrina, ex [illegible], quod qui alijs fuit maximus, & primus, vltimus semper sibi [illegible], & [illegible] summa simplicitate summè prudens. Nihil in vita quaerebat magis, quàm [illegible] pacem a turbis mundi. Emissus tamen a suis, & quasi [illegible] Italiae, Lusitaniae, Flandriae, cum fructu magno plurimorum. Nec [illegible] ac laude in Concilio Tridentino fuit Serenissimi Ducis Bauariae legatus. Tandem [illegible] Romae cùm è Paenitentiarijs, qui ad D. Petri obeunt Summi Pontificis [illegible], vnus censeretur. Tam scite conscientias hominum [illegible] peccator dixerit; Malle se lancinari a Couillonio, quàm [illegible]* [illegible] in Catalogo Scriptorum Societatis P. Petrus Ribadeneira, è laboribus [illegible] in epistolam priorem D. Pauli ad Corinthios, & in Psalmos [illegible] memoriae consecrauit.

C Nihilo [illegible] vtroque studio, & vitae sinceritate, ac submissione animi, Maximilianus a Capella, qui parentes habuit Insulae honestis ortos familijs. [illegible] Philosophia, cùm se diuinitus ad Societatem Iesu cum municipe suo [illegible], diu certe pugnauit; at mirabili quodam modò ab numine quo nolebat, pertractus est denique. Quod vtrumque si P. Nicolai Orlandini verbis [illegible], non erit, vt arbitror, pio lectori fastidiosum. Sic igitur ille [illegible] Societatis Iesu contexens, vocationem eius ad Christi [illegible]. *[illegible] non cum [illegible], sed secum ipse is, quem modò dixi, Maximilianus [illegible] ad Dei [illegible]. Qui natus annos vndeuiginti, cùm ad expiandum [illegible] apud [illegible] Stradae concionibus esset inductus, inclinare sensim [illegible]. Sed [illegible] mentis inclinationem propensionemque temerè suspicatus ex leuitate [illegible], quàm ex diuino instinctu profectam, pro nihilo habendam duxit. Com[illegible] cum adiunctis sibi recentibus copijs Lusitanae peregrinationis [illegible], tum eadem Maximiliano cogitatio recurrit: inquirénsque secum ipse, & [illegible], profecturis necne comitem se adiungeret, ne tùm quidem diuinae voci [illegible] praebuit. Manendum cum suis statuebat magis, quàm peregrinandum cum alienis. [illegible] mentem haud mediocriter confirmauerat auditus concionator in primis nobilis,* Tom. 1. l. 4.

D

P. IOANNES CVVILLON.

P. MAXIMILIANVS DE LA CHAPELLE.

 qui

qui leuitatem hominum accusabat, quòd ad vnius adolescentis vocem (Stradam autem describebat) tanta exspectatione concurrerent. Placuit tamen officij causa postremam dicere Fabro salutem. Quem cùm ad Cornelijfores offendisset, Faber eius salutationem anteuertens, Númne & tu, inquit, Maximiliane, nobiscum? Ad quam ille vocem tanquam è cælo missam & humana augustiorem, sine cunctatione respondit, Volo & ego vobiscum, Pater. Altè quippe vox Fabri animum adolescentis intrarat, & præcordia tota commouerat, vt obluctari nulla ratione iam posset, qui diuturna secum luctatione pugnarat: id quod ipse posteà mira cum laude Fabri, & diuinæ admiratione clementiæ, suum stuporem accusans animique duritiam, prædicare consueuit. Tum Faber: Ascende igitur & tu cœnaculum, vbi Strada sarcinas colligit. Ascendit ille, quò iubebatur, & duodeuiginti reperit eiusdem mentis lectissimos iuuenes, quibus aggregatus & ipse domum redire pertæsus, amico tradidit cubiculi clauem, qui supellectilem domesticam custodiret, & ad parentes mitteret. A

Igitur Maximilianus in Lusitaniam & Hispaniam profectus, disputantes diuinis de rebus doctores audijt: adeóque cælesti doctrina mẽtem imbuit, vt etiam posteà Doctor ipse sacras de fidei dogmatibus quæstiones eruditissimè tractauerit tũ alibi, tum Duaci. Enarrat Orlandinus, quanta is patientia insignem cùm Socijs paupertatem B tolerauerit Salmanticæ, cùm illic initia Collegij Societatis struerentur: ac recenter inchoato Methymnæ Gymnasio, & dialecticam simul, & de Christiani hominis officio propositiones quanto cum fructu explicuerit publicè. Primum hunc posteà Rectorem habuit dictæ Societatis Collegium Duacense; ac deinceps diu diuinas res tractantem eiusdem vrbis Academici iuuenes audire: sempérque pauperes illic vt parentem ac munificum fautorem suum coluerunt. Inerat scilicet huic viro & profunda sui demissio, & mirus in egenos pietatis affectus, ac misericordiæ: vt nunquam exporrectiori fronte videretur, quàm cùm inter abiectos homines ac indigos versaretur, & aliqua ipsis subsidia impetraret. Dum etiamnum Religionis tyrocinium in Hispania poneret, ac theologicis cuiusdam ex altera religiosa familia magni nominis viri lectionibus operam daret: vix domum è publico gymnasio repetebat, cùm parandi in culina opsonij munus sustinere cogeretur, vel propter Sociorum in- C frequentiam, vel subigendi animi gratia. Euenítque interdum, vt angustijs temporis pressus, cùm rapas aliáque id genus, antequam publicam exedram ingrederetur, pretio per viam coëmisset, ac in vestis lacinias collegisset, dum nihil de ijs inter scribendum cogitat, laxato fortè sinu, partem ipsorum effuderit, ac risum tam Magistro, quàm condiscipulis mouerit: ipse interim summa cùm animi voluptate, & rapas è tabulato recollegerit, & hanc irrisionem pertulerit. Nihílque tunc, vel aliàs (frequenter enim hoc accidit) præceptoris vel sannæ, vt Societatem desereret, vel illecebræ, vt ipsius institutum arriperet, apud constantem primi propositi iuuenem effecere. Vix etiam leuissimè animum eius pupugit impatientia, cùm multos iam menses sacerdotij ordine initiatus, quamuis confessionibus excipiendis aures præberet, nondum tamen ad aras primùm operari permitteretur: tantúmque cum insigni modestia, vt tandem aliquandò faceret, superiorem conuenit; ac tum veluti superbiæ reprehensus, mirabili se patientia obuoluit. Nihil paullò grauius vel priuatim, vel publicè accidebat, cuius ipse causam in se non susciperet, ac mox suis D cum magno animi sensu peccatis non adscriberet.

Lib. 8.
Lib. 11.

Nunc verò vt aliquid aliis de liberis Insulæ proferamus, etiam ad hanc vrbem natales suos reuocauit Ioannes Couroublius, quem suprema Theologici studij laurea donatum excipiendis aulæ suæ confessionibus in Germania Cæsar admouit, & Insulensis D. Petri Ecclesia Thesaurarium venerata est.

IOANNES COVROVBLI.

Duas in se sociauit res Petrus Oudegherstius, vnde laudis plurimum etiam apud exteros comparauit. Legum scientiam sic adeptus est, vt earum Doctor renuntiatus, maximam ad res ciuiles gerendas, & litium difficultates explicandas prudentiam acquisiuerit. Quia tamen fori strepitus, & litigiosæ disputationes multum animo tetricitatis & molestiç afferunt: ad leuandum mentis pondus, & conciliandam prudentiæ partem alteram, plurimus ad historiæ lectionem incubuit. Igitur inde factum denique est, vt postquàm libros veteres perlegisset, ac Principum diplomata excussisset,

PETRVS OVDEGHERSTIVS.

elegantem

A elegantem Flandriæ historiam idiomate Gallico scripserit.

Ad similem Iuris & historiæ studium raptus est vehementer Guilelmus Hangouartius Walerandi frater: eoque iam perculsus, cùm ad res maximas suscipiendas peragendásque feliciter, idoneus videretur; Imperator Carolus Quintus ipsum supremi Artesiæ Senatus caput constituit; multásque pro se iussit obire legationes, quibus ex animi sententia confectis, non modicum sibi nomen, laudémque peperit. Agebatur Christi annus post millesimum & quingentesimum sextus & quadragesimus, dum is morbo extinctus grauissimum inuictissimo Cæsari patriæque dolorem attulit. Non erit abs re hîc adscribere quod epitaphium ei panxit Iacobus Meierus, quoniam id breuiter laudes eius complectitur. — GVILIELMVS HANGOVART.

Ille optimus ciuis, Senator optimus
Guillelmus Hangouartus hoc situs loco est,
Commune sortitus sepulchrum cum suis.
B *Ætate firma Præses Atrebatibus*
A Cæsare Augusto datus secundus à
Primo, sed æstimare si merita velis,
Nulli secundus. Rebus in grauissimis
Exercitatus, optimè prouinciam
Summáque cum laude administrauit suam:
Quem Cæsar ob prudentiam, summam & fidem
Frequenter adiunctum viris primarijs
Euntis ordinem sibi adesse iussit publicè:
Eoque disceptante nunc inducias,
Nunc fœdera, atque pactiones ceteras
C *Post bella sanciebat ex sententia.*
Senex fatigatus labore publico,
Animam Deo, terra cadauer, posteris
Famam perennem, heredibus peculium,
Virtutis exemplum reliquit omnibus.

Hoc aliud adiungo ab I. D. Noortwickano toparcha compositum.

Pauperis hîc recubat turbæ Guilelmus asylum,
Præside quo Atrebatum terra beata fuit.
Floruit hoc felix Artesia Præside: eodem
Hangouartia fuit clarâ nepote domus.
Cùm Cæsar meritum titulo donaret equestri,
D *Contentus solo Præsidis ille fuit.*
Eius ab exemplo fastus piè lector inanes
Sperne, & disce prius, quàm moriare, mori.

Eandem in studijs tramitem secutus est Rogerus Hangouartius Guilelmi frater, adeptúsque insigni Iuris prudentia varios consecutus est magistratus. In laudem eius hæc litteris mandauit, qui fratris eius Præsidis facta funebri prosecutus est oratione: — ROGERVS HANGOVART.
Rogerus Hangouart Imperatoris Caroli Consiliarius, & ipsius Rationum Insulæ Præfectus, [illegible] antea temporis spatio eidem ciuitati à consilijs, & Pensionarius primus ordinarius [illegible] perpetuam solertem operam, magnúmque impenderat laborem, & publicis negotijs [illegible] lucem attulerat: additis Indicibus, Annotamentis, & Promptuario [illegible] legum municipalium, statutorum, titulorum, priuilegiorum & schedarum Vrbis, quæ omnia collegit, & redegit in Ordinem, completis septemdecim libris, quorum singuli distinguuntur littera capitali ex Alphabeto desumpta, asseruantúrque in publica ciuium

domo, ad conseruationem & enucleationem Iurium, tum vt sequentibus annis gerendi Magistratus prouinciam minùs molestam redderet; tum vt patriæ, qua nihil charius habebat, sarta tecta manerent sua Iura. Homo cum Iuris scripti & consuetudinarij, tum litterarum, & disciplinarum omnium peritissimus, æquitatis, fidei, humanitatis perquàm studiosus, omniúmque bonorum gratia & beneuolentia florens. Hoc de viro pereleganter istud epitaphium è litteratissimis Belgij alumnis quidam cecinit. A

Quid magnis placuisse iuuat? gessisse quid ampla
Munera? & ingenij nomen inane mei?
Cæsareos quondam reditus numerare solebam:
Nunc numerant artus terrea monstra meos.
Nunc benè vix parua Rogerij nomen in vrna,
Cernitur, in magnis qui modò magnus erat.

VValerandus Landas. Petrus Hespel. Et placuit magnopere Walerando Landasio, ac Petro Hespelio, quibus Insula solum natale fuit, in Iuris Oceanum sese profundiùs immergere; adeóque ipsi feliciter ex eo post multos labores emersere, vt apud Atrebates in supremo Artesiæ Senatu Consiliariorum numero fuerint cum laude tandem inserti. B

Nicolaus de le Lys. Cùm idem Iuris curriculum insigni ardore corripuisset, Nicolaus de le Lys, quem Insulenses ciuem suum agnoscunt: haud destitit priùs is progredi, quam vltimam assecutus metam, Doctor renuntiatus est. Eam ob rem Duacenses impetrata secundum ciuitatis Consiliarium legendi facultate, hunc in primis eo decorarunt officio.

Dionysius Guillebert. Neque verò parum in hoc studio profecerat Dionysius Guillebertus, qui compluribus annis Insulensi fuit vrbi à Consilijs; eóque perfunctus est officio magna cum prudentiæ & doctrinæ fama difficillimis Belgicorum tumultuum temporibus.

VValerandus Mirouls. Et magnum Walerando Miroulio nomen comparauit eadem Iuris prudentia, quem multos per annos Insula vidit ab omnis generis hominibus frequentari, quòd sapientissimus & integerrimus causarum patronus haberetur. C

Franciscus de la Rue. Medendi corporum morbis artem egregiè calluit Franciscus Ruëus, eáque sibi non vulgarem apud multos famam contraxit. Et valuit ad laudem eius maximam id opusculum, quod de gemmis à D. Ioanne in Apocalypsi memoratis edidit. Magni hoc Franciscus Valesius æstimasse videatur, cùm diuinæ, quam composuit, Philosophiæ adiunxerit. Et Paschasius Francisci apud Phanopinenses Canonicus Regularis mirificè laudauit eã, quam scripsit ad ipsum, epistola, vbi de gemmarum Hebraicis nominibus ac viribus disserit fusè doctéque. Ruëi libris eam subiecit Valesius.

Ioannes du Bois. Ad eandem opitulandi corporibus ægris scientiam multum laboris ac studij contulit Ioannes Siluius: magnóque eam plausu Duaci explicuit, cùm Philippi Catholici Regis voluntate primas eius Academiæ lectiones cum Adriano Rhodio, & Nicolao Mercatelio auspicatus est. Placet plurimùm eius elucubratio, qua modum iis præscripsit tuendæ sanitatis, qui plurimam litteris dant operam, & parum corporis exercitationibus nauant. D

Matthias de Lobel. Ab eodem studio minimè fuit alienus Matthias Lobelius, qui multum laborem impendit, vt herbarum quarumlibet naturam virésque scrutaretur, & quæ deprehenderat, libris à se vulgandis committeret.

Alexander le Blanc. Alexandrum Meurcinij toparcham ad eruendas & discutiendas patriæ antiquitates cupidus variarum rerum cognitionis animus incendit ac perpulit. Et sanè vix eo quisquam diligentior in eo genere fuit, plúsque monumentorum Belgij veterum collegit. quo quidem labore apud multos insignem iniuit gratiam.

Franciscus Hamus. Franciscus Hemus sacerdos Poëtices artem excoluit diligenter, ac non paucis eleganter concinnatis poëmatibus inclaruit. Inter alia sacros Hymnos, & variorum carminũ Siluam edidit. Parauerat in Virgilium & Horatium, Ouidij libros de Ponto & Tristibus, Hieronymi Vidæ Christiada, Hymnos & Bombyces, minimè contemnenda Scholia. Verùm priusquàm ea prælo committeret, viuis ereptus est Atrebati.

Et

A Et propensum ad poëticam dulcedinem auidius hauriendam Hieronymum Mortierum Insulæ progenitum natura reddidit. adeoque feliciter is operam Musis impendit, vt nonnulli, quos satis elegantes condidit, chalcographiç beneficio in manus hominum libri venerint. De versibus eius quibusdam, quos de victoria per Comitē Egmundanum ad Grauelingam obtenta cecinerat, Augerij Ghiselini Busbecquæ domini, grauissimique ac eruditissimi hominis, insigne protius est hoc testimonium: *Legi tuos versus, doctissime du Mortier, quibus nescio an hi [illegible] nescio an scitius nostri rem gesserint, an tu gestam scripseris. Multum tibi certe debent [illegible] laudes tam præclare per te celebrantur: multum posteritas, ad quam id quod [illegible], veluti in tabula spectandum transmittis. Sed nec nos minimum debemus, quos tuarum lucubrationum participes facis. Tu tantum perge, & Musas tam tibi faciles, & propitias omni studio venerare, & cole.* Quòd ei scripsit epitaphium Ferdinandus de Maubus Schoondorpij toparcha, ex Sorore Pronepos, ita S. Mauritij templum repræsentat.

HIERONYMVS DV MORTIER.

B
Du Mortier iacet hic, Musis gratissimus olim,
Clarus & antiqua nobilitate patrum.
Cui coniux enixa prior decemque, quaterque est.
Altera sed sterili visa cubare toro.
Hic, vt lustra decem, totidemque expleuerat annos,
Dignus perpetuo viuere, peste obijt.
Si tamen is moritur, cuius mellita leguntur
Carmina; quique volat docta per ora virum.

Hieronymo par tempore studióque fuit Hippolytus Petipas Gamantius dynasta, è veteri claráque ortus Insulæ familia. Cum is à teneris vnguiculis operam litteris dedisset, miro quodam impetu ad vinciendas poeticis res numeris ferebatur. Et C sanè perquàm elegantia is panxit poemata, cum paullò maturior ætas scribendis idoneum libris reddidisset: quæ tametsi nondum lucem viderint, ea tamen apud cognominem eius nepotem, quem Gamantia toparcham suum, Insulanum agnoscit Papinianum, sic asseruantur, vt aliquando typis mandata in doctorum manus hominum veniant. Ad eum dum scriberet Hieronymus à nobis antea memoratus hæc inter alia cecinit:

HIPPOLYTVS PETIPAS.

Hippolyte infaustas non fastidite Camœnas
Dum legis hæc, cœptum siste parumper opus.
Gratulor Aonidum, quas suspicis, artibus, & te
Affinem studijs lætor habere meis:
Quódque mihi tecum, tibi sint communia mecum
Gaudia, quæ vates præbet Apollo suis.
Hęc neque vi sublata, mala nec fraude peribunt,
In bona non quisquam liuidus ista venit.

D Et post aliqua.

Nam tibi candor inest, tua certa ornare voluntas,
Et mea censura scripta iuuare tua.
Vtque velis, Vatum contemnere vota piorum
Non potes; asperitas, nec tibi fastus adest.
Liuor edax nigros dudum migrauit ad Indos:
Hoc à te vitium scimus abesse procul.
Tradidit ingenium mitis natura benignum,
Nascentem excepit Calliopeia sinu.
Nimirum Hippolyti Phędram fugientis amantem

Ad sacra Pieridum castus abiuit amor. A
Inuocat Hippolytus Diuas Helicona colentes,
Comis ad Hippolytum Musa vocata venit.

Ac nonnullis interiectis:

Dicitur Hippolytus de nomine, Cultor equorum,
Reuera culti nomina vatis habet.
Scimus enim, nostras quoties amplecteris artes,
Quàm sit ab ingenio Musa diserta tuo.
Carmine cum priscis Latio certare Poëtis,
Et potes in varios flectere verba modos.

ADRIANVS ROVLLERS. Ad colendas etiam Musas multum laboris caloríque Adrianus Roullerius Insulæ natus attulit. Ac non pœnitendum ex eo fructum studio fecisse nonnulla, quæ lucem videre, ostendunt carmina, eáque in primis tragœdia, quam grauissimo versu composuit, & Mariam Stuartiam, sumpto ab eius Reginæ Scotorum cæde, argumento, nuncupauit. B

IOANNES SAVVAGE. Qui suos apud Principes præter Guilelmum & Walerandum Hangouartios in flagrantissima fuerint gratia, ideóque præclaris donati sint officiis, quosdam alios inuenio. Primum in his obtineat locum Ioannes Sauuagius, quem inter Insulenses recenset Iacobus Marchantius. *Lib. 1. Fland.* Is enim propter excellentis ingenij præstantiam, & singularem prudentiam, Aulæ Burgundicæ Cancellarius est renuntiatus, eóque munere tamdiu floruit, donec anno Christi 1507. in Hispania morbo vitam perderet.

BARTHOLOMAVS A LE TRVYE. *Epitaph. eius.* Apud Burgundiæ Duces non leuem quoque gratiam assecutus est Bartholomæus A le Truye. Is enim cùm viuentibus Philippo Audace, & Ioanne Intrepido Rationum Magister & Consiliarius Insulæ fuisset, ab Philippo Ioannis filio etiam Bruxellensibus, Hollandicis, Zelandicis, & Frisianis Rationibus est præfectus. C

GVILELMVS DOMESSENT. *Epitaph. eius.* Guilelmus Domessent postquam Philippo Bono, eiúsque filio Carolo diu fuisset à Secretis, annis duobus & quadraginta Præses ac Magister Rationum principalium Insulæ claruit.

IOANNES ABONNEL. *Epitaph. eius.* Ioannes Abonnelius Bono Burgundiæ duci adeò fuit acceptus, vt per omnes subditas ipsi prouincias fisci Quæsturam administrauerit.

IOANNES PETIPAS. Neque paruum apud Bonum eiusque filium Carolum Ioannes Petipas locum assecutus est. Bono enim is à Consiliis fuit, Carolo etiam à Secretis. M. Ioannes Herren quondam Notarius in Regestis suis huius ita meminit: *Anno 1462. Venerabilis & circumspectius vir Magister Ioannes Petipas Licentiatus in Legibus, Consiliarius Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ, Parochianus S. Stephani Insulensis &c.* *Lib. 17.* Apud Iacobum Meierum turbas initio Principatus Caroli à Gandensibus concitatas memorantem de eodem hæc reperio: *Ludouicus autem Gruthusius, Simon Lalanus, Theodoricus Halewinus supremus Prætor Flandriæ, Ioannes Petitpas Scriba Ducis, & Petrus Bauwins, pacificatores Gandauum venerant. In hos apud Dominicanos consultantes plebs impetum fecit, Ioannem van Pouke Quæstorem, Petrum Reys supremum Decanum, & Petrum Huerbloc senatorem conati interficere.* AN. 1467. D

IOANNES RVFFAVLT. Aliquamdiu post hunc Ioannes Ruffaldus eum adeptus est locum apud Imperatorem Carolum eius nominis Quintum, vt quidlibet posset: ac non modò sibi, verùm etiam liberis omnia impetraret liberalissimè. Igitur & consiliis eius admotus ipse fuit, & supremus Principalis pecuniæ Quæstor exstitit: Hieronymum è filiis vnum primò Gerardimonte S. Adriani, deinde S. Vedasti apud Atrebates, vt diximus, antistitem fecit: Guidonem alterum è liberis D. Bartholomæi Præpositum Bethuniæ, Tornaci & Insulæ Canonicum vidit: Ioannem tertium plurimis iísque pinguissimis ditionibus cumulauit: filias aliquot in matrimonium nobilibus & opulentis hominibus tradidit.

A Non abfuit procul à Ioanne Guilelmus le Blanc Houchinij & Meurcinij aliorumque pagorum Dominus, quem etiam fisco suo Carolus Quintus Cæsar præfecit. Quod munus dum per annos triginta Principi suo charissimus, administrat fideliter, & liberaliter, *Maximis honoribus enituit, deique beneficio quidquid egregium in homine laudis dici potest, illi fuit oblatum, & ob eximium in Principes suos amorem optimi ciuis nomen adeptus est*, quemadmodum eius epitaphium in S. Mauritij templo positum repræsentat. GVILELMVS LE BLANC.

Non videbitur, vt opinor, à proposita mihi scribendi ratione alienum, si caput hoc duorum è Societate Iesu sacerdotum memoratione concludam, qui profectò insigni propagandæ Religionis Catholicæ studio ardentes, Oceani se fluctibus commisere, vt Indiam vtrámque longo ac difficili cursu peterent, ibíque nomen Insulense susceptis pro Christo laboribus magnis memoriæ consecrarent. Horum prior fuit P. Ioannes à Vinea, qui tametsi non admodum esset firma valetudine, ingenti tamen animo eam aggressus est nauigationem: omninóque feruentem se circa Orientalium Indorum ad Christum conuersionem, cultúmque præbuisset; nisi iam indica regna propiùs aspicientem immatura morte nauis morbíque oppressissent incommoda. Alterum P. Martinum à Campis nuncupant: qui superatis grauibus tempestatis, piratarum, barbarorum, ac ferarum periculis, in remotissima Occidentalis Indiæ regione cum multarum semper indigentia rerum, ac nunc cum solis ardore, nunc cum frigoris asperitate, & magna vbique hominum stupiditate ac feritate luctatur vt aliquam messem animarum in Christi horreum suis laboribus importet. P. IOANNES DE LA VIGNE. B P. MARTINVS DES CHAMPS.

Quæ clades Insulam afflixerint.

C

CAPVT VIII.

SED quam nouimus olim adeò claram fuisse, & videmus etiam his temporibus florere hominibus, mercimonijs, opibus, Principum fauore & muneribus, vrbem Insulensium multi quandoque casus aduersi grauissimè perculerunt: quos hîc enumerare, & paullò diligentius examinare, non absurdum iudicaui. Primum enim vetera quædam Flandriæ Chronica, & Gallico scripta idiomate, & nondum typis excusa, vix natum hoc oppidum, igni corruptum fuisse & ruinâ pessumdatum narrant. Quippe viuis erepto, quem supra laudauimus, Liderico Buccensi, cum filius eius natu maximus Antonius imperium per Flandriam Saltuarius, aut Præfectus agitaret; eadem quæ Phinartij temporibus grassata fuerant, rursus hanc totam scelera ditionem corripuisse, fœdasséque: ac eorum causam præbuisse vel flagitia, vel socordiam Antonij: immissos ideò diuinitus in Flandriam omnem barbararum gentium exercitus: his admodum fœdè ferro & rapinis sæuientibus, quamplurimos tractus huius locos etiam muris circumseptos, inuasos euersósque: inter oppida, quæ cladem senserint, præcipuum Insulam crudelitatis spectaculum exstitisse: hanc enim ita flammis deformatam, ac ruinis obrutam memorant, vt centum posteà, vel ampliùs, annos, & hominibus & muris nuda iacuerit, quemadmodum antè paucis perstrinximus. INSVLA COMBVRITVR ET EVERTITVR AB HOSTIBVS. Vide Pet. Oudegh. c. 43. D

Cum posteà nouis fuisset ædificijs ornata, murísque circumductis munita Insula, num rursus cum alijs plerísque Flandriæ oppidis grauem belli senserit calamitatem, sæuissima gente Normannorum in Belgio cuncta infestis armis corripiente, non possum certò arbitrari; quamuis Tornacum & omnia, excepto Duaco, imposita Scarpo flumini loca eodem ab ijs barbaris hominibus furoris turbine oppressa reperiam. Qui namque id litteris vel apertè mandauerit, vel colligendum insinuauerit, nullum inuenio. Si tamen dandus sit aliquis opinioni locus, minimè à vero alienum crediderim eo tempore, quod inter Balduinum Ferreum, & Balduinum Insulensem NVM POST REPARATIONEM FVERIT AB NORMANNIS DIRVTA?

fluxit,

fluxit, cladem aliquam rursus Insulæ muros ac munitiones prostrauisse. Cùm enim Chronicon Flandriæ Teutonicâ scriptum linguâ disertè affirmet Balduinum Ferreum ex hostibus bello captis aliquot è pinnis murorum Insulæ suspendisse: non dubiè confici possit, munitam tum eam muris fuisse. Ex aduerso qui referunt fossa, muris; ac munitionibus id oppidum ab Insulensi Balduino circumdatum, ne sicut anteà hostium incursionibus pateret, nudatum idem significant muris ac defensionibus; quod vix aliter euenire potuerit, quàm graui hostium impressione ac victoria, & forsitan Normannicæ gentis. A

HENRICI CÆSARIS MILITES EAM DIRIPIVNT. *Lib. 3. c. 70.*

Verùm quidquid ea de re fuerit, nihil omnino dubitem asserere, dum Balduinus Insulensis diuturna, & grauia cum Cæsare Henrico bella exerceret, inuasam expilatámque à Cæsarianis militibus Insulam fuisse, Lamberto Comite cæso. Id enim quamuis non expressis tradiderit verbis, saltem nobis intelligendum relinquit Baldericus in Cameracensi Chronico, dum res Imperatoris vnà cum Ioanne Atrebatium Aduocato huc penetrantis prosequitur. Eius hæc verba: *Pertransiens autem Clausulam illam, & interfectis à dextris, & à sinistris occursantibus sibi, ad Islense Castellum peruenit; vbi Lambertus Comes Leusensis cum multis ei occurrens, interfectus occubuit. Ab eo quidem Castello diuertit ad Tornacum ciuitatem &c.* Cùm enim satis hinc arguatur, relictum Insulæ à Balduino, tutandi ergò, Lambertum Comitem pomerium extra cum præsidio, aliísque copijs, dum sese hostibus opponit, insigni clade oppressum, ac cæsum fuisse: vix dubitandum relinquitur, quin Cæsar vacuum militibus ac ciuibus oppidum, ac tum temporis nullis propè munitionibus cinctum inuaserit, ceperítque; quòd præsertim gnarus esset, ibi Comitem Balduinum, quem graui odio insectabatur, sedem habere solitum, ac plurimum ideò repertum iri prædæ. Quid enim hic ei loco pepercisset, parum certè, vel nihil munito, qui paullò pòst Tornacum vrbem validissimè muris & turribus circumseptam obsidio pressit, ac denique ad deditionem coëgit, & plerisque ciuium, ac rebus pænè omnibus exuit? vt idem memorat Baldericus. B

D. cap.

Succedentibus posteà temporibus grauissimè afflictam fuisse hanc vrbem, certiora nobis apud auctores suppetunt argumenta. Ab Regis Francorum Philippi cognomento Augusti, & Ferrandi Flandriæ Comitis ætate, harum ducimus cladium initia. His enim acerrimè bello disceptantibus intra vnius anni spatium tertiò ab hoste vel obsessum, vel subactum fuit hoc oppidum. De Ferrando primus cæpit Augustus, cùm tribus diebus arctissimè obsedisset. Hæc Guilelmi Britonis verba id clarissimè docent: C

REX AVGVSTVS EANDEM OBSIDET ET CAPITQVE.

Philip. l. 9.

Insula post triduum modica fuit obsidione,
Vertice demisso regi parère coacta.

Vide cap. 2.

Ac tum id castellum, de quo priùs egimus, comprimendis ciuibus condidit, éique multum Francorum ad præsidium imposuit, vt idem Brito cecinit loco superiùs citato. Non multò post Ferrandus Tornaco in potestatem redacto, cùm sentiret partem præsidij validiorem vnà cum regis filio in Franciam discessisse, huc easdem copias, quibus antea nihil effecerat, reduxit, & intra muros ab ciuibus vel timore armorum, vel desiderio domini sui perculsis receptus est. Mouit igitur ea res vehementissimè regem Philippum, ideóque magnis itineribus in Gallo-flandriam è Francia exercitum traxit. Et postquam vi aditum in vrbem sibi parauit, ingenti feruens iracundia, totam incendio, ferróque vastauit. Breuiter ista Rigordus Philippi regis Capellanus memorans, *Insulam verò*, inquit, *propter malitiam inhabitantium in ea funditus euertit.* Quæ paullò latiùs explicans editum à Dionysio Sauuagio Gallicum Flandriæ Chronicon haud parum à vero discedit. Narrat enim primò ciues Insulanos vnà cum Francis præsidiarijs rem fortiter aduersus Ferrandum egisse, dum mænia tutarentur; coactúmque ideò Comitem obsidium soluere. Ob id facinus lætum Franciæ regem totum eduxisse Insula præsidium, eiúsque oppidi tutelam ipsorum ciuium fidei mandasse. Verùm paucis inde diebus cùm rursus Comes vrbi copias admouisset obsidendi gratiâ, vrbis portas illicò aperuisse oppidanos, & magna Comitem suum voluptate intra mœnia duxisse. Offensum igitur denique regem D

IDEM RVRSVS INVADIT, ET INCENDIO POPVLATVR. *Lib. de gest. Philip. August. Cap. 14.*

huc

A [illegible] e Francia cum ingenti exercitu aduolasse; dilapso præ timore fuga Ferrando, captum vi oppidum, ac luendæ perfidiæ gratia, omnia flammis absumpta funditus [illegible]. Præstat omnino rei huius narrationem ex Guilelmo Britone, qui dum ea gerebantur, in viuis agebat: cuius hi versus è Philippidos libro nono, vt à Petro Pithœo sunt editi:

† dein repenendum.

† *Deinde contra pacti iuramentique tenorem,*
Quo nuper sese constrinxerat Insula regi,
Ferrando fœdus ferit, & clam nocte reductis
Proditione seris portarum claustra recludit,
Cumque suis introducit legionibus ipsum.
Francigenæ vero, quos rex dimiserat illic
Municipes, patriæ custodes, proditiosos
B *Vt sensere dolos, cautè se in turre receptant,*
Arreptisque armis solita virtute resistunt
Ferrando, Flandrisque suis. Sed impete primo
Dum subeunt armis nondum sua corpora tecti
Non omnes potuere necis vitare periclum;
Quin aliqui fuerint capti, plerique perempti.
Interea cursu festinant agmina rapto,
Quæ rex iratus partes deducit in illas,
Incunctanter auens correpto tempore charis
Auxilium conferre suis, quos hostis in arcto
Sic premit, vt pressis iam spes sit nulla salutis.
C *Qui cum venissent, muros indagine facta*
Cingere non curant, ne sit mora fortè periclo,
Dum ciues instant Francos excludere turri.
Ex improuiso qua solis respicit ortus,
Ad portam veniunt, strictoque repagula ferro
Confringunt, valuas summa vi cardine vulso
Discludunt, murósque priùs quàm scandere fas sit
Indigenis, vicos subeunt, primóque furore
Ignibus appositis pulcherrima quæque domorum
In terram faciunt procumbere vertice verso.
Sicque fit, vt † stant maiora incendia damno
Ciuibus infidis, quàm ferrum, aut dextera pugnans.
Sufficit excessus vlcisci sola dolosos
Vulcani rabies, quam spirans Æolus auget.
D *Nec tantum iunctos lateraliter improba vicos*
[illegible]nerat, verùm procul inde volante fauilla,
Quidquid habebatur pulchri inter mœnia, flammæ
In nihilum redigit vno violentia puncto.
Cum domibus pereunt omnes, vitare periclum
Quos infirma vetat ætas, aut debile corpus.
Qui pedibus, qui fortis equo, fugiendo recedit
Se gemino retrahens hosti, flammæque furori.

† forte sit- [illegible] : vt præstent maiora incendia damna.

A

Et pòst Ferrandus dumos, & deuia quæque
Mente subit pauida, talos ad limina portæ
Semper habens, vultus non audens vertere retrò,
Neüe labatur, aut passum fortè vel vnum
Perdat iens, læuam seu dextram vix sinit horror
Respicere: esse loco se tutum non putat vllo.
Iam perimi, iamiámque capi sibi visus, ad omnem,
Qui venit à tergo, strepitum pallescit, & omnis
Neglecta facie sanguis subit abdita cordis,
Vt lateat, trepidóque ferat solamina cordi.
Sic metuens metuendo, metu pœnam luit ipso,
Pœnáque fit præsens pœnæ formido sequentis. B
Plus tamen adiuuit fortunæ dextera victos,
Quam fuga, vel cursus, quo se saluare studebant.
Humida nam tellus carecto fæda palustri
Et viscosa tegens limoso viscera plano,
Interiore sinu, subeunte calore, vaporans
In noctis faciem † conuertunt aëra, tristes († legendum conuerterat.)
Exhalans mixto nebulas humore calori.
Vt † necti visus vix se vectoris ad aures († recti sensus requirit, vt sit sententia, vix equitem potuisse aures equi conspicere.)
Extendat, nec quis præcedat, quisúe sequatur,
Quis veniat iuxta, poterat dignoscere quisquam.
Vnde sequi tantùm licuit nostratibus illos,
Quo villæ dabat vsque furens incensio lucem, C
Cùm medias sol per nebulas lucere nequiret
Innumeros tamen occidunt, pluresque retentant,
Quos rex perpetuos emptori cuilibet omnes
Vendidit in seruos, & vinxit stigmate iugi.
Insula tota perit miseræ seruata ruinæ.
Quidquid enim tota sibi flamma cremabile villa
Repperit, absumpsit: reliquum instrumenta deorsum
Ferrea deyciunt turre, strictique ligones.
Nec turris, quàm rex fabricauerat, integra mansit,
Nequid ibi maneat habitabile denuo Flandris. D

(Meier. lib. 8. Annal.) His subiungo, quæ Iacobus Meierus ad huius cladis causam, modum, & magnitudinem percipiendam breuiter narrauit: *His ad Tornacum gestis*, inquit, *Ferdinandus, quamuis grauiter febricitaret, ac valetudine adeò esset tenui, vt lecticâ veheretur, nulla tamen interpositâ mora Insulam rediyt. Aduenientem Insulani, eiectis, qui præsidio erant, Gallis, faustis acclamationibus ac obuys vlnis acceperunt. His cognitis rebus Philippus Rex magno afficiebatur dolore, non tam propter captum Tornacum, quàm quòd Insulâ captâ Flandri Ludouicum eius filium cum Francis vniuersis Flandria se expulisse gloriarentur. Igitur nouis coactis copyis rursus descendit in Flandriam. Tum Insulani, quibus vt proximus, ita & ob recentem à se defectionem maximè erat infensus; ad famam aduentus eius mœnibus suis dispsi magna pars, relicta patria, alius aliò demigrauerunt. Erant & Ferdinando infirmiores vires, quàm qui ius occurrendum Regi existimaret. Vacuum itaque defensoribus oppidum nullo Gallus negotio cepit: captum ac prædatum per iram incendit, cum-*

A *tiqne*. Vno ferè verbo hanc Æmilius cladem complectitur, dum scribit: *Vere appetente Augustus in Flandriam redit: Insulam nobile oppidum diruit.*

Guidone posteà rerum in Flandria potiente, quæ iam non parum respirauerat tum Ioannæ Ferrandi coniugis, tum Margaretę sororis eius labore & studio, nouis Insula tumultibus concussa est, térque grauissima pertulit obsidionis incommoda, & maxima perpessa est damna. Primùm enim anno 1297. Philippus Franciæ rex cognomento Pulcher Guidoni vehementer infensus (quamquam iustior bellandi causa Guidonem aspiceret, ereptam sibi ab rege filiam iure conquerentem, & quam non poterat aliter recipere, armis repetentē) ingentes militum copias in Gallo flandriam è tota rapuit Gallia: cúmque has quaquauersum Insulę obduxisset, nihil reliqui fecit, quò suæ obsessos voluntati subijceret. Quod intra muros Guidonis filius maximo natu Robertus vnà cum alijs & nobilissimis, & fortissimis hominibus vrbem defenderet, regem vndecim septimanis ea tenuit obsessio: cùm ipso S. Ioannis Baptistæ festo sub vesperam cingi cęptum fuerit oppidum, ac non prius id rex deditione acB ceperit, quàm medius ferè September effluerct. Tanta temporis intercapedine quantum hostis intulerit damni, vix exprimi possit. Vt enim taceam quotidianis totam circum regionem deprędationibus nudatam, & incendio corruptam: omnia vrbis suburbia ignis absumpsit. Neque tūc vtrique virorum ac virginum Dominicanæ familiæ extra muros iacenti Monasterio furor pepercit. concussi omnes machinis oppidi muri. Frequentibus & immanibus saxearum pilarum tormentis emissarum ponderibus tecta domorum vel pertracta, vel deiecta: vt multo ad resarciendas ruinas tempore opus fuerit.

INSVLA VARIIS OBSIDIONIBVS PREMITVR, ET AD DEDITIONEM COGITVR.

Varia Chronica Fland. MSS. Chron. S. Mart. Tornac. MS. Iag. Aimel. Meier. Oudeg. Meyßen.

At ecce anno Domini 1302. nouis Insula circumuenitur copijs, Ioanne Comitis filio vnà cum Flandris obsidium admouente. Grauiter enim is ferebat patre in custodia compendij detento, Gallo-flandricas vrbes Francis subesse. Igitur postquam florentissimas Francorum copias iuxta Cortracum fudit fugauitque occiso earum Duce Roberto Atrebate, & Cortracensi oppido arcéque potitus est: Insulam obsiC dio cinxit. Mitiùs tamen ab eo in vrbem actum fuit: tantúmque vel parando aditu, vel frangendis obsessorum animis in muros machinis sęuitum. Et paucos intra dies ac nullo ferè sanguine facta est deditio.

Varia Flandr. Chronica MSS. & impressa. Chron. MS. Tor. Iac. Meier.

Exacto inde biennio inter Regē Pulchrum, ac Guidonis Flandriæ Comitis liberos ad *Montem Pabulanum* inter Duacum Insulámque, non leuiter prominentem, grauissimū & crudele commissum est prelium: quo licet plus sanguinis amiserint Frāci, victos tamen Flandros fuisse peruagata est fama. Eo tempore vix Insulam Philippus Guidonis filius cum aliqua Flandrorum copia sese receperat, eámque celeriter omnibus ad tolerandam obsidionem rebus instruxerat: cum iussu Regis ab Francis ea circumuallari cępta est. Tanti námque Pulcher vrbis huius expugnationem ad subigendam Flandriam momenti esse ducebat; vt in omnes Galliæ ditiones aliquos miserit, qui publicè proclamarent, circumcinctam ab se obsessione Insulam: quamobrem qui vellent spolijs onerari, confestim armati accurrerent. Ea námque in potestatem redacta ciuitate, ad totius Flandriæ deprædationem apertum iri viam. Et D paucis diebus exactis, cùm vulnus ipse proximo prælio acceptum curasset Atrebati, cum insigni exercitu Insulam aduolauit, vt obsidium promoueret. Eius aduentu tentata omnia sunt, vt breui oppidum in potestatem veniret: adeóque in muros, ædésque tormenta sæuiere, vt propiùs nihil abfuerit, quàm vt perculsi cladibus & oppugnationibus ciues, ignaro Philippo, vrbem regi dederent. Sed cùm ipsi certum tempus dierum pręscripsissent, quo tandem euoluto, nisi ab Flandris suppecias veniretur, deditionem facerent: ita Flandri subsidium maturauere, vt priusquam dies præfixi effluerent, in armis ex aduerso vrbis ac Regis constiterint, ac circumlato graui terrore ab obsidione regem auerterint. Igitur cum Pulcher admodum trepidaret, ad pacem consilia dolo conuertit, eáque ratione, quam vi & armis Insulam subigere non valebat, per eius leges obtinuit, vt Flandriæ Annales referunt.

Varia Fland. Chron. MSS. & impressa, Comment. Francisc. MS. Iac. Meier. alij.

Post decennium Robertus cognomento Bethunæus Flandriæ Comes in Regem Galliarum iusta commotus iracundia, totáque ipsum Gallo-flandria potiri ægerrimè

 ferens;

Fland. Chron. var. MSS. & imp. Chron. Tornac. MS. Meier. aliy.

ferens; coactis in vnum Flandricæ gentis copijs, hanc armis ditionem repetere statuit: & mox Insulæ magnum obduxit exercitum. Nihil tamen grauius præter metum vrbs passa est. Vix enim dies aliquot vrbem presserat Robertus, & machinis concusserat, cùm iuxta Tornacum Ioannes Namurci Comes cum Enguerrano Marignio Regis legato collocutus, inducias armorum prorogauit: itaque abductis Robertus copiis aliò discedere coactus est. A

Chronic. Fland. Ioan. Froissart. tom. 2. Iac. Meier. l. 13.

MAGNAM INSVLÆ PARTEM ABSVMIT INCENDIVM.

Agebatur Christi annus supra millesimum & trecentesimum secundus & octogesimus, quando Ludouicus Maleanus Flandriæ Comes excipiendo rege Francorum Carolo, eiúsque patruis, qui copias in eius auxilium aduersus Flandros ducebant, tractandis multa Insulæ ornari instruíque hospitia imperauit. Sed magnam ipsi tunc perturbationem; & grauissimum ciuibus damnum, priusquàm Rex adueniret, peperit incendium. Quippe noctu varijs locis ædificia vehementer arsere, vt quidam arbitrantur, Flandrorum Ludouico infensorum artibus. Ferunt enim ab eis aliquot in vrbem submissos homines, qui flammas occultè, ciuibúsque ignaris, ædium plerísque inijcerent. Quidquid autem de auctoribus fuerit, magnam sanè cladem id incendium attulit. Hoc enim plerámque vrbis partem absumpsit: eáque præsertim in cineres redacta, quæ regi ac Francis Ducibus hospitia Comes magnificè parari mandauerat. B

Secutis postmodum temporibus non leues ab subitis & fortuitis ignibus sensit Insula domorum deformationes, ac ciuium gemitus: cùm nunc integræ plateæ, nunc vici flammis vehementibus absumerentur, nunc D. Petri templum incendio conflagraret.

Castellania, siue Ager Insulensis, eiúsque septem regiones.

CAPVT IX. C



ERVM ENIMVERÒ vt tandem ab hac principe Gallo-flandriæ vrbe digrediamur, circumiacentem & obnoxiam Insulensi nomini regionem lustremus. Castellaniam Insulensem vulgò nominant, deducto ab veteri Castello vrbis vocabulo. Hîc ne lector in limine erret, duo præfabor. Vnum de nominis significatione est: alterum, sitne idem Castellania cum Territorio.

Lib. 1. de Fland.

QVID SIT CASTELLANIA?

SITNE EADEM CVM TERRITORIO?

Iacobus Marchantius Castellaniæ nomine *certum aliquot pagorum numerum, situm, complexúmque* denotat, *ad vnum tribunal, quasi metrocomiam, vel ad consiliorum, onerum, armorúmque coniunctiorem societatem respicientium.* Addit posteà, Castellaniam *in oppido castelloue, vnde nomen feneratur, iudicia seorsim ac per se exercere, & in onere collationum ex generali censu regionis ei longè anteuertere*: Eiusmodi Castellanias qui Territoria nuncupant, perperam eos facere idem affirmat: *Hæc enim*, ait, *Iurisconsultis signant vniuersitatem agrorum intra fines cuiusque ciuitatis. At Castellaniæ, quas vernacula lingua Casselrias, & Ambachta, vel Terrena vocitamus, extra limites sunt atque iurisdictionem cuiusque vrbis, vnde nomen cepere; & vbi leges, tribunalia, ærarium, & comitia habent separata.* Hæc quidem rectè Marchantius è Iurisconsultorum placitis. Verùm multos ea loquendi religio non ita constringit, quin aliquando Territorium pro Castellania vsurpent scribendo: omninóque Balduinus Insulensis Flandriæ Comes eam aspernatus est distinctionem, qui semper Insulense Territorium pro Castellania vsurpauit in eo diplomate, quo S. Petri ecclesiæ dotem attribuit. D

CASTELLANIÆ INSVLENSIS DESCRIPTIO GENERALIS.

Igitur cognita ex his Castellaniæ Insulensis significatione, totam eam regionem, quam ipsa finibus suis comprehendit, multa commendant, circuitus, ager, oppida, pagi, opes. Multò maximam Gallicæ Flandriæ partem ea complectitur; totáque fermè tres intra fluuios iacet, Lisam, Scarpum, & Scaldim. Ab Occasu ad Boream alluitur Lisa: contrà Scarpo à Meridie ad Orientem. Scaldis ad Ortum fluit; modicéque intersecat. Vbi fluminibus non abiungitur, ad Orientem Cortracensis Castellania, & Tor-

A nacesium obiacent. Ad Meridiem Orchiacensibus, Duacensibus, & Artesiis prætenditur. Occasus etiam partem Artesiorum adiungit. Ager ferè vbique pinguis, & felici prouentu: rarò ligonis aut aratri expers, vbi præsertim Insulæ proximus; certâ spe fructus colligendi, & cultorum industria ferro semper subigente. Vbi decliuis est, ac fluminibus irriguus, pascuis abundat. cetera frumento, lino, rubia, seu garancia, vedáque (plantis ad tingendum necessariis, ne color pannorum deflorescat; quarum illa è radicibus contusis rubeum colorem, hæc contritis & in pastillos deformatis foliis cæruleum inducit) supra modum fæcundus. Opes vtique magnæ, vel à soli cultu, vel à variis opificiis. In hoc tractu oppida quatuor Lannoya, Cominium, Bassea, & Armenteria: vici pagiúe magni nominis centum & triginta circiter: Abbatiæ quatuor, Laudensis, Marquettana, Cysoniensis, & Phanopinensis: arces quàm plurimæ.

De his aliquid vt ordine quodam dicamus, in quas diuiditur ditio, septem Regiunculas sequemur. Ferrainam, Melanthoisam, Pabulensem, Carembaultiam, Wepesanam, Transscaldiam, Comitatum eas appellant. Harum aliquas iamdiu & nominibus & finibus distinctas reperio. Nam Pabulanæ ditionis non semel meminit ChroniconMartianense ante annos quadringentos conscriptum, aliúsque liber eiusdem Monasterij vetus, & calamo exaratus; ac longè diu antè Caroli Calui Cæsaris pro Martianensibus diploma de Medenatensi, seu Melanthoisa D. Audoënus in vita S. Eligij mentionem facit, & in memoratis iam litteris Imperator; vbi tamen pagum Medenensensem nominat. Carembaultiam ab Hugone Nouiomensi & Tornacensi Episcopo Carembam vocari accipio in quodam sacro diplomate, quod ipse anno 1039. pro Phanopinensi Monasterio scripsit Tornaci. Ex quibus etiam id colligo, has regiunculas modò Comitatus, nunc Pagos, Iulij Cæsaris more, aliàs Territoria etiam nuncupatas. E contrario deprehendi Balduinum Insulensem, dum varios enumerat pagos seu vicos Insulensis Castellaniæ, in quibus aliquid ecclesiæ D. Petri concedit, nullam facere harum regionum distinctionem, omnésque Territorij Insulensis nomine complecti; vt Territorium apud ipsum Castellaniam significet, vt anteà memoraui. SEPTEM REGIVNCVLÆ INSVLENSIS CASTELLANIÆ.

In harum autem regionum descriptione, quam nunc molior, hoc meum erit institutum vt non omnia stylo persequar loca; verum ea tantùm vel quæ veteres historiæ & euentus memorabiles; vel quæ viri armis, familia & virtute doctrináque conspicui nobilitauere; aut quibus Abbatiæ, Canonicorum Collegia, & Arces nomen aliquod famamúe conciliant aut quibus celebritatem afferunt cultus Sanctorum ac peregrinatio: vt si quorum nullam fecerim mentionem, id non neglectui, at rerum, quas dixi, vel defectui, vel ignorationi imputetur. Velim quoque lectorem præmonitum esse, non paucos eorum pagorum, quos huic insero Castellaniæ, haud integros ad eam spectare; verùm quadam sui parte vel Tornacesio, vel Artesiæ, vel Duacensi Castellaniæ, aut Bailliuatui, vt vocant, accenseri solitos; quemadmodum etiam in confesso est, quosdam è Castellania vel Bailliuatu Duacensi nonnihil de terreno suo ædibúsque Insulensi cedere. Igitur si nullam huius diuisionis mentionem fecerim, vbi quosdam iis è vicis pagisúe perlustrabo; non tam inscientiæ tribuatur id velim, quàm quòd ad instituti mei rationem, vt lectorem huius rei semper admonerē, minimè duxerim pertinere. Haud enim illud mihi propositum fuit, quò quisque locorum quadamtenus pertineat, ostendere: verùm quid in aliquo Gallo-flandriæ loco memoratu dignum habeatur, inuestigare, & litteris ad lectoris instructionem, & Gallo-flandrici tractus commendationem tradere. Cognitum subinde lector habeat quosdam hîc à me pagos memorari, vel quos certum est huic insertos Castellaniæ ad aliarum iurisdictionem spectare ditionum; vel quos nulli certo tractui assignant controuersiæ: hósque, vel illos non ita me describere, vt huic regioni velim eos asserere; verùm hîc dumtaxat secundum Insulensium Ordinum catalogum recenseri, à quo saltem quoad pendenda vectigalia huic Castellaniæ annumerantur. Sed tempus est, vt singulas huius ditionis regiunculas addamus.

A

Ferraina Regiuncula, & in ea Cominium oppidum.

Ferrain.

CAPVT X.

FERRAINÆ REGIONIS SITVS.

GITVR è partibus, seu regionibus Insulensis Castellaniæ Ferraina Cortracum versus partim ad Boream, partim ad Ortum protenditur: ac præsertim Lisæ, Duplæ, & Marquæ fluminibus adiacet. Ad Lisam sita sunt Cominium, Busbeca, & Halewinum, locis admodum opportunis, seu fluuij admodum nauigabilis commoditatem, seu solum cælúmque aspicias. Duplæ assident Marquetta, Wambrecisium, Quesnoya, Deullemonda. Hemum, Wasquehalium, Marqua, & Bonduæ pars Marquæ aquis irrigantur. Cetera huius tractus eos inter fluuios porriguntur Lannoyam vsque. Inter Warnestunum & Virouiacum tribus ab Insula milliaribus stat Cominium satis elegans, at nudum muris oppidum. Cominas nuncupat Robertus Gaguinus in nono Francicæ historiæ libro, itemque Paulus Æmilius, & Prosa quam Lendienses Canonici in S. Chrysolij laudem concinunt. Eiusdem Sancti Passio apud dictos Canonicos Cominium exhibet: itáque potiùs vocandum ex veteri S. Chrysolij Martyrio Vrelenghehemi & Cominij asseruato; dein ex vetustis diplomatibus, colligitur. In dubium vocat Iacobus Marchantius, idne condiderit, eiúe nomen fecerit Comius Attrebatium Regulus, quem Iulius Cæsar in Commentariis de bello Gallico laudat. Verùm Adrianus Scrieckus disertè asserit, ab eo viro nullum Cominio nomen arcessendum: quoniam prætendit, non Comium, sed Coninium apud Cæsarem legi oportere. Vetustatem huius loci rectiùs consignat litteris S. Chrysolij huius oppidi Patroni Martyrium. Sic enim illud loquitur: *Deinde B. Martyr à loco* (Vrelenghehemo scilicet) *in quo martyrium sustinuit, recedens, & coronam suam vnà cum cerebro, &* † *Canola B. Petri sæpiùs nominata ante pectus suum in manibus deferens vsque ad locum, qui nunc Comines nuncupatur, non dicitur restitisse: ad quem locum cum venisset, & ibidem super altare Canolam S. Petri Apostolorum Principis, coronámque propriam obtulisset; vt locum Cominiensem suo insigniret Martyrio, extemplò B. martyr obdormiens, viuens in Christo beatam animam dulciter exhalauit.* Constat verò circiter trecentesimum & tertium Christi annum S. Chrysolio Vrelenghehemi verticem abscissum, quem ipse tanto vulnere animatior Cominium portauerit, vt idem Martyrij libellus antè memorat. Quædam huic oppido claritudinem & opes afferunt. Benigno & lympido Lisa influit cursu: partémque ambiens Insulæ modo, ad præsidium aquis opportunitatem maximam tribuit. Hîc templum est Beatorum Apostolorum Principi Petro sacrum: cui multum olim elegantiæ, & venerationis, priusquam furiæ Belgium in Regem Catholicum Deúmque stimularent. Iniectæ ab hostibus flammæ in eo corrupere nuper omnia, cùm hęretici aliunde profecti Gallo-flandriam armis & cædibus infestam redderent: nunc pleraque in melius restituuntur, imposito tandem parietibus tecto. A Canonicorum Collegio ea celebratur ecclesia; & à S. Chrysolij oppidi patroni famosissimo quondam sacello non leue nomẽ obtinuit. Duplex etiam separatis in sedibus Cominij Monialium Cætus cernitur: quorum alter ægris intra tectum recipiendis obnoxius est, ac religiosi instituti regulis obsequitur: alter Grisias, vt nominant, Sorores complectitur D. Francisci placitis addictas. Olim hoc in oppido vehementer ad quæstum opificia duo faciebant. Plurimi enim ciuium vel pannos densiores, vel pileos è lana texebant insigni copia. Ab Christi anno trecentesimo & octogesimo quinto supra millesimum textrinas istic pannorum ab Hyprensibus erigi cæptas audio. Causam ita proponit Iacobus Meierus, cùm de Philippo Audace Burgundionum Duce loquitur: *Suburbia Hyprensium bello Anglico incensa restitui non siuit, sed incolas Popringam, Meninum, Virouiacum, Cominium, aliòque misit, vbi lanificium suum exercerent. Nam ex illis suburbanis præcipui semper motus, & seditiones Hyprensium exstiterunt.* Et facile est ex Froissarto & Gaguino arguere textos etiam priùs ab indigenis pannos: cum tribus annis antè direptorum ab Francis Cominiensium pannorum mentionem faciant. Qui pileos insigni artifi-

cio

Margin notes:

COMINIVM. — Comines. B

Lib. 1. Fland. QVAM ID VETVS? *In 1. Indic. Geog. & 2. Miscell.*

Vide Notas nostras ad Martir. S. Chrys. — † *fortè Cannula.* C

Vide nostras disputationes ad Vitam S. Piatonis.

D

Lib. 14. Annal. Fland.

A cio è lana texendo conficiant modò prẹter vnum nulli conſpiciuntur; ceteris vel
aliò dilapſis, vel morte ſublatis. Priùs horum opificum bonus hic numerus agitabat,
multiſque ad opes colligendas ideò plurimum afferebat momenti, quòd in varias ij
pilei regiones mitterentur, commoditate ac elegantia paſſim vſum inducentibus.
Plures nunc ferè linificio magis, quàm lanificio dant operam, maiórque hîc telarum
ſubtilium, quàm pannorum copia texitur. Octobri menſe multum pecuniæ ciues ac
inſtitores annuis nundinis è varijs mercibus conficiunt, & ſtatis quot hebdomadis
diebus mercatûs, quorum celebrior in quintam feriam, in ſecundam alter incidit.

Ad ſplendorem & tuitionem huius oppidi maximè confert ſitum in proximo ca-
ſtrum. Id nulli ſecundum, ſi ſedem, elegantiam, & firmitudinem ſpectes. Oppido — ARX COMINIENSIS.
ad Ortum obiacet in dextra Liſæ ripa, loco peramęno, planóque. Interiùs quadra-
tum eſt, exteriùs varia rotunditate prominet, & fermè duplicis obtinet crucis ſpe-
ciem. Ad quatuor mundi plagas inſigni ſymmetria quatuor maiores, & rotundæ
turres longiùs procurrunt. Harum inter latera quatuor aliæ minores quaſi retrusæ
B minùs aſpiciuntur, ſimili rotunditate. Aulæ, conclauia, cubicula multa intùs, &
ſacellum ſatis capax. Nihil ferè non pictum eleganter, vt detractis tapetibus etiam
variæ coloribus figuræ ſpectantes teneant. Muri extrorſum proiecti admodum fir-
mi, & vix machinis ferro ignique quatientibus concutiendi. Tectæ per ambitum
viæ & vigiles tegunt, & hoſtem ex occulto miſſilibus petendi opportunitatem fa-
ciunt maximam. Extremis Belgij tumultibus obſidentium minas & inſultus hæreti-
corum irriſit, ſua ſemper mole conſiſtens, & nulla præbens parte viam. Amœniſſi-
mi & vaſtiſſimi circum horti iacent, multiſque læta herbis prata: vt prorſus æſtiuo
tempore altera Tempe credas. Arcem Ioannes Cominienſis regulus anno poſt — Iac. Marchant. lib. 1. Fland.
Chriſti ortum milleſimo trecenteſimo, & octuageſimo quarto condidit.

Qui verò nomen & famam huic oppido vel arci varias ob cauſas pepererint, nunc — QVI VIRI COMINIVM ORNAVERINT.
videndum. Primò loco ij ſunt è monumentis veteribus eruendi nobiliſſimis orti na-
talibus homines, quibus vel à Clyto Clytanis, vel à Cominio Cominęis datum eſt
C cognomen. Ex ea hi omnes producti ſunt familia, quæ licet à Clyto cognominetur, — FAMILIA COMINIENSIS, SEV CLYTANA.
Cominij tamen rerum potiebatur, ex eóque oppido in varias olim ditiones pluri-
mos emiſit, quibus nunc Clytanis à gente, nunc Cominæis à loco natalium co-
gnomen adhæſit.

An. 1094. *Quem eius familiæ antiquiſſimum in veteribus monumentis reperio*, is Lam- — LAMBERTVS.
bertus eſt, qui vocatus Atrebatum fuit, vt electionem Epiſcopi celebraret, quem- — Cap. 6.
admodum anteà ex litteris vrbis eius Canonicorum vidimus; quémque inter vrbis — Cap. 6.
Inſulanæ lumina laudauimus. In hac floruiſſe familia poſtmodum deprchenditur
Burchardus Cominienſis, cuius mentionem Iacobus Meierus bis facit, cùm eos — BVRCHARDVS.
enumerat, qui primùm vnà cum Roberto Friſone, deinde cum Roberto Hiero-
ſolymitano Flandriæ Comitibus in Syriam iter ſuſcepere. De prima profectione
An. 1085. pietatis, & religionis gratià ſuſcepta hęc Meieri verba: *Magno comitatu proficiſcitur in* — Lib. 3.
Syriam, inuiſiſque Hieroſolymis magna religione ſacris locis, ad montem etiam Sinam per-
git viſum D. Catharinæ ſepulchrum. Ex Flandria hac peregrinatione cum comitatos lego
D *Balduinum Gandenſem, Burchardum Cominenſem.* De altero itinere ſic idem memorat,
An. 1096. vt Robertum Iuniorem belli Turcis inferendi ergô in Syriam intendiſſe referat, in- — Lib. 4.
térque alios, qui vires armáque ipſi ſociarent, rémque fortiter geſſerunt, Comi-
nienſem fuiſſe Burchardum.

An. 1109. Longo poſt interuallo Balduinus inſigni homo virtute Cominij dominatus eſt, — BALDVINVS.
intérque filios Balduinum habuit Arienſem Caſtellanum. Eius pietatis hoc præcla-
rum eſt exemplum, è monumentis Eccleſiæ S. Petri Inſulenſis erutum: *Ego Bal-*
duinus Dominus de Comines, & filius meus Balduinus Iunior Arienſis Caſtellanus, tam
præſentibus, quàm futuris notum fieri volumus, quòd nos in eleemoſynam dedimus pro ſalu-
te & remedio animarum noſtrarum, prædeceſſorum etiam & ſucceſſorum noſtrorum in
Eccleſia S. Petri de Inſula, Mabiliam de Ronc, & quinque filias eius, Clementiam videli-
cet, Adelidim, Adelidam, Euam, & Ydam, & eas ab omni ſeruitute quitas & liberas
clamauimus, & immunes. Hæc autem, & quidquid de eis exiuit, & exiet, in vita eo-

rum vel earum, duos denarios annuatim Ecclesiæ prædictæ soluere tenentur, in morte verò XII. Ne igitur huius donationis eleemosyna diuturna temporis successione labatur à memoria posterorum, præsens scriptum sigillorum munimine fecimus roborari. Actum anno Incarnationis Domini M. CC. IX. A

Alteriúsne Cominiensis Toparchæ an Balduini iam laudati (seu pater is fuerit, seu AN. 1250.
filius, quamquam ad filium magis inclinem, ob annorum intercapedinem) plenam
religionis memoriam ingerunt monumenta Ecclesiæ Tornacensis. Cùm enim Wal-
Vide Ioan. Cousin. l. 4. c. 11. Hist. Tornac. terus Maruisius Tornacensium Episcopus in Ecclesiam Cominiensem ius patrona-
tus repeteret: non grauatè is illo exuit sese, quod maiores obstinatè retinuerant à
Flandriæ Comitibus suæ concessum familiæ, vnáque ius beneficia huius ecclesiæ
conferendi, annuente filio, ipsi ac successoribus impertijt. Hoc præclarum facinus
obscurè tangit Maruisij epitaphium, cuius hi versus extremi:

Ipse bonos Pueros, Moniales ac Seniores
Fundat Presbyteros, Beghinas, atque Minores,
Et Cominienses ad se vocat, ac Aenenses. B

Verùm id nos latiùs explicabimus, cùm de Cominiensi Canonicorum Collegio
erit agendum.

NICOLAVS. Diu posteà Nicolaus à Clyto propter virtutem & militarem disciplinam apud
Flandriæ Comitem Ludouicum Maleanum adeò valuit, vt is eum Gallo-flandricæ
tripoli Gubernatorem dederit, postquàm anno 1369. per filiæ nuptias hanc a Fran-
IOANNES. cis ditionem recepisset. Deinde non parum Ioannes Cominçus floruit, penes quem
fuit Cominij potestas. Multis eum diuitijs præditum fuisse oportuit. Hic enim ar-
cem Cominiensem haud dubiè maximis impendijs à fundamentis construxit, opus
Lib. 1. Fland. ingens molitus regiúmque, de quo hæc Marchantius: *Comineum spectabile oppidum
est absque mœnibus, sed arce eximia per Ioannem Dynastam anno* 1385. *ædificata ad splendorem & defensionem.*

IOANNES. Eiusdem nominis alius militaribus factis famam meruit Ducis Burgundionum AN. 1419.
Meier. l. 16. Boni tempore. Aderat ipse huic Principi Crespiacum in Gallia obsidenti, & ad de- C
ditionem cogenti. Eidem præclaram præstitit operam, cùm ad S. Richarium aduersus
Monstr. t. 1. Meier. l. 16. Francos inter auratos Equites adlectus fortiter manus consereret. Creatus ab Du- AN. 1421.
ce supremus Flandriæ Bailliuus, anno Christi 1435. mortem oppetijt.

COLARDVS. Huius frater Colardus, seu Nicolaus, quem Ruschuria, Buschuria, & Watenæ
Dominum agnouere, non minorem adeptus est à militiæ facinoribus gloriam.
Monstr. t. 1. Iac. Meier. l. 16. Priusquam S. Richarij prælium capesseret Philippus Burgundiæ Dux ad Equestris
eum honoris gradum euexit, vt plus animorum indueret. Aduersus tamen eum ca- AN. 1421.
sus illâ pugnâ perculit. Quippe fortiter pro Duce in aduersos inferentem se cuneos
hostis cepit, & vinculis constrictum abduxit. Et posteà dum Bailliui officio fungitur AN. 1430.
in Calletensi ditione, seueriùs in vitia quædam animaduertentem repentinus Flan-
drorum tumultus penè oppressit. Rem eam sic breuiter Iacobus Meierus prosequi-
Lib. 16. tur: *Causam motus tradunt, quòd Clytus ille eorum Prætor, homo seuerus grauiores exigeret pœnas ab pugnatoribus, qui se mutuo in rixis domesticis soliti erant vulnerare: & quòd* D
edicto Philippi consuetudines quasdam veteres damnatas abolere conaretur. Eum verò po- AN. 1435.
steà summum Flandri omnes Comitatus Bailliuum sensere. In quo dum versatur AN. 1436.
Iac. Meier. l. 16. magistratu, ductos ab eo Calletum Gandenses video, cùm Burgundio vrbem eam
obsidio cingere meditaretur: maximóque ipsum dolore affectum, vbi frustrà hos
discessum ab obsidione parantes retinere conatus est. Et postquàm exorto primùm AN. 1437.
Gandaui, dein Brugis tumultu annorum quinquaginta exilio damnatus esset, vix
Brugensium manus euasit, dum vnà cum Duce Burgundo (cui erat charissimus,
quémque animosè semper tuebatur) vrbem eorum ingressus ad necem quæritur,
Iac. Meier. l. 16. fugámque simul arripere coactus est. Fultus tamen posteà eiusdem Principis iudicio
& potestate, intra muros Brugenses vndecim è primarijs tumultuum auctoribus ca-
pitis damnauit, affecitque mortis supplicio.

IOANNES. Supra cæteros huius familiæ viros Ioannes alius Cominij regulus, qui Colardo

vita

A An. 1429. vita defuncto superfuit, euectus est. Etenim cum per rei militaris prudentiam, & fortitudinem apud Bonum Burgundiæ Ducem in maxima esset gratia, inter primos aurei Velleris equites cooptatus est Brugis ipso nuptiarum eius Principis festo. An. 1436. Cùm idem Dux Caletum obsidione prameret, Hyprenses in armis ad eum duxit. Digressis paullo pòst domum è Castris Caletensibus Flandris, Gandauo Bonus eum præfecit. Io. Meir. l. 16

Hunc Ioannem eiusdem nominis filius excepit. Apud Burgundiæ Ducem ea valuit gratia vt Cubiculo & Consilijs eius adhibitus Nieuporto præficeretur; inter primarios Mariæ Burgundicæ equites fulgeret. Mortem obijt anno 1475. IOANNES. Epitaph.

De Philippo Cominæo ex hac etiam producto familia (patrem enim Colardum, quem anteà laudauimus, habuisse perhibetur) qui maximè Ludouico rege Francorum vndecimo, & Carolo Burgundionum Duce imperantibus floruit, multa prorsus se offerunt dicenda. Nam vt ingenio fuit maximo, & varia præditus tum in politicis rebus, tum in militaribus, prudentia; sic omnino varia hominum, B ob defectionem à Carolo Duce ad Ludouicum regem, iudicia incurrit: & sicut priùs apud Francum in viuis agentem quidlibet potuit; ita posteà ipso viuis erepto, grauissimos passus est aduersarios. Procèrum ipsum corpore fuisse, mirá que huius dignitate oculos intuentium detinuisse, comperio. Præclaras animæ dotes habuit admirabile iudicium, & incredibilem memoriam, quibus si studia literarum, & grauiores disciplinas adiunxisset, omnino inter præstantissimos homines potuisset numerari: quandoquidem adeò feliciter regis animum tractauit, legationes obiuit grauissimas, insignem quoque historiam scripsit ijs subsidijs destitutus. Apud Aubertum Mirçum de memoria ipsius hæc lego: *Res gestas omnium gentium, ac præsertim Romanorum, Gallicè redditas (neque enim Latinè sciebat) diligentissimè legerat, & memoria propè tenebat. Qua & in primis valuit adeò, vt Iulij Cæsaris exemplo, quaternas sæpè scribis litteras de varijs grauissimisque Reipublicæ negotijs eodem tempore dictaret, tanta quidem facilitate, quasi vnum tantummodo tractaret argumentum.* De historia eius, quam Angeli Catthi Viennensis in Delphinatu Archiepiscopi hortatu condidit; quaque res gestas Regum Franciæ Ludouici Vndecimi, eiúsque filij Caroli Octaui, & Burgundiæ Ducum Philippi Boni, & Caroli Audacis facta quædam comprehendit, hoc est Iusti Lipsij litterosorum hominum Coryphæi iudicium: *At patrum & nostro æuo videtur Historia se commouisse. Scripsit eam ante annos paullò minùs centum Philippus Comynæus ita laudabiliter, vt nihil verear componere eum cum quouis antiquorum. Incredibile est, quàm ille omnia videat, penetret, arcana consiliorum eruat, & subinde instruat nos salutaribus rarisque præceptis: & id diffusè Polybiano quodam exemplo. Quanquam reuera Polybium aut talem aliquem ille nec vidit. Et hoc quoque laudem eius auget, quòd tanta præstitit, litterarum omnium rudis, solo vsu rerum peritus, & naturali quadam iudicij bonitate. Ite nunc scioli, & linguarum aliqua cognitiuncula vobis placete. At Princeps noster hunc legito, & Enchiridium Cominæus illi esto. Dignus Alexandris omnibus hic Philippus.* Videat igitur, quisquis hæc legit, rectène Philippum Ludouicus Viues reprehenderit, cùm ad res moribus optimè componendis opportunas, & imbuendis sapientia mentibus idoneas toties diuertentem, Principúmque mores accuratiùs depingentem, admodum carpsit. Esset tolerabilius id quod in eum intorquet Iacobus Meierus, cùm transfugij crimen opprobrat; nisi vnà multam eius historiæ fidem detraheret. Nullum enim dubium relinquitur, quin hominum admirationem exciuerit ab eo Duce, cum quo fuerat in Aula per octennium enutritus, cui per natales suberat, à quo iam multa perceperat munera, ad eum regem, qui se maximum Caroli hostem factis profitebatur, tam repens defectio: maioremque dederint ij occasionem stuporis, quos nonnullis tum Burgundionibus, tum Belgis ad transfugium sollicitandis conatus adhibuit. Verùm inde continuò apud se statuere, nullam ferè fidem eius historiæ præstandam; hominis sinistro abrepti iudicio arbitror. Cùm enim ipse non obscurè prodat scribendo, & à Burgundo sese ad Francum transuolasse, & quosdam alios idem vt facerent, promissis incitasse: ingenui prorsus eius animi candidíque argumentum id fuerit, qui cùm ea prodit lit-

PHILIPPVS.

Aub. Mir. in eog.

Me. g. Belg.

C

D

teris,

teris, quæ suo acciderint æuo; etiam illa non subtrahit hominum cognitioni, quorum gratia quorundam repræhensionem, aliorum odium incurrat. Et sanè quis eius imprudentiam toleraret, qui falsa pro veris illis obiiceret, qui eodem tempore vitam degentes eadem vel oculis, vel auribus vsurpauerint, quæ memoriæ traduntur? De causa defectionis si quis aliquid exspectet, Iacobi Marchantij verbis esto contentus: *Transfugij autem causam consultò, & ne quemquam irritaret, videtur soluisse: cuius tamen primam scintillam vir quidam grauis, ex aulicis natu maioribus, hancse inaudisse, mihi narrauit. Philippus*, inquit, *ex illustri domo Cominæa, aureique Velleris ornamento splendescente, Carolo Burgundiæ Duci, tunc quum iunior, domesticus familiarior, solúmque Charoloisi Comes erat, tam gratiosus fuit, vt quondam vnà ex venatione reuersus, & consederit cum eo, & iocabundus dixerit: Quin tu Carole his me ocreis exuis? Quod ille quidem fecit, atqui statim eisdem ipsius peronibus Cominæum, ceu pari ioco, miserè contudit: vnde in caput ocreatum Aulæ fabula ac ludibrium. Nam iuxta Rammiri Arragonum regis paræmiam, Nescijt vulpecula cum quo luderet. Quod ille clam ægerrimè ferens, pronius demum auscultauit Ludouico Vndecimo Gall. Regi hospitalis Aulæ Burgundicæ ministros concilianti, atque ad se allicienti. Quam narratiunculam neque vt incredibilem respuo, neque certam assenero.* Quòd si quem subeat admiratio, cur in laudes Caroli Ducis parcior, fusiùs quandóque in Ludouici commendationem erumpat Cominæus: audiat, quid idem Marchantius respondeat: *Porrò Cominæo*, inquit, *non minùs condonandum, quòd in laudes Regis illius Ludouici, cum quo cubiculum mensámque sæpissimè, & mentem semper communem habuit, propendeat: quàm Procopio Belisarium, cui familiaris erat, encomijs oneranti. Hoc potius Flandri gloriæ ducant sempiternæ, quòd nemo in tota Gallia ingeniorum, facundiæ, nobilitatis, habilitatísque copiosissima, apud regem sagacissimum intimæ vi amicitiæ, & consilij, legationúmque vsu dextro, Cominæo Flandro antecelluerit.* Lubet his ex Miræo subiungere, quibus Ludouico fatis absumpto, Philippus noster motibus fuerit agitatus in Gallia; quiúe criminationibus inuidorum superatis, pacificè mortem obiuerit: *Ludouico è viuis sublato, vt liuori ac periculis exteri in Aulis Principum maximè solent esse obnoxij, multum exercitus fuit. Augescente demum inuidia, res eò deducta ab aduersarijs, vt Loscæ, quod oppidum & arx Biturigum est, quasi læsæ maiestatis reus, in vincula conijceretur. Duriter admodum eo in carcere est habitus. Coniux intereà Helena Chambera, quam ex familia duxerat Monsorella in finibus Andegauorum, satagebat, vt Lutetiam Parisiorum duceretur. Quò cùm venisset, aliquanto pòst accersitur in Senatum. Cúmque aduersarios haberet opibus & gratia admodum potentes, adeóque nullum inueniret patronum: causam ipse suam in senatu egit, & horas duas locutus magna cum attentione omnium, ita disseruit, vt à iudicibus innocens dimitteretur. Annos ferè tres in custodia fuit. Insequente anno filiam è cõiuge sustulit Ioannam, quæ posteà Renato Aremorico Pentebriæ Comiti nuptui data; quo ex matrimonio multæ illustres in Gallia familiæ maternam originem hodie ad Cominæum referunt. Obijt autem annos ferè quatuor & sexaginta natus Argentoni Pictonum oppido, quod vxoriæ dotis nomine possidebat, anno CIↃ. IↃIX. XVI. Kal. Septemb. indéque Lutetiam Parisiorum delatus, apud Sodales Augustinianos ad Sequanam, in sacello, quod viuus exstruendum curàrat, tumulo marmoreo conditur.* Refert Iacobus Breulius duas adhuc spectari statuas eo in sacello Parisijs, quas asserunt Philippi Cominæi eiúsque coniugis esse. dein epitaphium eiusdem filiæ ibidem loci adscriptum hunc in modum subijcit:

Lib. 1. Fland. — *In antiquitatib. Parisiensib.* — IOANNA COMINÆA.

Epitaphium dominæ Ioannæ *de Comminis.*

Quingentis annis, bis septem & mille peractis,
In lucem quartam post Idus Martius ibat,
Octauámque parens Phœbus properabat ad horam.
Comminia occubuit generosa à prole Ioanna,
Pontebriæ Comitis *Britanni sponsa Renati,*
Atque Argentonij domino prognata Philippo,
Chamberáque Helena. *mens huic in pace quiescat.*

Verum

A [illegible] tempus est, vt [illegible] quoque lu[illegible] remus, qui splendorem olim ali[illegible] [illegible] peperere. Ioannem [illegible], qui [illegible] Halewini [illegible] Cominium transtulit, eiusque filium [illegible], qui [illegible] S. D[illegible] glande traiectus occubuit, magna lau[illegible] [illegible] ornamentu per bibliothecam & variam [illegible] con[illegible] [illegible] Halewin[illegible] significabitur. De Augerio Gisleno Busbequio, [illegible] inferius abunde narrabimus. Postquam [illegible] Duces per matrimonium vna cum herede [illegible] pueliam [illegible], hoc oppidum trāsijt, Philippus cui [illegible], frequens admodum hic egit; ex eoque & vxore pro[illegible] [illegible] Carolus prodijt, quem primò Chimacen[illegible] [illegible] Arschottanum Ducem vidimus. Eius mentionem dum facit [illegible] [illegible] Marchantius, ita breuiter laudat, paternas vna dotes [illegible] *[illegible] Dynastia Caroli a Croya Prin-*

B *[illegible] litterati, facundique acrimo-[illegible] Dux, [illegible] nus, [illegible] for-[illegible] summa maxima-[illegible]* Quod tam varijs multicoloribus, ele-[illegible] oculos pascant interni ferè omnes arcis parietes, [illegible], cui non parum & maternorum & suorum nata[illegible] [illegible] vero claritudinis huic arci eius exortu accesserit, [illegible] æstimes licet, quòd summis fulserit in Belgio [illegible] Arschottæ Croyæque Dux, Chimaij & Portiani [illegible] Comes, Baroniarum & Dynastiarum aliarum [illegible], supremus Hannoniæ Balliuus, Præfecto-[illegible] Caput, inter Belgas primus a Belgij Principe, [illegible] gestorum laude conspicuus, maximis legationibus

C [illegible] De alijs inferioris notæ hominibus hæc reperio. Ex [illegible] Franciscum Lanæum, qui Canonicus vixit Ipris, [illegible] multifarijs auctorum voluminibus bibliothecam in[illegible] [illegible] qui scholis magna cum laude præfuit, in lucem edi[illegible] [illegible] aliunde profecti nomen aliquod litteris huic oppi[illegible] [illegible] Ioannes Despauterius. Apud Aubertum Mi[illegible] *[illegible] Priscianus, Niniue, quæ Ninoua vul[illegible], [illegible] Grammaticorum sui temporis Coryphæum, ex-[illegible] Petres, Alexandro a Villa Dei, aliisque expli-[illegible] Legerat [illegible] Italos, qui [illegible] omnes, & ex Belgis [illegible] Cu-[illegible] plerasque. [illegible] Dorpio, Barlando, Ba-[illegible] viris familiaritas erat, [illegible] oppido apud [illegible] S. Winnoci, Co-*

D *[illegible] Leonardo [illegible] ô magni animi [illegible]* Quanti [illegible], inde compertum est, quòd in scholis [illegible] commendandum.

[illegible] templum vltimis Belgij tumultibus deformaretur incen-[illegible] habuit, cui versus hos ferunt adscriptos:

H[illegible] vilu præstantior Argo,
[illegible] quem Niniue protulit, at caruit.

[illegible] candido polito que lapide pægma constituitur, vbi memo-[illegible] perpetuum.

[illegible] Cominium seu viuens, seu moriens illustrauit, at S. C[illegible] nobilissimus Christi Martyr cum ex sanctissimo regum Ar-

meniæ

IOANNES HALEVVINVS PATER

IOANNES HALEVVINVS FILIVS.

GEORGIVS HALEVVINVS.

GISLENVS BVSBEQVIVS

PHILIPPVS ARSCHOTTÆ DVX.

CAROLVS PRIMÒ PRINCEPS CHIMAIVS, DEIN DVX ARSCHOTTÆ.

FRANCISCVS LANÆVS.

PETRVS MEGANCK

IOANNES DESPAVTERIVS.

S. CHRYSOLIVS

meniæ coniugio natus esset, atque Archiepiscopalibus insulis fulgeret; has tamen in partes disseminandæ fidei Christianæ gratia, de summi Pontificis voluntate descendit, multúsque operam Cominij dedit, imbuendis Christi doctrina mortalibus: ibíque & ædiculam condidit, & aram erexit peragendis sacrosanctis mysteriis. & hunc denique locum delegit, vbi supremum Christi causa Vrelenghehemi flagellatus, & summo verticè truncatus, spiritum ad aram, quam struxerat, emitteret. Quæ prius de Martyrio eius retuli, hæc omnia partim asserunt, partim non obscurè significant. Cædes, aduentus, mors illic expressa. Cùm vero de sacro altari mentionem faciunt, omnino sanè & in aliquo id templo fuisse, & non à quopiam aliò, quàm S. Chrysolio strui potuisse, nobis intelligendum relinquunt: quandoquidem nullus ante ipsum hunc Flandriæ tractum sacris de vero numine verbis excoluit. Igitur non modò etiam ab illo tempore sanctis eius exuuiis lætatum diutissimè Cominium, sed etiam eius patrocinio semper gloriatum est, ac hominum eius venerandi gratia confluentium celebritate. A

Clades, quibus affectum Cominium.

Verumenimuerò nunc videamus, quæ clades hoc oppidum aliquando deformauerint; quęúe in eo, vel iuxtim præclara militiæ facta fuerint facinora. B

Primùm anno Domini 880. direptum incensúmque ab Normannis fuit Cominium, dum ij sub initia Balduini Calui Flandriæ Comitis immani Flandriam furore corripuerunt. Etenim eos inter locos, qui tunc flammis vastati sunt, Iacobus Meierus Cominium expressè numerat. *(Lib. 1. Annal.)*

Multis exactis sęculis cùm idem oppidum ab Gallis eo tempore captum fuisset Flandrorum negligentiâ, quo Insula obsidebatur, paucis inde diebus impositum illic ab Regè Francorum Philippo Pulchro præsidium anno 1297. insignem de Germanis, quos Bellomontanus, Bergensis, & Marcanus Comites sub Guidone Flandriarum Principe merentes eduxerant Ipris, & Cominium prædabundos adduxerant, victoriam retulit, & inter captiuos Bergano numerato laudem meruit. *(Iac. Meier. l. 10.)*

Ludouici Maleani Flandrorum Comitis temporibus, dum flagrantissimum inter eum Flandrósque bellum ardet anno Christi 1382. tutandi curam Cominij à Philippo Arteuelda Flandrorum Dictatore, Petrus Boscanus acceperat. Attamen priusquam huc præsidium adduceret, Ludouici Comitis nothus Hasa cum Ioanne Iumontio nobili Hannone & centum ac viginti equitibus illuc excurrit. Sed dum transito ponte sublicio, qui Cominij Lisam fluuium committebat, in proximo prædam conuertit; quas possunt pontis tabulas Flandri refigunt, & fibulas, quibus tigna iungebantur, conuellunt, fimúmque superimponunt dolo aptiùs tegendo. Igitur dum crepitantibus vbique turrium campanis, & aduolantibus vndique villaticis hominibus, suos ad pontem Hasa reduxit, vix cum aliquot equitibus celeri eum cursu transiliit, cùm ceteris ingenti agmine subsequentibus, & repentè soluuntur sublicæ, & partem ęcterorum Hasæ Comitum in aquas effundunt, viam aliis fugamque intercipiunt. Ita nonnulli dum labuntur, cum equis fluuij vorticibus absorpti sunt: ex aliis pauci modò euasere; à Flandris reliqui miserandum in modum intermuntur. Rem istam Ioannes Froissartus lib. 2. cap. 113. latè prosequitur; quamquam in eo peccet, quòd Meninensi assignet ponti: In hæc verba eandem Iacobus Meierus constrinxit: *Ludouicus Hasa filius Comitis nothus, & Ioannes Iumontius cum centum & viginti equitibus missi à Comite, vt pontem Cominiensem pro transitu occuparent: vicinos agros pontem transgressi populantur. Sed confluentibus statim Flamingis, timore perterriti per eundem pontem iam semifractum fugiunt. Qui pons postquam iam Hasa cum triginta circiter equitibus transisset, pondere ac mole transeuntium in flumen concidit, desideratique sunt ibi equites sexaginta, bona pars Flandri, partim submersi in fluuio, partim in ripa ab aduersarijs interfecti. Quorundam illorum nomina memorat Froissardus, sed adeò corruptè, vt vix quisquam intelligat. Circumclusi enim ab rustica erant turba, ita vt quamuis pars in amnem se præcipitarent, aufugere tamen non potuerint. Ioannes à Iumonte in graui erat periculo. Cecidit cum multis alijs de ponte in flumen cum equo, sed præter spem tamen emersit multo saucius vulnere. Guilielmus item Lirgonensis nothus valdè vulneratus euasit.* Apud Robertum Gaguinum hanc quoque narrationem contextam *(Lib. 13.)* *(Lib. 9.)* C D

animad-

A animaduerto ; verùm is ex Froissarti sententia Menenis potiùs, quàm Cominio ipsam attribuit. Eius hæc verba: *In hos irrumpere cupientibus aliquot militibus, qui apud Insulam stationem habebant, Duce Halso Comitis Flandriæ notho per Menini pontem Harlam inuadunt: vbi occisis incolis, & bonorum direptione facta, cùm per finitimos vicos classicum, sicut in communi periculo, in Ecclesijs pulsare Halsus audisset, receptui canit. Sed iam magna incolarum vis ad pontem conueniens, pontem per partes effractum fimo & fragili materia contexerat. Eò properantes Franci, rusticorum turba conspecta, sese colligentes per medium hostem viam aperiunt, & ita ponti se credentes primi quidem euadunt &c.* Ceterùm vt potiùs hoc facinus cum Meiero Cominiẽsi ponti adscribamus, sunt quæ moueant. Primùm enim id Chronicon Flandriæ, quòd incerto auctore circa hoc tempus Gallicè fuit compositum, quódque in lucem Dionysius Sauuagius edidit: *Cap. iii.* disertè Cominiensem pontem nominat, ad quem hæc contigere. Deinde tam Froissartus, quàm Gaguinus paullò antè pontes omnes Lisæ fluuio impositos, præter Cominiensem, Arteueldæ iussu disiectos fuisse affirmant, vt Francis in Teutonicam
B Flandriam aditus facilè præcluderetur: vt pronum sit arbitrari vitio scriptorum in Froissarti libros mendum irrepsisse, quod Gaguinus sit secutus.

Postquàm verò paullò pòst Rex Franciæ Carolus in Flandriam aduersus Flãdros pro Comite Ludouico exercitum deduxit: ad eundẽ Cominij pontem rursus exorta est non leuis pugna: cùm Francorum quidam eum pontem reficiendi specie leuibus initio Flandros prælijs lacessunt; alij scaphis iuxta Virouiacum flumen traijciunt, & mox eosdem à tergo interceptos grauiter adoriuntur. Et subinde restituto, vt licuit, ponte, eodem ferè tempore maxima copiarum pars vnà cum rege, auunculis, ac ducibus alijs illac transmissa, totúmque direptum, & incendio vastatum fuit oppidum. *Chronic. Fland. c. iii. Froissart. to. 2. Iac. Meier l. 13. Gaguin. lib. 9. Æmil. l. 9.* Mansissétque semper desolatum & suis obrutum ruinis Cominium, nisi triennio pòst Philippus Audax Burgundiæ Dux Iprensium vrbe potitus, cùm eam lapideo ad munitionem cingit muro, & suburbiorum eius incolas alios aliò mittit, partem eorum, vt antè memorauimus, huic attribuisset, vt noua istæc colonia textrinas pannorum opibus parandis erigeret. *Iac. Meier. l. 13.*
C Hæc qui fusiùs, quàm ceteri auctores, explicet, Ioannem Froissartum inuenio. Ex hoc, & Chronico Flandriæ auctores Latini ea quæ memorant, sumpsere. Apud Æmilium hæc inprimis eleganter scripta sunt: *Lizæ fluminis pontes Flandri ceteros perfregerant: vnum omnino ad Cominas (id propinqui oppidi nomen est) asseruabant. Præmisit Rex Magistrum equitum ad eum occupandum. Hostes ex citeriore ripa, propioréque pontis capite virtute reiecti, pontem interciderunt, ne Regij transirent, Magisterequitum telis tormentisque incessens, in se versos hostes tenuit, quasi de transitu, reficiendóque dispositis operis ponte decertans: sed eo consilio, vt interea delecti milites procul à conspectu nauibus traducti nihil exspectantes Albatos ab tergo adorirentur. Nec id vanum euasit. Circumuenti, cæsique: ac ponte refecto exercitus traductus. Ad tria millia hostium cæsa, quibus custodia pontis credita à Philippo fuerat.* Hęc eadem dum narrat Gaguinus, vnam pontis arcem, ab Flandris dirutam fuisse asserit impediendo faciliùs hostium accessu: vbi per arcem non aliud intelligendum, quàm sublicarum & tabulati partem arbitror. Ista verò subinde memorat: *Sed insequenti eius diei nocte non in-*
D *uẽto vado, cùm pons resistentibus Flamingis nõ facilè restitui posset: Sampus auratus Eques, & aliquot ei amicitia consuetudinéque coniuncti nauibus ex Insula aduectis, Lizam paulatim transmisere &c.* & paullò pòst: *Intereà dum hæc agũtur, Clissonus anxius valdè, quàm temerè sui admodum pauci periculo se cõmitterent, vt hostem, qui põti defensando assidebat, distineret: iubet sagittarijs, pontem instaurent. qui postquam comperit partẽ militum, flumen enauigasse, † liberam dat, vt cuique commodum foret, pontem transmittendi. Per eam noctem Sampus, & qui cum eo in palude armati & vigiles sine vllo somno hostem exspectabant: condixerunt non priùs in hostẽ irrumpere, quàm inuaderentur. Hostis igitur clanculo sub diei crepusculũ magno silentio mouens Francos adoritur. A quibus acerrimè exceptus Petro grauiter vulnerato) cedere loco cepit: móxque in oppidum se recipiens aliquot ædes incendit, vel vt Frãcos inde amoueret, vel suos ad se dispersos reuocaret. Interim Clissonus liberum factũ pontẽ restituere imperat, traijcitque reliquum exercitum.* Atqui hæc Gaguinus de tentato paratóque ad pontẽ Cominiensem in Flãdriam aditu. Quid verò tunc passum fuerit

† libertatem.

F Cominium,

Cominium, idem subijcit his verbis: *Multas ex Cominis opes Francus abstulit, quibus ditatus est maximè. Est enim regionis illius plebs lanificij peritissima, pannos ex eo artificio textos cùm in suos conterraneos atque indigetes, tum in exteros dispartiens. Quæ omnia in potestatem irruentium militum concessere, postquam tria ex illis millia perijssent.* Ex Froissarto indubiè sumpsit hæc Robertus, qui tantam addit pannorum copiam in assitis Lisæ locis repertam, vt Galli pannum vnum Cominiensem, aut Virouiacensem vnico venderent floreno. Hac de clade quidpiam etiam habet Iacobus Meierus, vti omnem quoque de ponte Cominiensi texit narrationem. Illic inter cetera: *Vastatus & incensus omnis ille Lisæ tractus, Cominium, Meninum, Virouiacum, Warnestunum aliàque loca bene opulenta.* De reliquis, si placet, eum consule. A Lib. 13.

Sed rursus anno Domini 1427. fortuitus ignis multas ædes, variámque supellectilem Cominij absumpsit. Et dum ciuili bello nuper totum flagraret Belgium, haud paruam pertulit cladem hic locus. Primùm enim cùm depressam huius oppidi partem, quæ circùm flumine alluitur, & duobus iuncta pontibus castelli speciem præbet, intercepisset Francorum Ductor Nouëus, siue, vt vulgò vocabant, Ferrobrachius, xenodochium tẽplúmque militibus impleuit, vt in arcem regio & Catholico militi aditum præcluderet: nihílque vt reliquum illic Orthodoxæ fidei esset ac religionis antiquę, molitus est perficere. Verùm paucis pòst diebus Mansfeldiæ Comes Carolus non leui septus armatorum hominum manu eò profectus est, omnémque locum subegit, quamquam tria ferè propugnatorum millia defenderet. Haud licuit tamen integro potiri oppido, cùm tẽplum & alia multa ædificia ignis deformauerit. Verùm vix hodie vlla huius incendij vestigia conspiciuntur, longéque pulchrioribus, quàm priùs, plateæ domorum frontibus rident. Inter Chimacensis Principis ditiones hoc oppidum numeratur. Iac. Meier l. 16. La Noüe. Bras-de-fer. B

Halevvinum & Busbecqua.

CAPVT XI. C

HALEVVINVM. SITVS EIVS. HALEVINVM Menenis insigni Flandriæ Teutonicæ oppido (cuius opes partim vis ingens cereuisiæ admodum laudatæ illic coctæ, ac in varias vrbes fluuio curribúsue deuectæ, partim florens telarum mercatus magnas faciunt) in dextero Lisæ margine, loco valde amęno ac fertili, opponitur, & tumulo modicè surgit, quarto ferè ab Insula, secundo à Cortraco lapide, à Cominio paullò ampliùs alterâ leucâ. Celeberrimum olim id municipium fuit; hodiéque aliquam oppidi speciem præfert, quâ præsertim Menenis Insulam regia ducit via, & pulchra ostentat hospitia: quamuis multa bellici furores ædificia priùs incendio vastauerint. Iam inde à multis annorum circulis Flandriæ Comitis venia illi concessum est, vt textrinis pannorum opes colligat. Nunc etiam multarum textura telarum gaudet, quibus inducendi candoris opportunitatem prata vicina fluuiúsque conciliant. Pulcherrimum inerat illi templum; & iuxtà impositum flumini castrum cernebatur, nobilissimæ sedes familiæ, cui cognomen Halewinorum fecerat, priusquam intestina Belgium bella pessumdarent. Verúmque postea hostiles hausere funditus flammæ: maiori tamen templi damno, cùm steterint arcis muri, ad fundamenta dirutis parietibus sacris. Sed non minus illud nobili opere, quàm antea elegans firmúmque steterat, nunc resurgit. Cùm ciuilibus Flandriæ motibus (per quos hoc in loco sacra prophanáque iniectis ignibus arserunt ædificia) Menenas fidei Orthodoxæ, & Hispaniæ Regis hostes insiderent, indéque agrum Insulensis nominis frequenter popularentur, ac Insulas vsque terrorem flammásque circumferrent: Alexander Dux Parmensis eorum incursionibus coërcendis regium hîc castellum excitauit, ac circumductis munitionibus terreis, validum ei pręsidium imposuit, Insulensibus & operis, & militibus sumptum libenter (id enim erigi desiderauerant impediendis hostium maleficiis) ac liberaliter pendentibus. Haud diutiùs tamen id propugnaculum substitit, Halewin. CELEBRITAS. CLADES. D PROPVGNACVLVM.

quàm

A quæ Marienæ aduersis armis terrori fuere. His enim tandem ex hostibus receptis, in plana deiectum est eiusdem Ducis mandato.

Ceterum nobilissimi quondam viri vel in huius municipij arce olim vitam hauserunt, vel alibi nati cognomentum ab ea gentile traxerunt, & præclaris sese facinoribus apud Flandriæ Principes magnos præstitere: de quibus nunc aliquos dabo. VIRI ET HALEVVINORVM FAMILIA INSIGNES.

Ioannem Halevinum inter milites, hoc est, equestris ordinis viros, iam tum anno Christi 1243. claruisse, itémque Rogerium Halevinum, ex Roberti Attrebatensis Aduocati, & Rogerij Halevinensis Præpositi litteris deprehendo: vnde certò colligatur insignes eos homines bello fuisse, cùm ea dignitas illa tempestate magnum esset virtutis bellicæ præmium decúsque. IOANNES. ROGERIVS.

Floruit postmodum anno Christi 1320. Flandriam obtinente Roberto Bethunęo Rogerius alter & armorum peritia præclarus, & equestrem ideò dignitatē adeptus. ROGERIVS. *Meier. l. 11. Marchant. l. 2.*

Gualterus Halevini toparcha paucis inde annis cum Guidone Ryckemburgensi Ludouici Niuernij Flandrorum Comitis notho aduersus Anglos in Casantia Insula B fortiter pugnans vitam ferro perdidit. GVALTERVS. *Chron. Ternac. MS. Meier. l. 12.*

Inter præclaros Angliæ Regis Eduardi ductores eo bello, quo Philippum Franciæ Regem infestabat anno 1339. & Cameracum obsedit, Halevini dominum fuisse reperio: nullum tamen eius nomen proditur. *Meier. l. 12.*

Gualterus alter eidem loco imperitans magnam militaribus factis consecutus est laudem, equestrique symbolo donatus insignem Comiti Flandro inter bella operā præstitit. Verùm is Cortraci à Gandensibus, Brugensibus, & Iperanis eam vrbem AN. 1381. inuadentibus, cum fratre Spirensi Domino captus, infelici exitu vitam clausit ob impactum, verène an falsò, plebis oppressæ crimen. Luère tamen paullò pòst Flandri aduersum nobilissimæ genti iudicium, vbi horum virorum propinqui ad Viuam S. Eligij Gandenses fœdè ceciderunt, idem Brugensibus & Iprensibus facturi, nisi tempestiua eos ferro fuga subtraxisset. GVALTERVS. *Epitaph. eius. Iac. Meier. l. 12.*

In eiusdem pagi dominium alius quoque Gualterus Halevinus successit, magni C vir ob militarem laudem nominis. Inter eos Flandriæ nobiles, qui Aldenardæ artissimo a Gandensibus aduersum Flandrensem Comitem tumultuantibus obsidio premebantur, eamque vrbem tutati sunt anno 1379. vltimus minimè fuit. & quò plus caperet animi ad ferendam hostium impressionem, quo die Gandenses acerrimè *vrbem adorti sunt*, equestri cinctus est baltheo. GVALTERVS.

Etiam Iodoco Halevino insignem militiæ laudem peperit virtus, & obita pro AN. 1380. Comite Maleano pugnam imperante mors non interituram memoriam obtinuit. Ad Pontem Longum in Flandria is cecidit hostes aggressus: damnúmque huius familiæ, & Comitis dolorem Tristani Halevini casus, qui priùs cum Gualtero rem fortiter Aldenardæ obsessus egerat, duplicauit, cùm is vnà prælium ciens occubuit. IODOCVS. *Ioan. Froissart. Iac. Meier l. 13.* TRISTANVS. *Iac. Meier. l. 13.*

Viget quoque plurima Danielis fama, qui magna primùm enituit virtute cum Io-AN. 1381. doco, & Tristano Aldenardæ obsessus; quémque posteà Ludouicus Maleanus alio tempore, Gandensibus iterum rebellantibus, eidem vrbi cum præsidio imposuit, ac tutandis mœnibus præfecit. Adeò siquidem strenuam illic operam Principi suo im-D pendit, vt sex mensium obsidionem fortissimè tolerauerit, donec hostiles copiæ aduentu Philippi Burgundionum Ducis dilaberentur. DANIEL. *Chron. Fland. Froissart. l. 2. Iac. Meier. l. 13.*

Emicuit quoque militari gloria Gislenus Halevinus, quem Philippus Burgundiæ Dux cognomento Bonus ante prælium Vimiacense auratum equitem creauit. Sed quamuis fortiter ea se pugna gesserit, viuus tamen in hostium venit potestatem. Attulit ei laudem oppressus ipsius vigilantia & prudentia ingens Gerardimonte, cui præerat, tumultus ciuium, quo in magistratus arreptis armis inuolabant. GISLENVS. *Monstrelet. l. 2. Iac. Meier. Lud. quem in vide.*

Comparauit etiam præclarum decus militaris fortitudo Ioanni Halevino, qui Burgundiæ Ducem Philippum in Hollandiam bello secutus est. Ibi námque pugna feliciter aduersus Iacobæ Bauaræ Duces conserta, in ordinem auratorum equitum adlectus est Philippo ceremonias adhibente. Eum mihi persuadeo fuisse, qui posteà reguli Halevini, & Burgundionum Ducis Consiliarius, & Cubicularius mortem oppetiit anno 1441. & Halevini sepulturam obtinuit. IOANNES. *Iac. Meier. l. 16. Epitaph. eius.*

BALDVINVS. *Iac. Meier. lib.* A An. 1465.

Haud minus militari scientia & fortitudine imbutum fuisse Balduinum reperio, quem nostrates Annales ad Montem Henricium memorant occisum, quando Carolum Audacem secutus contra Francos animosè pugnam iniuit. Ab eadem virtute laudem meruit Ioannes; qui per nuptias cum Ioanna Cominiensi contractas, Halewino Cominium eiúsque ditionem adiunxit. Dein eiusdem nominis filius, qui ductor equitum Carolo Quinto Cæsari S. Desiderium oppugnanti fidelem præstans operam, sclopo ictus cecidit.

IOANNES. *Epitaph.* IOANNES. *Epitaph.*

Verùm vt à laude & virtute militari ad studia litterarum transeamus, non caruit hæc viris familia, qui magnam sibi prudentiam & gloriam à varia rerum cognitione comparauerint. Halewini toparcha Georgius, qui Cominium (cuius etiam dominio potens erat) iucundiùs incolebat; mira doctrinę cupidine exarsit, eiúsque augendę gratia incomparabilem omnis generis librorum multitudinem in pluteos eleganter aptatos congessit.

GEORGIVS. *Iac. Meirbant. lib. 1. Fland.*

FRANCISCVS. IOANNES. *Iac. Meirbant. lib. 1. Fland.*

Ab huius diligentia, & litterarum cupiditate non abscessere Gentiles eius Franciscus & Ioannes. Hi enim cum germani fratres essent, illéque Zueveghemi rerum potiretur, hic Voxfriæ toparcham ageret; ad hauriendam è libris sapientiam animos vertêre: tantúmque nominis inde sibi conciliauêre, vt Franciscus Cortraco pręficeretur, Ioannem Iprenses Consulem eligerent. His temporibus Halewinum possidet Chimai princeps patre Arembergę Principe, matre Arescbottæ Ducis filia, progenitus. B

ARX LESPIERIA. Lespierre.

Haud procul Halewino Linseliam versus fœdæ conspiciuntur Lespierij Castri ruinæ, insignis quondam elegantiæ, & amœnissimi loci testes. Verùm vltimi Belgicæ tumultus hunc in modum deformauere.

BVSBECQVA. Bousse-becques.

Halewinum inter & Virouiacum Busbecqua Lisæ obiacet, arce quondam, nunc Baroniæ titulo nobilis. Castri pars inferior etiam modò consistit porticu & alijs ædificiis visenda; editiorem & munitiorem, vbi Comarchi sedes erat, incendium ita corrupit, vt soli perstent parietes certo insignis structuræ indicio. Eius pagi templum alioqui pulchrum & magnum miserabilis solo casus afflixit. Nam detracto tectis plumbo, sensim pluuia corrumpente, triplex culmen eadem traxit humi ruina: plus scilicet nocente socordia, quàm hostilibus flammis, dum aduersæ starent Menenæ vltimo Flandriæ motu. Huic loco diu imperitauit pernobilis Gisleniorum familia, quæ suis multam ætatem factis ornauit. Seruantur adhuc pulcherrima & pretiosissima huius in templi ornatum collata vestium sacrarum munera. Præclarum eius gentis decus floruit Augerius Gislenus Busbecquius: quem licet Cominij furtiuo & illicito concubitu ortum, altúmque velint nonnulli; tamen hoc loco conuenientius ob insignes animi virtutes (quibus non modò meritus est abstersa natalium nota inter legitimos Gisleniæ gētis successores edicto Regio censeri, verùm etiam inter auratos equites cooptari) laudare decreui non tam meis, quàm Auberti Miræi verbis, qui multa eius nobilissima facta in Elogiis Belgicis ita breuiter complexus est. *Quod paucis admodum vsu venisse comperi, vt in tractandis reipublicæ negotijs, ad magnum doctrinæ nomen peruenerint: id Busbequium adsecutum, cuius omnis vita publicis legationibus obeundis districta fuit, magnam profectò habet præcellentis ingenij admirationem. Is nobili & peruetusto Busbequiorum apud Flandros genere Cominij (vnde Philippo Historicorum nostratium principi cognomen) natus, adolescens Venetijs Ioanni Baptistæ Egnatio, pòst Bononiæ & Patauij alijs doctis hominibus, in eloquentiæ studijs operam dedit. Ætate grandior à Ferdinando Aug. opera Petri Vanderani Belgæ (qui tum illi à Secretis, qui postea de Priuilegijs Creditorum scripsit) Viennam Austriæ euocatus, huic ipsi, & Maximiliano filio in republica gerenda ita se probauit, vt nullius ferè magis consilio ac prudentiâ Cæsares niterentur. Huius etiam Augustos liberos Matthiam, Maximilianum, Albertum, & Wenceslaum optimis moribus informauit. Cúmque in omni administrationis genere excelleret, tum verò in Legationibus enituit, quibus compluribus magna cum gloria ad summos Principes assiduè functus est. Quarum illæ in primis insignes fuere Constantinopolitana, & Amasiana, quas etiam litterarum monumentis eleganti stylo mandauit, & Nic. Michaultio, viro clarissimo, amico veteri, ac studiorum multos annos in Italia socio, inscripsit.* C D

AVGERIVS GISLENVS BVSBECQVIVS.

Nec

A *Nec otiosa illa profectio. Nam & animantium Orientis naturas, veteresque Inscriptiones,*
vt Ancyranam, quam cum Andr. Schotto, suo tunc contubernali; & herbarum naturas,
quas cum Andr. Matthiolo communicauit, inuestigando cognouit. Quin & plurima tum
Græca, tum Latina in membranis calamo exarata volumina, media in Græcia studiosè
collecta, in Cæsaream Viennæ Austriæ Bibliothecam intulit. Rei etiam bellicæ cognitionem
vsu atque obseruatione adeptus, salubre de Turcico bello Consilium posteritati transcripsit.
Byzantio reuersus, Isabellam Austriam Carolo IX. verè Christianissimo Regi nuptum da-
tam, in Galliam duxit, eiúsque Aulæ præfectus, & pòst Rudolphi Cæsaris Legatus ibidem
exstitit. A quo iam septuagenarius cùm semestre spatium, vt patriam, amicos, auitúmque
inuiseret hæredium, impetrasset, per Normanniam bellis ciuilibus impeditam, Belgium
versus iter instituit. Dumque in vico Callia hospitatur, violenta militum manus ex arce
vicina, nocte intempesta hospitium irrumpens, senem rapit, & equo impositum abducit.
Ille quiritare, vim sibi fieri, prædam contra ius gentium de Legato agi: nec Præfecti Rotoma-
gensis iussu (vt prædones iactabant) sed rapinæ causa, scrinia sua auferri. Qua animi magni-
B *tudine territi, scrinys tabulisque illæsis cum diluculo in integrum restituunt, maléque conscy*
diffugiunt. Consolatur per litteras Præfectus, seque crimen vlturum promittit. At ille quietè
se magis animi, quam iniuriæ vindictam postulare, vt erat generosus, respõdet. Iam tum enim
lethalem ægritudinem præsagiens, in vicinas ædes matronæ lectissimæ toparchæ Maillocẽsis,
ad fanum D. Germani deferri se iubet: vbi vndeuicesimo pòst die vita decessit, magno sui
bonis doctisq; omnibus, quos fouerat, relicto desiderio. Panxit in eius mortẽ tumulúmque
hos versus Belgicæ nostræ clarissimum lumen Iustus Lipsius, vt refert idem Mirçus

Augerius istic est situs Busbequius;
Quis ille? Quem virtutis & prudentiæ
Habuere carum gratiâ ipsi Cæsares.
Hunc aula eorum vidit, aula & extera
Asiæ Tyranni. Quæ viri felicitas?
C *Probauit hac, & illa: in omni tempore,*
In munere omni Nestorem se præbuit
Lingua atque mente. Iam quies eum sibi,
Et patria hæc spondebat: eccè sustulit
Viam per ipsam miles, incertum an latro.
Sed sustulit, simúlque sidus Belgicæ,
Quod nunc choreas fulget inter astricas.

Pulcherrima sunt equidem Augerij encomia, quibus eas litteras impleuit Ferdinandus Imperator, quas tunc amplissimas conscripsit, cùm inter auratos equites ob frequentia merita eum adlegisset Maximilianus Romanorum Rex, consuetáque ipse priuilegia impertiretur: Quarum hîc potissimam tibi partem repræsentamus.

Ferdinandus diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augu-
D *stus &c. Nobili, fideli, nobis dilecto Angerio à Busbeck equiti aurato, Consiliario nostro*
gratiam nostram Cæsaream, & omne bonum. Cùm nihil sit inter mortales sublimius Im-
periali Maiestate, & Celsitudine, quam Deus Optimus Maximus cæteris humanis dignita-
tibus eminere voluit, vt micantissimis radijs suis terrarum orbem, & commissum Impe-
rium illustret; par equidem est, vt quem Deus ad fastigium hoc euexit, is etiam dignitatem
& munus sibi demandatum ita administret; vt quàm fieri potest, in hac vita quàm proxi-
mè accedat ad exemplum diuinæ eius Maiestatis, à cuius nutu tota huius mundi machina
dependet, nullisque finibus clementiam & liberalitatem suam teneat circumscriptam,
sed in omnes eam exerceat, præcipuè quos summa virtus, prudentia, doctrina, integritas,
ac rerum vsus, aliæque ingenij & animi dotes, necnon præclara in rempublicam Chri-
stianam merita præ cæteris claros reddidere, omnem in eo operam & diligentiam adhi-
bendo, necubi virtutem debitis præmijs destituisse videatur. Etsi enim virtus seipsa facilè
sit contenta, neque magnoperè indigeat alienæ laudis adminiculo, quam alioquin etiam honos,

amplitudo, & gloria, vt certißima præmia, sponte plerúmque sequuntur: fit tamen, vt si A
quando illa Summorum Imperatorum, ac Regum iudicio atque decreto comprobetur, multo
illustrior, & clarior euadat; & alios quoque non tam ad admirationem quàm imitationem
& studium accendat. Quâ in re sicuti olim diui prædecessores nostri Romanorum Impera-
tores ac Reges omnem adhibuere curam, sic nos quoque hunc eorum laudatißimum morem
secuti in eandem semper curam & cogitationem incubuimus, vt optimorum virorum de no-
bis, atque Republica benè meritorum virtus à nobis condignis honoribus cohonestaretur. In
quorum sanè numero cùm te præfatum Augerium à Busbeck haud postremum locum obtine-
re compertum habeamus: æquum est profectò, vt in te ipso nostram erga tales homines cle-
mentißimam animi propensionem omnibus declaremus & contestatam reddamus, idque
eiuscemodi ornamenti genere, quod virtutibus ac meritis tuis quàm maximè respondeat. Tu
namque nobili & honesto loco in Belgia natus ingenij acûmen, & vim, quod Deus tibi dedit
præstantißimũ, vitæ morúmque honestate, probitate, ac bonarũ litterarum studijs, diuersita-
te linguarum, multarúmque rerum cognitione, & alijs plurimis excellentibus animi dotibus
ita excoluisti, vt ad grauißima & maxima quæque Reipublicæ negotia exequenda visus B
sis aptus esse. Quapropter cùm existimaremus te aliquando nobis magno vsui futurum, haud
grauatim te in Aulam nostram recepimus, vbi quidem nostræ de te exspectationi non modò
cumulatè satisfecisti, sed eam longè quoque superauisti. Cum enim superioribus annis nobis
occurrissent ardua quædam negotia, de quibus à nobis mittendus erat ad Solymannum Tur-
charum Principem Orator, qui fide, prudentia rerum vsu, atque industria præstaret, te ex
Anglia reuocatum, quò tunc temporis iussu nostro profectus fueras, ad id muneris suscepi-
mus, quo magna tua cum laude, & ingenti nostro ac Regnorum dominiorúmque nostrorum,
immò totius reipublicæ Christianæ commodo octo annos functus es, confecta ad postremum
inter nos & ipsum Turcharum Principem octennali pace. In legatione quas sustinueris cu-
ras, incommoditates, molestias, quos tuleris labores, quæ vitæ pericula subieris, quam etiam
ostenderis in rebus agendis ingenij vim, quam fidem, quàm sollicitudinem, quam solertiam,
prudentiam, & industriam, quam intrepidi animi constantiam; & qua denique vsus sis
pietate in redimendis, iuuandis & fouendis miseris Christianis, qui Constantinopolim tuo C
tempore in fœdam captiuitatem adducti fuerunt, magno etiam fortunarum tuarum dispen-
dio, nimis longum esset singillatim recensere. Illud profectò consequutus es, quòd non omni-
bus, qui talem prouinciam suscipiunt, ne dicamus perpaucis contingere solet, vt non modò
à nobis, ac serenißimis filijs nostris, & alijs sacri Romani Imperij Principibus, Sta-
tibus, & Ordinibus summam gratiam inieris; verùm etiam ipsismet Turcis, propter vir-
tutes tuas, quas naturæ instinctu in te perspexere, & admirati sunt, valde gratus exstiteris.
Quare meritò probandum est præclarum de te iudicium Serenißimi Principis Domini Maxi-
miliani Secundi Romanorum, ac Hungariæ, & Bohemiæ &c. Regis, Archiducis Au-
striæ &c. filij nostri charißimi, in eo, quòd te dignum & idoneum reputauerit, quem dapi-
feris Serenißimorum filiorum suorum Rudolphi & Ernesti Archiducum Austriæ charißi-
morum nepotum nostrorum, cum proficiscerentur in Hispanias, præficeret. Quòd si ergo olim
apud veteres, qui lucta, aut saltu in Olympiaco stadio celebres Athletæ virium suarum
specimen aliquod egregium edidissent, diuinis propemodum honoribus affici, qui verò in bel-
lo vel murum primi ascendissent, vel ciuem morti subduxissent, corona vel murali, vel D
ciuica donari soliti fuerunt; & nostra quoque ætate, qui vel cum hoste singulari certamine
congressus victor euasit, vel in prælio strenuam præ cæteris operam nauauit, vel aliàs rem
bellicam cautè, & rectè administrauit, Auratæ militiæ titulis insignitur: quantò magis tu
Augeri tali dignitate condecorandus fuisti, cui non cum vno homine, nec vno prælio, per
vnum, aut alterum mensem res gerenda, sed totos octo annos cum gente Christiano nomini
infensißima, adeòque cùm eiusdem gentis Principe potentißimo, ac pluribus victorijs &
successibus elato, cum ipsius præcipuis Consiliarijs & ministris callidißimis & versipellibus
diésque noctésque acerrimè dimicandum fuit: quorum potentiam & nepharios impetus tu
diuino adiutus auxilio tua prudentia, industria, ac rerum agendarum dexteritate, postpo-
sitis quibuslibet periculis, infracto animo sustinuisti, & à ceruicibus Regnorum ac domi-
niorum nostrorum auertisti. Quæ cùm ita se habeant, optimo certè consilio factum est, quod
præfatus Serenißimus Romanorum Rex superiore mense Septembri, quando paterna volun-

tate

A tate nostra Rex Hungariæ renuntiatus, publicatus, ac Regali corona insignitus fuit, te publicè inspectantibus & grato applausu probantibus, ac suffragantibus Prælatis, Proceribus, Ordinibus & Statibus eius Regni nostri, quorum saluti & incolumitati potissimum studueras, ictu ter vibrati ensis benedicti militem, seu equitem auratum fecerit, atque creauerit, quia te & eo, & alijs longè clarioribus ornamentis dignum censemus. Et licet ad perpetuam gloriam tibi sufficere queat publicus ille Serenissimi filij nostri Romanorum Regis actus, neque is vlla approbatione Cæsareæ & paternæ auctoritatis nostræ opus habeat, pro nostra tamen in te mirifica benignitate, volumus te eam dignitatem ab Imperiali quoque culmine obtinere, quò luculentius sit in omnem posteritatem virtutis tuæ testimonium. Itaque nos ipsi etiam te antedictum Augerium à Busbeck militem, siue equitem auratum fecimus, creauimus, ereximus, ac præsenti nostro Cæsareo edicto ex certa scientia & auctoritate nostra Imperiali militem & equitem auratum facimus, creamus, & erigimus, & ad statum militarem assumimus, militarisque cinguli & Balthai decore, fascibus, & titulis, atque stemmate militiæ insignimus, ac cingentes te gladio fortitudinis, & ad omnia B ad hunc ordinem pertinentia ornamenta tibi conferentes, hoc nostro Imperiali edicto statuentes, vt deinceps vbique locorum & terrarum pro vero milite & equite aurato habearis, honoreris, & admittaris, possisque & debeas pro suscepto dignitatis equestris ornamento, torquibus, gladijs, calcaribus, vestibus, phaleris, seu equorum ornamentis aureis, vel deauratis, ac omnibus & singulis priuilegijs, honoribus, dignitatibus, præeminentijs, Franchisijs, iuribus, insignibus, dignitatibus, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus, prærogatiuis, & gratijs tam realibus, quam personalibus, siue mixtis, & alijs quibuscumque militaribus, artibus & officijs vti, frui, & gaudere, quibus cæteri milites & equites à nobis stricto ense, manu, & verbo nostro creati, ac eiusmodi ornamentis insigniti gaudent & fruuntur, & ad ea admitti, ad quæ illi admittuntur quomodolibet, consuetudine, vel de iure, absque alicuius contradictione, vel impedimento. Mandantes vniuersis & singulis Principibus &c. Datum in ciuitate nostra Vienna, die tertia mensis Aprilis, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Regnorum nostrorum Romani trigesimoquarto, aliorum verò trigesimo octauo.
C

Hemum, VVasquehalium, Marqua Bondua.

CAPVT XII.



Hem: NOS nunc pagos inuisamus, qui iuxta Marquæ aquas consident. Hic in primis Hemum cernitur pagus certè nobilis, magnúsque. Marquæ amnis beneficio pascuis multis abundat. Arcem & firmam, & magnificam habet veteri partim structione, partim noua. Templum ab exteris frequentatur, quos eò pellicit S. Cornelij Pontificis Romani veneratio cultúsque. Illatam huic pago cladem anno ferè 1480. per belli tempestates inuenio: ac tum inter alia eius ædificia D flammis correpta, templum arsisse funditus. En quæ hac de re Ferricus de Clugniaco Cardinalis, & Tornacensis Episcopus: *Cupientes igitur, vt Parochialis ecclesia de Hem nostræ diœcesis, quæ nuper tempore guerrarum his in oris, pro dolor! vigentium combusta & destructa exstitit.* HEMVM. Litt. Ferric.

Qui splendorem huic loco vel genere, vel factis attulere, nonnullos inuenio. Ioannes eius toparcha datus est Gallo-flandriæ Gubernator anno post millesimum & trecentesimum septuagesimo, eam vt prouinciam capesseret, meritis impetrantibus. IOANNES HEMI TOPARCHA.

Dum laberetur annus 1482. vitam cum morte mutauit Ioannes alter huius loci regulus, qui suscepto ad sacra Palæstinæ loca itinere, S. Sepulchri eques fuerat creatus, magníque Hemi cognomen à factis ingentibus obtinuerat. IOANNES MAGNVS HEMI DOMINVS.

Qui nunc imperat Hemensibus è liberis nobilissimi viri Maximiliani Villani à Gandauo Isseghemij Comitis, & Rasseghemij Baronis, totiúsque olim Gallo-flan-

driæ Præfecti, Guillebertus arcis Rentiacæ Præfectus insigni opere præcipuam arcis partem condidit, aliámque decorauit. A

VVASQVEHALIVM. Abest inde propiùs Wasquehalium. Huius memoriam vetera ingerunt monumenta: datámque ipsi parochialem ædem inuenio, Tornacensem Episcopatum moderante Waltero Crucio. Agro pingui, & lanificio is pagus laudabilis. Ab eo iam diu familia nobilis cognomen induit Wasquehaliæ. Iam tum ex ea quidam opibus & virtutibus clarebant, cùm Walterus Crucius Wasquehalij parochiam instituit. Etenim Ioannes Wasquehalius equestri donatus ordine, eiúsque coniux, perpetuos census è possessionibus suis assignauere, quibus templi Curio aleretur. Et diu antè *Ernulphus de VVasceal* cum aliis magni nominis nobilibus Philippi Elsatij Flandriæ Comitis Phanopinensis Monasterij bona confirmantis diplomati subscripsit. (VVasquehal.) (*Littera fund.*)

MARQVA. Non multum inde ad cognominem fluuium Marqua distat, situs in Bareulio pagus. A Comite Balduino Insulensi Marcham in fundationis ecclesiæ D. Petri Insulensis litteris appellari video. Eleganti templo, & insigni populi multitudine, cuius pars agrorum cultui, pars lanificio dat operam, conspicuus is locus. Eius præsertim raphani teneritudine & pellucido colore laudabiles. Ad breue tempus olim hic pagus Sanctimonialium habuit Parthenonem, qua via ducit Insula Cortracum, haud procul ab eo ponte, qui fluuio Marquæ est impositus. Verùm eius fundatrix Ioanna Flandriæ Princeps in extimum Marquettensem agrum ob id præsertim transtulit, quòd viæ celeberrimæ vicinia multum quieti virginum afferret incommodi. Intra fines eiusdem pagi Marquensis cæsi non leuiter hæretici sunt, quo tempore Belgium ab impiis hominibus aduersus res sacras admodum graue perpessum est bellum. Cornelius quidam inter Catholicę fidei hostes minimè vulgaris motuum concitator, satis magnam hæreticorum turbam contraxerat, armísque instruxerat, vt agrum Insulensem popularetur. Sed vix Marquam is cum suis peruenerat, cùm Baro Rasseghemius Insulensis Gubernator eductis præsidio ciuibúsque, fortiter illic aggreditur, ac multis ferro peremptis, in fugam ceteros vertit. (Marque en Bareulle, ou lez l'Isle.) B

BONDVA. Marquæ proxima est Bondua. Frequentes hanc textrinæ pannorum celebrem faciunt. Maximam eorum vim conficit, quos estamettas nuncupant, ob industriam opificum, & lanæ bonitatem præcipua semper laude & pretio. Huius opificij causa non caret aliquo Magistratu, qui ius in pannos ab incolis confectos habeat, vel approbandi, vel reiiciendi potestate præditus. Toparchæ castrum plus habet vetustatis, quàm elegantiæ intuentibus obiicit. Dum illic olim Franciæ Rex Ludouicus Hutinus aduersus Flandros bellum gerens cum magno exercitu sub pellibus hæreret, grauiter in eum pugnantibus continuis imbribus, & lentissimis soli salebris aduersum sibi numen sensit, acceptóque ingenti damno fugam capessere coactus fuit anno 1315. ea de re non grauabor Roberti Gaguini verba hîc attexere: *Et in rebellione persistentibus Flamingis bellum indixit. Sed ad Lisam fluuium cum admouisset, tantis imbribus terra, quæ palustris est, emollita est, vt equi genuum tenus in luto continenter essent: nec commeatus importari ad castra nisi magno labore poterat: ita vt singulis vini dolijs vehendis triginta vix equi sufficerent. Quæ res cùm quotidianas difficultates militi afferret, regem adduxit bello abstinere: & cùm tentoria & belli impedimenta propter luti iniquitatem educi potestas non fuit, cuncta magno suo damno miles cremauit.* Ita quidem Gaguinus nulla Bonduæ facta mentione; & magna profectò difficultatum exaggeratione, vt fugæ turpitudinem abstergeret. Verùm circa Bonduam Regem exercitum collegisse asserit S. Martini Tornacensis Chronicon: in eóque diu pago ipsum hæsisse prorsus affirmat id Flandriæ Chronicon Gallicè conscriptum, quod Dionysius Sauuagius in lucem protulit. Tornacense Chronicon sic loquitur: *Et coadunauit Rex exercitum suum circa Bondues, & cœpit appropinquare villæ Cortracensi, Flamingis comparentibus ex aduerso.* Ex altero autem Chronico hæc Iacobus Meierus de Hutino scribens: *Nam postquàm statim fortiter aggredi nostros dubitaret, atque apud Bonduam se castris contineret, suóque more Galli nostros cunctatione frangere optarent: paulatim à nostris viarum transitus obsideri cœpti: qua ex re secutum, quod necesse erat, vt malignius ad Gallos importarentur commeatus. Simul leuibus prælijs hostes à nostris tentati* (Bondues.) C (FRANCI QVONDAM HIC MALE EXCEPTI.) (*Lib. 7. gest. Reg. Franc.*) D (*Cap. 18.*) (*Lib. 11.*)

vix

A *vix resistere potuerunt, adempta equitibus pugnandi potestate, ideò quòd in tellure decliui, imbre continenter madente equi altiùs hærerent, séque expedire nequirent. Igitur Galli nisi fugam maturassent, circumclusi prorsus fuissent, ita vt nec effugere licuisset, nec commeatum à ... accipere; miserriméque vinci ac confici paruo negotio potuissent. Idcircò cum hæc sibi imminere haud dubiè intelligebant, omnes ea nocte, quæ duodecimam diem Septembris præcessit, quàm celerrimè potuerunt, Insulam versus, quà exitus adhuc patebat, se proripuerunt. Qua re animaduersa Flandri, quibus omnes difficultates itinerum ac compendia erant nota, celeriter insecuti effecerunt, ne sarcinas armorum, aliasque res colligendi haberent spatium. Potiti ... poculis, pateris, scyphis, cantharis, vasisque alijs argenteis, ac stanneis, rebúsque alijs ... adeò multis, vt auditu, inquit scriptor Gallicus, sit incredibile.*

CLADES BONDVANA.

Ætas nostra Bonduæ templum, & præcipuam ædium partem iniectis ab rebellibus flammis primùm ardere conspexit, dein vtraque nouis operibus eleganter resurgere.

QVIDAM EX FAMILIA VETERI BONDVANA.

Inter eos viros, qui nobili genere conspicui Bonduorum induêre cognomen, B emicuit olim Alardus de Bondues Insulensis Canonicus, quem litteris Rabodonis de Rumes quadam Insulensi ecclesiæ donantis mancipia subscripsisse video, dum flueret Christi annus post millesimum & centesimum secundus & nonagesimus. Floruit postea equestri dignitate Ioannes, cuius mentionem facit Ioanna Flandriæ Comitissa, quo diplomate Marquettensis Monasterij bona complectitur.

HAMESII BONDVINENSIS TOPARCHÆ.

Eorum, qui postmodum Hamesiorum cognomine hoc in pago dominati sunt, equites duos inuenio, quorum virtus bellica laudem meruit, dum fortiter pugnando cecidere. Horum prior fuit Robertus Azincurtiano prælio cæsus: alter Hugo ad Montem Henricium oppressus, vt ex eorum epitaphijs colligo.

VLTIMI HVIVS PAGI DOMINI.

Ex vltimis huius loci dynastis insigni memoria dignus est Oudardus Bournonuillius Henniacensis Comes, qui præfectura vrbis Atrebatensis, & militari scientia clarus Atrebatum & Audomaropolim à præsentissimo discrimine liberauit, cùm dissideret à Catholico Rege Philippo Belgium, & aliquid ad conciliandos Principi suo C Gallo-flandros contulit vltimis intestinis motibus. Quem vnicum reliquit, quemque Rex Galliæ Bournonuillium Ducem creauit, filius eius tum hîc, tum Wasquehalij imperat modò. Vnicam hîc habet toparchiam & prætorium *Lassus* Lassusij Dominus, è nobili ac vetusta profectus Wasqueliorum familia: cuius parens ob militarem prudentiam regio Menenarum præsidio fuit præfectus.

Marquetta, & in finibus eius Abbatia Reclinatorij B. Virginis, Ordinis Cisterciensis.

CAPVT XIII.



D Marquette lez Lille.

MARQVETTA.

QVAE Deulæ fluminis ab Insula sinuosis flexibus Lisam petentis marginibus incumbunt, ea nunc ab nobis lustranda sunt. Ex his Insulam propiùs aspicit Marquetta vix inde passus mille abiuncta. Non multum hic pagus agri complectitur, paucásque numerat ædes. Aquarum ei copiam, insignem res euehendi aduehendiúe opportunitatem, pascuorum virorem & voluptatem Deulæ amnis, & in eum influens Marqua procurant. Quod præcipuam ipsi famam ciet, præclarum ac vetustum est Reclinatorij B. Virginis Monasterium à Virginibus D. Bernardi se disciplina percolentibus insessum; éque Marquensi parochia ipsis fermè fundationis initiis, vt anteà significauimus, translatum. Ad extimos huius pagi limites id assurgit magnis & varijs ędificiis, multúmque soli partim aquis Deulæ, partim murorum ambitu claudit. Multam ei commoditatem amnis vicinia, deductaque ex eo incilia, pratorum herbæ, alneta & saliceta, agri sationibus idonei circumquaque afferunt. Huic sacro loco perbenè iis opibus instructo, quæ multis Sanctimonialibus alendis sufficiunt, parens eius Ioanna Ferrandi Lusitani primùm, ac

ABBATIA MARQVETTANA.

deinde

FVNDATRIX EIVS IN EA VERSATVR, ET MORITVR.
Vett. Mon. MSS. Marquett. Abb. Mon. MS. Marquett.

deinde Thomæ Sabaudi coniux, & Flandriæ Princeps, claritudinis plurimũ attulit; vel cùm illic frequenter à turbis, & tumultibus aulicis semota, spiritualibus animum deliciis pascebat, cęlóque inhiabat auidiùs; vel cùm sub vitę finem, ex Thomę secũdi mariti sententia religionis habitum induit, paucísque pòst diebus inter Virgines suauissimè animam efflauit. Huius exemplum quadátenus secuta est soror eius Margareta, quæ Flandriam prudentissimè & fortissimè moderata est. Quippe rerum etiam cælestium cupida huc persæpè à tumultibus aulicis confugiebat, vt in læto virginum cœtu & quietem caperet, & animum disciplinis melioribus imbueret. Eò iuxta templum commodam sibi domum ædificauit, quam posteà Monasterio cessit scriptis anno partus salutaris 1263. donationis litteris. A

ABBATISSÆ MARQVETTENSES.

Verùm ab ipsis quoque antistitis non minus splendoris & gloriæ huic olim Parthenoni obuenit. Quippe harum plurimæ, vt generis magnitudine, ita virtutum præstantia illustres admodum fuêre. Earum seriem factáque hoc loco in medium proferre, ab nostro minimè fuerit alienum instituto. Igitur omnium prima huius cœnobij gubernaculis admota fuit Bertha de Marbais non minus virtute, quàm genere nobilis. Erat ei cum Ioanna Flandriarum Principe arctissima sanguinis necessitudo: & priusquàm religionis se votis constringeret, cum regulo Moulembaisij nuptias contraxerat. Vix in Brabantia sub tectum Cisterciensis ordinis Monasterij sese receperat, ibique sacram induerat vestem, cùm paucis mensibus ad summa virtutum insigni studio contendit: magnęque ideò cùm virginibus ibi degentibus, tum alijs, eius profectus voluptati fuit. Cum itaque Ioanna Marquettense Monasterium conderet, déque adhibenda cœtui Monialium antistita nonnihil esset sollicita: præ ceteris Bertham ei præficiendam iudicauit. Et verò postquàm istic ea sacris virginibus adhibita fuit, nihil omnino reliqui fecit, quò familiam sibi commissam ad comparanda virtutum decora suo vehementer exemplo accenderet. Viget in Aquiriensi Gallo-brabantię Monasterio celebris huius antistitæ memoria, ob præclara virtutum lumina, quibus illic sanctimoniales iucundissimè affecit, dum inter eas religiosam duceret vitam: ac nuper venerabilium Namurcensis diœceseos fœminarum catalogo nomen eius insertum est Episcopi mandato, dum is in lucem ederetur. B C

BERTHA DE MARBAIS 1. ABBAT. MARQ.
Mon. MS. Abb. Marq.

MARIA DE RAISSE 2. ABB.

Neutro minor fuit Maria de Raisse, quæ summis virginum votis ad regimen expetita, Berthę successit. Cùm enim summo ipsa loco nata fuisset, etiam cum Thoma Lamprenessio equestris Ordinis viro matrimonium inierat, antequam in hoc sese Monasterium abderet capessendæ religionis gratia. Et quem priùs genere splendorem apud omnes comparauerat, etiam virtutibus intra cœnobij septa illustriorem reddere contendit. Igitur ea rerum potiente, & partim maternis adhortationibus, partim factis ad virtutem Moniales incitante, admodum Marquettæ floruit studium religionis. Mouit cunctis admirationem extremum id facinus, quo se sponte omni abdicauit imperio, vt alteri subiecta tutiùs reliquum vitæ tempus transigeret. AN. 1257.

ODA DE MAIGNY 3. ABB.

Oda de Maigny, quę post Mariam rexit, virginum desiderio postulata, similibus ad gubernationem fulta rebus cernebatur. Eam enim virtus & clari natales illustrem fecerant. iámque ipsa Flinensis Monasterij, quò fuerat è Marquettensi ad regimen euocata, virgines laudabiliter moderabatur, cùm ad prima suę religionis incunabula, vt cœtui pręesset, fuit reuocata. D

EVSTACHIA PRATENSIS 4. ABB.

Iisdem post Odam rebus splenduit Eustachia Pratensis, cùm Marquettensium Sanctimonialium suffragiis ad summum euecta est magistratum. Quippe si genus spectemus, Margaretam Flandrię imperantem proximo gradu cognationis tangebat; si splendorem animi, virtutum decora insignem reddiderant. AN. 12[illegible]

IOANNA DE WAVRIN 5. ABB.

Et illustris genere fuit, & multis ornata virtutibus Ioanna Waurinia, quæ post Eustachiam huius Monasterij gubernacula suscepit. Hellinum patrem habebat cognomento Waurinium Flandriæ Comitis Dapiferum, bello virũ & pace cognitum, quem non minùs clara virtus, quàm natales nobilitauerant. In hoc Parthenone primum biberat amorem religionis, eóque vehementiùs inardescens multa prębuerat virtutum exempla. Ea propter Virgines Flinenses antistitâ nudatæ, multis eam pre- AN. 12[illegible]

cibus

A cibus expertuere. Verum magno studio in eius loci curam incumbentem, destituta abbatissa Marquettenses domum denique reuocarunt: quasi iustiùs arbitrarentur, ipsius sapientiam & laborem ei familiæ deberi, in qua religionis rudimenta posuerat. Neque visum est operæpretium Guidoni Dampetræo Flandriæ Comiti, eiúsque cognato, tam flagrantibus Virginum votis eam negare. Igitur bona huius venia cùm Marquettæ pedum, & regendi onus capessiuisset, plurimum voluptatis cupidissimo virtutum cœtui attulit. Sed eam gnauiter munus obeuntem inchoato triennio fata subducunt, vt certiùs constaret, diu consistere magnis raro concedi.

Interlapso anni spatio ad dignitatem eue̅cta est Bertha Crucia. Ioannem Crucium Waltero Crucio Tornacensium Episcopo fraterna iunctum necessitudine, pa- BERTHA DE CROIX 6. ABB.
trem habuit, multâ virum famâ nobilem, adeóque charum Principi Flandriarum, vt
An. 1288. sæpissimè ad maxima eo negotia vteretur. Vt Virgines Bertham sibi præficerent, non tam familiæ nobilitas, & parentis gratia effecit, quàm laudabilis eius vita, & religio-
An. 1294. sæ disciplinæ exactissima obseruatio. Sex annis & quatuor mensibus eum cœtum ita
B moderata est, vt cunctas moniales mira sui demissione, & mansuetis moribus admodum sibi deuinxerit.

Paucis pòst mensibus Agneti Nepueux tradita sunt, conspirantibus suffragiis, huius familiæ gubernacula. Vitam Insulæ honestis parentibus, & fortunatis hauserat. AGNES NEPVEVX 7. ABB.
Eius patrem admodum in egentes beneficum fuisse comperio, vt quamplurimis tum intra muros Insulenses, tum foris munera pauperibus largiretur, ideóque misericordis cognomen ei tribuerint passim egeni, latè per Flandriam vagante fama munificentiæ. Credunt quidam in liberalitatis gratiam Agnetem ei filiam ab numine concessam multis virtutibus insignem, quæ paternum studium & decus cœnobio inferret. Sanè magnum ei animum fuisse liquidò constat, cùm plurimas ipsa difficulta-
An. 1297. tes exsorbuerit semper hilaris, nunquam mente proiecta. Ingens scilicet bellum exarsit inter Francorum Regem Philippum cognomento Pulchrum, & Guidonem Flandriæ Comitem, cùm ea monasterij res agitaret, sacrúmque regeret cœtum; ac tunc Francis flammas iniicientibus omnia Parthenonis arserunt ædificia. Verùm
C nihil eâ calamitate commota pristinam retinuit Agnes constantiam, & sedatis paulò pòst motibus tantum animo robur cepit, vt tot inter curas & labores indefessa, & monialibus necessitates abundè pararet, nouáque ædificia moliretur. Ergò nauantem harum commodis, quà corporis, quà spiritus necessitatibus obuiando, Agne-
An. 1311. tem septimo & decimo regiminis anno appetente mors eripuit.

Ei successit Margareta Touret calculis omnium expetita. Honestos ea quoque natales Insulæ sortita fuerat, & pares Agneti animos. Et quoniam rebus agendis, & MARGARETA TOVRET 8. ABB.
tractandæ pecuniæ Agnetis tempore diutiùs adhibebatur, iam tum sese tanto muneri aptam præbuerat, cùm Bursariæ, vt vocant, partes obiret. Igitur regimini admota promouendis operibus multum laboris impendit; Agnetísque vestigiis insistens, præclaris commissas sibi sanctimoniales ad virtutem exemplis accendit. Ac nequid rerum antè gestarum obliuio deteret, ab exordio cœnobij cunctas litteris manda-
An. 1317. uit. Vitam perdidit morbi vi absumpta, magnúmque passim sui desiderium reliquit,
D postquam lustrum ac menses aliquot in Abbatiali munere confecisset.

Ad Elisabetham Cruciam delatum mox imperium elapso vix mense. Eam magnus ad vindicandam libertatem ecclesiasticam animus incesserat, multáque virtus ELISABETHA DE CROIX 9. ABB.
An. 1328. ornauerat. Cũ magna Sanctimonialium voluptate decenniũ laudabiliter imperauit.

In eius locum Mathildis de la Haye communibus votis surrogata est. Pedum tenuit annos quatuor, menses totidem. Huius facta, vt quarumdam sequentium aliquot, vel tempus, vel ignauia mortalium inuidit, cùm nulla eorum litteris transdita videamus. MATHILDIS DE LA HAYE 10. ABB.

An. 1333. Petronilla de Paris Mathildem excepit altero iam anno post obitum eius appetente Duos & viginti annos magna curâ in religionem, & commoda virginum incubuit. PETRONILLA DE PARIS 11. ABB.

An. 1354. Ioannæ de Bailly postmodum onus impositum administrandæ familiæ, quod ipsa laude magna sustinuit annos duodecim. IOANNA DE BAILLY 12. ABB.

BEATRIX DE METRE 13. ABB. Successit in sollicitudinem Beatrix de Metre claris orta parentibus. Triennio tantùm imperauit. A AN. 1366.

MATHILDIS DE MORFONTAINE 14. ABB. Ad Mathildem de Morfontaine cura cum pedo transiit, eámque sex annis sollicitam reddidit. AN. 1369.

CLARA DE RONNE 15. ABB. Claræ de Ronne ad summa rerum euectæ minùs probè vitam cum imperio agitandi magnus timor iniectus est, ideóque post biennium & pedum & metum sponte posuit.

NICASIA DE THIEVLAINE 16. ABB. Coniecta mox omnium suffragia in Nicasiam de Thieulaine nobili apud Insulenses loco natam: cui duobus dumtaxat annis & sex mensibus imperium exercere concessum, eripiente celeriter animam morte.

MARGARETA D'ANTOING 17. ABB. Venit postmodum laudabiliter in curam Cœnobij huius Margareta d'Antoing omnium vocibus virginum flagitata. Originem ab ea duxerat familia, cui nobilissimæ Antoingium Hannoniæ municipium cognomen indidit. Quibus virtutibus ipsa floruerit, ex epitaphio constat his versibus expresso: AN. 1379.

Hîc Margareta iacet Abbatissa quieta, B
Ex Antoing freta cognomine, laude repleta,
Castáque, discreta, pietate nunc quasi fœta,
Deuota, læta, Christo famulans sine meta.
Mundum calcare nouit, carnémque domare.
Omnipotens quare sanctus velit eâm sociare.
Anno Milleno C. ter I. tot & octuageno
Mortem septeno fert mense diéque seno.
Mundi dulcores quid prosunt, & quid honores?
Manant vt flores. ——
Mors sed & ante fores: ergo vigilate sorores, C
Et mortis memores oretis feruidiores.

IOANNA 18. ABB. Quæ secuta est Ioanna, etsi temporum iniuria cognomen perdidit, insignem tamen suæ virtutis famam ad posteros transmisit. Quibus & grauiter exerceretur, & corporis vires attereret, ea tempestate multa propter bellum trepida turbidáque, variè Gallo-flandriam agitarunt. Igitur partim timore, partim curis vehementer incessentibus, duos tantum annos ab inita dignitate traduxit. AN. 1383.

MARIA DE LIX 19. ABB. Ea demortua volentibus cunctis pedum Mariæ de Lix traditum fuit. ipso tamen initio spem virginum subita mors eius succidit, cùm septem modò mensibus rexisset. AN. 1386.

MARIA MOVTONNE 20. ABB. Electa postmodum Maria Moutonne paucos aliarum annos diuturno compensauit imperio. Annos enim quadraginta dignitatem obtinuit, vt rebus arctis tanto tēpore succurreret. Famámque & laudem ea meruit, multis vel stabilitis, vel emptis possessionibus, ac semper largè suppeditatis familiæ necessitatibus. Multa etiam Cœnobij vetera monumenta litteris tradi iussit, quæ tamen maximam denique partem periere. AN. 1387. D

AGNES DE HAVCRON 21. ABB. Per huius mortem, cum honore cura virginum Agneti de Haucron suffragiis conspirantibus obuenit. Patrem habebat Perceuatem, cui generis nobilitas, virtus bellica, & toleratum Aldenardæ obsidium nomen magnum fecerant, & equestrem conciliauerant dignitatem. Quàm præclarè munus exercuerit, multa indicant monumenta. Ecclesiæ supellectilem multis auxit ornamentis; ab fundamentis pleraque ad culmen perduxit ædificia: pontes aliquot vel Dulæ, vel canalibus, & incilibus Cœnobium permeantibus obeuntibúsue impositi, deinde pars magna muri ædificia & hortos multo circuitu ambientis, eius opera censentur. Multa terræ iugera emptione ceteris possessionibus adiecit, multos seruitute census exsoluit: vt annis quatuor & triginta, quibus imperauit, & multum sibi laudis, & monasterio commodi plurimum, & securitatis comparauerit. AN. 1417.

Postmodum

A Postmodum in Ioannam de Quienuille Monasterij onus recubuit, cuius animum IOANNA DE QVIENVILLE 22. ABB.
AN. 1461. & humeros magnis Agnes curis idoneos reddiderat. Et quoniam natales honestos ac nobiles sortita fuerat, ingentem ad labores mentem & tolerantiam attulit. In propagandum Ecclesiæ ornatum & moliendas ad commoda virginum substructiones admodum ferebatur: idque præsertim laborabat, ne conceptam de se spem ocio frustraretur, aut incuria. Minus religionis, plurimum libertatis arguere poterat studium illud Ioannis Hortuli Abbatis conatibus obsistendi, cùm huius ille monasterij virgines in arctiora claustra, & nouas cõsuetudines de Philippi Burgundiæ Ducis, & Clareuallensis Abbatis sententia compingere nitebatur. Verum satis posteà patuit, solùm eò pertendisse huius antistitæ conatus, vti noua Cœnobio arceret: cùm veteribus institutis intra fines religionis se suâque moniales coërcuerit. Præclarum illud facinus fuit mentis ad æterna vehementiùs aspirantis, quo se sponte imperio abdicauit annis grauior, biennio priusquam è vita decederet, exactis ab inita dignitate annis nouemdecim.

B Igitur ab Ioanna reiectum in humeros suos gubernandi onus Ægidia Dadizella ÆGIDIA DE DADIZELLE 23. ABB.
AN. 1480. suscepit. Paternum illi genus Flandricum & nobile, Burgundio Duce Carolo variis patrem eius magistratibus exornante. Neque deficiebant opportuna curis ingentibus, animi magnitudo, charitas, constantia, religio. Multis aut restitutis, aut exstructis recenter ædificiis, plerisque coëmptis, vel onere solutis possessionibus; in antiqua religione; & studio virtutum retentis virginibus, tum piæ, tum diligentis antistitæ famam obtinuit. Vbi duos & viginti annos in magistratu exegit, tum denique curis, & ætate fatigata honestam petiit missionem, eâque multis precibus impetrata, quod reliquum fuit, biennij tempus, ad animi cultum & quietem contulit.

Catharinæ de Berghe contradita postmodum administrandi Parthenonis pote- CATHARINA DE BERGHE 24. ABB.
AN. 1503. stas. Verùm eam in multa gnauiter incumbentem tertio suscepti oneris anno importuna mors corripuit.

AN. 1507. Quo die Catharina spiritum emisit, ad eius officium Mariam de Waes omni- MARIA DE WAES 25. ABB.
C bus virginis suffragiis euexere satis anteà multis rebus cognitam. Corraci vitam hauserat, hîc spiritum religionis. Non modica supersunt eius opera tum magna, tum elegantia, quæ liquidò arguere possint, quàm animo multa moliretur; quandoquidem ea quatuor ferè annis, quibus præfuit, summæ reliquit diligentiæ monumenta.

AN. 1511. Quæ secundùm eam traditum sibi pedum capesseret, Insula Philippam de Latre produxerat magni animi fœminam, & ferendis curis idoneam. Multa templi PHILIPPA DE LATRE 26. ABB.
ornamenta, & pleraque ædificiorum magnis impendiis comparata, prouidam eius produnt administrationem & munificentiam. Multo plus tamen peperit laudis graue studium in antiquum decus religionem restituendi, quæ non parum deflorucrat, inuictâ res plurimas liberè vsurpandi licentiâ. Igitur postquam illuc animum appulit, id labore multo denique perfecit, vti cœtus Monialium rebus omnibus in commune collatis, nihil proprium apud se retineret; de medio res sibi necessarias peteret; ac de antistitæ sententia concessis tantùm vteretur.

D In Agnetem Cruciam posteà gubernandi onus reiectum est. Ea Gerardo pa- AGNES DE CROIX 27. ABB.
AN. 1540. tre, cui dominium Wanebrecisij obtigerat, progenita & genus magnum, & nobiles animos ad regendum attulit. Quæ pulcherrima cernuntur in monasterio ædificia, qui pretiosissimi ædis ornatus, ab hac ferè omnia prouenere. Plus tamen exemplo vitæ ad religionis normam exactæ suis placuit. Eiúsque viget insignis facti memoria, quo se sponte anno regiminis nono & decimo dignitate exuit, vt plus quietis comparando ad mortem animo conciliaret. Hoc adscriptum eius tumulo epitaphium est:

Cy gist le corps de feu Madame
Agnes de Croix soubs ceste lame
Dix & neuf ans vn mois Abbesse
Vingt & deux iours fut par sagesse:

Et reſigna dés-le troiſieſme, A
De Nouembre le penultieſme
L'eſprit tout nauf à Dieu rendit
L'an mil cinc cens cinquante huict.

MARGARETA DE BACHIMONT 28. ABB. Igitur in locum Agnetis ſucceſſit Margareta de Bachimont, quam multa regendi officio dignam reddiderant. Ab ea Francorum proſapia originem trahebat, cui nobiliſſimæ cognomen fecit Ambianum Picardiæ caput. Quoad munus exercendum, haud diſpar fuit præcedentibus antiſtitis. In templi ornatum, ædium ſplendorem, varias vbique molitiones plurimum auri expendit. ad retinendum antiquæ religionis & diſciplinæ ſtudium omnem adhibuit diligentiam. prorſúſque ingentis animi robur tunc oſtendit, cùm templi decora ferè omnia corrupere ferro hæretici rerum ſacrarum odio flagrantes, & quædam quoque abſtulerunt: pluſquam decies mille florenorum diſpendia vno die patiente cœnobio. Morte ſua magnam attulit Virginibus mæſtitiam, quibus ob ſingularem animi manſuetudinem & charitatem admodum erat voluptati. In annum ab onere ſuſcepto ſeptimum & trigeſimum is incidit. AN. 1559. B

ANTONIA DE MAVLDE 29. ABB Tribus inde menſibus elapſis in Antoniam de Maulde tranſlata ſunt pedum & dignitas. Erat ea Leonis viri nobilis filia, & Agnetis Cruciæ, cuius antè meminimus, quondam hîc antiſtitæ, neptis. Priuſquàm ad hunc gradum eueheretur, ſex annos iacuerat vſu capta membrorum, corpore paralyſi ſoluto. Verùm colendæ Virginis matris gratia Cambronum delata, illic integram ſanitatem, & membrorum firmitudinem eius ope recepit. Igitur hoc miraculo, & claris virtutibus perculſæ Virgines Antoniam in matrem poſtulauere vehementiùs. Supra decem tres annos magna cum laude ſacrum hunc cœtum moderata eſt. Non modico tempore priuſquam è vita diſcederet, multis afflicta morbis, & doloribus fuit, quorum acerbitatem ita patienter pertulit, vt etiam ſymboli loco ſcripſerit: *In infirmitate virtus.* AN. 1596.

IACOBA DE BAILLEVL 30. ABB. Ad Iacobam de Bailleul ſumma rerum poſteà delata eſt. Grandi natu iam erat, cùm in Antiſtitam legeretur. quartum & ſexageſimum ætatis annum agitabat, ab ingreſſu religionis primum & quinquageſimum. Ex inclyta domo Balliolana producłam ad hoc munus multa virtus euehere priùs contenderat, multis conſpirantibus ſuffragijs: at tunc demum voluntate Archiducum Belgio imperantium extulit, cùm Antonia mortem oppetijt. Admota multis priùs officijs fuerat, ideóque & rerum cognitio, & matura ſenectus prudentiæ plurimum, & laudis in gubernando comparauit. AN. 1609. C

D. MARGARETA DV CHASTEL 31. ABB. His temporibus in hoc Monaſterio clauum moderatur Margareta du Chaſtel Philippi Blangeruallis toparchæ, & Aldenardenſis Gubernatoris filia.

E MARQVETTENSI COENOBIO CONSTITVTÆ ALIBI ABBATISSÆ. Nunc verò ad Marquettenſis Abbatiæ laudem & commendationem plurimum quoque attulit frequens eo de loco Monialium ad alia regenda Cœnobia euocatio. Iam enim inde ab ortu eius ita fama virtutũ & caſtæ religionis peruagata eſt, vt paſſim Moniales hîc excultæ ad aliarum moderationem idoneæ cenſerentur. Vt minimum quatuordecim aliò regendi gratiâ deductas comperio ex Monumentis Marquettenſibus, quarum hîc nomina ſubiiciam, & quam quæque Abbatiam iniuerit patefaciam breuiter. D

De Oda de Mayni, & Ioanna de Wauring Flinas euocatis iam ſuprà memoriæ aliquid mandauimus. De alijs ſic accipe. Emerentiana de Calonne Abbatiæ Poraſenſi & Cœnobio D. Antonij Pariſiis adhibita fuit, vt onus & curam Virginum ſubiret. Marckenſi Monaſterio cis Cortracum olim ſito impoſitæ ad regendum fuere Flandrina des Iardins, Margareta, & Maria Patina: eidem Phrontiſterio Cortracum vltra poſito, & Groeninghe nomen adepto, Iſabella de Houpline. Dixmudenſis Abbatia duas euocauit Margaretam d'Origny, & Mariam Harlebecanam. Vnam accepit Ecloënſe Monaſterium Margaretam de le Varde. Duas obtinuit Bellopratenſe fluuio Liſæ aſſitum, Mariam d'Aueſnes, & Mariam de Waes. Iacquemina de le Pierre in Aſnayenſem, vel Braëllenſem, iuxta Lendium Arteſiæ oppidum, Ab-

A batiam migrauit. Ita quidem de his omnibus in Marquettensi libro reperi. At cum nuper monumenta Groeninghana excuterem, tres ibi oblatæ sunt Moniales, quæ de Marquettensi Cœnobio illuc traductæ fuerunt sub initia eius monasterij, vti rem ibi stabilirent. Harum vni Erchæ nomen erat, quæ munus Antistitæ suscepit. Duarum aliarum nomina exciderūt: scriptum tamen ibi est, alteram Priorissæ, vt vocant, alteram Bursariæ officia subiisse.

Verùm vt ad locum reuertamur tot illustribus antistitis insignem, variis temporum successionibus, vt non modico eum dignatus est honore Francorum Rex Carolus Sextus, dum vnà cum patruis tribus, & præcipua Franciæ nobilitate innoxius, benigno vsus est hospitio: ita Pulchri Gallorum Regis iracundiam admodum sensit, quando miles eius conuasatis rebus omnibus pretiosis, ædificia flammis populatus est, cincta castris ipsius Insula. Dum cladis huius mentionem facit Ægidius le Muisis in Chronico Tornacensi, cum alijs istum Parthenonem tacito nomine inuoluit. Hęc eius verba, vnde magnitudinem mali æstimes: *Combusta sunt suburbia circumquaque, domus Fratrum & Sororum de Ordine Prædicatorum, quæ erant magnificæ extra muros: & villæ campestres vndique destructæ; & monasteria depopulata, maxime de Fines; moniales aliquæ violatæ, & cū confusione ductæ in acie.* Eodē modo ms. alterius Chronici auctor incognitus hæc memoriæ cōsignauit: *Dū obsidetur Insula & deditur, tota terra à Duaco vsque ad Lisam & vltra vastatur, & conteritur, & comburitur: ita vt nec vna domus, vel ecclesia per satellites regios permanserit integra: sacerdotes, monachi, moniales, viduæ & virgines de monasterys, & domibus inde expellebantur, & aliqui gladio immaniter perfossi. tum etiam omnes monachorum & virginum mansiones dirutæ fuerunt.* Neque multò mitiores fuerunt istic ætate nostra hæretici, quorum sacrilegæ manus non modò penum omnem diripuere; verùm etiam sacras templi imagines, & dicata sanctis mysteriis cimelia vel petulanter corrupere, vel in prædam verterunt; nihilque propius abfuit, quàm vt denuò igni cuncta vastarentur ædificia.

An. 1381. — Vett. Manu. MSS. Marq.

An. 1297. — CLADES ABBATIÆ MARQVETTENSIS.

B

An. 1566.

An. 1340. Propiùs Marquettensis pagi fines, quà Insulam versus tenduntur, Insulensibus illustris obuenit victoria, cùm duce toparcha Roubaisiano aduersus Anglos Flandrósque feliciter pugnauere; multisque horum cæsis hostium, inter captiuos Sarisberium & Suthfolchium Comites Anglos in vrbē traxere. Qui Franciæ & Flandriæ Annalium Scriptores huius prælij victoriæque mentionem faciunt, non satis ex vero narrant, aut dignitate. Apud Paulum Æmilium hæc tantùm legūtur: *Salberiensis dum cum ducentorum equitum ala circumuehitur, exploratque, quanam ratione Insulam tentare, ac aliquid egregij facinoris absente Rege suo edere posset, eruptione præsidij circumuentus, capitur ipse ceteris fusis cæsisue.* Robertus Gaguinus paulò plura proponit his verbis: *At Edouardus in Angliam trajiciens Comitem Salberiensem, Oxonæ dominum, rebus Flandrensibus præfecerat. Hi vt aliquo insigni facto nomen per Edouardi absentiam cōpararent, Insulam obsidere constituunt. Quare accersito Guillelmo Montis Acuti, qui Reginæ apud S. Bauonem puerperæ custos a Rege fuerat deputatus, Armenteriam quæ non procul ab Insula distabat, & eam Genuensium cohors tuebatur, incendunt. Inde Marquettæ Monasterium adeuntes, ibi cōsilium capiunt de Insula obsidenda. Mittuntur ducenti equites cum Salberiensi & Guillermo, qui Insulæ situm explorent. Quorum cognito aduentu, Insulenses clam bona ciuium parte emissa Duce Robaio viro nobili appropinquantem oppido Salberiensem à tergo inuadunt, capiúntque, reliquis ferè omnibus interemptis.* Apud Nicolaum Gillium sex millia Flandrorum vnà cum duobus dictis Comitibus, & quadraginta equitibus Anglis Insulam propiùs excurrisse, omnésque, duodecim exceptis, peremptos fuisse; è duodecim iis Sarisberium in manus venisse hostium, narratur. Qui res Flandricas litteris mandauere, aliter paulò hæc referunt. cum aliquo scilicet Anglorum numero, Iprensium, aliorúmque Flandrorum insignem manum coaluisse: ac postquàm Armenteriā, cæsis Genuensibus oppidi præsidio, potiti sunt, vt per fines Marquettensium ad Iacobum Arteueldam Tornacum obsidere parantem proficiscerentur, in viam se dedisse. Hîc inter Marquettense Monasterium, ac vrbem Insulensem à præsidio ciuibúsque loci huius circumuentos Anglos Flandrósque: adeò cruentum id certamen fuisse, vt solis ferè fugientibus Iperanis, ceteri omnes aut perierint,

C — Ioan. Froissart. tom. 1. c. 47. Chron. Fland. Gall. c. 31. Gaguin. Æmil. Meier l. 11. a. 9. PVGNA IVXTA MARQVETTENS. ABBATIAM. Lib. 8.

Lib. 8.

D

In Annalib. Franciæ.

Cap. 77. lib. 11. aut dediderint sese. Hæc partim habet Chronicon Flandriæ, partim Iacobus Meierus. Ista sunt Meieri verba: *Hoc nuntio grauiter permotus Arteuelda, vlturum se Tornacenses iurat. Exercitum cogit ex Flandris benè magnum, mouétque statim vsque ad Pontem ferreum inter Aldenardam & Tornacum, vt oppidum obsideret. Hìc cum suis consedit, donec aduenirent Sarisberiensis, & Robertus Suthfolchius cum Hyprensibus, & Franconatibus. Hi ab Hypris profecti in quadragesimali ieiunio Armentiriam ex itinere precibus Hyprensium sunt aggressi, eo quòd isthinc Genuenses Gallorum stipendiarij ex agro Hyprensi prædas crebrò agerent. Defenderunt se initio Armentirij fortiter: sed victi statim fuere, ac in fugam dissipati: captum est oppidum direptúmque & incensum. Et Insula tentari cœpta: sed mox præsidium Insulense Duce Domino Robacensi erupit. pugna inter Markettam & oppidum conserta, complusculis vtrimque cæsis. Sarisberiensis & Suthfolchius, Guilelmus à Monte Acuto cum pluribus Anglis capti sunt, atque ad Regem Philippum per Robacensem mox perducti. occubuitque Guilelmus Clibanus nobilis Anglus. Hyprenses incolumes domum reuerterunt, cum nobili quodam viro, quem ceperant, fratre domini Relliacensis.* Hactenus hic Flandricorum Annalium auctor, qui victoriæ gloriam haud leuiter minuere videtur, dum complusculos ex vtráque parte peremptos (Cap. 158.) asserit. Apud Petrum enim Oudegherstium, alióśque iam citatos tota clades in Anglos & Flandros incubuit. Quòd verò à plerisque horum auctorum memoratur, hoc Anglos Flandrósque animo huc venisse, vt Insulam obsidione premerent, prorsus à verò discedit: tum quòd ij minores haberent copias, quàm quæ pares essent huius vrbis obsidio; tum quòd disertè à Froissarto fuerit libris traditum, illac viam tantum eos instituisse, vt Iacobo Arteueldæ iuxta Tornacum se iungerent. Ceterùm qui latiùs ac veriùs hunc conflictum explicauerit scribendo, præter Ioannem Froissartum (Tom. 1. c. 47. Lib. 7.) neminem inuenio: cuius ideò narrationi in Annalibus meis insisto, quos tu consule.

VVambrecisium, Quesnoya, & Deullemonda.

Capvt XIV.

VVANE-BRECI-SIVM. (VVanebrecies.)



Qva Deulla vlteriùs profluit, sequitur Wambrecisium vel Wanebrecisium (hunc enim locum vetera quędam monumenta Wanebrecies nuncupant) ob varia memorandus equidem pagus. Ab fluuio Deulla secatur irrigatúrque. Paulò infrà pontem, qui hunc amnem, ob receptum in alueum Marquam latiùs diffusum, sublicius iungit, emittendis retinendísque aquis habet repagula, & intrà commodam nauium stationem. frequens hic populus, & quòd vel subigatur ad sementem recipiendam, vel herbis ad pastum rideat, soli multum, ob ipsam pinguedinem, & fertilitatem, laudatum. Ad ornatum facit Comarchi prætorium eleganter structum, commodúmque nobilis familiæ sedi. Non exiguam sensere cladem huius pagi incolæ, cùm vltimis Belgarum tumultibus communes huic tractui hostium flammæ templum, ædésque, ac villas non paucas ingenti sanè maleficio consumpsere. Sed iam nouis ędificijs, instauratóque nuper magnis admodum impendiis templo, splendet magis, quàm anteà. Induêre quondam viri nobiles ab hoc loco gentilitium cognomen: è quibus Eustachium inter Equites auratos scriptis pro Marquettensi Parthenone litteris laudat Flandriæ Princeps Ioanna. (An. 1256) Nunc in huius pagi possessionem venit Hayninij toparcha, cuius maiores in Hannonia floruere quondam, tribus ex iis ad supremum eius prouinciæ magistratum (vulgò Bailliuatum, quidam Pręturam nuncupant) euectis.

QVESNOYA. (Quesnoit.) Interiecto leucæ spatio eiusdem fluminis Deullæ ripis inferiùs Quesnoya, vel Quercetum (hoc enim vetus eius vocabulum, à frequentioribus forsan illic olim quercubus) incumbit. Celebris hic locus ob viam Insula Ipras ducentem, ac multa tritam hominum vltro citróque commeantium frequentiâ. Vbi ponte variis è

A [illegible] fluuium iungit, continendis interim nauibus, dum repagula soluuntur, & [illegible] colliguntur ad emissionem aquæ (pars enim amnis alia depressior est) [illegible] conclusum habet spatium. Et huic proximè arx imminet ædificio se[illegible]que, proiectis ad angulos turribus, & ambientibus latè fossis. [illegible] hostibus satis idoneus hic locus, & amœnam commodámque præbet re[illegible]. Multo quippe iam elegantior & instructior est, quàm olim fuerat nondum [illegible] flammâ tectis. Ei pago magnam attulit calamitatem intestinum nuper Flandriæ bellum. Cùm enim ille ductor arcem metu deseruisset, quem vnà cum paucis militibus Insulenses tutandi ergô imposuerant; validiori manu hæretici insedere: vt postcà Mansfeldiæ Comitem Carolũ copias ei admouere, & muros castri aliquot tormentis æneis quatere, ad exprimendam deditionem, oportuerit. Neque tum [illegible] flammas euasere. Quippe templum, arx, domus ferè omnes ac villæ, [illegible] sunt igni per hostium malignitatem. At nunc insigni toparchæ studio ædi[illegible] maximam partem elegantiùs instauratæ pulchra turris è lateribus, & horolo-
B gio nobilis adiecta, cui nolæ octodecim ad singulas horas suauissimè præmodulantur.

Annales Flandriæ intra fines pagi huius ab Insulensibus aduersus Flandros egregiè pugnatum asserunt anno Domini supra millesimum & trecentesimum quadragesimo septimo. Eo de certamine hunc in modum scribit Iacobus Meierus: *Flandri ad duo circiter millia per pontem VVarnestunicum Lisam amnem transeunt, & in agrum Insulensem se effundunt. Contra hos veniunt Ioannes Luxemburgensis Castellanus Insulensis & Carolus à Monte Morency præfectus ibidem, cum regij præsidij quadringentis equitibus, ac peditibus circiter quingentis. Conueniunt ad Quercetum Dulæ fluuij. Flandrorum Dux erat Odardus vir Francus, nothus & exul. Pugnatum est vtrimque haud segniter. Sed Flandri ex suis mille ducentos amiserunt, si veri sunt Insulani scriptores. Quot autem & ipsi ex suis perdiderint, reticent. Arbitror igitur vtrimque toto prælio circiter mille ducentos cecidisse.* Ad Christi annum 1348. id prælium reuocat Franciscus Pielinus, eòque *tria* PVGNA IN FINIBVS QVERCETI. Lib. 13.
C *Flamingorum millia profligata* fuisse asserit. Flandriç Chronicon à Dionysio Sauuagio typis subiectum, plus [illegible] Flandrorum millibus in id certamen descendisse memorat, ex iisque mille ac [illegible]centos periisse; cùm Insula tantùm equites trecenti, pedites quingenti ad conserendas manus prodiissent. Traxit ab hoc pago nobilis olim familia cognomen, è qua iam tum ante annum 1236. equestri cingulo fulsit *Ægidius de Querceto*, quemadmodum suis de fundatione Marquettensis Abbatiæ litteris inseruit Flandrorum Princeps Ioanna. Nunc è Malliacensi domo apud Gallos pernobili eum toparcham habet emptione, cuius industria plurimum ad ipsius instaurationem ornatúmque desudauit, ex quo se Belgis in clientelam Catholici Regis adiunxit. In Chron. Flancop. [illegible]

Deulle-mond. Qua Deulla Querceto delapsus leni ostio Lisam ingreditur, ibíque cũ aquis nomẽ amittit, Deullemonda obiacet, cui vocabulum inde formatum Flandrica origine. Os namque vel ostiũ fluminis, Flandri Teutones Mondam nuncupant; qua ratione Rupelmonda, Teneramonda, Ruremonda vrbes nomina sortiuntur, quòd ab Rupelę, DEVLLEMONDA.
D Teneræ & Ruræ fluuiorum in Scaldim & Mosam sese exonerãtium ora consideant. Quamquam in diuersum facere videatur id, quod scripsit Comes Flandriæ Balduinus Insulensis. Nam cùm in eius pagi agro *quindecim terræ mansos* Ecclesiæ Canonicorum Insulensium attribuit eo diplomate, quod scripsit anno 1066. Doulesmons nominat: quasi potiùs à Deulla montéque vox ea coaluerit. Verùm situs loci priorem magis originem, vocísque formationem asserit. Ceterùm commodi plusculum [illegible]c loco Deullæ amnis procurat, tum per aquas rerum variarum vectione, tum pas[illegible] vbertate lætissimâ. Non est contemnenda, quam illic dynasta commoratio[illegible] structam habet arcem.

A

Turquoinium, VVaterloum, Lysa, Templeuuium, Arx Dossemerea, Royera, Crux, alia.

CAPVT XV.

HIs, quæ secundùm dictos fluuios iacent, visitatis Ferrainæ regiunculæ locis, ad ea, quæ fluminibus iisdem non irrigantur, oculos conuertamus. Hic inter alia, quorum mentionem ex instituto meo facere placuit. Turquoinium, Waterloum, Lysa, Templeuuium, Royera, Crux, aliáque nonnulla conspiciuntur. De his omnibus vt aliquid proferatur, pleráque suo iure postulant seu noua seu vetera. Vt de soli fertilitate sileam, & ad miram intuentium recreationem satis circumquáque in viis & agrorum terminis, arboribus: quorumdam antiquitas longè repetitur; graues quorumdam fuere clades; non paruæ omnibus opes suppetunt. B

TVRQVOINIVM. Igitur in hac regione Turquoinium in primis consistit tribus ab Insula leucis dissitum. Id præ ceteris ædium & populi frequentiâ se iactat, oppido quàm pago similius. Qui sacræ accubant mensæ Paschalibus festis, ad quinque millia eos numerat. EIVS CELEBRITAS. Plus olim illic capitum id ætatis censum fuit: cùm florentibus Belgij rebus ad septem millia deprehenderentur. Templum vastum habet, & pulchrè ornatum, cui fortissima turris insistit. Proximè est forum in quadrum ferè domibus obseptum. Quot hebdomadis frequens hìc mercatus rerum omnium, ad quem plurimi mortales vendendi emendíque gratia die Iouis confluunt. OPIFICIA. Præcipuum huius municipij opificium olim fuit densorum pannorum textura, vt vetus ostentat vitrea & elegans fenestra templi, quam S. Vincentio patrono suo textores ac mercatores pannorum posuere. Horum nullus modò radijs percurritur: leuioribus solùm pannis & angustioribus conficiendis labor impenditur, qui vario è lana florum textu Damascenos æmulantur. Incredibile est quantum hìc lanei fili torqueatur quotidie, ipsis etiam viris ad volubiles rotas sedentibus, & nendo pensa more vicinorum aliquot pagorum absoluentibus. C CLADES. Sensit hic locus aliquam rerum sacrarum cladem anno post millesimum & quingentesimum sexto & sexagesimo. In templum enim hæretici conuolauere ferro, malleísque armati: ibíque sacra omnia corripientes, impiéque Diuorum imagines & statuas corrumpentes, duobus tantùm, qui ad mensam pauperum in ligno sculpti erant, diabolis pepercere: quo patefacerent, quorum instinctu ea peragerent. Sæpenumerò incolarum ædes fortuitum incendium absumpsit, vel hostile. Mem. MSS. Anno Domini 1477. ab hostibus Francis magna clades illata post infelicem Caroli Burgundionum Ducis exitum. Municipij huius frequentiorem ædibus partem Flandri ac Burgundi aduersus Gallos in vrbe Tornacensium præsidij ergô positos, muniuerant. Id magnopere Gallis cùm displicuisset, magno hi agmine & vehementia in eas munitiones impetum fecere, iisque sunt potiti. Ergo partim cæso, partim fugam capiente præsidio, in ædes admodum grassantur. In prędam vis ingens cessit pannorum, qui tunc illic densi conficiebantur, & pręcipua supellex. ædibus quàm plurimis iniectus ignis, eas vt popularetur funditus. ex incolis multi Tornacum in vinculis abducti. Sed præsertim nostris flammæ temporibus bacchatæ sunt, & vnà diuinæ vim potentię sensere. D Potissimam ædium iacturam fecerunt indigenæ anno 1607. postridie Paschatis. Tunc enim centena tecta fenáque arsere, tam celeriter ea corripientibus flammis, vt nihil ab humanis viribus exspectaretur auxilij: omninoque serpsisset latiùs longiúsque id malum per tectas culmis domos, nisi Curio sacrosanctum Eucharistię sacramentum in fori medio super mensam statuisset, vbi circum maxima vis incendij grassabatur, ac litanias impetrandi diuini auxilij ergô cum alijs sacerdotibus cecinisset. Etenim ad Christi corporis maiestatem, & cælestis inuocationis carmina incendij ardor oppressus est repentè. Anno posteà 1613. Fortuito rursus igne exarsit Turquoinium, multásque breui spatio flamma ædes inuasit.

Verùm

A Verùm indigentes Eucharistiæ vim alias experti, ad eam denuo vota verterunt. Igitur iterum ea contra incendium è templo à Pastore delatâ, & igni oppositâ, mirum dictu est quod tunc euenit. Quidam enim a vera religione paullò alienior testatus est se vidisse ad sonitum æris campani, qui dabatur sacerdote Christi corpus è templo efferente, depascentem aliquid in horto vicini flammam reprimi frangique. Et statum etiam alibi exstincta vis incendij est. Magnam huic municipio claritudinem conciliauit primum Philippus Lannoyus, dein Balduinus Lannoyus, cum eius vterque dominio polleret. Etenim Philippus inter cubicularios Caroli Quinti Cæsaris ascitus, & summos fisci principalis præfectos etiam aureo iussit vellere. Balduinus quoque ob virtutem, & militarem scientiam apud regem Hispaniæ Philippum secundum eam adeptus est gratiam, vt anno 1559. inter aurei velleris Equites extremus in Belgio Comitiis legeretur. QVI TVRQVOINIVM ORNAVERINT.

Neufuille. Non multò inde spatio Noua-villa cernitur, cui nomen aliquod S. Quirini Martyris veneratio comparat, & præsertim affectis malè auribus opem flagitantium hominum affluxus. NOVA-VILLA.

B

Ronck. Iuxtim assurgit Roncka cliuo ad viam Menenensem imposita. RONCKA.

Linselle. Paullùm inde sita est Linsellia, cuius templo celebritatem inuehit ad D. Virginis Mariæ nomen peregrinatio. LINSELLIA.

Mouuaux. Ad eundem quoque tractum pertinet Mouuaultium, cui pariter ac ceteris tribus pagis iam nominatis partim textrinæ pannorum ac telarum, partim soli fæcunditas ad colligēdas opes faciunt: contrà tumultibus Belgicis Menenense præsidium damni multum intulit, ac varijs annis multum Franci nocuere, vel cùm Insulam obsiderent, vel cùm in castris consisterent iuxta Bonduam, vel cùm denique Cortracum peterent, priusquam ad Groeningam cæderentur. MOVVAVLTIVM.

Watreloo. Vicinum est Turquoinio Waterloum in extremis Gallo flandriæ finibus. Huic vetustatem & famam affert S. Alloynus Bauo Gandensium Patronus, qui tempore S. Amandi vitam in Belgio traduxit. Erat is summo genere natus, & multa præditus potentia. Patrem habuit Agilulphum Carolomanni (à quo genitus est Pipinus à Landis, qui primus Brabantiæ Dux vocatur) fratrem patruelem. Inter alia quæ plurima possidebat, Waterloum vt accipio censebatur. Postquàm ergò D. Bauo mundi pompis & delicijs valedixit, eâ Monasterio, quod Gandaui eius opibus D. Amandus erexit, & posteà *Bauonici* nomen obtinuit, tributum est Waterloum, vti fert traditio: eiúsque viri nomine hic olim monasterium aliquod exstructum est, vbi cum paucis monachi, Benedictini nominis Prior ageret S. Bauonis Cœnobio Gandensi obnoxius. Sed modò in Episcopum & Canonicos S. Ioannis Gandenses eius Abbatiæ bonis Caroli Quinti Cæsaris voluntate transcriptis, præter vetus nomen ac ædificium, nihil monasticum Waterloi cernitur. Gliscente quorumdam impiorum hominum in res sacras furore, anno 1566. hunc pagum Catholici hæreticorum sanguine imbuerunt, horumque causa iniecere templo ignem. Is Cornelius hæreticorum incentor & ductor, cuius antè meminimus, cum aliquanta manu instructorum armis sectariorum Marquam venerat. ibi ab Insulensi Gubernatore Rasseghemio Barone deprehensus, & prælio se defendere coactus, eius agminis multos inter pugnandum amiserat. Igitur cùm imparem Catholicorum viribus sentiret se, fuga se cum suis Quesnoyam retulit. ibi dum considet dierum ferè septem spatio, ad eum multi cum armis improbi homines conueniunt. His Rasseghemius compertis cum nobilibus ac præsidio Insulensi aduersus eos mouet. Vbi non paruum is Cornelij agmen cecidit, hic se cum alijs sectarijs Waterloum recepit, ibíque intra cœmeterium se circumducta celeri munitione. Verùm Rasseghemius nihil cunctandum ratus, copias eodem suas festinanter deduxit. Itáque post aliquam impressionem, hæretici partim cæsi sunt, pars in templum confugêre. Illic ardor in eos sæuiendi Catholicos impellentes tecto valuitque flammas inijcere: vt qui præsidio templum arripuerant, fœdissimo exitu consumerentur. Omninóque periissent omnes incendio absumpti, nisi per noctem quibusdam educendis indigenarum aliqui operam dedissent. Hæc Florentius Vanderharius dum memorat, vix quidpiam à nobis diuersum proponit. *Lib. 2. de tumult. Belg.*

C

D

Sic enim apud eum legitur: *Magister Cornelius ad pagum Kesenelq castra metari: auxilia ad septem ibi dies exspectare; Varijs è locis ad Cornelium multi proficisci; ex ijs quadringenti à Rassengenio in fugam coniecti Waterlosium concedunt; templo isthic atque turri ad quatuor sese horas tuentur: inde subiecto igne turre concremata, auxilium ijs sacratu locu iure nō inueniunt, quorū religionē maiestatemque turpissimo antè sacrilegio contempserant.* Ceterùm video quosdam exaratos manu commentarios, hæc ita referre, vt priùs se Cornelius Quesnoya in viam Waterloum versus cum suis dederit, quam eum Rasseghemius fuerit aggressus; ac tantùm hic in eius copias ad Waterloum impetum fecerit: hæreticorum alij fuerint in templo exusti, alij inde vel erumpentes, vel præcipitantes se, Catholicorum gladiis hastisue interierint. Quod de quibusdam ædis incendio rusticorum ope subtractis retuli, id senis cuiusdam, qui tūc agebat Waterloi, relatione accepi; à quo etiam didici, aliquanto hęreticos tempore, intra cœmeterij septa sese telis hastisque defendisse, priusquam in templum se recipere cogerentur. Quæ narrat his verbis Laurentius Surius: *Nec parcendum putarunt ædibus domini de Waterlosio, quòd è templi turre vnà cum pastore templum ipsum ab illorum impetu vindicasset*: non video quî sint accipienda, cùm Waterlosij dominium ad Episcopum & Canonicos Gandauēses iam tunc pertineret, vt priùs ad Bauonenses Religiosos spectauerat: fidémque huius rei nostrates conuellere videntur, quorum nemo, quod sciam, litteris eam tradiderit. (A) (B)

In Commentar.

LYSA.

Abest inde medio milliari Lannoyam versus Lysa, visendus ob elegantiam templi pagus, & memoriam deleti ab Noircarmio, insigni Catholicorum ductore, Sectariorum exercitus. Illuc iterum Cornelius magnam vim hominum impietate magis quàm ferro armatorum deduxerat, éque variis in dies ad eum globi hæreticorum partibus conueniebant, vt ingenti facto agmine Noircarmium Valencenas obsidio prementem aggrederentur. Verùm Noircarmius eorum gnarus consiliorum, cum aliquanta veteranorum militum manu, versus eos in viam se dedit maturè. Idem Insulensis Gubernator, quamquam Noircarmij expeditionis ignarus, institutum arripit, Insuláque militem, éque pagis instructos armis telísque homines ad eundem pertrahit locum. Tempestiuiùs ad hostem Noircarmius peruenit, eúmque fortiter aggressus adeò cecīdit, vt peremptorum cadaueribus cuncta obtexerit. (C)

Lys lez Lannoye.

Hæc ab variis variè tradita sunt libris, aut Commentariis nondum editis in lucem. Quis fuerit tunc præcipuus hæreticorum ductor, in dubium trahitur. Ponti Paieni, & Wayemburgij Commentarij nominatum suprà Cornelium his copiis pręficiunt, idémque facere videtur Vanderharius. Contrà Franciscus Lanarius, & Gabriel Chappuisius Ioannem Seream vel Soream iis ducem attribuunt. Sed hic magis nostratibus, quàm externis, adhærendum iudico. nisi fortassis eos hic duxerit, qui iuxta Tornacum collecti Cornelio se iunxere. Ad pugnam quod attinet, Surius eam vult ab Rasseghemio inchoatam, dein ab occurrente Noircarmio absolutam: Cappuisius Rasseghemium & Noircarmium vires iunxisse, vnáque prælium iniuisse asserit. His omnino repugnant Florentius Vanderharius, Michaël ab Isselt, & Wayemburgij Commentarij; à quibus omnibus id quod nos retulimus, affirmatur. Solius hîc Vanderharij verba profero. *Vno itaque atque eodem die 4. Kal. Ianuar. duobus rusticorum millibus, tercentum præsidiarijs Insulárum peditibus, centúmque equitibus comitatus Rassengenius, meliore longè milite Noircarmius in hostem proficiscuntur. neuter, neque Rassengenius de Noircarmio, nec Noircarmius de Rassengenio exaudierat. Antè itaque quàm inuenire hostem Rassengenius posset, cæsum eum à Noircarmio, haud longè à Lannoyo intelligit, ea hostium clade, vti mille quingentis amissis, ceteris dilapsis, arcem Tornacensem vndecim signis comitatus, triumphans Noircarmius ingrederetur.* Circa cęsorum, & ereptorum hostibus signorum numerum, diuersa quoque referuntur. Septingentos modò, vel octingentos vult interemptos Surius. Ad duo ferè millia cæsos refert Chappuisius. In manus victorum signa nouem, & circiter viginti minora tormenta venisse idem memorat. De peremptis cum Vanderhario sentit Wayemburgius; vexilla verò quindecim adempta significat. At nunc vlteriùs progrediamur. (D)

Lib. 1. init. de bell. Fland.

Dicto lib.

De Lannoya oppido Lysæ proximo tunc agemus, cùm de Imperialibus locis, & Comitatu loquemur. Igitur saltuatim ad Crucem, & Templeuuium transeo.

In Dosse-

A Templeuue en Dossemer. TEMPLEVVIVM ET ARX DOSSEMEREA.

In Dossemerea regiuncula iacet Templeuuium pagus sanè nobilis. Etenim populi frequentia, insigni templo, arce Dossemerea, & nonnullis olim ibi fortibus factis belli facinoribus clarum nomen adipiscitur. De castro Dossemereo in Tornacensi Chronico hæc reperio: *Anno 1297. Philippus rex obsedit Insulas circa festum S. Ioannis Baptistæ &c.* Et paullò pòst: *Tunc erant in Castro de Dossemer gentes Comitis Flandriæ, & Guillelmusque Comes Hannoniæ cum suo exercitu venit versus castrum, & fixit ibi tentoria: qui percipiens, quòd parum proficere posset, iter arripuit versus villam Insulæ.* Ibidem hic lego: *Anno 1303. Ioannes de Lalain fuit institutus Custos & Castellanus in castro de Dossemer, accepitque sibi consocios, & inde sæpè Flamingos oppugnabat. Vna die adunatis Flamingis pluribus egressus est cum suis, & quia non putabat esse tam multos, ipse occisus est cum multis aliis, ceteris fugientibus.* In eadem arce post Pabulense prælium non leue positum ab Franciæ rege aduersus Flandros præsidium inuenio: sæpéque ab hoc cladem Flandris illatam, exorta præsertim ad Pontem lapideum pugna. *Chron. Fland. MS.*

Crois. CRVX.

Crucem ornant arx elegans, & inditus ab Archiduce Alberto Comitatus titulus B in Noyellani nominis gratiam, ad cuius familiã tertiam ea spectat possessio. De viris, qui pagum hunc vel natalibus suis, vel tracto ab eo gẽtili cognomine insigniuerunt, vnum præsertim, alterúmue hîc referam.

VVALTERVS DE CRVCE.

In auras productum hîc volunt Walterum de Cruce, qui Tornacensem Ecclesiam moderatus est Pontificia donatus infula: eíque patrem attribuunt Eustachium Mandrium equitem, matrémque Mathildem Cruciam. Ægidius le Muisis apud Tornacenses D. Martini Antistes electionem eius ita memorat: *Anno 1251. Walterus de Cruce Canonicus, & de gremio ecclesiæ, concorditer electus à Decano & Capitulo, litteratus & nobilis, sequens in omnibus operibus prædecessoris sui vestigia.* De hoc intelligendum igitur, quod scribit Iacobus Meierus anno 1253. *Misit Margareta Walterum Tornacẽsium ac Rodolphum Morinorum Episcopos vnà cũ Philippo Decano D. Donatiani Brugensis ad Cæsarem de redimendis liberis in Hollandiam.* Dein anno 1257. *Tradunt ----- Remisisse Ludouicum regem Waltero Episcopo Tornacẽsi regalia sua vsquequo de iure eorũ C melius foret edoctus.* De operibus eius dum scrutarer, inter alia comperi Parochiam cum Wasquehalij statuisse, Ioanne Wasquehalio Equite, eiúsque coniuge nouo pastori census perpetuos attribuentibus: Episcopij Tornacensis partem iuxta templum D. Virginis condidisse in sacros ornatus, vt ecclesiasticis vtar verbis, planetas quatuor cum dalmaticis & tunicis, pluuialia totidem, infulas duas, pedum vnum, vas argenteum & auro inductum reponendo Eucharistiæ Sacramento, alia quàm plurima tum elegantia, tum pretiosa donasse Tornaci ædis D. Virginis sacrario. Fratres habuit Ægidium Mandrium, Ægidium Crucium & Ioannem Crucium, vt vetus habet monumentum, quo sacrum pro parentibus, iísque fratribus, anniuersarium instituit. Vnde prorsus deprehendo, parum consideratè Meierum Waltero cognomen à Mandra dedisse: quandoquidem alius Tornacensium Episcoporum catalogus Walterum de Cruce nominet: in eámque opinionem venio, Mathildem in nuptiarum dotem pagum Crucìensem ea conditione secum traxisse, vt qui post primogenitum ab ipso nascerentur, Cruciorum cognomen haberent; solùm primogeD nitus à paterna gente cognomentum Mandrij ex paterno heredio Mandra retineret.

In Chronico MS.

Lib. 9.

Lib. 9.

Obit. D. Virg.

Lib. 9. Annal.

Ceterùm viri nobiles, quibus ab hoc loco Crucijs factum est cognomen, præclaris diu factis floruerunt; iíjque in varias demùm familias diffusi non leuem patriæ laudem attulere. Solùm inter eos nunc laudant, nunc vituperant historiæ & vetera monumenta Ioannem Vauflardum, vel, vt nominat Iacobus Meierus, Olphardum Crucium, ad quem ex paterna hereditate pagi huius dominium olim spectauit.

IOANNES VAVFLARDVS CRVCIVS.

Apud Ioannem Froissartum prolixa eius memoria est, cùm enarrat Insulensibus acerrimum se hostem præbuisse, & Flandris adhærentem, nunc Anglos Flandrósque A[illegible]eria Tornacum versus duxisse, hísque ad Insulam cæsis, postquàm de certissimo [illegible] periculo admonuisset, prudenter sibi fuga consuluisse: nunc in Francos aliquoties, Anglis & Flandris Tornacum obsidentibus, incursiones fecisse: at demum, vbi viuus in hostium manus venisset, ab rege Insulensibus traditum, & vita priuatum *To. 1. c. 59. & 47.*

Insulæ.

Lib. 12. Insulæ. Id quod breuiter hunc in modum memorat Iacobus Meierus: *Ioannes Hannonius cum Reginaldo Falcoburgio, Gulielmo Baillolano, & Olphardo Crucio cùm exiret pabulatum circa montem Pabulæ, vt Gallorum aliquos interciperet, ab Engelberto futuro Episcopo Leodiensi, & Leodijs, Luceburganisque acerrimè est exceptus, & fusus. Interfecti Ioannes Varniacus, Galterus à Ponte Archiæ, Daniel Blesius, Ioannes Soiranus, & plures Hannonij, Angli, Flandri. Captus Crucius, ac noxæ deditus à Rege Insulensibus, quem quòd plurima ab illo accepissent damna, contra ius belli interfecerunt.* Hactenus Flandriæ Annalium scriptor, qui maximè à Froissarto, & quodam Flandriæ Chronico manu exarato discrepat: cùm hic liber iuxta Cysonium, Froissartus iuxta Bouinas pagum pugnam eam pugnatam asserant. Ceterùm ex eodem Chronico Vauflardum publicè in foro Insulensi capite plexum didici. Huius causam supplicij, non aliam fuisse deprehendo, quàm inueteratum aduersus Insulenses odium, ab eóque profectas tum litteras; quibus vrbis Insulensis Senatoribus, & ciuibus bellum indixit; ac pleràsque eorundem ciuium cædes, aut spoliationes: vt quædam Regis Francorum diplomata, & Ferrici Denisij Tornacensis Gubernatoris, ac supremi Insulensium & Duacensium Bailliui scriptæ aduersus eum sententiæ declarant.

Diu post Ioannem Domnus Petrus in S. Ghisleni Monasterio abbatiali primùm dignitate claruit, dein spontanea eius cessione. Hoc vtrumque eius epitaphium Gallicè scriptum ita repræsentat: *Cy gist Damp Pierre de Croix dict de Durmez iadis abbé de ceste Eglise de S. Ghislain enuiron dix ans, & puis relega la dignité en la main de Damp Thiery de Castiaux lors abbé d'Omont. lequel trespassa l'an* M. CCCC. LVI. *le* XIV. *iour du mois de Ianuier.*

PETRVS ABBAS S. GHISLENI.

ADRIANVS DE NOYELLE CRVCIS DOMINVS.

Qui nuperrimè Crucis dominus è viuis abiit, è Noyellana familia paternum genus, ex Insulensium Castellanorum Fresnesiensi domo, cui cognomen fuit Insulensi, maternum ducebat Adrianus Noyellius. In vxorem Maximiliani Isseghemij Comitis primi filiam acceperat: Moltæ seu collis Nepiensis castro præfectus inter quatuoruiros Flandriæ magistratus perpetuò legebat. Dum Belgio præesset Parmæ Dux Alexander, magnum apud eum ob religionis Catholicæ ardorem, aliásque virtutes, locum obtinebat: iisdémque fultus, Archiducibus Belgis imperantibus exstitit semper gratissimus. Qui relictarum ab eo ditionum factus est heres Iacobus filius, & paternis floret officiis, & primus Comes Crucis renuntiatus est.

IACOBVS PRIMVS CRVCIS COMES.

Roubaisia.

Roubaix.

CAPVT XVI.

HVIVS PAGI NOMEN.

EXTREMVM hìc occupet locum Roubaisia, vetus, & multis rebus nobilis pagus. Ad nomen quod attinet, id varium. Iacobus Meierus Robacum semper nuncupat. Nisi fallor, in libello de S. Eleutherij eleuatione, Rusbacum appellatur his in verbis. *Eodem tempore in villa quæ dicitur Rusbaci, quæ sita est ab vrbe quasi duabus leucis.* Marchionatus dignitas, castrum vetus, populi multitudo, pannorum textura, templum curiale, Nosocomium, vbi moniales ægris obsequuntur, oppidi forma, decoris opúmque multum ei conciliant. De viris, vel quibus hic locus gentile cognomen attulit, vel quos Dynastas magna cum laude sustinuit, Auctores & monumenta multa prorsus suppeditant.

QVI VIRI IPSVM ORNARINT.

HVGO.

Quem vetustissimum in libris reperio, is Hugo est Roubaisius, qui Comitem Flandriæ Robertum Iuniorem ad sacram militiam in Syriam proficiscentem secutus ceteris Belgij nobilibus arma sociauit anno 1096. vt notat Iacobus Meierus. Ei postea Godefridus Bullonius D. Abrahami Castrum attribuit, cùm rex factus Hierosolymorum oppida & arces fortissimis Christianorum ductoribus impertiit. AN. 1096. AN. 1099.

Lib. 4.

BERNARDVS ET HVGO.

Post hunc Bernardus eiúsque frater Hugo magnum sibi nomen non tam illustri parentum genere, quàm in patriæ principem pietate peperere, cùm Burchardum

Vander-

A An. 1127. Vanderstratium nepotem suum, qui grauissimum aduersus Carolum Flandriæ Comitem in sacro Brugis loco parricidium perpetrauerat, Insulensibus ad sumendam de tanto scelere vindictam tradiderunt. Horum enim familiam ad domum Roubaisianam refert Petrus Oudegherstius, cùm Bernardum expressè *de Roubaix* cognominet. Cap. 67. Annal. Fland. Eorum facinus enarrans Iacobus Meierus hæc breuiter, at falsò, legentibus proponit, cùm de Burchardo Vanderstratio loquitur: *Fugitque Insulam ad Hugonem ac Bernardum auunculos, à quibus continuò proditus, deditúsque oppidi præfecto ad supplicium.* Non enim ad Bernardum & Hugonem Insulam is venit: verùm agenti foris, & forsan Roubaisiæ, Bernardo ab famulo est proditus, indéque in vrbem Insulensium pertractus. Sed eam narrationem vtique veriùs à Gualtero Morinensi Canonico, (vixit is Caroli Comitis temporibus) & prolixius scriptam, ad patefaciendam horum virtutem virorum in medium producere est consultius. Sic igitur ille de Burchardo sermonem instituens: *Cùm diuersis in locis diebus non paucis iam latuisset, & iuxta Insulam in quoddam tugurium ductu cuiusdam serui sui casu diuertisset, seruum eundem* In vit. Carol. Fland. Comit. capp. 41. 42.
B *dem itineris sui ducem ad domum Bernardi auunculi sui, vt panem sibi, quo famelicam animam refocillaret, peteret (esuriebat enim) transmisit. Et ille quidem, quod iubebat, exsequi cupiens, mandato eius libèter obediuit, & ad eandem perueniens domum, ad opus domini sui, vt putà hominis delicijs assueti, delicatum panem petiuit. Sed miro omnipotentis iudicio qui Domini sui quærebat salutem, inuenit mortem; & esurienti conferre cupiens, quibus egebat, alimenta, reo præparauit, quæ meruerat, tormenta. Hac etenim occasione præfato Bernardo dominum suum, simpliciter tamen, quamuis per alias personas prodidit: cui, vt putà auunculo, nepotem suum nequaquam occultandum credidit. Iusto autem Dei agebatur examine, vt qui dominum suum occidere non fuerat veritus, ipsum quoque occidendum suus proderet dominum seruus. Bernardus verò Hugoni fratri suo idem protinus nuntiauit. Hugo ergò communicato cum fratribus suis consilio, licet nepotem suum seruare magis, si tamen auderet, quàm prodere maluisset; Insulano tamen Castellano, & † Brugensibus Burchardum se nuntiauit inuenisse, & citò venirent, ac tanti criminis reum vltione, quam dignam arbitrarentur, punirent, mandauit. Cui profectò si parcere voluisset, haud dubium, quin & ip-*
C *se magnum salutis suæ periculum incurrisset. Insulani verò mandato Hugonis audito, cum magno protinus tumultu peruenerunt, & Burchardum comprehensum Insulam duxerunt, & in foro ei patibulum parauerunt.*

† Borgensibus, id est Insulanis ciuibus.

An. 1339. Diu pòst Philippum Roubaisianum veteres nobis exhibent historię virum militia nobilem. Philippvs. Pręclarum eius facinus visum, quo Flandros Anglosque Armenteria Tornacum versus proficiscentes cecidit, quemadmodum fusè memorat Ioannes Froissartus; Tom. 1. c. 47. in hæc verba breuiùs repræsentat Iacobus Meierus: Lib. 12. *Et Insula tentari cœpta: sed mox præsidium Insulense Duce Domino Robacensi erupit. pugna inter Markettam & oppidum conserta compluscul is vtrimque cæsis. Sarisberiensis & Suthfolchius, Guilelmus à Monte Acuto cum pluribus Anglis capti sunt, atque ad regem Philippum per Robacensem mox perducti, occubuitque Guilelmus Clibanus nobilis Anglus.* Hac de pugna quæ ad Marquettam diximus, consulas velim.

De Ioanne Roubaisij regulo nihil non magnum excellénsque Annales Flandriæ, Ioannes. Epitaphiũ eius.
D ac epitaphium eius suppeditant. Sub tribus Burgundiæ Ducibus floruit, Philippo Audace, Ioanne Intrepido, eóque Philippo quem Bonum vocauere. Insignem eius pietatem patefacit obitum religionis gratia Hierosolymorum, Sinæ Montis, Romanum & Compostellanum iter. Militiæ artes sic coluit, vt totus ad eas raperetur: ac non modò Belgium, sed etiam Gallias, aliásque longinquas regiones militaris fortitudinis gloria impleuerit. Intra Belgium sub Comite Malcano & Audace Philippo Rosebecanam in Flandria pugnam iniit, qua deletus est Gandensium exercitus. Sub Intrepido Leodiensium regionem ingressus, eius prælij particeps fuit, quo Tungros inter ac Leodium multa Leodiensium millia Burgundionum ferro cecidere. Iacob. Meier. lib. 16. Cum Bono Crespiacum in Gallia obsidente fortem se præstitit. Eundem ad S. Richarij oppidum obsidione cingendum proficiscentem secutus est, ab eóque donatus equestri Baltheo in certamen contra Gallos ad Vimiacum descendit, magnámque cum filio seruati Principis cæsorúmque hostium adeptus est laudem. Sub eodem in Flan-

dria iis prælijs, quæ cum Flandris rebellibus conserta sunt ad Neuelam & longum pontem, egregium se virum præbuit. Belli causa in Prussiam, Hungariam, Barbariam, Cyprum abiit, ibique præclara edidit facinora, éque grauibus periculis emersit. Apud Bonum præcipua valuit auctoritate. Ei cùm esset à consiliis, etiam primus Cubiculariorum renuntiatus est. In Lusitaniam ab eo missus, nobilissimas inter ipsum & Isabellam Ioannis Lusitaniæ regis filiam nuptias conciliauit: quæ dum Brugis apparatu regio celebrantur, inter electos aurei velleris Equites quartum obtinuit locum. Octoginta grauis annis vitam viuere desiit. A

Quod Ioannis epitaphium proponit in parochiali templo Roubaisiæ S. Ioannis Baptistæ sacellum, ad perpetuam memoriam hîc inserendum putaui.

Ha mort! de laquelle n'est chose plus certaine: soubs ceste sepulture à conuerti en pourriture de vers le corps de noble & puissant Cheualier, & Banneret Iean iadis Seigneur de Roubais & Herselles, Conseiller, & premier Chambellan de tres-excellent & tres-puissant Prince Philippe Duc de Bourgoigne & de Brabant, & Confrere de la Toison d'or, qui en son temps visita les Saincts lieux de Ierusalem, S. Catherine du Mont Sinay, S. Pierre & S. Pol à Rome, & S. Iacques en Galice: & eut plusieurs loingtains voyages, & nobles Ambassades, traicta & conclud la noble alliance & mariage entre Monsieur le Duc de Bourgoigne & Madame Isabeau fille du Roy Iean de Portugal sa chiere compaigne. Et passa les perilz mortels de plusieurs batailles arrestees contre les infideles, c'est assauoir en Hongrie, en Barbarie, lors que le siege fut deuant la cité d'Afrique; en Prusse, contre les Letaux, par deux voyages, qu'on dit Rezes, & en Cypre; & à la querelle de ses naturels Seigneurs feux de noble memoire les Ducques de Bourg. Philippes le Hardy, & Iean son fils, és batailles de Rosebecques, & de Liege, & és rencontres de Niuelle, & du long Pont lez Gand, auec plusieurs & autres faits & exercices d'armes tant par mer, que par terre, & en mine. Lequel en honneur de Dieu, & de la Vierge Marie, & de Monsieur S. Iean Baptiste, fonda en ceste chapelle chascun iour vne messe perpetuelle, à estre celebrée par le chapelain tel qu'il plaira au seigneur dudit lieu de Roubaix, & non à autre, iusques à son rappel, comme plus a plain est contenu és lettres de ladite fondation. Lequel fondateur accomplies les choses susdites en l'eage de quatre vingt ans reuolus en vray sens, & fraische memoire, & entiere cognoissance de son createur, l'ame fut separee l'an de grace 1449. le 7. iour de Iuin, laquelle en voz prieres & oraisons veuillez auoir en singuliere recommandation. B C

PETRVS. *Epitaph.* Haud minor Ioanne fuit Petrus etiam Roubaisiæ toparcha. Ad pietatem eius refero, quos, sacra venerandi ergô, adiit locos. Hierosolymam profectus, in Equitum S. Sepulchri numerum adlectus est. Apud Rhodios florentem quotannis Christi spinam visitauit. Diuos Apostolos Romæ coluit. Consiliis cum suis & cubiculo admouere Burgundiæ Dux Bonus, eiúsque filius Carolus, & Romanorum rex Maximilianus Caroli gener. Cum his Principibus sæpè aduersus hostes pugnas feliciter pugnauit. Opera sunt eius adiecta parochiali templo Roubaisiano S. Sepulchri, ac diuorum Georgij, & Sebastiani sacella. arcem Roubaisiæ condidit, totúmque municipium in varias distinctum plateas, & frequentibus ornatum ædibus, fossis, & sæpibus densis circumdedit.

Quod in eius memoriam laudémque scriptum est epitaphium in sacello S. Crucis ab ipso condito, hunc in modum legitur: D

Ha mort! de laquelle n'est chose plus certaine, & moins certaine que la vie, par vraye deuotion fut faicte ceste chapelle en l'honneur & reuerence de la S. Croix, ou gist à present en pasture de vers le corps de noble & puissant Cheualier & Baron, qui ceste chapelle fit faire à ses propres deniers, qui en son temps fut Conseiller & Chambellan de Philippes Duc de Bourgoigne, & de Brabant, & de Duc Charles son seul filz, Prince & Seigneur desdicts lieux, & depuis de tres-excellent & tres-puissant Roy des Romains & de Hongrie, qui eut espouse la seulle fille du Duc Charles, qui d'elle eut vn seul filz appellé Philippes Archiduc d'Austrice, Duc de Bourg. de Brabant, Comte de Flandre, & lequel Seigneur en son temps de Roubais fut pelerin, & visita luy vnziesme de gens à ses despens les saincts lieux de Ierusalem, si comme le Mont de Caluaire, le S. Sepulchre, auquel lieu il fut fait Cheualier, & le Mont de Sinay, & plusieurs autres & saincts lieux. Et en retournant dudict voyage, passa

par

A *par le Royaume de Cypre, de l'isle de Rhodes, auquel lieu, luy fut monstré par le grand Maistre*
de Rhodes la S. espine, qui flourit tous les bons Vendredis de l'an. Et de la s'en alla par mer
au pais du Prince de Tarente, qui est en Pulle; & de là se partist au Royaume de Naple, là où
il visita le Roy en sa royalle Maiesté, qui alors portoit l'Ordre du Toison. Et de la s'en alla
à S. Pierre & S. Pol à Rome: là où il visita nostre S. Pere, & plusieurs saints lieux audict
Rome. Et fut hors pour faire son voyage vng an reuolu. Pourquoy en son temps passa perils
mortels tant sur mer, comme en batailles, qui du temps furent faicts du Duc Philippes, &
du Duc Charles son fils cy dessus mentionnez. Lequel Seigneur de Roubaix en recognoissant
les graces, que Dieu le createur luy auoit faict de l'auoir retiré de tant de perils, il fonda &
fit faire en l'honneur de la doulourense passion de nostre Saulueur, & pour la remission de
ses pechez, la chapelle du S. Sepulchre, audict lieu de Roubaix à ses propres deniers, & fut
dediée par Monsieur l'Euesque de Tournay Abbé de S. Bertin. Et si fonda en ladicte cha-
pelle & amortist chascun iour de l'an perpetuellement vne Messe, à estre celebrée par vn
B *chapelain tel, qu'il plaira audict Seigneur dudict lieu, ou Dame dudict Roubaix, & non à*
autre. Et si fonda aussi à ladicte chapelle tous les premiers Vendredis des mois de l'an Messe
solennelle à Diacre & Soubsdiacre auec procession, iouant des orgues à ladite Messe, & si
fonda aussi en ladite chapelle, tous les Vendredis de l'an vne louange, qui se chantera à l'heu-
re du soleil couchant, comme tout est contenu és lettres de ladicte fondation. Et si fut faicte
en son temps, & de ses deniers la chapelle de S. George, & de S. Sebastien audict lieu de
Roubaix. Et donna auec les reliquaires & ioyaux, & liures, & tout ce qui appartient a la
Messe. Et fit faire en son temps la maison & chastel dudict lieu, & clorre la bassecourt de
murs, & si fit clorre le bourcq dudict Roubaix de fosses, de hayes, & amasser de maisons,
comme l'on peut veoir. Et tout ce que dict est, le fit de son viuant en entiere cognoissance de
son createur & redempteur Iesus. Lequel fut né, & baptizé à Herselles le premier iour
d'Aoust l'an de grace mil quatre çent quinze, & fina ses iours en attendant la misericorde
de Dieu l'an de grace mil quatre cents nonante huict, le septiesme iour de Iuin.

Quam ditionum suarum heredem Petrus Isabellam filiam reliquit, ea Iacobum ISABELLA.
C Luxemburgium Richeburgi Toparcham, & Petri S. Pauli Comitis filium per nup-
tias sibi coniunxit. Susceptι ex eo matrimonio Franciscus & Iolendis. Franciscum
adhuc puellulum anno 1471. præpropera mors abstulit. Decimoquinto pòst anno
pater è viuis abiit. Igitur Isabella nuptiarum vinculis soluta reliquum vitæ tempus in
assiduo virtutum cultu exegit, multisque pauperum liberaliter succurrit. Ab ea con- *Epitaph.*
ditum dotatúmque Roubaisiæ Nosocomium duodecim egenis, & membrorum vsu
captis mulieribus perpetuò nutriendis.

Digna est, quam hoc loco referamus, sepulcralis inscriptio iam tum Valetudinarij
sacello imposita, cùm è viuis abiit.

Cy gist attendãt le dernier ingemẽt de toute nature humaine, le corps de noble & puissante
Dame, Madame Isabeau de Roubaix vefue de feu hault & puissant Seigneur Mõsieur Iac-
ques de Luxembourg en son viuant Cheualier, Seigneur de Richebourg, de Rumirghien, de
Sainghin, Baron de Montmiral, d'Amche, & de la Bazochegouet, douairiere desdicts lieux,
Dame de Roubaix, de Herselles, & de Cannebourg: lequel Seigneur de Richebourg termina
D *vie par mort au chasteau de Mante sur Seine le vingtiesme iour d'Aoust l'an mil quatre cẽts*
quatre vingt & sept, & gist son corps à l'Abbaye de Chercamp lez S. Pol auec les corps de
bonne memoire haut & puissant Prince Monsß. Pierre Comte de S. Pol, & de tres-illustre
Princesse Madame Margarite des Baux ses pere & mere. Icelle Dame de Roubaix seulle
fille & heritiere de noble & puissant Seigneur Monsß. Pierre de Roubaix seigneur de Rou-
baix, & de Herselles, Cheualier, & de Madame Marguerite de Ghistelles Dame du
Broeucq & de Wasquehal sepulturez en l'eglise paroissialle de Roubaix, laquelle par affe-
ctueuse & ardante deuotion à faict edifier cest hospital, & fondé de ses propres deniers à
l'honneur de Madame S. Elisabeth, & en iceluy lieu à ordonné & institué sept heures cano-
niales estre chantees perpetuellement & à tousiours: & y fut la premiere pierre par icelle
Dame fondateresse mise & assize le 24. iour de Mars l'an 1488. Et y vindrent les Noires
Sœurs faire leur residence pour administrer & seruir aux douze pauures femmes chartrieres
debiles & languissantes l'an 1494. le tout selon l'ordonnance de ladicte Dame, comme plus

 à plain

à plain peult apparoir par lettres de la fondation sur ce faictes. Laquelle vertueuse Dame apres auoir faict plusieurs autres œuures meritoires & charitables, en l'eage de soixante huict ans, plaine de vertus, rendict le dernier soupir l'an de grâce 1502. le 25. iour du mois de May. Priez Dieu pour son ame. A

Posteà verò per coniugium Iolendis eius filiæ cum Nicolao Werchinij Barone in Werchiniam domum; ab ea subinde rursus per matrimonium in Meluniam familiam Roubaisiæ dominium transiit. Ex hac ætate nostra Robertus Melunius non modò Roubaisiani Marchionatus titulo inclaruit; verùm etiam Gandensi Vicecomitatu, Artesiæ totius Præfectura, militaribus officiis, & factorum gloria nobilis fuit. Inter alia eius bellica facinora hoc præclarum. Venerat Francorum Ductor Noüei toparcha; quem Brachium Ferreum nominabant, magna septus equitum & peditum manu, vt agentem Roubaisiæ Robertum opprimeret. Verùm hic eius de aduentu certior factus, inter Lannoyam & Tornacum equites ipsius facilè fudit, & quamuis fortiter resistentem, peditatum denique cęcidit. Igitur ea lætus victoria Cortracum militem celerrimè deduxit, & acceptis inde quingentis peditibus rectà Ingelmustram, cuius castrum ab Francis obsidebatur, intendit. Ibi non magno labore Francos obruit, & venientem suis auxilio Noüeum excipit audenter, eique manus inter pugnandum iniicit. Nunc ad Ligniensis Principis familiam per nuptias deuolutum est huius pagi dominium. B

Pabulense Territorium, & in eo Cherenum, Gruysonium, Camphinium, Esplechinium.

Peuele.

CAPVT XVII.

TERRAINAE regioni contermina est Pabulensis Lannoyam inter, Tornacum, & Marquam fluuium. Iam tum D. Amandi Traiectensis Episcopi, & Gallo-flandriæ Apostoli temporibus hoc territorium & nomine, & populi multitudine floruisse Ioannes Molanus inde colligit, quòd multum illic operæ is pontifex hominum mentibus informandis collocauerit. Pagum Pabulensem à Carolo Caluo Imperatore nuncupari iis in litteris, quibus Abbatiæ Martianensis bona confirmat, accipio: ideòque peręgrè patior Paulum Æmilium, & Robertum Gaguinum illi monti Pabulensi, quem fama eius prælij, quo Franci Flandrique Philippo Pulchro regnante atrociter concurrêre, plurimum celebrauit, nomen Populeti, vel Populorum, propter harum frequentiam arborum attribuere, ac S. Antoninum eius valli nomen Pouero indere. Tolerabilius est, quòd in veteri Flandriæ Chronico latinè perscripto legerim Peuelæ, vel alibi Peulæ nomen, pro Pabula (quo semper vtitur Iacobus Meierus, aliique nostrates antiquitatis studiosi, vel Pabulo, vt in monumentis Amandini monasterij legitur; & forsitan à Pabulis pecorum, quibus abundat, deducitur) cùm Gallicè Peuele, vel Peule ab olim nominauerint. Porrò latiùs patet hoc Territorium, quàm vt Insulensis Castellaniæ finibus constringatur. Eius sunt partes Orchiacum, Martianæ, Diui Amandi, seu Elnonense oppidum, & alia pleraque loca, prorsus ab Insulensium finibus seiuncta. Fuitque iam tum ante annos octingentos huius regionis caput Orchiacum: & hodie Monasterij Amandini antistes intra Pabulanam ditionem Comes appellatur. C D

Lib. 8. Lib. 7.

CHERENVM. Cheren.

Sunt igitur in ea parte Pabulensis Regionis, quæ Insulano subiacet nomini, Cherenum & Gruysonium prætoriis ornata, & pascuis læta, interlabente fluuio Marqua, cui Pons Cherensis impositus, quem vulgò Tressinium vocitant, frequenti commeantium vel Insulam, vel Tornacum multitudine hominum celebris. Dum rex Francorum Philippus Valesius anno Christi 1340. cum ingenti exercitu ad Bouinas consisteret, bis per hunc pontem è castris Flandrorum Anglorúmque nobilium cuneus vario euentu proruit, vt cis Marquam fluuium extrema castrorum Franci repentino aduentu opprimeret, magnámque cædem faceret; bísque tunc multorum

PONS CHERENSIS.

sanguine

A sanguine is transitus maduit. Hannones primi (nobili omnes, & magno quidam loco nati erant) cælo admodum nubiloso illac penetrauerant; & iam regis Bohemiæ ac Leodiensium antistitis copias improuisi carpebant. cùm Rodemachus magno vir genere illustris è vigilia cum suis discedens, eos conspexit, & vehementi est impetu aggressus, adeóque cecidit, vt plerisque ferro peremptis, ad Pontem alij retrò cedere cogerentur. Sed hic pænè omnes ad internecionem deleti, cùm Leodienses, qui trans Pontem pabulatum iuerant, in ipsius ferè faucibus reuertentes occurrêre, & fugientes ex aduerso adorti sunt. *Ioan. Froiss. to. 1 c. 59. Iac. Meier. lib. 12. etsi paullò aliter narret, vtrumque tamen coniunxi.*

Feliciùs paullò pòst Germani aliquot viri genere factisque nobiles maiori numero per eundem sese Pontem in extrema hostium castra concitauere Ioanne Hannonio, nonnullisque alijs è Flandrica & Hannoniensi nobilitate comitantibus. Cùm enim plerosque iuxta Pontem, qui liberum sibi ad reditum locum obtinerent, reliquissent, Carolum Montemorencyum, & Saulïensem Toparcham è statione in pugnam exciuere: adeóque simulato metu & fuga Pontem versus pertraxere, vt cum B suis sese Carolus in latentem cuneum induerit, & cum propius pontem acerrimè pugnaret, inter captiuos fuerit abductus. Ceterùm Chereno famam aliquam Diuus Lupus in eius templo à peregrinis cultus conciliat. *Ioan. Froiss. t. 1. c. 62. Iac. Meier l. 12. quamuis de loco aliter.*

An. 1299. Gruyson. Gruysonio (quod Cysonienses Religiosi à S. Euerardo in Testamento Græcinam vocari existimāt) quondam imperasse Ioannem Insulensem, è Castellanorum Insulensium familia ortum: deinde Mathildem Insulensem ex eadem domo profectam, ibidem fuisse dominatam reperio. Deuoluta est posteà huius pagi possessio ad Balduinum Oigniesum, qui Gallo-flandriam gubernauit Bono Burgundiæ Duci charissimus. Nunc eius ditio ex eadem gente Ongnyesa toparcham habet Eustachium Hesdiniensis oppidi Gubernatorem, & quondam pedestris militiæ Chiliarcham. GRVYSONIVM. An. 1351.

Camphin. Visitur in eodem tractu Camphinium, cuius vetustatem asserit beatus Euerardus Comes, cùm in testamento suas liberis possessiones assignat. Sic enim ipse: *Tertius Adelardus volumus vt habeat cortem nostram in Cysonio, & Camphinium cum omnibus, quæ ibi pertinent.* Id nunc Cysoniensis Monasterij prædium est, Adelardi, vt apparet, C donatione, qui sepulchrum istic cum patre matréque sortitus. CAMPHINIVM.

Esplechin. Non procul inde stat Esplechinium. Illic regulus arcem habet satis elegantem commodámque. Ædes eius curialis anno Domini 1340. mense Septembri per tres dies nobilissimo fuit ornata conuentu. Cùm enim Francorum rex Philippus Valesius cum ingentibus copiis ad Bouinas sub tentoriis ageret; contrà rex Anglorum Eduardus vnà cum Flandris Tornacum arctissima premeret obsidione: Ioanna Valesia Franci soror, & Comitis Hannoniæ mater, regem vtrumque perpulit, vt de paciscendis induciis ageretur. Ergò Valesius ad habendum de his colloquium, Carolum Bohemiæ regem, Carolum Alenconij Comitem, ac fratrem suum, Engelbertum Leodiensis ecclesiæ Pontificem, Ludouicum Flandriæ Comitem, & Armeniacum misit. ex aduerso Brabantiæ Ducem, Episcopum Lincolniensem, Geldriæ & Iuliaci Duces, Ioannem Hannonium legauit Eduardus. Vbi tot illustres viri de re tanta sermonem fererent, & consilia miscerent, percommodum est visum Esplechinij templum inter vtraque castra pari fere distans itineris interuallo. Post hilares D epulas tribus illic diebus hi omnes ad arma induciarum legibus ponenda intenti consedere, sempérque illis adfuit Ioanna Valesia, vt feliciter hoc negotium conficeretur: quod tertio denique die faustum lætis omnibus sortitum est exitum. His de induciis meminit quidem Paulus Æmilius, eásque Ioannæ industria & instantia conciliatas refert: de loco tamen, vbi leges harum fuerint conscriptæ, silet omnino. Eius hæc verba: *Id spem potiundæ vrbis Eduardo ademit: audiréque cœpit oratores socrus sanctæ fæminæ, quos antea aspernatus fuerat. Eadem soror Franci erat. Illa agente induciæ in triennium factæ inter Francum Anglúmque.* Cùm de his quoque induciis Ioannæ studio procuratis mentionem facit Gaguinus, nullum etiam iis locum paciscendis attribuit. De eodem pariter silent Iacobus Meierus, Nicolaus Gillius, & Ioannes Tilletus, vbi concessam armorum quietem memorant. Apud Ioannem Froissartum hoc de induciis colloquium latè tractantem, eum saltem, quanquam vitiosè scriptum, ESPLECHINIVM. *Chron. Fland. c. 81. Froiss. t. 2. c. 64. Iac. Meier. l. 12. Ioan. Tillet.* *Lib. 8.* *Lib. 8.* *Loco cit.*

deprehendo. Esplotin námque nominat, illum vicum, in cuius templo habitus fuit conuentus; ibíque ipsum collocat, vbi nunc Esplicinium conspicitur. Et verò vt omne dubium tollamus, eas Franciscus Belleforestius tabulas in medium producit, quas principes à nobis superiùs nominati de pactis inter Reges induciis conscripsere: quarum istæc extrema sunt verba: *En tesmoignage dequoy nous auons seellé de nos seaux les presentes faictes & accordées en l'eglise de Espechin le lundy vingtiesme iour de Septembre mil trois cens quarante*: vbi tantùm ad rectam nominis formationem elementum l requiritur. Ceterùm, vt hoc per transennam significemus, errant grauiter Paullus Æmilius, & Ioannes Tilletus, dum hîc factas volunt trium annorum inducias. Minus peccat Iacobus Meierus, qui armorum quietem anni vnius spatio circumscribit. Etenim quas iam tabulas induciarum laudauimus, tantùm eæ à Septembris vigesimo die in proximum S. Ioannis Baptistæ festum belli quietem producunt. A

HOVARDRIA. — Houardrie. — Du Chastel.

Habet etiam hæc regiuncula Houardriam Cobrieuum, & Bachiam. Houardriæ ornamentum arx conciliat, & nemus opes ac voluptatem. Iis è viris, qui cognomen inde traxere, quidam olim militari fortitudine claruerunt, ac vitam inter pugnandum Principis sui causa fudere. E Chastellia familia huic loco nunc imperat Haubourdinius Vicecomes, cuius filius Emerinensis Vicecomes perquàm generosè nuper in pugna cecidit, dum se pro patriæ defensione Mansfeldianis copiis Hannoniam ingressis Gondisaluum Cordubensem secutus fortiter opponit. B

COBRIEVVM. — Cobrieu.

Præter soli bonitatem, & cæli clementiam Cobrieuum Commendatoris Melitani villa & domus nobilitant.

BACHIA. — Bachie.

Bachiam castrum decorat, vbi percommoda est eius regulo sedes, & plurimum ei parit amænitatis commodique lætissima situs agríque conditio.

TEMPLEVVIVM. — Tépleuue.

Est etiam illic Templeuuium aruorum amplitudine, ingenio terræ, ac multitudine populi insigne. Vetustatem eius confirmant scriptæ à Carolo Caluo Imperatore pro Martianensi cœnobio litteræ: quamquam ibi potiùs Melanthoisæ regioni videatur adscribi. Hæc enim sunt diplomatis verba: *Pari etiam tenore largimur in pago Medenensense villam Runcinium cum appendice villa Templouio.* C

Bouinæ, seu Pons Bouiniensis, & iuxtà prælium.

Pont à Bouuines.

CAPVT XVIII.

An. 1214.

AD vicum eum, quem nunc Bouinas, nunc Bouinum vocant auctores, Gallo-flandri Pontem Bouinium nuncupant, quòd hîc Marqua ponte iungatur, transeo. Pratis ad equorum, boum, & anserum pastionem optimis abundat: & cruenta quondam Francos inter Flandrósque pugnata pugna est memorabilis.

PVGNA BOVINIENSIS.

Quo plus virium hinc Philippus Augustus rex Franciæ, inde Romanus Imperator Otho, & Ferrandus Flandriæ Comes aduersis aciebus opposuerunt eo prælio, quod Gallo-flandria maximum vidit: plus etiam timoris & damni totus hic pagus pertulit. D Qui pugnam litteris mandauit, qua turpiter Otho in fugam effusus est, & captiuos inter abducti Flandriæ Bononiæque Comites, hæc inter alia Rigordus prælij spectator, & regis Franciæ sacellanus, de iis, quæ proximè certamen præcesserunt:

In lib. de gest. Phil. August.

Processimus itaque ad pontem quendam Bouinum nomine, qui eum inter locum, qui Sanguineus dicitur, & Villam quæ vocatur Casona: etiam maior pars equitum transierat Pontem, & ipse rex exarmauerat se; sed nondum transierat Pontem, sicut hostes putabant, quorum intentio erat, si rex Pontem transijsset, eos quos intra Pontem inuenirent, aut penitus interimere, aut de eis pro suæ voluntatis arbitrio triumphare. Dum itaque rex armis aliquantulum & itinere fatigatus, ibidem sub vmbra cuiusdam fraxini iuxta quandam Ecclesiam in honore S. Petri fundatam modicè quieti vacaret: ecce nuntij missi ab illis, qui stabant in postrema acie, cursu nimio properantes, cum clamore maximo hostes referunt aduentare, & postremis aciebus ferè iam confligere Vicecomitem (Meleduni) *& arcubalistarios, & leuis*

A *armaturæ equites, & satellites eorum incursum cum maxima difficultate & periculo sustentare: & vix posse eorum furorem & audaciam diutiùs retardare. Quo audito rex intrauit ecclesiam, & breuiter orans ad Dominum, egressus iterum arma induitur, & alacri vultu, nec minori lætitia, quàm si ad nuptias vocaretur, equum insilit.* Hactenus Magister Rigordus: cui placet nonnullos è Guilelmo Britone versus adiungere, quibus de Bouinis earúmque Ponte latiùs memorat, hoc idem prælium describens: *Lib. 10 Philipp.*

Dixit, & audita velli tentoria missa
Imperat, & gelido sub manę redire Bouinas.

Et quibusdam interiectis:

Consilium tamen hoc sedet omnibus, vsque Bouinum
Vt proficiscantur, hostis si fortè diei
Parcere sacratæ velit, & differre duellum.
B *Donec lux bello licitam se crastina præstet.*
Prætereà locus est munitior ille tuendis
Sarcinulis, rebúsque aliis, quæ castra sequuntur,
Cùm nusquam pateat à dextris atque sinistris,
Continuis spatiis iter impediente palude,
† arcto. *Transitus, excepto satis † aucto Ponte Bouino,*
Quo quadrupes se, siue bipes euoluat ad Austrum.
Ac parte ex illa latis patet area campis,
Gratáque planities cereali gramine vernans,
Quæ prætensa satis spatio per rura patenti
C *Sanguineum à Zephyro, Cæsonam spectat ab Euro;*
Dignus cæde locus, & sanguine commaculari,
Sanguinis & cædis medius, communis vtrique.
Continuò pontem Rex sic facit amplificari,
Corpora quòd bis sex lateraliter ire per ipsum,
Cúmque suis possent tractoribus octo quadrigæ.

Huc vsque Guilelmus, qui mox subiicit eadem cum Rigordo de regis ad pugnam præparatione. Ab his omissa quædam ex aliis non grauabor adiicere. Igitur in primis istud scribit Ricordanus (qui Ludouico Nono, & Philippo Tertio regibus vixit) in Hetruscis Annalibus, vt refert Papirius Massonus: *Dum hæc apud hostes geruntur, Rex, qui ex suis proceribus quosdam suspectos haberet, ligneam sublimem aram inspectante exercitu excitari iussit, detractámque capiti suo auream coronam aræ illi imposuit, & conuersus ad proceres: Date, inquit, hoc regium insigne ei, si quis adest, quem Philippo digniorem* D *existimare potestis. lubens enim illi parebo, dummodo Francici nominis dignitatem hodie tueamur. Conclamant omnes, Viuat Philippus, & æternùm viuat: nos illi fidem fortémque in prælio operam pollicemur.* Addit verò Iacobus Meierus: *Captóque ab proceribus consilio, cùm aliis in diem posterum extrahi pugnam, aliis regem declinare periculum, ac arcem petere Lensensem placeret; ipse magnam acceptam pateram pane ac vino implere iubet: conuersúsque ad suos: Vos, inquit, commilitones, quicumque & viuere, & si fors tulerit, mori mecum estis parati, hinc sibi quisque offulam in prandium sumite. Vacuata repentè patera, ingressus, quod iuxta erat, pagi delubrum, cum lachrymis orauit, templúmque virgini matri vouit, quod posteà Syluaneti posuit.* Quanti verò, & quàm multi Principes eo prælio manus conseruere, quásue secum traxerint copias, vt certaminis magnitudinem agnoscas, non erit, vt arbitror, iniucundum ex eiusdem Guilelmi Britonis versibus pernoscere: qui licet duriusculi sint, & obscuri, tamen vnà regionum cognitione, ac nominum, quibus tunc eæ nuncupatæ sunt, nonnihil tædium leuabunt.

Annal. Franc. lib. 3.

Lib. 8 ex Chron. Fland. Gall. cap. 15.

Lib. 10.

OTHO IMPERATOR, quem reprobum vocat, quòd eũ Pontifex Maximus piorum cœtu diris amouerat.

A

Iam super † Escaldum tentoria reprobus Otho
Fixerat, & tantis * Moritania sola cateruis
Non poterat præstare sinum. properata remotis
Castra locis figunt, stipulis & carice tecta.
Pars solis solem ramalibus arcet, & imbrem.
Pars subeunt per rura casas, pulsisque colonis
Ad tempus dicunt iure sibi ius aliena
Castrorum ritu sibi cuncta licere putantes.

† Scaldim.
* Mauritania, vulgò Mortaigne.

HENRICVS COMES LOVANIENSIS SEV DVX BRABANTIÆ cũ Brabantis, & cũ Lotharingis quorũ dux erat.

Territat in primis nostri confinia regni
Othonis socer Henricus, cui mille cateruas
Exhibet & plures † Brabantio, sæuior alter
Quo nusquam est populus bello, aut assuetior armis.
Excitat ex alia Lotharingos parte * bilingues
Dux suus auriuolis replicantes aëra signis:
Qui cùm simplicibus soleant sermonibus vti,
Non tamen in factis ita delirare videntur.
Quos inter Gallos & † Theotonicos speciosa
Et fœcunda magis tellus alit vbere glebæ.
Millibus à Mosa distans, vbi * Mosula paucis
† Leucos, & Methes speciosis irrigat vndis,
* At Treuerim, Vogesis, quem Ricionarus ab oris
Præsidis officio fungens sub Maximiano,
Adueniens, sanctos pro Christi lege peremit
Tot simul, & medijs immersit fluctibus omnes,
Vt miraretur fieri se Mosula rubram
Sanguine Sanctorum laticis variante colorem.

† Brabantus.

B

* forsan quia partim Germanicè loquũtur, partim Gallicè, vt Luxemburgij.
† Theutonicos.
* Mosella.
† Tullum & Metas vrbes.
* Ac.

C

VALERANVS DVX LEMBVRGENSIS.

Dux quoque Lemburgis acies ciet Ardaniorum
(Nec tamen ipsius Galeranus filius ipso
Cum patre dignatur Othonis fautor haberi,
Regis amicitiam & Francorum perdere nolens)

DVX SAXONIÆ.

Saxonésque suo furibundi cum Duce tanto
Lætiùs arma mouent, * quo dudum compatriota
Illorum fuerit, & eisdem sanguine iunctus
Nondum rex, nondum sublimis fascibus Otho.

* quòd.

D

CONRADVS CRIMONIENSIS, VEL TREMONIENSIS VVESTPHALIÆ DOMINVS. GIRARDVS RANDERODIVS. OTHO COMES TINQVEMBVRGI. GVILELMVS COM. HOLLANDIÆ.

Conradum Comitem misit Tremonia, cuius
Imperio Waphalæ parent regionis alumni,
Et quos Ruma rigat piscoso flumine: túque
Linquere Randerodas gaudes Geraude paternas,
Francigenûm vt bello possis sentire rigorem.
Nec minus Otho Comes venit de Thinquaneburco;
Et Comitem, quem Theutonici dixere pilosum,
Vt iuuet Othonem, regio Traiectica misit,
Mosa vbi maiori collapsus flumine, nomen
Non tamen amittit: sed † rerum nominis audens

† Rhenũ.

Dimidio

A *Dimidio priuare sui † Rimosa vocatur.* †Rhinosa.
Nemuricique Comes primaua ætate Philippus, PHILIPP. NAMVRCI COM.
Cognatus regis, regem tamen impetit armis:
Parte licet Petrus pater ipsius esset ab ista
Althisiodori dudum Comes, atque Niuerni,
Constantinopolis qui post ad sceptra vocatus
Imperiale manus † propter diadema recepit: † prætet.
Sed non præualuit sacro residere curuli,
Durachij captus à principe Cumaniorum.
Ast Hugo cui Bolonide iunctissimus hæret, HVGO BOBIVS.
Qui vobis fuerat dominari natus, at idem REGINALDVS COMES BONON.
B *Maluit & regis inimicus, & exul haberi,*
Ciuili quàm pace frui, regique subesse;
Cuius germanam faciens tibi collateralem
Participémque thori meretricis captus amore
Circumducebas bellorum tempore in ipso,
Quæ generosa nimis soldaria facta, relicto
Coniuge, castra suo priuabat significato.
Regis & Anglorum frater, Saleberia cuius GVILLELMVS COM. SARISBERIENSIS.
Se gaudet ditione regi, decies triplicata
Copulat Anguigenæ secum tibi millia gentis,
Quorum tu numero temerè confisus & vmbra
C *Audes Othoni indignam promittere palmam.*
Et quis sub numero comprendere possit Yprei IPRENSES.
Agminis examen, acierum multiplicata
Millia, quæ portis vomuit Gandauus apertis? GANDENSES.
Belga quot, & rabies Blatina, quot Insula turmas BLAVOTINI.
Mittat, Ysangrinúsque furor, Grauelinga quot addat YSANGRINI. GRAVELINGANI.
Agmina cum Furnis, quot Brugia millibus agros FVRNENSES. BRVGENSES.
Contegat armatis, aut Audenarda propinquo ALDENARDENSES.
Viribus atque fide Cortreio consociata. CORTRACENSES.
Quos equitum cœtus per vicos, pérque casellas
Collectos armet in damnum Flandria regis,
Corde tenens memori, quales exoluerit anno
D *Iacturas tunc pro meritis à rege Philippo:*
Quando Ferrandus nummos suscepit ab Anglis,
Quos malè nunc vertit, nec adhuc se pœna coërcet
Illum nausifico crucians pedoris odore.
Hos multósque alios, quos enumerare morosum est,
Auxilium Comiti Ferrando Flandria donat;
Vt solus regi videatur posse suísque
Securè conferre manum tot millibus. Illum
Præterit ac causæ merito confisa Deóque, A FRANCI PARTIBVS STANTES.
Non curat numerum Francorum viuida virtus.

A

GVILELMVS BARRA.

Quos inter Barrensis erat non vltimus, vnus
Multorum supplens defectum viribus; & cum
GERARD. SCROPHA PET. MALEVIC.
Gerardo Scropha Maleuicinus Petrus ille,
Vt petra qui firmus verbo se firmat, & actu.
GVIDO RVPENS. GALO MONTIN.
Nec te Rupensis Guido, nec Montinianum
Galonem taceam, qui mente immobilis vt mons,
Vexillum regale die portauit in illo.
HVGO ET IOANNES MAROLII.
Hugo Marolides cum fratre Ioanne, Petrúsque
Reminij rector pagi, cum penè ducentis
Militibus, quales Campanicus educat axis,
Efficiunt animis scalam concorditer vnam. † i. aciem.
MATTHÆVS MONTEMORENCYVS. IOAN COMES BELLIMONTII. STEPHANVS COM. SACRICÆSARIS.
Praclarique viri tecum de Monte Morenci
B
Quos eduxisti Matthæe, coméssque Ioannes
Bellimontensis, & Sacrocæsaris ortum
Et cognomen habens Stephanus vir nomine clarus.
Séque gradu generis referens à rege secundum.
HVGO MALAVNVS.
Et dominans Harijs Michaël, Hugóque Malaunus
Post Campanenses acie glomerantur in vna.
ROBERTVS DRVIDVM COMES.
At Robertigena senior Robertus in Anglos
Quotquot habere potest equites agit, vtpote cuius
Filius in vinclis angustabatur eorum,
PHILIPPVS BELLOVACOR. EPISC.
Quem Beluacensis comitatur Episcopus, eius
Frater, & amborum regali à stirpe nepotes
C
LAVDVN. EPISCOP.
Lauduni Præsul, & quem Castellio nuper,
GAVCHERVS COM. S. PAVLI. IOANNES PONTIVII COMES.
Nunc verò Sancti Pauli Comitatus honorat,
Gaucherus, quo nemo alius laudatior armis.
† Pontumij Comitem comitantur in arma Poheri, † Pótiuij.
Qui generosus auis longè generosior alti
Sanguinis existit vxore sorore Philippi,
Magnanimi regis Richardi quæ fuit vxor,
Quam fratri intactam Richardus reddidit olim,
Nauariæ regis vt filia nuberet illi.
THOMAS S. VALERICI REGVLVS.
Hinc Sancti Thomas Galerici nobilis heres
† Gamachus dominans, vicósque & plurima sub se † Gamachiis.
D
Castra tenens, clarus dominatu, clarior ortu,
Quinquaginta parat equites in bella, clientes
Mille bis, audaces animis, & robore fortes.
THOMAS ET IOANNES ROBOREI.
Roboreus verò cum Thoma fratre Ioannes
In scala regis regi lateraliter hærent,
STEPHANVS LONGICAMPVS.
Et Longi Stephanus campi dominator, & illi
Septuaginta equites, regio quos Neustria misit,
Neustria fida satis, immò fidißima regi.
Parcere mordaci si linguæ vellet in illum.
ODO DVX BVRGVNDIÆ.
Hinc fremitu maiore trahit Burgundicus Oldo

Belligeros

A *Belligeros in bella viros, Burgundia quales*
Naturæ dono producere nouit alumnos.
Cuius virtutis tremor & reuerentia famæ
† quot. *Crescit in immensum longè per regna, † quod ipse*
Absens distringit, & solo nomine terret.
Trans Ararim populos, quos flumen Duber oberrat,
Et quæ trans Rhodanum regio iacet vsque Viennam,
Et Pontarlicios, abies quos plurima ditat.
Fauce iugi positos, vbi Duber suscipit ortum.
Atque Salinenses angusta in valle sedentes,
Defæcata quibus flammarum ardore ministrat
Lympha salem puteis, mirabile, tracta duobus,
B *Vnde Bisuntina sua condit edulia vallis,*
Lingones, & Vogesos tangens Alemannia fines.

Hucusque Guilelmus Brito, cuius præter alios nonnullos, de quibus vix aliquid possum arbitrari, admodum obscurus & intricatus est locus ille, vbi de Hugone & Bolonide agit. Mihi quidem vix dubium est, quin de Hugone Bouio, & Reginaldo Bononiæ Comite agat, qui vterque ab rege Franciæ defecerat, quique socias vires Othoni & Ferrando iunxerat. Sed, vt verum fatear, mihi prorsus impossibile videtur, aliquem iis è versibus genuinum sensum colligere, nisi quædam mutentur. Putaui aliquando scribendum

Ast Hugo, qui Bolonidæ iunctissimus heres.

vt velit poëta dicere, inter alios Hugonem Bouium ad hoc bellum venisse Bononiæ Comiti adhærentem, cui subditus anteà fuerat, priusquam is ab rege ad Ferrandum C transfugeret. Quæ posteà idem Guilelmus Flandriæ populos enumerans his in versibus habet

—— *rabies Blætina, quot Insula turmas*
Mittat, Isangrinusque furor. ——

Non leui opus habent animaduersione. Licet enim hîc videatur Guilelmus Blætinos & Isangrinos inter Flandriæ populos numerare: ac huius exemplo Abrahamus Ortelius in tabula Geographica veteris Belgij Blætinos & Isangrinos Flandriæ adscripserit: ij nihilominus non populi, sed factiosi homines fuere, intra Brugas & Bergas habitantes, qui mutuis sese armis impetebant: & quorum Blætinos seu Blauotinos hostes habuit Mathildis Philippi Elsatij Flandriæ Comitis vidua, Isangrinos coluit, vt apud Iacobum Meierum inuenio; Cuius de factionum earum nominibus hæc verba: *In Rhythmis Iacobi Merlandi lupus Isengrin vocatur, sicut Vulpes Reynaert. Blauotinos dictos puto ab Blauotorum familia.* Ex quibus sanè patet Iacobum censuisse D à luporum ferocia Isengrinorum factioni datum fuisse nomen. Apud Iacobum Marchantium de iisdem hæc legi: *Post illud tempus in Flandriæ tractu occiduo, Furnensi in primis, vehemens partium factio ad annum 1201. sæuiebat: quarum vna Blauoetina; erat illa familia tribulorum indictionibus aduersa; altera Isangrina dicebatur, mutuis sæpè vulneribus atque cædibus infecta: illi Honscotana & Wuluerghemâ; huic Pratijs, Fausque nobilibus familijs praeuntibus.* Qui subdit Isangrinam etiam Nigherkinam ab aulica ingeniculatione vocatam, quæ Mathildi Reginæ (ita semper appellabatur) ab Isangrinis exhibebatur. Nunc verò quænam sit Insula, cuius hîc mentio fit à Guilelmo, inquirendum est. Vt Insulensem vrbem intelligamus, vereor vt ex vero dici possit. Primùm enim huic anno præterito miserandum in modum incendio deformatæ, & omnibus propemodum ciuibus partim per cædem, & fugam, partim per venditionem exutæ, quis numerus hominum turmis conficiendis superesse poterat? Deinde tum temporis in Augusti regis potestate Insula fuisse videtur, cùm apud Rigordum legamus:

Lib. 8. Annal. & in descript. Fland.

Lib. 8. Annal.

Lib. 4. Fland.

A

mus: *Die ergò craſtina* (qui fuit pugnæ dies) *ſcilicet* VI. *Kal. Auguſti mouit rex de Tornaco, vt iret ad caſtrum, quod Inſula nuncupatur; vbi propoſuerat quieſcere cum ſuo exercitu nocte illa.* Nec ſcio ſanè vtrum magis de Caſtellaniæ Inſulenſis indigenis hunc locum accipere valeamus; vt ij ſcilicet cum Caſtellano ſuo, qui tunc erat Rogerus, ſub ſigna pro Ferrando conuenerint. Licet enim Annales Flandriæ memorent Hellinum Waurinium, & Petrum Mainillium eo prælio à partibus Ferrandi ſtetiſſe; tamen nominis Inſulenſis Gallo-flandros in turmas ad Ferrandi defenſionem coaluiſſe nihil eſt quod manifeſtet: cùm præſertim ex Britone certò conſtet eo tempore Duacum validiſſimo regis præſidio fuiſſe munitum. Non ſum alienus ab ea ſententia, vt Caſantiam Inſulam velit poëta ſignificare, quæ maior olim, quàm modò, fuit, & multos poterat homines ad militiam idoneos dare. quandoquidem iis Flandris adiungit, qui propiùs Oceanum continentem incolebant. De quibuſdam aliis magna obſcuritate laborantibus locis, quorum ferè depoſita eſt ſanitas, erat quidem animus aliquid tentare: verùm iam tempus eſt, vt acierum hoc prælio commiſſarum diſpoſitionem, totámque pugnæ deſcriptionem ob oculos ponamus ex Rigordi narratione; quòd is pugnæ interfuerit, & partim ea quæ ſcribit, oculis vſurpauerit, partim ab aliis, qui manus conſeruere, didicerit, quémque Vincentius Beluacenſis, & D. Antoninus affectantur, dum eadem memoriæ conſignant. Sic igitur is narrat:

B

Descriptio Pvgnæ Boviniensis.

Clamatur vbique per campos, arma, arma viri, clangunt tubæ, reuertuntur cohortes, quæ iam † pontem tranſierant; reuocatur vexillum Beati Dionyſij, quod omnes præcedere in bella debebat; nec ſatis properè reuertitur, vnde nec exſpectatur. Immò rex curſu rapido reuertitur & ponit ſe in prima fronte belli, vbi nullus inter ipſum & hoſtes eminebat. Hoſtes itaque videntes regem retrogradum, & præter ſpem ſuam reuerſum, quaſi ſtupore, &, vt arbitror, quodam horrore percuſſi diuerterunt, ad dexteram partem itineris quò gradiebantur, & protenderunt ſe quaſi ad Occidentem, & occupauerunt eminentiorem partem campi, & ſteterunt à parte Septemtrionali, ſolem, qui die illo ſolito feruentiùs incaluerat, ante oculos habentes. Rex etiam alas ſuas nihilominus extendit è regione contra illos, & ſtetit à parte Auſtrali cum exercitu ſuo per ſpatia campi non parua linealiter protenſo, ſolem habens in humeris. Et ita ſteterunt hinc inde vtraque acies æquali dimenſione protenſæ, modico campi † non ſpatio à ſe inuicem diſtantes. In medio huius diſpoſitionis in prima fronte erat Philippus rex, lateratim adhærebant Willelmus Barrenſis flos militum, Bartholomæus de Roya vir prouectæ ætatis & ſapiens, & Galterus iuuenis vir prudens & probus & maturi conſilij, Petrus Maleuicinus, Gerardus Scropha, Stephanus de Longo Campo, Willelmus de Mortuo mari, Ioannes de Roboreto, Willelmus de Garlanda, Henricus Comes Barri iuuenis ætate, animo ſenex, vir virtute, & forma venuſtus, qui patri ſuo regis conſobrino nuper ſucceſſerat in honore & onere Comitatus, & alij quamplures, quorum nomina longum enumerare eſſet, viri virtute ſpectabiles, & in armis ſemper exercitati, & ideò ad ipſius Regis cuſtodiam in ipſo prælio ſpecialiter deputati. Ab oppoſita parte ſtabat Otho in medio agminis confertiſſimi, qui ſibi pro vexillo erexerat aquilam deauratam ſuper draconem pendentem in pertica oblonga erecta in quadriga. Rex autem antequam congrederetur, hac breui & humili oratione ſuos fuit milites allocutus: In Deo tota ſpes & fiducia noſtra eſt poſita. Rex Otho & exercitus ſuus à Domino Papa excommunicati ſunt, qui ſunt inimici, & deſtructores rerum ſanctæ Eccleſiæ, & pecunia, qua eis ſtipendia miniſtrantur, de lachrymis pauperum. & de rapina eccleſiarum Dei & Clericorum acquiſita eſt. Nos autem Chriſtiani ſumus, & communione & pace ſanctæ Eccleſiæ fruimur: & quamuis peccatores ſimus, tamen Eccleſiæ Dei conſentimus, & Cleri pro poſſe noſtro defendimus libertates. Vnde præſumere fiducialiter debemus de Dei miſericordia, qui nobis licet peccatoribus dabit de ſuis & de noſtris hoſtibus triumphare. His dictis petierunt milites à rege benedictionem, & ſtatim inſonuerunt tubæ, & fecerunt inſultum viriliter in hoſtes, & audaciſſimè & ſtrenuiſſimè conflixerunt. In ipſa hora ſtabant retro regem non procul ab ipſo capellanus, qui ſcripſit hæc, & quidam clericus, qui audito tubarum clangore cecinerunt Pſalmum, Benedictus Deus meus, qui docet, vſque in finem. Et pòſt: Exurgat Deus, vſque in finem. Et, Domine in virtute tua lætabitur rex, vſque in finem: prout potuerunt, propter irrumpentes lachrymas, & ſingultus immixtos: & cum pura deuotione coram Deo reducebant ad memoriam honorem & liberta-

† bouinium ſ.

C

† videtur abundare hoc aduerbium, non aut certè ſcribendum eſt: non modico campi ſpatio.

D

tem,

A

*tem, quæ Dei ecclesia gauderet in potestate regis Philippi, & dedecus & opprobria, quæ patitur & passa per Othonem, & per regem Ioannem, cuius muneribus omnes illi hostes prouocati contra regem in regno suo, & contra dominum suum præsumebant pugnare. Primus tamen pugnæ congressus non fuit ibi, vbi rex erat: quia iam antequam congrederetur, confligebatur contra Ferrandum, & contra suos in dextero cornu, à dextris videlicet regis, ipso rege, vt arbitror, ignorante. Prima quidem frons pugnatorum protensa erat, vt diximus, directè, & occupabat campi spatium mille quadraginta passuum. Erat enim ibi † Electus, non vt quidem pugnaret, sed armatus exhortabatur, & animabat ad honorem Dei, & regni regis, & ad defensionem salutis propriæ, videlicet Odonem nobilissimum Ducem Burgundiæ, Gaucherum Comitem Sancti Pauli, qui quibusdam suspectus erat, tanquam aliquandò fauisset hostibus: Vnde & ipse dixit Electo, se die illo futurum bonum proditorem: Matthæum de Montmorency militem probissimũ, Comitem Bellimontis, & multos alios strenuos milites; & præterea milites Campaniæ C. LXXX. numero. Omnes isti erant in vna acie Electo sic disponente, qui quosdam alios præcedentes retroposuit, quos formidolosos, & cupidos nouerat: istos autem de quorum probitate & feruore certus erat, in vna & prima acie posuit, & dixit illis: Campus amplus est, extendite vos per campum directè, ne hostes vos intercludant: non decet vt vnus miles scutum sibi de alio milite faciat: sed sic stetis, vt omnes quasi vna fronte possitis pugnare. His dictis præmisit idem Electus de cõsilio Comitis S. Pauli C. L. satellites in equis ad inchoandum bellum ea intentione, vt prædicti milites egregij inuenirent hostes aliquantulum motos & turbatos: Indignati sunt Flandrenses, qui erant feruentissimi ad pugnam, quòd non à † militibus, sed à satellitibus primò inuadebantur: nec se mouerunt de loco quo stabant, sed eos ibidem exspectantes acriter receperunt, & equos eorum ferè omnium interfecerunt, & eos multis vulneribus affecerunt, nem nem eorum nisi duos tantum lethaliter vulnerauerunt. erant enim satellites illi probissimi de valle Suessionensi, nec minùs pugnabant sine equis, quàm in equis. Galterus autem de Gistella & Buridanus, qui cùm esset admirandæ virtutis, & quasi imperterritus reducebat militibus memoriam suorũ antiquorum, non aliter quàm si * turocinio luderet: cùm quosdam de ipsis satellitibus in terram prostrauissent, declinauerunt ab eis, & prodierunt in campo aperto volentes congredi militibus: quibus congressi sunt quidam milites de acie Campanensi, nõ minori virtute quàm ipsi. Fractis itaque vtrorumque lanceis, & euaginatis gladijs ictus ingeminant. Sed superueniente Petro de Reim, & illis, qui in eadem acie erant; Galterus de Guistella & Buridanus per vim capti ducti sunt, quibus adhærebat quidam miles Eustachius nomine † Maquilinus cum magna superbia vociferans, ad mortem Francorum; quem circundederunt Franci: ita quòd vnus eorum complexatus est eum, & caput eius inter cubitum & pectus suum premens, galeam euellit de capite illius; alius cultellum intra mentum & loricã per guttur pectus vsque ad vitalia immittens, mortem, quam Francis minabatur, cum clamore, subire fecit cum horrore. Et ita eo mortuo, Galtero & Buridano captis, creuit Francorum audacia, & quasi certi de victoria omni tempore abiecto, totis viribus vsi sunt. Satellites, vt diximus, ab Electo præmissos secutus est non minori leuitate, quàm si aquila volaret in columbas, Gaucherus Comes S. Pauli cum suis militibus electis ab ipso optimis, & perforauit eos per medium eorum mira velocitate pertransiens, multos feriens, & à multis percussus, equos & homines indifferenter occidens & prosternens, & nullum capiens, & ita reuersus est per aliam partem hostium, multitudinem eorum quam maximam intercludens, quasi in sinu quodam. Prosequitur illum nõ minori audacia Comes Bellimontis, Matthæus de Monte Morentij cum suis, & ipse Dux Burgundiæ multis bonis militibus stipatus † & pugna Campanensi facta est, vbi admirabilis pugna ex vtraque parte. Dux Burgundiæ qui erat valde carnosus & phlegmaticæ cõplexionis prosternitur in terram, equo suo ab hostibus occiso. Densatur itaque circa illum; cunei Burgundionum circumuallant illum. adducitur alius equus, de terra suorum manibus eleuatur, equo sistitur, gladium vibrat in dextra, dicit se velle vlcisci lapsum suum, & inuadit hostes cum iracundia, nec discernit cui obuiet, sed in omnibus sibi obuiantibus casum suum vlciscitur, non aliter quàm si equum ipsius eorum † quibus occidisset. Ibidem pugnabat Vicecomes Meleduni, qui mirabiliter præliabatur, habens in acie sua probissimos milites, qui eodem modo, quo & Comes S. Pauli inuasit hostes in alia parte, & perforauit eos, & reuersus est per aliam partem per medios hostes. Ibi percussus fuit in alia acie Michaël*

B

C

D

† Garinus [illegible] electus pontifex.

† Apparet hic per milites, altioris ordinis equites significari, per satellites minoris ordinis equites. Et videntur illi esse, quos Æmilius vocat in hac pugna cataphractos, hi verò, qui vel eis subentur, vel eis erant adiuncti.

* tyrocinio.

† Fors. Marquillanus vt ferunt Gallo-flandri Marquillæ Dominus.

† Quid si scribatur, & pugna Campanensi facta est & admirabilis pugna, sensu admodum claro?

† quinis.

de

*de † Harmes à quodam Flandrensi lancea per scutum, loricam & femur, & consutus fuit alneæ sellæ & equo; & ita tam ipse quàm equus corruerunt in terram. Hugo de * Malo auneir prostratus in terram, & multi alij equis occisis prostrati, & viriliter resurgentes non minus acriter pugnabant super pedes suos, quàm super equos. Comes S. Pauli ab illa cæde paullulùm digressus, vt qui ictibus innumeris tam sibi, quam à se illatis fatigatus erat, aliquantulùm repausauit facie sua ad hostes versa. Vidit vnum de militibus suis circumuallatum ab hostibus, ad quem liberandum cùm nullus ei pateret aditus, licet nondum spiritum resumpsisset, vt per † insertißimum cuneum hostium cum minori periculo transire posset, incuruauit se super collum equi, ipsum collum vtroque brachio amplectens, & equum calcaribus vrgens, cuneum hostium irrupit: ibi se erigens gladio exerto omnes circumstantes hostes mirabiliter dißpauit: & sic audacia admirabili seu temeritate, cum ingenti sui periculo, suo milite à morte incolumi liberato, de manibus hostium euadens, in suorum agmine se recepit. Testati enim sunt qui affuerunt, quòd ipse in tanto ibidem periculo fuit, quòd duodecim lanceis vno eodémque momento impellebatur, non tamen ipsum, vel equum prosternere, aut illum ab equo euellere potuerunt. Spiritu itaque parumper resumpto, iterum cum suis militibus, qui interim respirauerant, in medios hostes infertur. Victoria itaque ibidem dubijs alis aliquamdiu circumuolante, cùm iam pugna feruentißima spatio trium horarum durauisset, tandem totum pondus belli versum est in Ferrandum, & in suos. Nam & ipse multis confossus vulneribus prostratus in terram, & captus ductus est, & plurimi de militibus eius cum eo. Ipse quidem ferè exanimis diuturnitate pugnandi Hugoni de Maroil & Ioanni fratri eius specialiter se reddidit. Alij omnes qui in ea parte campi pugnabant, aut interfecti aut capti, aut turpi fuga Francis insequentibus sunt saluati. Intereà adueniunt legiones Communiarum, quæ ferè vsque ad hospitia processerant, & vexillum beati Dionysij, & accurrunt quantocyùs ad aciem regis, vbi videbant signum regale, vexillum scilicet floribus lilij distinctum, quod ferebat die illo Galo de Montigniaco miles fortißimus, sed non diues. Superuenientes Communiæ specialiter Corbeij, Ambianenses, Beluaci & Compědij, † Attrabatæ, penetrarunt cuneos militum, & posuerunt se ante ipsum regem. Et illi qui erant in acie Othonis viri bellicosi & audacißimi, ipsos in continenti repulerunt, vsque ad regem, & ipsis dißipatis ferè peruenerunt ad regem. Quo viso milites prænominati, qui erant in acie regis, processerunt, rege, cui timebant, aliquantulum post se relicto, & opposuerunt se Othoni, & suis furore Theutonico solum regem quærentibus. Eis itaque † quærentibus, & furorem Theutonicorum virtute admirabili impedientibus, pedites circumuallauerunt regem, ab equo vncinis & lanceis gracilibus in terram ab equo prouoluerunt: & nisi dextra superna, & incomparabili armatura protegeretur, eum penitùs occidissent. Pauci autem milites, qui cum eo remanserant, & supradictus Galo, qui vexillo sæpiùs inclinato auxilium † vocabant, & specialiter Petrus Tristanides, qui sponte ab equo descendens, se * & pro rege ictibus † exponebant, eosdem pedites prosternunt, dißipant, & occidunt. Sed & ipse rex spe citiùs à terra surgens, inopina leuitate equum ascendit. Pugnatur ergò ibi ab vtraque parte virtute admirabili, & cadunt multi. Ibique ante oculos ipsius regis occiditur Stephanus de Longo campo, miles probus, & fidei integræ, cultello recepto in capite per ocularium galeæ. hostes enim quodam genere armorum vtebantur admirabili, & hactenus inaudito. Habebant enim cultellos longos, graciles, tria . . . quolibet acumine indifferenter secantes à cuspide vsque ad manubrium, quibus vtebantur pro gladijs. Sed per Dei adiutorium præualuerunt gladij Francorum, & virtus eorum indefessa. Repulerunt itaque totam aciem Othonis, & peruenerunt vsque ad eum, adeò vt Petrus Maleuicinus miles quidem plus armis, quibus alios præcellebat, quàm sæculari prudentia pollens, ipsum Othonem per frænum apprehenderet: sed cùm non posset ipsum à turba, qua confertus erat, extrahere, Girardus Scropha cultellum, quem nudum in manu habebat, dedit in pectus eius; sed ipsum propter armorum densitatem, quibus milites nostri temporis impenetrabiliter muniuntur, lædere non valens, ictum reiterat: sed ictui secundo obuiauit caput equi, quod erat arduum, & erectum. Descendit ergò cultellus mira fortitudine impulsus in cerebrum equi per oculum receptus. Equus itaque lethaliter vulneratus se gyrauit, & flexit caput suum versus illam partem qua venerat. Et ita Imperator ostendit militibus nostris dorsum, & à campo recesit, aquila cum carro dimissa, & prædæ exposita. Quo viso rex ait suis: hodie nō videbitis amplius*

faciem

A

† Scribendum puto *Harnes*, vt fuerit Regulus de Harnes in Artesia, quē Brito quoque memorat, dum ait, *Et Dominus Harys Michael.*

* Forsitan *de Malauno* vel *Malanoi*: Hugonis Malauni meminit Brito, dum viros Philippū regem sequentes recenset.

B

† confertissimum.

† *i.* Attrebatenses.

C

† quid si scribatur *occurrentibus*.

† vocabat.

* etiam.

† exponebat.

D

A *faciem ipsius. Cum igitur paullulùm processisset, labitur equus, & statim adducitur a-*
lius equus recens, in quem cùm ascendisset, fugæ velociter se mandauit. Iam enim non po-
terat nostrorum militum vlterius sustinere virtutem. Nam ipse Barrensis bis ipsum per
collum tenuerat: sed equi velocitate, & suorum militum densitate præreptus est ei; qui
dum Imperator fugeret, mirabiliter præliabantur, adeò vt ipsum Barrensem, qui pro-
cesserat plusquam alij, prosternerent in terram. Galterus enim iunior & W. de Gar-
landa lanceis suis fractu, & gladijs sanguinolentis, & Bartholomæus de Roya cum
essent, vt dictum est, prudentes viri, & alij, qui cum eis erant, non iudicabant bonum
esse, regem, qui pleno gressu sequebatur, procul à se dimittere: vnde non fuerant pro-
gressi quantum & ipse Barrensis, qui cùm pedes esset, equo occiso, circumuallatus ho-
stibus, [illegible] virtute, more suo defendebat. Tamen quia vnus contra multitudinem
obsistere non potest, captus aut interfectus fuisset, nisi superuenisset Thomas de Sancto
Valerio, vir quidem strenuus, potens in armis, cum equitatu suo, in quo erant quin-
quaginta equites, & duo milia peditum. & ita ipsum Barrensem à manibus hostium
B *liberauit, sicut ille mihi, qui interfuit, enarrauit. Reuiuiscit ibidem prælium. Præliaban-*
tur enim [illegible] Imperator fugeret, Bernardus de hoste malo miles fortissimus, Com. Oth.
de [illegible], Comes Conradus de Tremoquia, & Girardus de Randerodes, cum alijs
viris fortissimis, quos specialiter elegerat Imperator, propter eminentem militiæ virtu-
tem, vt essent prope se in prælio. Isti pugnabant, & sternebant, & vulnerabant no-
stros. tamen præualuerunt nostri. Nam ibidem capti sunt duo præfati Comites cum ipso
Bernardo & Girardo, carrus discerpitur, draco frangitur, aquila alis euulsis & con-
fractis ad ipsum regem defertur. Comes verò Boloniæ ab ipso pugnæ initio nunquam pu-
gnare cessauit, nec poterat ab aliquo superari. Iste Comes Boloniæ arte quadam mira-
bili [illegible] erat: [illegible] sibi quasi vallum quoddam de satellitibus armatis & con-
fertissimis duplici serie in modum rotæ ad instar castri obsessi. vbi patebat quidam a-
ditus quasi porta, qua recipiebatur, quotiens vel spiritum volebat resumere, vel ab ho-
stibus vrgebatur. & sic sæpissimè faciebat. Iste Comes, & Ferrandus, & Imperator
C *ipse, sicut postea [illegible] à captiuis, iurauerant, quòd ad aciem regis Philippi, alijs*
omnibus neglectis, [illegible], & quousque ad ipsum peruenirent, non retorquerent
[illegible]: ea videlicet intentione, quia si rex, quod Deus auer-
tat, occisus fuisset, de [illegible] exercitu facillimè posse triumphare sperabant. & propter
hoc † quod [illegible] & sua acies non pugnauit, nisi cum rege & acie sua. Fer-
randus voluit, & [illegible] venire ad ipsum, sed non potuit; quia, vt dictum est, inter-
clusa fuit via eius à Campanensibus. Reginaldus Comes Boloniæ omnibus alijs omissis ad
ipsum regem in ipso pugnæ initio peruenit: sed cùm prope esset regem, dominum suum,
vt arbitror, reueriens, ab ipso declinauit, & congressus est cum Roberto Comite Droca-
rum, qui non procul à rege stabat in acie valdè densa. Sed & Petrus Comes Altisiodori co-
gnatus regis viriliter pugnabat pro rege; licet, prô dolor! Philippus filius eius cognatus
vxoris Ferrandi, ex parte matris, staret ab opposito contra regem. Adeò enim excæcati
erant oculi aduersariorum, quòd multi eorum, licet haberent fratres, priuignos, & vitricos,
& cognatos ex parte nostra; nihilominus tamen reuerentia domini sæcularis spreta, timore
D *Dei abiecto, bello iniusto eos, quos reuereri, & diligere saltem naturali iure tenebantur, la-*
cessere præsumebant. Iste Comes Boloniæ licet ita strenue præliaretur, multum dissuaserat
pugnandum esse, sciens audaciam & probitatem Francorum. Vnde Imperator & sui pro
proditore habebant, & nisi prælio consensisset, ipsum vinculis mancipassent. Cùm igitur
pugna præ manibus haberetur, ipse dicitur dixisse Hugoni de Boues, ecce pugna, quam tu
suadebas, ego autem dissuadebam. Tu fugies tanquam formidolosus: ego autem sub periculo
[illegible] pugnabo, & remanebo captus, vel interfectus. Et his dictis accessit ad locum
pugnæ sibi destinatum, & pugnauit, vt dictum est, diutiùs & fortiùs, quam aliquis, qui ei-
dem prælio interesset. Interea rarescunt acies ex parte Othonis, ipso inter primos fugiente.
*Dux † [illegible], Dux de * Lambroch, Hugo de Boues, & alij per centenarios, per quinqua-*
genarios, & per diuersi numeri turbas se iam mandauerant turpi fugæ: Comes tamen
Boloniæ adhuc pugnans euelli non poterat à † campo; admixtus tantum sex militibus,
qui eum nolentes dimittere, cum eo pugnabant donec satelles quidam, Petrus scilicet de

† quoque.

† i. Dux Brabantiæ.
* i. Limbourg.
† i. a prælio.

*Turella, qui cùm probissimus esset, & equus suus occisus esset ab hostibus, pedes pugnabat, accessit ad ipsum Comitem, & eleuata equi tectura, mucronem vsque ad capulum in ventrem equi eius immisit. Quod cùm quidam miles ipsius Comitis vidisset, fræno apprehenso ipsum à conflictu retrahebat inuitum. Insequuntur illos duo fratres strenui milites Queno & Ioannes de Conduno, & ipsum militem prosternunt in terrâ, & statim ibidem labitur equus Comitis, & ipse Comes ita iacuit supinus, femur dextrum habens sub collo equi iam mortui. Vnde vix extrahi potuit. Superuenerunt Hugo & Galterus de fontibus, & Ioannes de Roboreto, qui cùm contenderent, cui eorum ascriberetur captio Comitis, superuenit Ioannes de Nigella cum suis militibus, miles quidem procerus corpore, & formæ venustissimæ, sed virtus animi venustati corporis in eo minimè respondebat. Vnde & in prælio illo nondum cum aliquo confluxerat die tota. rixabatur tamen cum alijs, qui ibi detinebant Comitem, volens sibi ex eius detentione laudis aliquid mendicare & præualuisset, nisi superuenisset Electus, quem cùm cognouisset Comes, se illi reddidit, & rogauit, vt soli vitæ illius faceret misereri. Garcio quidam fortis scilicet corpore & virtuti integræ Comôtus nomine, cùm staret ibi, ferro exerto, abstulerat iam ipsi Comiti galeam, & vulnus impresserat maximum in facie ipsius, & militibus, vt dictum est, inter se concertantibus voluit ab inferiori immittere cultellum: sed cùm ocreæ consutæ essent pannis loricæ, viam vulneris non potuit inuenire. Cogitur itaque Comes surgere de terra; sed cum vidisset non procul inde Arnulphum de Auderiarda, non militem probissimum cùm aliquot equitibus ad eius auxilium properantem, finxit se non posse pedibus stare, & in terram sponte prolapsus adiutorium expectabat. sed qui astabant ictus plurimos ingeminantes velit nolit, compellunt illum ascendere in * Runcinum: sed & ipse Arnulphus, & qui cum eo erant, capiuntur. Omnibus itaque ferè equitibus aut fuga de campo ereptis, aut captis, aut interfectis, cùm iam Othonitæ vtraque † belli latera denudassent, stabant adhuc in medio campi satellites, pedites fortissimi Brabantiones, & alij, quos per aduersa quasi vallum ante se posuerant numero septingenti. quos cum vidisset ipse rex magnanimus adhuc stare, misit Thomam de Sancto Valerio virum nobilem virtute commendabilem, & aliquantulum literatum, contra illos. qui cùm esset benè munitus, licet iam armis aliquantulum fatigatus pugnando, habens secum de terra sua ibidem fideles viros equites quinquaginta, & pedites duo millia, irruit cum magno furore in eos, & omnes penitùs trucidauit.* Hæc de prælio Bouiniensi Rigordus, quo neque quisquam id prolixiùs, neque candidiùs descripsit. Quædam hîc tamen circa ipsum animaduerti à lectore desidero, tum ad historiæ veritatem, tum ad vetustatis cognitionem spectantia. Antiquitatis considerandæ hoc primum; ab Rigordo nunc de vexillo S. Dionysij, nunc de altero regis signo lilijs insperso fieri mentionem. Quæri enim isto loco possit, diuersáne is velit vexilla significare, an vnicum variè descriptum? Equidem ad hoc quod attinet, non solus hac in pugna duplicis vexilli meminit Rigordus, verùm etiam Vincentius Beluacensis, & Guilelmus Brito, dum idem prælium describunt. En Britonis locus, quem statim proponit, vbi de vexillo S. Dionysij fuit locutus:

A

B

* id est, equum.

† id est, pugnæ.

C

Lib. 11.

Ante tamen regem signum regale tenebat
Montimacensis vir fortis corpore Galo.

D

Et sanè nullum mihi dubium relinquitur, quin diuersa fuerint ea vexilla, quæ Rigordus memorat: quandoquidem apud eum viderimus, non exspectato S. Dionysij vexillo, regem suos in aciem composuisse, eique prælatum à Galone Montigniaco vexillum illud regium, quod liliis aureis erat conspicuum: ac non priùs D. Dionysij signum in pugnam portatum, quàm ciuitatum copiæ ad regem venere. Sic igitur his de vexillis accipe: quod signum regale liliorum floribus distinctum Galoni datum est, aliud omnino fuisse ab eo, quod Fráci Auriflammam seu Flammam auream, vel S. Dionysij vexillum vocabant: illúdque semper ante regem delatum; hoc in fronte aciei tantùm gestari solitum, quando summa necessitas vrgeret Regis, regníue. Audiendus hac de re Guilelmus, qui simul formam & materiam Dionysiani vexilli explicat:

Lib. Phil.

A *Ast regi satis est tenues crispare per auras*
Vexillum simplex cendato simplice textum,
*Splendoris rubei, * letlania qualiter vti*
Ecclesiana soles certis ex more diebus,
Quod cum flamma habeat vulgariter Aurea nomen,
Omnibus in bellis habet omnia signa praeire:
Quod regi praestare solet Dionysius Abbas,
Ad bellum quotiens sumptis proficiscitur armis.

[illegible]

Et Ioannes [illegible] *Philippus, inquit, Sextus eduxit è templo diui Dionysij vexillum ex* [illegible] *nisi pro summis regis regnique necessitatibus idque* [illegible] *est.* Duo igitur hinc arguas licet; ac primum quidem [illegible] prælium, quo de agimus; quoniam in eo Dionysiacum fuit insig- [illegible] alterum auctorem Chronici Flandriæ, Paulum Æmilium, B & [illegible] minus vere litteris tradidisse in pugna gestatam à Galone [illegible] is regium modo vexillum portauerit. Lib. 11. Annal.

Ad [illegible] notitiam quod spectat, hoc est secundum, quo refert Rigordus ex [illegible] *& lanceis gracilibus* ab hostibus detractum. Ad cuius [illegible] quæ Brito panxit carmina: Lib. 11. Philip.

[illegible] hastas hastata manus configit in illum,
Quarum cuspis erat longa, & subulæ instar acuta,
Et [illegible] velut verubus dentata recuruis,
Cuspidis in medio vncos emittit acutos.
Hi [illegible] regem pedites incessere telis &c.

Ad historiæ [illegible] quæ sequuntur. Quod au Rigordus iis è satelliti- C bus [illegible] qui Flandros primi sunt aggressi, duos tantùm fuisse le- [illegible] hoc primum Paulus Æmilius, deinde Iacobus Meierus refu- [illegible] *Flandri, Aunonesque, Ferdinandúsque parati erant, vt cata-* Lib. 6. [illegible] *Francorum exciperent* [illegible] *nobilem equitem non procul loco* [illegible] *omnes interemere.* Hic verò: *Flos Flandriæ & Hannonij* [illegible] *que ad vnum interfecerunt.*

Ad Ferrandum Flandriæ Comitem quòd attinet, laudis hic parcior Rigordus, [illegible] sufficit ad gloriam eius quæ faciunt, Paulus Æmilius. Hæc [illegible] *præclarè res gerebat: suis consilio, in* [illegible] *adhortatione aderat.* Lib. 6. [illegible] *suorum corporibus, parmisque suum latus muniuerat: sed cùm* [illegible] *fortuna aduersa vti se cerneret, ac artes bellicas inuito numine* [illegible] *partes suscepit, subsque ipse dextera tegebat; ac vt quemque* [illegible] *occurrebat, opem ferebat, hostem in se vertebat. quoniam vincere* [illegible] *mortem suam vltus, accumulatis Regiorum cadaueribus, tristi* D [illegible] *superesset,* [illegible] *suffosso equo se in pedes pernix* [illegible] *Compluribus vulneribus acceptis, eorum* [illegible] *nihil moueri videbatur quoad manu* [illegible] *potuit. Circumuentus* [illegible] *concidit, & in potestatem* [illegible].

[illegible] verò magis Flandrorum Hannonúmque virtutem militarem Rigordus ex [illegible] laudat. Quanta enim fortitudine hoc se prælio memorabiles reddiderint [illegible] in modum canit Gulielmus: Lib. 11.

Tunc primùm Flandri cœpere timore moueri,
Pondus enim belli totum se inclinat in illos.
Non tamen aut campo discedere, terga vel hosti
Ostentare volunt, tanta indignatio mentes
Obtinet illorum, seruandique ardor honoris,

Vt malint pugnando mori, vel vincla subire, A
Cadereque & cadi, quàm se fugisse notari.

Et alio loco:

Ferrandúsque suis animos, dum pugnat, adaugens,
Hastis confractis, mucronibus, atque † cutellis
Insistunt, dacisque securibus excerebrant se,
Ictibus alternis, & equorum viscera rumpunt
Demissis gladijs. ——

† i. cultellis, vt ex sequentibus patet.

Quibus ea sunt gemina, quæ nobis exhibet vetus quoddam & manu exaratum Chronicon Flandriæ, cùm de Flandris & Hannonibus agit: *Fractis lanceis gladios extraxerunt. gladio deficiente, aut propter hostem cominus insistentem non proficiente, in alterutrum cultellis vtuntur.* Audiendum etiam quid de his vtrisque scribat Æmilius: *Ferdinandus summus erat bello Dux. Et Flandri Annonesque se dignos tali duce præstitere.* B *cōuersis signis pugnabant: vtrimque hostem sustinebant: animum spes iráque inflammabant: pectoris robur corporis vires addebat: effera mens vinci, nisi exitio multiplici hostium posse non videbatur.*


Quem verò nominat Rigordus Arnulphum de Auderiarda, is fuit Arnulphus Aldenardensis maximo apud Flandros loco natus, quem Flandrici Annales admodum laudant. Quam ob causam eum *militem non probissimum* appellet, non assequor. Id ab armis non reor profectum. Nam Paulus Æmilius virum fortissimum nominat. Et Chronicon Flandriæ ab aliquo Franco Gallicè conscriptum magna etiam laude afficit, cùm memorat, quanto se robore in pugnam inuexerit; eiúsque fuisse facinoribus factum asserit, ne ducenti equites in hostium manus venerint, & catenas subiuerint. Si fidem eius vellicet, ex eodem sanè Chronico perspectum habetur eum Regem Franciæ laudibus extulisse, quòd Principem suum bello secutus adeò se fortiter gesserit. Tantùm carpi possit, quòd, eiusdem regis testimonio, bellum minimè amauerit, idque Comiti Ferrando dissuaserit, ac nunquam induci potuerit, vt aliorum exemplo, fœdus cum Anglorum rege percuteret: quæ tamen potiùs laudari, quàm reprehendi, ab rege Philippo videntur. C

Cap. 15.

De captis eo prælio, hæc breuiter Rigordus: *Eodem vespere cùm adducti fuissent ante conspectum regis proceres, qui capti fuerant, quinque videlicet Comites, & XXV. alij, qui tantæ erant nobilitatis, vt eorum quilibet vexilli gauderet insignibus, præter alios quamplurimos inferioris dignitatis.* Paulus Æmilius inter captiuos censet *triginta maiorum ordinum ductores.* Placet hîc adscribere vetustam Atrebatensis portæ, quam diui Nicolai nominant, inscriptionem, quæ veteri Gallico idiomate Bouiniensis pugnæ tempus signat, & Comites captiuos enumerat. Ea talis est:

Maistre Pierre de l'Abeye.
Fit de ce œuure la maistrie.
En apres l'Incarnation D
Iesu ki sofri pasion,
Eut XII. cent & XIV. ans
Que ceste porte fait ettans,
Fu quand Syre de cest pays
Estoit messyre Lovveys,
Li fieu Felipe le buen Roy.
Flamenc li fisent maint desroy,
Mais D̂s. le Roy tant onora,
Que as gens que lo luy mena
Cacha de camp en mains d'vn ior

Othon

A *Othon le faus Emperéor:*
Et prit V. Cuentes auec luy,
Ki li orent fait maint anuy.
Si ert de vengier desirans.
Li vn ot nom li Cuens Fernans,
A qui ert Flandres & Haynaus.
Et li autre fu Cuens Raynaus,
De Dantmartin & de Bologne:
Et li tiers fu d'otre Cologne,
Si ert de Tinkenebore Syre.
Li quart fut Cuens de Salebire,
Ce fu Guillaumes Longespée
B *Qui por la guerre ot mer passee,*
Frere estoit le Roy d'Angleterre,
Ki ia ot non Iohans sans terre,
Et li quins fu li Cuens de Lus.
Et trois cent Cheualiers & plus

Que mort, que pris sans nul delay,

Entre Bouines & Tournay,
Auint ceste chose certaine
El mois de Iuil vne depmaine
V. iors auant Aoust entrant
Et droit XXXVI. ans deuant &c.

C Neque duco prætereunda, quæ Godefridus S. Pantaleonis monachus hoc de prælio suis inseruit Annalibus, dum ita scripsit: *Circa Iulium etiam mensem . . . em Imperator cum Comite Flandriæ Ferrando, & Duce Brabantiæ, & plurimo exercitu contra regem Galliæ ad bellum proficiscitur, vbi iuxta Tornacum prælio commisso rex Galliæ victoriam obtinuit. Ferrandus cum pluribus nobilibus tam Flandriæ, quàm Lotharingiæ, ibidem capitur & Parisius missi vinculis mancipantur.* Vt verò stragis magnitudinem agnoscas in Gallo-flandriam ac præcipuè Bouinas illatam, audi, quæ de numero militum Othonem sequentium habet Æmilius: *In Cæsaris*, inquit, *exercitu centum quinquaginta millia peditum fuisse ferunt; de equitum numero minùs constat. conuenit ad mille quingentos equites, qui aurato baltheo virtutis causa donati fuerant, ab Othone stetisse.* Quibus omnino (Lib. 3.) respondent ea, quæ Papirius Massonus memorat. Iam verò si tantus hominum numerus à Regis Franciæ copijs fuit dissipatus, haud dubiè ingentes quoque has fuisse oportet. Quis autem nesciat coopertos adeò magnis exercitibus agros damni mul-
D tum facere? De solis certè Francis in Gallo-flandriam eo bello grassatis accipiendum id, quod scribit Rigordus cùm de Franciæ rege ad pugnam copias trahente loquitur: *Intrauit in manu forti terram Ferrandi, & transiuit per eam omnia a dextris, & a sinistris incendijs deuastando, & regaliter deprædando.*

Sed non eo tantùm tempore Francorum vires armáque Bouinæ senserunt, ab ijsque maximum passæ sunt damnum. Etenim Galliis imperante Philippo Valesio, & Flandriæ Comitatus titulo fulgente Ludouico Niuernensi, sub nouis Francorum castris Bouiniensis ager pagúsque admodum gemuit. Tornacum Eduardus Anglorum rex, & Iacobus Arteuelda Flandrorum Dictator magnis simul copiis grauissimè obsidebant. Id ægrè tolerans Philippus è Francia per Atrebatum in Gallo-flandriam (Ioan. Froiss. l. 1. c. 64.) rapuit exercitum, & diu ad Pontem Bouinum consedit. Quo tempore dum frequenter velitationibus inuicem sese vel carpunt, vel impetunt apertè vtrarumque copiarum equites; deinde per ardorem æstiui solis multa sub dio vel hominum cæsorum

A

cadauera, vel animalium in cibos iugulatorum intestina computrescunt: fœtor pestilens aërem corrupit. Tacito loci nomine posita hîc Francorum castra meminit his verbis Paulus Æmilius: *Rex in Atrebatibus copias habebat. certior factus obsessos laborare, mouit, ac sex millium interuallo ab hoste locum castris idoneum cepit, natura tutum & flumine vna parte munitum.* Iacobus verò Meierus Froissartum aliósque Belgicos scriptores secutus, hæc memoriæ mandauit: *Mouitque copias ad Pontem vsque Bouinum, qui tribus tantùm distat à Tornaco millibus, vbi locum natura tutum castris delegit*, vbi per *millia* leucas intellige, aliter quàm fecit Æmilius.

Lib. 8.

Lib. 12. Annal. Fland.

Ioan. Cousin l. 4. c. 46. de reb. Tornac.

Labente Christi anno supra millesimum & quadringentesimum octauo & septuagesimo, dum inter Regem Romanorum Maximiliannm & Franciæ regem Ludouicum ardet bellum, Burgundiones aliquot Bouinas occupant, ibíque munitionibus obsepti, ne quid ex Atrebatibus commeatuum inferatur Tornacum, aliquamdiu efficiunt.

B

Cysoing.

Cysonium & Abbatia Cysoniensis.

Capvt XIX.

CYSONII ORIGO ET NOMEN EXPENDITVR.

IVXTA Bouinas Cysonium est. Originem, & nomen eius Romanis deberi quidam arbitrantur, vnde vetustas eius famam accipiat. Narrant enim imperante Claudio Nerone Cæsonium vrbis Romanæ Patricium copijs Romanorum in Gallia Belgica præfuisse. Hunc vt plurimum Tornaci degentem, vrbanæ quietis, & luxus tædium cepisse: venationis & aucupij multum incessisse desiderium. Igitur cùm frequētiùs ijs in nemoribus, quæ solum latè obtegebant, vbi modò Cysonium visitur, captandis auibus & feris sese plurimus exerceret; ibi domum opere tumultuario fecisse, quò defessus per diem vel noctem sese reciperet. alios eius exemplo Romanos ędificia struxisse. tandem ædium numero crescente, maioris tutelæ causa cinctum ab Cæsonio muris, & portis distinctum hunc locum præbuisse oppidi speciem. ab eodem dictum primò Cæsonium, dein mutata diphthongo in Cisonium transijsse. Mihi parum arridet eiusmodi originatio, & narratiuncula; cùm nullo notæ alicuius auctore nitatur. Licet fortassis eò respiciat Rigordus, cùm in libro de gestis Philippi Augusti Francorum regis Cesonam nuncupat hunc pagum: & Guilelmus Brito, qui non aliter vocat, dum canit: C

Lib. 10. Philip

Sanguineum à Zephyro, Cesonam tangit ab Euro.

Placeret potius quod aliqui dicunt, inde nuncupari Cisonium, quòd cis Onium, amnem aquæ modicum, sedeat. Ei tamen deriuationi etiam aduersari possit, quòd nunc olímque non Cisonium, sed Cysonium scribi frequentiùs videamus. Quidquid sit de nomine, & origine: saltem Ludouici Pij temporibus (Imperator is fuit Carolo Magno patre genitus) celebris erat hic locus, vel propter *Fiscum regium*, vel ob inceptum illic ab Euerardo Comite Monasterium, seu Canonicorum Ecclesiam. Sanè quoties Gisla Ludouici Pij filia, & Euerardi Comitis vxor, Cysonium in litteris suis nominat, semper Fisci nomen adiūgit. Hæc eius verba: *Apud Monasterium Fisci Cysonij.* &: *Ad Monasterium in Fisco Cysonio situm.* dein: *Actum Fisco Cysonio apud Monasterium.* Crediderim hunc pagum priùs ad dominium Franciæ regis pertinuisse: dein eius beneficio, vel propter egregia facinora, vel propter initas cum Gisla nuptias, obtinuisse Comitem Euerardum: quo modo Carolus Caluus Gislæ sorori suæ Fiscum Sominium attribuit, de quo ipsa sic loquitur: *Fiscum nomine Sominium in Pago Hostrewant situm, quem mihi iam fatus rex pijssimus, & si dicere audeam, germanus meus, Carolus florente pietatis suæ munificentia dono tribuere dignatus est.* Illius beneficij argumentum ex iis verbis elicio, quæ Gisla ijsdem in litteris profert: *Placuit mihi in Dei nomine Gislæ de rebus, quas serenissimus ac pijssimus rex Carolus, meus, si dicere audeam, germanus,* D

CYSONIVM OLIM FISCVS REGIVS.

A *mamus, cùm exiente seniorū mei dulcis memoriæ Euerardi negligentia in dominio suo redacti essent, viduitatis meæ compassus, & habitus mei mutationem consolatus, per suæ sublimitatis præceptum largiflua pietatis suæ clementia mihi restituere, atque augmentare dignatus est cum suo consultu, primò apud monasterium Fisci Cysonij, &c.* Quòd autem ad Fisci nomen attinet, id olim locis quibusdam adhæsit, siue domus, siue arces fuerint, eò fine constructæ, vt in ijs Principis redditus frumentarij, aliiue conderentur. Idem etiam nomen induit aliquis terrę tractus Principi obnoxius, ex quo redditus colligebantur, & ad primarium aliquem locum (oppidum interdum id erat, castrum quandoque) deportabantur. Quæ significatio abest quammaximè ab ea, qua Latini olim Principis pecuniam comprehendebant. Nam diuus Augustinus Fisci nomine Principis thesauros significatos asserit. Hinc igitur colligas Cysonij saltem domum vel arcem Principalem fuisse, subiectúmque Principi territorium: quandoquidem Fisci nomine fuerit appellatum, vnde claritudinem non paruam, vt alia defuerint, acceperit. Qua ratione celebres quoque olim Lambræ fuerunt, vt ex his Balderici verbis apparet è libri secundi capite primo & vigesimo: *Sciendum est autem, quòd ante constitutionem huius castelli, vsus telonei; quòd nunc pro immurentis Flandrensium Comitis potentia, in ipso castello, mutato pristino ritu, sumitur, apud Lambras villam S. Dei genitricis, soluebatur. Erat enim Fiscus regius.* Iam vero fueritne quodam Comitatus titulo Cysonium haud satis liquere video. Apud Iacobum Meierum lego Euerardum Cysoniensem Comitem fuisse: eodémque ipsum Comitis nomine exornat Ioannes Molanus. Contrà Florentius Vandetharius Ecclesiæ S. Petri Insulæ Canonicus & Thesaurarius nititur: tum quòd ea tempestate nondum adhærescerent possessionibus, locisue particularibus principum virorum Comitatûs tituli; tum etiam ob Euerardi testamentum, in quo se Comitem ἁπλῶς is appellat, cùm sic orditur: *Ego Euerardus Comes cum coniuge mea Gisla decreui.* Si enim ita titulum induisset Comitis, vt cum fundo & possessionibus coalesceret, haud dubiè locum adscripsisset titulo. Vt in sententiam Vanderharij proniùs vergam, alia duo faciunt. Primò námque nusquam Cysonienses Religiosi in Officio Ecclesiastico, quod certè antiquum in eius laudem viri sanctissimi legunt, concinúntue Euerardum Comitem nuncupant; sæpè Ducem in Italia Foroiulij appellant. Quid enim tacuissent id decoris, si Comitatum Cysoniensem adeptus fuisset, cum inde cresceret loci dignitas? Deinde Flodoardus, cùm Euerardi mentionem ingerit in argumento cuiusdam epistolæ B. Fulconis ad Formosum Pontificem maximum scribentis, non Comitem, sed Marchionem nominat. Eius hic locus: *Adnotat etiam, qualiter Euerardus Marchio S. Calixti Papæ & Martyris venerabile corpus à Romana sede inpetrauerit.* Quo nomine, vt nos alibi notamus, limitum Comes signabatur, qualem fuisse nostrum Euerardum, nihil dubitandum est. Et fors id volunt Cysonienses, dum canunt in officio: *Multitudinem gentis Sclauorum aliarúmque paganarum gentium, vbi & ipse quasi quidam marginalis miles, ac limes, &c.* Nam militis nomine non modò equestri baltheo donati, sed etiam nobilissimi viri, ac interdum Comites significabantur ætate media. Porrò Cysonium olim in territorio Tornacensi censum video. Sic enim Officium Cysoniensis Ecclesiæ, cùm Euerardi facta memorat: *Atque Monasterio, quod ipse in partibus Galliarum occiduis in prædio suo, quod dicitur Cysonius, in Pago Tornacensi nobiliter struxerat.* Quandò verò intra limites Insulensis agri constrictus is vicus fuerit, non possum arbitrari. Nunc sanè magnus est, insignísque, & Baroniæ obtinet decus. Inter quatuor præcipuas Flandriæ totius Baronias, quibus vexilla gestantes vrsos appingunt, numeratur, principémque obtinet locum. Eius Baroniæ titulo, ac cēsibus qui potitur, quatuor Insulanæ ditionis nobilium, vel Baronum (vtroque enim vocabulo in veteribus monumentis cieri video) secundus est, qui suprema exercendæ pollent iustitiæ potestate, ideóque principem in Comitiis Ordinum occupant locum nobilitatis. Aliquod huic loco decus Baronis castrum adfert: ornamenti plurimum conciliat opulentum, & conditum ab octingentis fermè annis Monasterium, vbi primùm Canonici seculares, vt nominant, floruere, nunc Canonici Regulares consident D. Augustini legibus constricti.

In Psal. 146.

B

An olim Cysonium Comitatus fuerit? *Lib. 2. Annal. In Nat. SS. Belgij.*

C

D

Cysonium olim Agri Tornac.

QVI HOMINES CYSONIVM ILLVSTRAVERINT. S. EVERARDVS.

De viris verò maximis, à quibus Cysonium insigne lumen accepit, nunc aliquid proferendum arbitror. A

Primus omnino & clarissimus horum fuit S. Euerardus, quem iam laudauimus, quíque Monasterium condidit. Genus eius haud dubiè nobilissimum exstitit; quandoquidem per nuptias Ludouicus Imperator cognomento Pius filiam ei suam illigauerit. De ipso ita canunt Cysonienses:

In officio.

Francorum nobilissimis
Oriundus natalibus,
Natales illustrissimis
Nobilitauit actibus.

Comitem fuisse vel Marchionem, ex dictis clarum est. In Italia fuisse Ducis titulo, & hîc Principem exstitisse, ab iisdem asseritur:

In officio.

Dum Ludouici filius
Imperaret Lotharius B
Erat hic huius patriæ
Princeps, & Dux Italiæ.

Quæ prorsus eum in modum intelligenda, vt neque hoc in belgio Principatum vllum obtinuerit, neque totius Italię Dux fuerit: verùm & hîc principem egerit virum, & in Italia Foroiuliensem Ducatum ex parte administrauerit. Ipsi enim Cysonienses ita sese explicant, dum in primis hæc memorant: *Ducatum Foroiuliensem diuina ordinatione sub glorioso Principe Lothario Ludouici Pijssimi Imperatoris filio, ac in regni gubernaculis successore nobiliter administrauit.* Quibus idem moribus fuerit præditus, ex eorundem officio sic deprehendo:

Erat Dux memorabilis,
Prudens, modestus, humilis
Charitate præcipuus, C
Bellicis armis strenuus.
Honor, opes, prosperitas,
Vel generis nobilitas
Hunc nequibant extollere,
Sed nec aduersa frangere.

Deinde:

Euersor idolatriæ,
Propagator Ecclesiæ,
Tam Deo quàm hominibus
Complacebat in omnibus.

Quibus illustrem se militiæ factis reddiderit, ab iisdem sic doceor: *Sanctus Eurardus sæpè aduersum Ismaelitas atque Agarenos, qui se Saracenos gloriantur, dimicans, contráque Numidarum & Maurorum sæuissimos populos resistens fortiter, non modicum ex ipsis reportauit triumphum.* Ab militia dum vacaret, ad promouendam fidei Christianæ religionem totus rapiebatur. Ea de re apud Cysonienses ita reperio: *Hic itaque miles Christi non piger, neque frigidus circa fidem, ac dilectionem Dei, multitudinem gentis Sclauorum, aliarúmque paganarum gentium, vbi & ipse quasi quidam marginalis miles ac limes ad discernendum filios Dei à filijs diaboli fortiter astabat: valida manu sæpius debellauit, pariterque armis terrendo, ac prædicationibus Apostolicis instruendo, ex eis paullatim spoliauit atque imminuit diaboli regnum, & dilatauit atque vestiuit ecclesiæ Catholicæ domum.* Et posteà: *Illis etiam quos diabolicæ perfidiæ armis fidei subtraxit: Ecclesias ac Monasteria per diuersa eorundem terræ loca fabricauit, & eas ministris atque diuinis cultibus studiosissimè perornauit.* Denique: *Insuper vir Dei memorabilis Eurardus per diuersa loca regni* D

Francorum

A *F[illegible] ſibi ſubiecit, quæ ſibi vel patrimonio ceſſerant, vel donationibus regum prouenerant, [illegible] Chriſti ſundauit; reliquiiſque Sanctorum Dei, quas vbicumque inuenire potuit, [illegible] ditauit, boniſque ſuis temporalibus abundantiſſime cumulauit.* Ex his igitur [illegible] id fuit templum Cyſonienſe, cui Canonicos pinguibus donatos cenſibus non paucos vna cum Abbate, vel Præpoſito impoſuit: in quo ſæpiſſime hos inter videbatur magna religione cantúque numen venerabundus. Et omnem ſuperat ſermonem ea celeberrima pompa, qua S. Calliſti corpus ab Italia huc inferri curauit. Qui de huius diui tranſlatione opuſculum ſcripſit, eam breuiter tangit his verbis: *Surgentesque [illegible] multitudo Cleri ſeu populi finitimorum locorum obuiam Sancto properabant, genibuſque [illegible] in terram Dominum benedicebant, qui ſui miſertus de ſuis [illegible] tantum Principem [illegible] mittere dignaretur. Tunc omnes vno animo vnaque voluntate [illegible] gregati [illegible] hymniſque, laudibus debitis, ſanctiſſimum Chriſti martyrem ſuæ domui intulerunt, ac in præparato ſibi mauſoleo decentiſſimè collocarunt.* Et vero quem locum adeo viuus amauerat, etiam mortuus inſidere voluit Euerardus. cum enim

B eum [illegible] corpori ſuo delegiſſet, hoc ab Italia deportatum in ædem funebri pompa Vnrochus filiorum maximus cum aliis fratribus intulit, hominibus innumeris vna parentantibus.

Neque ſanè minus ab Giſla S. Euerardi coniuge luminis allatum Cyſonio eſt. Quod enim iam diximus, patre nata fuerat Imperatore, auúmque habuerat Imperatorem Carolum Magnum, & Carolo Caluo fratre Auguſto gaudebat. De pœnitibus [illegible] teſtamentum: *Ego in nomine Domini Giſla anniuerſariam refectionem fieri decreui pro Ludouico Imperatore patre meo, & pro Iudith Imperatrice matre mea, & pro glorioſo rege Carolo [illegible] germano.* Et iunxerat quoque tanto generi pietatem Giſla, magnóque in Deum ac Sanctos amore feruebat. Quóue poſſet ſuo facere ſatis deſiderio, Cyſonii ſemper habitabat, vt quod maritus templum, & Canonicorum domicilium [illegible], ipſa ſuo aditu tereret frequentiſſime, illic orationibus, ac diuinis laudibus operam daret. Et in hæc ab ipſa quædam collata, & delectum iuxta mariti corpus ſepulchrum [illegible] variis eius litteris colligo. Verum hæc alibi in medium profe-

C [illegible] opportunè.

E libero [illegible] principis Rodulphum certò conſtat Cyſonii ſediſſe, intérque Canonicos Præpoſitum vel Abbatem vixiſſe. De ipſo hæc Fulco apud Flodoardum: [illegible] *obitum ad filium ipſius Rodulphum Abbatem hereditario iure [illegible]* De [illegible] filiorum Adelardo idem videtur dicendum, qui ſepulturam in templo Cyſonienſi ſortitus eſt, vt teſtatur hymnus in ſancti martyris Arnulphi laudem compoſitus:

Vbi Giſla poſita eſt,
Et eius inclyta proles
Adalardus nomine.

De Humberto, quem [illegible] aliqui huc ſæpè veniſſe, illatúmque tumulo intra templum fuiſſe, non facile admitto: cum ne quidem ſit vero conſentaneum, eius nomi-

D nis Filium Euerardo Giſlæque obtigiſſe. Verum de his omnibus alibi latius erit agendum, cum Gallo [illegible] Sanctos eruemus & laudabimus.

Magnum poſtea Cyſonio decus attulerunt Hermannus Canonicorum Præpoſitus, [illegible]ardus & Robertus Canonici. Cùm enim hi duo piis & calidis adhortationibus Hermannum [illegible] vt mundi voluptatibus, & vitæ laxiori nuncium remitteret, [illegible] animos omnes ad inducendam in Cyſonienſe monaſterium D. Auguſtini regulam & diſciplinam adeo feliciter conuertêre, vt facta ſibi ab [illegible] Archiepiſcopo Reginaldo poteſtate, primi regularem habitum induerint, [illegible] virtutum exemplo ad idem faciendum multis aliis incitamento fuerint.

Neque vero [illegible] claritudinis huic loco peperit tot inſignium virtus antiſtitum, qui per [illegible] Cyſonienſibus Religioſis præfuere: quorum hic ſeriem proponere allubet.

GISLA VXOR S. EVERARDI.

Tab. de Sancto Gallo flandr.

RODVLPHVS S. EVERARDI FILIVS. Lib. 4. c. 2.

ADELARDVS S. EVERARDI FILIVS.

HERIMANNVS CYSONIENSIS PRÆPOSITVS.

ABBATES CYSONIENSES.

ANSELMVS 1. ABB. — Lib. 2, c. 32.

Ante omnes plurimum factis præclaris, & præstantibus animi decoribus emicuit Anselmus (Augelonem minus rectè nuncupat Aubertus Miræus in Fastis Belgicis, vt ex ijs, quæ postea dicemus, clarum erit) qui primus huic nouello, & ad religionem virtutémque gnauiter incumbenti cœtui datus est Abbas. Postquam enim hic plurima se virtute inter Regulares S. Dionysij Remensis Canonicos ad veterum ascetarum imitationem finxisset, multo plus sibi laborandum Cysonij iudicauit: tum vt animum suum maioribus virtutum ornamentis indueret; tum vt sibi subiectos ad studium religiosæ disciplinæ raperet secum ardentiùs. De ipso sic apud Cysonienses scriptum reperio: *Quæ autem lingua dicere, quisue valeat explicare, quæ, & quanta in primo aduentu suo tam à Clericis, quam à laicis; tam à seruis, quàm à liberis; tam à senibus, quàm à iuuenibus; tam à suis, quàm alienis passus fuerit, quas corrosiones, quas detractiones, quas derisiones, quas peruasiones sustinuerit? Ille tamen sicut bonus Christi athleta, sicut veridicus logotheta, vt multos lucrifaceret Deo, omnia æquanimiter accepit, fixum tenens in corde suo, quia Dominus noster Iesus Christus ab impijs Iudæis opprobria, sputa, flagella, alapas, spineam coronam, & crucem pro salute humani generis ferre non recusauerit.* Ceterùm visus est Deus hoc in cœnobio diuturnam huic antistiti vitam concessisse (ad tres enim & quinquaginta pedum annos tenuit) vt firmiora iacerentur à tam patienti ac religioso viro pietatis & religiosæ disciplinæ fundamina. Extat hodiéque in chori medio insertum id marmor pauimento, quod olim eius sepulchro superpositum fuit, ac tantum non eius memoriam ex eo vetustas abstulit, ab sumptis fere continuo pedum attritu ipsius effigie, litterisque ad marginem cælatis. A

Eorum, quibus post Anselmum Cysoniensis monasterij gubernandi munus impositum fuit, præter nomina, & annos regiminis, vix quidpiam vetera monumenta suppeditant nobis, si paucos è postremis excipias. Quocirca si quid aliud de quibusdam minimè demus, in temporum iniurias, aut negligentiam successorum, haud nostram in culpam, erit vertendum. B

SAMVEL 2. — Igitur Anselmum primus excepit Samuel, qui per octonos annos pedum tenuit.

ROGERVS 3. — Hunc secutus est Rogerus, qui septennio imperauit. C

MARCELLVS 4. ABB. — Proximus huic fuit Marcellus, qui gubernationem octauo expleuit anno.

HVGO 5. ABB. — Ad Hugonem delatum deinde pedum est, quod annos nouem tractauit. In huius tempora incidit pugna Bouiniensis, quam prius latè descripsimus: ideoque multùm laborauit, cùm vt suos religiosos & monasterium ab iniurijs, & maleficijs hostium protegeret; tum vt cæsorum nobilium ac ductorum corpora in templo terræ committeret anno Domini 1214.

SIGARDVS 6. ABB. — Huic successit Segardus, quem duobus tantùm annis rexisse asseuerant.

SIMON 7. — Secutus est posteà Simon, cuius regimini vndecim assignantur anni.

ILBERTVS 8. ABB. — Iam verò post Simonem huius monasterij habenas moderatus est Ilbertus, quidam vocant Albertum, annis decem.

THOMAS 9. — Rexit subinde religiosum hic cœtum Thomas integro ferè septennio.

RADVLPHVS 10. ABB. — Qui secutus est eum, annis tantùm quatuor præfuit Radulphus.

BARTHOLOMÆVS 11. ABB. — Bartholomæo postmodùm ad dignitatem euecto ad duos & viginti annos magistratum producere licuit. D

IOANNES 12. — Annis deinceps nouem gubernauit Ioannes Præuostius.

GREGORIVS 13. ABB. — Huic successit Gregorius, ac idem itidem annis quindecim pedum tenuit.

NICOLAVS 14. ABB. — Ab hoc deinde Nicolaus de S. [illegible] id proditum à Cysoniensibus animaduerto: etsi multis ad regimen idoneus esset dotibus, suisque ad virtutem exemplo dux præiret, plus tamen tenuitatis in summissione & obedientia posuisse, eamque ob rem abiecto post biennium sexque menses baculo pastorali, ad Cistercienses in aliquod Belgij Monasterium se transtulisse, ibique nouitios inter assumpto D. Bernardi habitu, animum generosius subigendo dedisse operam: illic cum aliquamdiu vixisset, Cysonium ad suos reuertisse: causam reditus incognitam esse: nullum posteà ipsum gessisse magistratum Cysonij. AN. 117[illegible]

IOANNES 15. ABB. — Post Nicolaum Religiosis imperauit Ioannes alter, & in annos ferè nouem dignitatem obtinuit. De Raims cognominatum inuenio.

A Hunc excepit Robertus, cui modo quinquennium licuit regere. ROBERTVS 16. ABB.
Adeptus postea magistratum est Henricus à Tornaco, cûmque in annos duodecim protraxit. HENRICVS 17. ABB.

Tertius deinde Ioannes, cui cognomen de vltra mare fuit, annis quindecim res administrauit. IOANNES 18. ABB.

Hunc proximus successit Ioannes Fremaus Orchiaci genitus, & duodecim sedit annos. IOANNES 19. ABB.

Suis postmodum suffragijs Religiosi Nicolao, qui Orelle cognominabatur, pedum [illegible], [illegible] id annis tantum duobus tractauit. NICOLAVS 20. ABB.

Hunc [illegible] est Iacobus Sigilliferi, & in vndecimum annum gubernauit. IACOBVS 21.

[illegible] Paulo de Alesio dignitas, qua fuit annos duodecim ornatus. PAVLVS 22.

Post hunc [illegible] Canonicorum moderatus est Iacobus Molquiniers septennio. IACOBVS 23.

Præfuit deinde Petrus d'Orchies annis decem. PETRVS 24.

Iacobo de [illegible] ius regendi addixere posteà Religiosorum suffragia, quòd in
B annum vndecimum protulit. IACOBVS 25. ABB.

Hoc vita defuncto Administratorem habuit Cysoniensis ecclesia. Is Iacobus fuit S. [illegible] Episcopus, qui duobus tantum annis dignitatem obtinuit. IACOBVS 26. ABB.

Concessum deinde est Ægidio Randoul, vt sacrum hic magistratum gereret. Póstquam annis octo gubernauit, in Natalem du Busquoy regiminis ónus trasmisit. ÆGIDIVS 27. ABB.

Annos decem in administrando Monasterio Natalis consumpsit. NATALIS 28.

Hoc fatis abrepto, cuius curā cœnobij capessiuit Ægidius, & annis decē retinuit. ÆGIDIVS 29. ABB.

Successit in onus gubernationis Nicolaus Roberti, idque annis octodecim & mensibus [illegible] sustinuit. NICOLAVS 30. ABB.

Qui deinceps pedum tractauere, nonnullis apud posteros monumentis famam meruerunt, vt ex iis, quæ proferam, fiet manifestum.

Ad regimen Ioannis du Burcq ipsa præsertim virtus viam strauit. Exstat in marmorea lamina eius epitaphium his versibus conscriptum. IOANNES DV BVRCQ 31. ABB.

C
Hac sub mole cubat, heu, cuius vita coruscat,
Abbas [illegible] Io. du Burcq, numine factus.
Præfuit hic annis Rector pollens duodenis.
Bel[illegible] & totidem priùs æquè rexerat idem.
Anno Millenio C. quater, lustro quoque deno
Sub Luca festo cecidit. Deus huic pius esto.

[illegible] post Ioannem, Dionysium de Lannais ad supremum huius cœnobij magistratum [illegible]ere. Qualis ipse fuerit, in hunc modum repræsentat impositum tumulo [illegible]. DIONYSIVS DE LANNAIS 32. ABB.

Hic sub [illegible] inhumatus quiescit piæ recordationis Reuerendus Pater Dominus Dionysius de Lannais, huius venerandæ Ecclesiæ Cysoniensis Abbas, qui tum ex vtroque [illegible] nobilis, tum moribus eximijs fulgens, atque præclarus, spiritum creatori reddidit
D *anno Domini 14[illegible] mensis Decembris die 25.*

Hunc excepit Magister Simon de Proysi Tornacensis Canonicus, quem Summus Pontifex Administratorem huius Abbatiæ constituit. Annos viginti tres ac menses [illegible] præfuit, non paruo, vt apparet, domûs incommodo, sicut fieri assolet, cum viri [illegible] religionis legibus Cœnobitis imperant. SIMON DE PROYSI 33. ABB.

Ad Ioannem Salembien delatum posteà pedum est: de quo in Schedis veteribus [illegible] Cysoniensibus hæc reperio: *Hic à fratribus anno ætatis suæ plus minus 32. ob [illegible] honestatem [illegible] vnanimiter electus præfuit annis 39 mensibus sex: [illegible] sui, atque [illegible] spiritualis, non ipsius, sed proborum [illegible], quæ[illegible] Deo [illegible] ante obitum suum restaurauit, ipsi primus omnium [illegible] promisit.* Inter præcipua eius opera primum obtinet locum monasterij [illegible] reformatio, de qua mihi à Cysoniensibus hæc suggesta sunt: *Ioannes Salembien Abbas ad reformationem primo euocauit Dominicanes Insulenses, Religiosos* IOANNES SALEMBIEN 34. ABB.

Piano-

Phanopinenses, & antiquiores Patres, & Fratres Capituli Windechimensis, & multa tolerauit pro ipsa reformatione. ter mare transfretauit, vt iret in Windechim. Deinde: *Cysonienses albis vestibus induit pro nigris, & Capitulo Windechimensi coadunari curauit; vt quam bonam disciplinam introduxerat, diutius conseruaretur.* Quid verò circa ædificia præstiterit, paullo post dicemus. Epitaphium eius tale est: A

Deseruit terras longum confractus in æuum
Sponte Salembinus religionis apex.
Quis queat exiguo tantas comprendere laudes
Carmine, & insigni digna referre viro?
Pelleret vt varios propria de mente labores,
Officio cessit, præpes vt astra petat.
Hic melius Fratrum mores, habitumue reformat
Nec labor huic paruus magna pericla dedit. B
Oppressæ studuit rector succurrere genti,
Et multum miseras pastor amauit oues.
Prouidus ipse nouas, ruerent ne, construit ædes,
Et redimit census, prædia multiplicat.
Triginta atque nouem sedes has rexerat annis,
Horrendæ morti cùm sua iura dedit.
Viuat Ioannes, viuat Cysonia turma:
Sicque Salembini fama perennis erit.

MATTHIAS A BARDA 35. ABB.

Matthiam à Barda successorem habuit Ioannes, de quo mihi hoc elogium suggessit supra tumulum eius posita inscriptio.

Dominus Matthias à Barda 35. Abbas Cysoniensis, ex oppidulo Annetensi genus traxit. Hic de omnibus benè meritus in primis pietate in Deum enituit. Nam cùm hoc à natura collatum esset, vt propensus ad cultum Dei videretur, quo istam suam indolem manifestis indicijs testatam faceret, plures ædes sacras temporis antiquitate ruinosas suæ administrationis diebus maximis cum expensis, tum miro architecturæ ingenio ad summum exstruxit. E quarum numero primas accipient Cysoniensis cœnobij superior & inferior ædes, deinde Beaurepaire, Heestberghe, Sommaing, Louuil, & Genech. Ædificijs præterea multis monasterium suum perornauit, & illustre reddidit. Et quod ad pietatem erga homines, quoad in humanis fuit, animo admodum ad placabilitatem & pacem erat inclinatus, pace magis ac lenitate cum suis Fratribus, quàm austeritate vsus. Vt verissimum esse comprobarit, quod solito dicto vtebatur, Soyons en paix. Ad postremum adeò strenuè suo officio perfunctus est, vt probitatis, & optimæ vitæ maximum specimen post se reliquerit, & indelebilem sui apud posteros memoriam. Hanc vitam labilem cum æterna commutauit anno Domini 1564. mensis Ianuarij die 26. annos natus 68. menses quatuor. Præfuit verò annis 39. diebus quinque minus. Ad tumulum eius hi quoque versus leguntur: C D

A Barda Mathias vitali lumine cassus
Hîc iacet, hic olidis vermibus esca datur.
Pars corpus minor interijt: cum laude triumphans
Fulgida pars melior spiritus astra colit.

Priusquam è vita discederet, Victorinæ Congregationis latè per Franciam diffusæ nuncupatus est Generalis.

ALARDVS CVVILLON 36. ABB.

Post Matthiam gubernauit Alardus Cuuillonus Insulæ prognatus honestis parentibus. Laudabile regimen eius fuit, vt ex epitaphio colligitur, quod anteà repræsentauimus, cum de liberis vrbis Insulensis ageretur. Vt mitra in sacris ceremoniis vteretur, à Pontifice Maximo impetrauit. Templi testudo, quæ pulcherrima est, primum hunc habuit auctorem.

Secundum

A Secundum hunc Petrus Chauvin non amplius triennio præfuit. Eo tamen tam exiguo temporis spatio religiosi fortisque animi multa præbuit exempla; cùm Tornaco in partibus rebellium Belgarum persistente, aduersa omnia constanter sustinuit; disciplinam minimè domi laxauit; elegantissimam templi superioris testudinem à Cuuillono cœptam perfecit. PETRVS CHAVVVIN 37. ABB.

Nicolaus de Bonmarchiet apud Duacenses nobili loco natus ad regimen subinde peruenit. NICOLAVS DE BONMARCHIET 38. ABB.

Ei successor datus est Ioannes Desrumaux religiosæ vir disciplinæ amantissimus. Eum, vt diximus, parentes Insulæ genuerant. Priusquam pedum capesseret, annis iam plerisque domûs onus Nicolao additus Coadiutor sustinuerat. Et sanè quem tum prodiderat inter varios labores, & maximas difficultates idoneum ad res benè gerendas animum, perquàm felicibus posteà successibus ad familiam optimè gubernandam contulit. IOANNES DESRUMAVX 39. ABB.

In hoc Monasterio suprema iam pollet potestate D. Erasmus d'Autel apud Valencenenses lucis vsuram sortitus, qui Prioris officio aliquamdiu functus laudabiliter, ab Ioanne tum successor designatus, tum apud Belgij Principes fuerat commendatus. D. ERASMVS D'AVTEL 40. ABB.

B

Priusquam ab his Præsulibus aliò digrediar, magnum video pretium operæ futurum, si nonnihil iis patrocinaturus Religiosis, quibus præfuere, moram hic aliquam tum admirabilem sanè historiam repræsentando, tum impactam huic cœnobio atrocis criminis, ingratique animi calumniam refutando, fecerim. Inter ea siquidem, quæ misericors Christi parens, & sanctissima virgo Maria Tungris apud Hannones miracula edidit, & Walrandi Caoultij apud Duacenos presbyteri operâ latinis ornata verbis lucem nuper aspexere: ingens equidem ac crudele ambitiosi hominis facinus, vnàque Virginis potentissimæ opitulatio memorantur, & huic vtrumque monasterio adscribitur. In qua profectò narratione quamuis non sit mihi propositum patrati à beata cæli Regina miraculi fidem eleuare: omnino tamen perpeti nequeo, illam vesani hominis crudelitatem ei loco attribui, C à quo veritas eam procul videtur remouere. Duo igitur mihi nunc perficienda video: ac primum quidem, vt verbis Walrandi totum ob oculos lectoris facinus improbi religiosi, totàmque impensæ diuinitus per Christi matrem opitulationis seriem, constituam; deinde verò vt eiusdem auctoris aliquot lapsus digito demonstrem, simúlque calumnias ideò faciliùs detergam. In hunc modum suam Caoultius narrationem instituit: AB HOC COENOBIO CRVDELE HOMICIDIVM, ET CALVMNIA PROCVL REMOVENTVR. Lib. I. c. 8.

Anno millesimo ducentesimo vicesimo, Domino Petro Tornesio Abbate Cisonij vita defuncto, Dominus Ioannes Ladheusius vir qua religione, qua vitæ sanctimonia celebris, in demortui locum à Capitulo est electus. Quæ res Dominum Theodoricum d'Auchy malè habebat, qui nihil non tentabat, omnémque (quod aiunt) lapidem mouebat tum promissis, tum muneribus, vt ad eam dignitatem proueheretur. Etsi verò eam ambitiosè persecutus est, tamen quòd neque capax, neque idoneus esset, passus est repulsam. Fugit enim gloria persequentes, qui tantummodò speciem & virtutis vmbram in se continentur. At Cacodæmon, accenso D *in eius viri animo ambitionis igne, abominabile quid ei suggessit. Proditoriè enim hic Theodoricus colludit cum electi ministro, adscito quoque alio nebulone secreti conscio: quorum opera de nocte Ladheusij cubiculum ingreditur: quem dormientem annexo ad collum laqueo, suspendit e lacunari cubilis, fortiter premit, & strangulat, & mortuum dimittit, eúmque intra chori lintea recondit, pendente ad collum fune. Hinc cum sceleris affinibus recedit obseratis cubiculi foribus. Porrò bonus hic antistes lethales sentiens angustias, sese Deo commendabat, & nostræ Dominæ Tungriensi, quam singulari affectu prosequebatur. Exorta luce proxima, quæ eius benedictioni erat destinata; mirari omnes cœperunt, quòd ad ædem sacram non veniret. ad cubiculum concurritur, fores pulsantur, aures attentæ præbentur, & nihilum quidem responsi accipitur. Quæritur minister peruersus, imò iam homicida maledictus, qui claui ianuam patefaceret. At ille Tornacum effugerat. Fractum est ostium: mortuus in lecto inuenitur cum fune ad collum alligato. Dominus Theodoricus affirmat eum desperasse, sibique necem consciuisse: pergit ambire dignitatem, allegans Ladheusij electionem à Deo reprobatam;*

tam; vnde se potiùs eligendum contendebat. Interim cadauer ad locum effertur capitula- A
rem, super lugubrem pannum deponitur: & cooperitur donec sacrum diuinúmque officium
foret completum. Iuxta corpus manet nouitius quidam frater Petrus à Belliolo, defuncti
nepos tredecim annos natus. Nola verò consecrationis corporis Christi præambula sonante,
puer in has voces erupit. O domine Ladheusi mi auuncule, placeat Deo, & Virgini matri
animam tuam recipere; ô auuncule, auuncule, quanto mærore propter mortem tuam confi-
cior! Quibus dictis, hem tibi res stupenda nimis. Mortuus quippe ceu à grauiore somno excitus,
Gaude, inquit, mi nepos, non sum mortuus. His auditis puer & metu occupatus, & gaudio
ebrius properat ad chorum, & magna voce clamat; Non est mortuus auunculus meus, mihi
iam nunc locutus est, Religiosi quasi amentes, & prorsus attoniti ad præfatum Capitularem
locum dicto citiùs aduolant, & prædictum Ladheusium offendunt honestè panno conte-
ctum, flexis genibus orantem Deum: quem illo ipso schemate ad chorum adducunt. retulitque
ijs, se Tungris venisse, ibique accepto ad vsum breuiario & veste pastoris (qui magister &
D. Ioannes Nazaretus dictus est) sacrum fecisse ad altare beatissimæ Virginis. In cuius rei
testificationem se ibidem funem, quo strangulatus fuerat, reliquisse. Quod superest, nescire B
se, an in spiritu tantùm, an in spiritu & corpore simul, id contigerit. Qui autem aderant
tam insolita narratione stupefacti, diligenter in rem totam Tungris inquirunt. Omnia repe-
riuntur veritati consona. latrones comprehensi; conuicti & commerito supplicio affecti. D.
Ladheusius designato loco (stallum vocant) accepta benedictione factus est Abbas Cisonij.
Prouinciam illam ad annos vnum & triginta cum laude administrauit. Euolutis à benedi-
ctione diebus duodecim, venit pari numero Religiosorum comitatus, nudis pedibus, omni cum
humilitate gratias acturus beatissimæ Virgini: Tungris ad triduum demoratus, prædicari
fecit hoc miraculum. Et populum alloquens: Ego, inquit, is ipse sum, cui tantam gratiam
beatissima Virgo contulit: agamus illi pariter omnes quàm maximas possumus gratias; fle-
ctamus reuerenter genua, confitentes nos tantis indignos fauoribus. Tandem Abbatialem
mitram, & pedum de sui conuentus & capituli consensu nepoti suo iam memorato resigna-
uit. Quo facto sedem & domicilium sibi Tungris delegit: vbi ad sexennium vixit, miro
semper beatissimæ Virginis amore flagrans, in eius seruitium & loci decorationem propen-
sissimus. Nam ædiculam quoque ad vmbilicum perduci procurauit adiutus à Tungrensi Dy- C
nasta, qui tum superstes adhuc dominus de Aldenardo dicebatur. Quinetiam eo sollici-
tante inchoatus est chorus cum parte non minima turris, & nauis ædiculæ. At paullò
pòst Tungris in fata concessit, & in beatissimæ Virginis sacello ante altare iuxta iam
nominatum Dynasten sepultus est anno 1258. Est autem adeò fama vulgatum hoc
miraculum, vt etiamnum hodie Cisoniensis Abbatia feudum possideat situm in Tem-
pleuuia, quod supradictus Ladheusius emptum donauit conuentui, vt in rerum supra-
scriptarum memoriam, duo Monachi quotannis in festo sacrosanctæ Trinitatis veni-
rent, vterque cum cereo duorum pondo, vbi sacrum facerent, populóque hoc mira-
culum, ne eius intercideret memoria, prædicarent, ad honorem beatissimæ Virginis, ad
cuius inuocationem patratum erat in sui Abbatis persona. Quamquam, quibus de
causis nescio, à tempore tumultuum, qui per Belgium sæuierunt, hæc tam pia pere-
grinatio sopita & obliuioni tradita videatur: quod veram pietatem nihil redolere cer-
tum est. D

Hucusque Caoultius Robertum Haupoctium, qui biennio antè huius seriem
narrationis Gallicè conscriptam in publicum emiserat, quàm proximè secutus. Quæ
scribendi materiam vtrique subministrarunt, duo sunt equidem vetustatis monu-
menta. Horum prius ea est tabula, quam ostentat Tungrensis ecclesia: alterum ve-
tus codex omnia complexus miracula, quæ Tungris olim sanctissima Christi parens
in hominum fecit vtilitatem. Librum cum cùm legerem, initio statim animaduerti,
haud leuiter ab eo Haupoctium & Caoultium discrepare, quòd is non millesimo
ducentesimo & vigesimo, sed millesimo centesimo & duodecimo partæ salutis an-
no historiæ nostræ tempus assignet. In eo tamen cum his conuenire deprehendi, cùm
& ipse Cysonij nomen exprimit, ac Ioannem factum Cysoniensem antistitem no-
tat. Qua quidem in re permulta sanè sunt, quæ non leuiter arguunt, huic loco per-
textam priùs narrationem minimè conuenire. Primùm enim quæ tabula Tungris

hoc

A hoc miraculum repræsentat, ipsum Abbatem mitra decoratum exhibet; dein Caoultius Ioannem & mitram, & pedum in nepotem transtulisse asserit: quod profectò quàm maximè Cisoniensibus Abbatibus repugnat, quorum nullus hoc insigni pontificio fuit ornatus, antequam sæculo nuper elapso, id Pontifex Romanus Alardo Cuuillono concederet. Ad hæc liber, quem suprà laudaui, & Haupoctius eum assectans, dum Ioannem Petrúmque nominant, vocem *Damp* solent præmittere, cuius apud Cysonienses Canonicos regulares vsus nunquam fuit: cùm olim *Sires*: quæ dictio dominum significat, vocati sint, nunc *Fratres* appellentur. Vlteriùs Ioannes, cui hæc contigerunt, duos inter Petros tam ab libro citato, quàm à nominatis auctoribus collocatur, vt primus pedum tenuerit Petrus Tornacensis, deinde Ioannes Ladeuzius, ac posttemò nepos eius Petrus dignitatem Abbatialem obtinuerint. Verùm in Antistitum Cysoniensium catalogo etsi duo Petri vniuersim repertantur, ij tamen longissimè post hæc tempora vixere, ac non minùs inter vtrumque, quàm centum anni effluxere. Neque verò Ioannes vllus anno vel 1112. vel 1220. pedum
B tractauit Cysonij: & qui primus perquam adulto quarto & decimo sæculo supremum in hoc Cœnobio magistratum obtinuit, is Preuostius fuit cognominatus. Deinde Ioannes, quem beatissima Christi parens narratur tam insigni beneficio affecisse, vt minimùm annos triginta cœtum Cisoniensem moderatus in manuscripto libro dicitur, à citatis auctoribus annos duos vel vnum & triginta gubernasse asseritur: quod certè plurimum à Cysoniensium Abbatum Indice recedit, in quo post Anselmum, qui primus huic Asceterio fuit Abbas impositus, ante Ioannem Salembien, qui proximo abhinc sæculo quartus & trigesimus antistes obijt, præsulum nulli annorum triginta numerus attribuitur: Iam verò si Tungris mortem oppetijt Ioannes, ibique traditus est humo, postquam Ecclesiæ Tungrensis, maximam, vt narratur à citatis auctoribus, partem ædificauit; cur non ibi aliquod eius epitaphium, in quo & Cysoniensis Abbas nuncupetur, & tantæ in hoc templum liberalitatis ergò laudetur? Cur nulla eius in mortuali codice, vbi benefactorum huius ædis nomina, digni-
C tates, officia scribuntur, exstat memoria, vnde Cysoniensibus præfuisse cognoscatur? Ad cereos & peregrinos Religiosos quód attinet, cúmque redditum, quem Templeuuij habent Cysonienses: hi in primis non abnuunt sese Templeuuij aliquid possidere; verùm inde id prouenire, nullis è monumentis veteribus colligunt: deinde quosdam è cœtu suo Tungros mitti solitos, hactenus post factam diligentem licet inquisitionem sese negant potuisse deprehêdere. etsi enim nunc Tungris à Priore, qui modò Antistitis officio fungitur, antiquissimæ omnes ætatis homines eò fuerint adacti legitimè, vt coram magistratibus affirmarent, vnquámne Religiosos candidis vestibus indutos, qualibus vti solent Cysonienses Ascetæ, cum cereis Tungros aduenisse, hósque Sanctissimæ Virgini obtulisse cognitum habuissent: nunc trium Cysonij, quos grandis ætas exactis in sacro statu annis compluribus, inter iubilarios senes, vt vocant, per successionem poterat veterum ceremoniarum, rerúmque Monasterij gnaros reddere fides fuerit explorata; nihil tamen horum omnium testimonio aliud licuit colligere, quàm nihil ab his visum auditúmque huius-
D modi. Vltrà quidquam addere, superuacaneum existimo: quandoquidem hæc æquo candidóque iudici sufficere possunt, vt omnis de patrato tam sæuo Cysonij facinore, déque religiosis eius cœnobij vitis parum veteris memoribus pietatis, opinio detergatur.

Ceterùm ex iis Canonicis Regularibus, qui postquam hîc aliquamdiu sese virtutibus exornauere, rigidius aliquod institutum arripuerunt, eique magnum aliquando lumen attulêre, vnum præsertim nactus sum. Is Petrus Marneff fuit, de quo hæc mihi è Carthusianorum monumentis suggesta sunt Cysonij. *Anno 1540. Petrus Marneffius gente Leydensis, Hollandus, vitæ instituto Religiosus primùm normam diui Augustini Cysonij sectatus, tandem arrepto melioris vitæ proposito, commutatis & veste & moribus Carthusiam apud D. Audomarum petens in vitam, regulam, denique sacramenta eorum iurauit: vbi dum moribus, conuersatione, sperandæ de se optimæ virtutis specimen pulchrè dedisset, Gosnaiensi Priori iam demortuo omnium expetentium votis subrogatur.* PETRVS MARNEFF.

gatur. Et quia impoßibile foret, lucernam in edito montis loco collocatam nulli non ſplendeſcere; euſque & virtutis & bonæ famæ eius rumor peruaſit, vt ab omnibus amatus, arcano quodam conſilio poſtremo omnium Carthuſiani Ordinis Primas inſtitueretur, ſeu Generalis 36. Obijt anno 1546. A

QVÆ FAMILIÆ VEL ADVOCATIONEM ECCLESIÆ CYSONIENSIS, VEL BARONATVM CYSONIENSEM OBTINVERINT?

Inter nobiles viros, qui vel genere, vel moribus præclaris in vico Cyſonienſi floruere, nonnullos è familia Landaſtenſi comperio, Aduocatorum, ſeu defenſorum Cyſonienſis eccleſiæ nomine officióque claruiſſe. Ex his Ioannes Cyſonienſis municipij incolis legem præſcripſit anno Chriſti 1219. qua iam tum vtebantur Baſſeenſes. Ea poſtmodum aduocatio, ſeu protectio, vnà cum Cyſonienſis Baroniæ Dominio in alias ſæpè familias tranſijt. Poſtremis ſæculis vtrumque obtinuit domus Werchinia inſignis olim apud Hannones nominis, & Seneſchalli Hannoniæ Comitum titulo gaudens. Ab ea per nuptias in Melodunæam, ſeu Meluniam tranſdita fuit. Et modò per vxorem ijs potitur Lamorallus de Lignes primus Lignij Princeps, & Comes Falcoburgenſis, quem aureo vellere fulgentem ſupremum habet præfectum Arteſia. B

CLADES CYSONIO ILLATÆ.

Ad clades, quas pertulerit Cyſonium, nunc diuerto. bis grauiter ab hoſtilibus copiis infeſtatum fuiſſe, deprehendo, quibus temporibus Francorum reges huc bella vexere. Primùm enim plurimum incommodi damníque paſſum eſt, cùm hinc Otho Imperator & Ferrandus Flandriæ Comes, inde Francorum rex Philippus Auguſtus acies in pugnam commiſere, delecto proximè ad prælium loco, vt anteà perſpeximus, cùm de Bouinis actum fuit. Propter alterum Franciæ regem cognomento Valeſium etiam mali & detrimenti plurimum huic pago acceſſit: cùm Eduardo Anglorum rege Tornacenſem vrbem caſtris cingente, ad Bouinas ingentem is exercitum ſub tentoriis habuit. etenim modò Franci, modò Hannones Flandríque ex aduerſo bellantes ſuis eum maleficiis infeſtauere. Circa Domini annum 1393. caſúne, an malitia, ignis monaſterium abſumpſit templúmque. Anno ſupra milleſimum & quadringenteſimum octauo & ſeptuageſimo Franci Burgundionibus vehementer infenſi totum flammis hauriunt vicum Cyſonienſem; eodémque incendio anterior pars perit Aſceterij. Cùm flueret annus 1520. tacta de cælo turris Monaſterij, quæ altiſſimè ſurrigebatur, conflagrauit, ac penitùs cum ſacellis infernè circumpoſitis in cineres ſubſedit. Hac de clade in monumentis Cœnobij ſcriptum reperio, cùm de Ioanne Salembien fit mentio: *Eius tempore turris Cyſonienſis tonitru conflagrauit, liquefactis omnibus campanis. & miraculi loco habitum, quòd in tantæ molis conflagratione Religioſos officio veſperarum attentè intentos, quorum per chorum, ſeu ipſorum medium primò tonitru penetrarat, ignis non attigerit. Sed idem Abbas campanas ſex alias fudit; Monaſterium ferè totum aut ædificauit, aut refici curauit.* Tandem anno 1566. ſacra omnia hæreticis per tumultus Belgicos ibi peſſumdantibus damni multum rurſus fecit Cœnobium: Id quod alibi latiùs narrabimus. Non erit, vt exiſtimo, lectoribus ingratum, ſi priuſquam Cyſonium deſeramus, elegantes ſanè verſus proponantur, quos in eius laudem panxit F. Carolus Venduillius, ortu Duacenſis, ſtudio Theologus, officio Subprior Cyſonienſis Cœnobij: quoniam multa breuiter complectuntur, quæ non dubiè vetuſtatis amantes oblectent. Sic igitur is cecinit, dum Ioanni Deſrumaux felicem in Cyſonienſis eccleſiæ antiſtitem inaugurationem apprecatur:

AN. 1214. (margin, beside "Otho Imperator")

Litter. Duc. Burg. Ioan. Couſin. l. 4. cap. 46. Rer. Tornac. (margin)

In Annalibus lib. 11. (margin)

C

D

Quàm te Ciſonium magni decus Euerhardi,
Quàm te promeritâ laude per aſtra veham!
Tu mihi carmen eris Pimplæis inclita ſedes
Vatibus, Inſulei gloria rara ſoli.
Antiquo celebrata ſitu, celebrata colono:
Sanctorum factis ſplendida, diues auis.
Stemmata quid memorem Cliniæ immortalia gentis,
Pectore quæ memori fama notabit anus?

A *Hinc tibi surrexit primæua stirpis origo,*
Quæ tulit accensam relligione facem.
Conditor Eurardus: cuius mens credita cælo,
Laus annis, orbi gloria, facta libris.
Prospera qui sanctæ posuit fundamina molis:
Cisonium abs illo nobile creuit opus.
Hocce tuæ primùm dum stagnant fonte lacunæ,
Auctum nectareo flumine diuideris.
Et tibi Franciadûm Regali à sanguine Gisla,
Per quam sunt Cliuiæ Lilia mixta Rosa,
Insigni coniunx pietate secunda marito,
B *Æmula subsidium contulit, auxit ope.*
At ne fors dêesset, superûm fortißima bello
Dextra stetit titulis officiosa tuis.
Nam triplici quondam præcinctus tempora mitrá,
E cælo auxilium, Diue Calixte, dabas:
Quem pater Ausonijs dudum velut æmulus oris,
Extulerat gremio, Martia Roma, tuo.
Verùm hoc à superis decus immortale tulisti.
Præsidio è terris num caruisse potes?
Sive nouercali terret fortuna flagello,
Siue fluant rebus tempora prona tuis:
C *Principibus defensa viris, domus inclita cælo,*
Diua summoto funere pensa trahes.

Lubet his alios versus subiicere, qui licet pinguiori sint Minerua compositi, ipsa tamen sunt vetustate placituri. Eos è veteri codice Cysoniensi accepi sancti Comitis Euerardi consecratos memoriæ.

Idem Cysonium villam statuit sapienter,
Illic Ecclesiam disponens conuenienter.
Ex vna parte sunt pascua, prata, paludes,
Et nemus emittens vernali tempore frondes:
Fertilis ex alia tellus, campique patentes;
Triticeásque ferunt benè culta noualia fruges.
Inferiora rigat Onius præterfluus amnis,
D *Rarus in hoc piscis capitur fallacibus hamis.*

Ceterùm hoc tempore non modò pulchris ac recenter erectis ornatum est ædificiis hoc monasterium, verùm etiam pereleganti templum eius altáque turri assurgit, insigni prorsus D. Erasmi pedum illic obtinentis studio & liberalitate.

A

Nomaïnum, Genaya, Enneuelinum, Mons Pabulanus, & ad eum pugna.

CAPVT XX.

NOMAINVM. Am vt alios Pabulanæ ditionis locos nobiles visamus, in hoc etiam tractu Nomaïnum cernitur, alto satis loco situm & patenti. De hoc miror excidisse Adriano Scriecko, vt existimet illud esse Nemetacum, quod Itinerarium Antonini inter Castellum, siue Casletum, & Cameracum collocat, iámque ait Nomets nuncupari, vt ad linguam Cimbricam, seu Flandricam pertrahat. Duo námque in contrarium eiusdem Itinerarium Antonini suggerit. Vnum est, cùm Antoninus iter à Castello Coloniam vsque designat, inter Minariacum & Cameracum constitui Nemetacum: deinde cùm dirigit viam ab Taruanna Durocortorum, Taruannæ & Cameraco Nemetacum interseri. quod fieri nullo modo posset, si Nomaïnum id esset Nemetacum, quod ab Antonino traditur: cùm inter Tornacum & Insulam, & Orchiacum, emineat Nomaïnum, magno sanè circuitu ab recta via semotum. Quo enim itinere à Castello Cameracum rectiùs petatur, quàm Minariaco, seu Ponte Stegrensi, Bassea, Lendio? quæ olim via lapidibus ab Romanis strata fuit, vt quædam etiam hodiéque arguunt. Nec aliud iter regium compendiosiùs à Taruannensi vrbe Cameracum ducit, quàm per Lendium: vt longè iustiùs asserat Marcus Velserus, oppidum Lendiense vetus esse Nemetacum. Alterum verò, quod Itinerarium Antonini subministrat, ipsa est milliarium diuisio, sediúmque. Cùm enim Tornacum vsque à Taruanna per Nemetacum viam ostendit, ab ciuitate Taruannensi Nemetacum abiungit duobus tantùm & viginti passuum millibus: ab Nemetaco Tornacum septem & viginti millibus separat. Cùm igitur Nomaïnum quatuor tantùm leucis Tornaco distet, longè multò pluribus à Taruanna seiungatur: Nemetacum illic iustus arbiter nullus constituat. Nque contrà facere existimo aliam eiusdem Antonini mansionum distinctionem, qua primùm asserit Minariacum abesse Castello passuum millibus vndecim; Minariaco Nemetacum nouemdecim millibus, Nemetaco Cameracum quatuordecim. Nam illud pro certo habeo, numeros hîc mutatos: ac inter Minariacum & Nemetacum passuum millia modò quatuordecim censenda; inter Nemetacum & Cameracum nouemdecim, conuenienti admodum supputatione, vt à Ponte Stegrensi primo Lendium, dein Cameracum petatur. Sed his omissis cœpta prosequamur. Nomaïni ager latè protenditur solo satis benigno: vicus ipse multa hominum celebris est frequentia. In eo regulus arcem habet vetustam, qui nunc è nobilissima est gente Berghensi. Adiacet ei castrum Roupiense multò elegantius, & ad eandem pertinens familiam. Nomaing. B C

GENAYA. Est hic quoque Genaya (Genechum vulgò nuncupant) ipsa vicus varietate iucundus. Pulchram & magnam partim recentis, partim veteris arcem operis habet, cui vastissimi & cultissimi adiacent horti, nuper Comitis D. Aldegondis deliciæ. Verùm hic locus magnam eidem mœstitiæ præbuit occasionem, cùm fortuitum noctu arcem incendium corripuit, quo non modò multa supellex absumpta, sed etiam vxor eius à mortis periculo propiùs abfuit, cùm ægrè admodum è crepitantibus circùm flammis extrahi posset. Huius arcis sacellum certis diebus propter S. Helenes Constantini magni parentis, vt ferunt, caput iam illic ab olim seruari solitum, celebratur magno mortalium affluxu. Geneych. D

ENNEVELINVM ET VILLA AIGREMONTIA. In hac etiam regione consistunt Enneuelinum pagus, & villa Aigremontia, quibus iam inde à temporibus S. Piatonis vetustas asseritur. Tradunt enim aliqui, cùm desecto capitis vertice Tornaco Siclinium tenderet, ad hunc vtrumque locum primò venisse B. martyrem, illícque moræ paululum fecisse. Hunc deinde sanctissimum hominem Siclinium vsque in equis secutos Enneuelinenses partim miraculi ergò, Enneuelim. Aigremõt.

partim

A partium venerationis. ex eo fluxisse posteà eius populi consuetudinem Siclinium ad S. Piatonis sepulchrum in equis adeundi, & sacra ossa venerandi quotannis. Dedit olim familiæ admodum nobili cognomen villa Aigremontia. legi námque apud Ægidium le Muisis S. Martini Tornacensis Abbatem, Anselmum Aigremontium Equitem auratum anno Domini 1302. magna Tornacum iniisse pompa, cum Hellino Armenteriano vita functo, Tornacensem Aduocatiam (erat ea dignitas Tornaci maxima) capesseret.

ANSELMVS AIGREMONTIVS.

Mons en Peuele.

Le Vincourt.

MONS PABVLANVS.

Mons denique Pabulanus in hoc tractu spectatur caseorum copia, & memorabili Gallos inter Flandrósque pugna, dein pago insigni eiusdem nominis, agrorum latitudine & fertilitate cognitus: quamquam maxima pars eius ad Comitatum Artesiæ pertineat, soláque ferè Vincuriæ toparchia Insulensi pareat nomini. Gallicorum auctorum mentibus pertinaciter insedit, hunc montem Populeti nomine in libris suis nuncupare. Id iam vidimus ab Roberto Gaguino, & Paulo Æmilio factum, quos etiam sequitur Papirius Massonus. D. Antoninus ei nomen Pouero tribuit. Annus B Christi agebatur supra millesimum & trecentesimum quartus, cùm inter Pulchrum Franciæ regem, & Guidonis Flandrorum Principis liberos bellum vehementer arderet. Quas ex omnibus Galliæ prouinciis copias Pulcher attraxerat, primum hunc in montem perduxit. Ad Bouinas contra stetere Flandrorum agmina. Verùm vbi pacis factà mentione suos Pulcher è monte Duacum versus abduxit, eundem castris muniendis idoneum rati Flandrorum ductores, suis repentè copiis operuere. Exinde compositis in valle, & patenti campo aciebus, ad manus ventum vtrimque. Leuiora initio certamina fuere, ac non nisi modicis ferè cuneis pugnatum est. At sub vesperum grauius prælium, incensis ob subductos sibi latenter commeatus animis, aggressi sunt Flandri. Et propè tota concursum ab his acie. A periculo vitæ propiùs abfuit Pulcher, dum eius tentorium à feruentibus ira Flandris penetratur: eique fortiter tandem obsistenti victoriæ fama longè maiori sanguine comparata, quàm Franci in Annalibus prodant, actúmque de copijs eius fuisset, nisi commeatu & tentoriis nuC datos egestas, famésque Flandros aliò per noctem compulissent. In speciem ista magnificè pro rege Francorum ex D. Antonino, vt apparet, scripsit Paulus Æmilius: *Iam rex ipse cultu quoque suo Flandricum bellum gesturus, cum magnis copijs aduenerat. Ad montem Populeti (id loco nomen est) castra metabatur, non procul ab hoste circumdato carris, munitionibúsque se continente: nec sperabat eum in aciem descensurum. Vix dum exarmauerat se rex, cùm repentino impetu hostes in castra regia sublato clamore irrumpunt, tanto terrore iniecto, vt Carolus Comes se fugæ cum non parua manu mandârit. Regem in tanto periculo nec virtus, nec consilium defecit. Armis correptis suos, vt quemque nactus erat, à fuga trepidationéque ad decus voce, exemplóque reuocat. Vbi præter spem hosti resistitur, ac terror resedit, recursúmque vndique ad tabernaculum regis, quò atrox prælium incubuerat: primùm æquo marte pugnari cœptum, deinde nobilitas, virtúsque, ac regia fortuna haud ambiguè vincere, cædésque in hostem vertere. Ad sex millia hostium cecidere. Perijt & Hilermus Comitis Vidonis nepos. Regiorum desiderati mille quingenti.* Et Robertus Gaguinus l. 7. *Igitur cùm aduesperasceret, rege exarmato, & militibus paulò negligentiùs* D *agentibus, ecce irrumpit in Regem ferox hostis, atque in conspectu Philippi, occisis Petro Gentiano, & Iacobo fratre eius, alijs quoque non paucis, rex conscenso equo, cùm ipse sibi galeam imposuisset, in hostem animosissimè fertur, obuios quosque interimens. Quem reliqui insecuti, viginti millium Flamingorum stragem fecere, ita vt, nisi superueniens nox tenebris hostem protexisset, actum prorsus de Flandrensibus extitisset.* Verùm Papirius longè ab numero cæsorum Francorum, quem litteris signauit Æmilius, & ab iis, quæ de clade Flandrorum memorat Gaguinus, discedit. Nam è Villaneo, qui prælio interfuit, & totum memoriæ mandauit, hæc nobis tradidit: *Cæsa sunt Flandrorum millia sex: sarcinas, carros, impedimenta, cæteri deseruere. Pars Philippo Duce Insulam, pars Ioanne & Americo præeuntibus Hypras noctu peruenere. Verùm hæc pugna Francis incruenta non fuit. Mille enim quingenti equites desiderati sunt. In his duo Comites Altissiodorensis & Sacricæsaris, magnæque spei adolescens Ioannes Comitis Burgundiæ filius, quem Franci omnes luxerunt.* Cum igitur equites tantùm ferro sublatos recenseat Papirius, non dubiè

Lib. 3. Annal. Par. 3. hist. tit. 20. cap. 8. paragraph. 23.

PVGNA PABVLANENSIS INTER FRANCOS ET FLANDROS.

Lib. 8.

Lib. 3. Annal. Franc.

Comment. MS. Francisc. Gand. Iac. Meier. l. 10.

multò plures peditum perierint. E nostratibus quidam auctoribus ad nouem millia Gallorum cæsos testantur: in his Barones octodecim, equestri balteo fulgentes non minùs trecentis, equites alios mille ducentósque. De cæsis Flandrorum copiis Gaguino adhæret Belleforestius. Idem, dum numerat peremptos Francorum proceres, à Papirio vix recedit. Anselmum Cheurosum, qui iussu Regis Auriflammam gestabat, occisum admittit: id vexillum à Flandris captum, & in frusta laceratum, vt refert Meierus, negat omninò; ab Milio Noyeriæ toparcha id potiùs è terra leuatum, ac deinde gestatum, ex manu scripta Pulchri Regis historia comprobat. Quod idem de Guilelmo Iuliacensi capto, & Regi oblato, indéque ab Comite Donmartino per iram occiso memorat, improbandum censeo, quòd alij ferè omnes inter pugnæ tumultus peremptum afferant. Non erit alienum ab instituto nostro aliquid è veteri, & nondum typis mandato Flandriæ Chronico in medium proferre, quò pars aliqua prælij eius oculis subiiciatur: *Anno 1304. Vndecimo die mensis Augusti Philippus rex Franciæ inter Duacum & Insulam iuxta montem Peuelam apparuit. Occurrerunt ei Flandri, qui ibi consederant, quique ex monte descenderant ad resistendum. armauerunt autem se retrò curribus, ne inuaderentur à parte posteriori. Ibi sederunt in acie impetum regis exspectantes. Rex in acies exercitum diuisit. Tam propè stabant, vt telis se mutuò impeterent, & machinis. Eo igitur tantùm modo pugnans eminus rex sperabat tædio afficiendos hostes, & faciliùs vincendos. Sed Flandri non sunt diuisi. Immò Iprenses, in quibus stabat insultus vehementior, cum instrumentis subitò in eos irruerunt, & omnes machinas, & springales confregerunt, & occiderunt adstantes: & ab illo impetu liberati ad aciem suam sunt reuersi. Steterunt igitur Flandri ab hora diei tertia vsque ad solis occasum eodem in ardore diei; pluribus præ angustia & feruore pereuntibus. Cùm ergo considerauit Wilelmus Iuliacensis, quòd Bidaldi tentoria & sarcinas Flandrorum deprædauerant; & quòd Galli nullum insultum generalem & manualem in ipsos facerent; & quòd etiam dies declinabat: indignans & fremens cum sibi commissis armatis, ne nihil fecisse videretur, irruit in Gallos, & eum, qui Oriflammam coram rege portabat, prostrauit. Incurrerunt ceteri Flandri in eos, & multi ex vtraque parte ceciderunt; plures Galli, eo quòd Comes S. Pauli cum suis & plerisque alijs terga verterat. Quod videntes Flandri, quasi Galli deficerent, angustiati præ solis vehementia, petierunt ex ijs aliqui regis tentoria, alij fontes, alij riuulos, vt bibendo se reficerent. Et sic ab inuicem sunt separati. Intereà rex & quidam alij iuxta quoddam nemusculum se tenentes in equis suis, & Flandros vagantes & diuisos videntes, resumptis viribus inclamârunt S. Dionysium, & in Flandros impetum fecerunt, multos interemerunt. Guilelmo Iuliacensi solummodò cum suis ad modum coronæ ordinatis viriliter resistente, aggrauatum est prælium super ipsum, & tunc sui & ipse ceciderunt. Reliqui Flandri nec cibum, nec tentoria habentes, fugerunt Insulam illa nocte, & ibi steterunt.* His ea subiungere placet, quæ S. Antoninus ex Villaneo, vt apparet, hoc de prælio historiali Summæ inseruit; tum vt ipsam pleniùs pugnam accipias; tum vt videas, in quibus auctores isti non parum dissentiant. Sic igitur scribit Antoninus: *Ante prædictum conflictum, & victoriam Francorum, eodem anno Dominus Guido de Flandria cum Flandrensibus præsentiens aduentum copiarum Regis post eos; fecerunt & ipsi magnam præparationem ad bellandum cum eis, transcendentes numerum sexaginta mill. hominum armatorum cum pluribus capitaneis, vt domino Philippo de Flandria, & domino Gyanne cum fratre eius, & domino Wilhelmo cum alijs Baronibus ex Flandria, & Namurro, & Alemannia, & amicis eorum: & profecti sunt vsque Lillam, volentes impedire transitum Francorum per pontem super flumen Lisciæ: vnde & inuicem ibi congredientes in bello, demum pluribus occisis non valuerunt impedire dictum transitum: sed Flandrensibus profligatis, Franci liberè transierunt: & castra metati sunt Rex cum copijs suis inter Lillam & Duacum in valle dicta † nomen Pouero. Et contrà castra metati sunt Flandrenses non longè ab eis, non extendentes tentoria; quia intendebant citò ad bella procedere, cùm iam audiuissent, quòd dominus Guido cum exercitu suo fuerat debellatus & captus cum suis in Zelandia. Et de equis descendentes fecerunt de curribus suis in quibus necessaria eis attulerant, tanquam rotundum castrum, cuius circuitus erat trium milliariorum: & intra illud residebant, dimittentes aliquos aditus, per quos contra hostes possent exire.*

Hæc è veteris impressionis libro descripsi, qui sane fidelis est: quod minùs placeat Lugdunensis impressio, ob mutata quædam nomina.

† redūdat vox nomē.

A B C D

A *exire. Franci autem ordinati & distincti in quatuordecim acies, quarum cuiuslibet Dux erat capitaneus vnus ex maioribus dominis Franciæ: cœperunt aliquos leues conflictus habere cum eis; paullatim circumdantes eos, & quasi includentes fecerunt pedites superuenire, & præcipuè Nauarrenses, Guascones, & Prouinciales cum balistis, iaculis, & lapidibus, aptatis ad pugnam: & aggressum intulerunt contra castrum curruum Flandrensium. Et ascendentes in aliquot dictorum curruum, inde iacula, & lapides, & sagittas iaciebant contra hostes: ex quibus multùm affligebatur, & angustiabatur exercitus Flandrensium; & præcipuè ex eo, quòd tùm calor esset intensus, quia æstiuus: & difficilè erat eis sibi tunc prouidere de cibo & potu; cùm iam ascendissent multi hostium in curribus eorum, vbi talia habebantur; & ipsi Flandrenses laborem sufferre famis & sitis sint impatientissimi. In ista igitur* † praelio. *anxietate in † bello permanentes vsque ad vesperam, non valentes amplius hunc defectum tolerare, vt desperati salutis suæ aliqui ex Flandrensibus cum dominis & capitaneis suis viris strenuis decreuerint egredi castra curruum suorum, quibus erant quasi clausi, & insultum facere contra hostes suos: inter quos capitaneos principaliores fuere dominus* Wilelmus *cum*
B *Brugensibus, & dominus Philippus Flandrensis cum acie vna virorum de Gandauo, & illius regionis, & dominus Gyannes Comes Namurri cum multis. Et hi omnes simul adunati cum suis in magno clamore ex tribus locis exeuntes, magnum impetum fecerunt contra Francos nihil tale suspicantes. Tantus verò fuit impetus, & subitus furor ille impetuosus, vt dominus Carolus Valesianus frater Regis, & bellicosus, ac Comes S. Pauli, qui erant principaliores, cum suis aciebus, terga verterent cum multis alijs copijs Francorum. Dominus* Wilelmus *suprà nominatus cum Brugensibus eodem impetu processit vsque ad papilionem Regis* Franciæ, *trucidantes omnes, qui eis obuiabant: vnde sine contradictione ad locum applicantes ingressi sunt papilionem Regis: & inuenientes epulas, quæ Regi & Baronibus pro cœna parabantur ad ignem, auferentes comederunt, inquirentes tamen de persona ipsius Regis, & ipsum quidem inuenientes, non cognouerunt, quia sine armis erat, nec veste regali, vel alijs signis regalibus circumdatus. Nam si cognouissent, viuentem non dimisissent, vt bellum id finem haberet. Rex autem etsi incognitus hostibus, quia magnum procerem prætendebant, satis laboris habuit ad ascendendum equum. Nam cùm aliqui ex hostibus contra illum*
C *procederent, qui deputati erant ad seruiendum in equitando, circa ipsum existentes ipsum ab hostibus tuebantur: propter quod aliqui ex Parisiensibus burgensibus magnis ante pedes eius occisi sunt. Cùm autem Rex equum ascendisset armatus, cœpit eos obiurgare & exhortari ad viriliter dimicandum. Erat & ipse fortissimus corpore, in bello strenuissimus. Et modico interuallo cum suis ab inimicis tutatus in campo superior est inuentus. Dominus autem Carolus Valesianus, qui cum multis aufugerat, audiens, regem in campo dimicare, reuersus est cum acie sua, & alij Barones; & aggrauatum est bellum. Demum* Flandrenses *profligati sunt, & superati à* Francis. *In quo bello inter ceteros occisus est præfatus dominus* Wilelmus, *& multi alij Barones. Et circa sex millia* Flandrensium *perierunt. Sed & de* Frãcigenis *interfecti sunt circà mille quingenti, cum aliquibus magnis dominis. Protractum est autem dictum asperum prælium vsque ad noctem: omniáque spolia inimicorum acceperunt, & substantias curruum* Flandrensium. *Euaserunt autem è prælio Dominus Philippus de* Flandriâ, *fuga arrepta in Lillam se recipiens, & dominus Gyannes de Namurro, &*
D *dominus Amerigus frater eius similiter per fugam saluti suæ consuluerunt. Altera autem die Rex Franciæ ordinauit, vt omnes* Franci *in bello interfecti sepelirentur in quadam Abbatia, quæ ibi propè erat: contrà præcepit Rex sub pœna mortis, vt ex* Flandrensibus *occisis nullum quis traderet sepulturæ, in memoriam rei, quod tamen non videtur commendabile Christicolis.* Hactenus beatus Antoninus haud parum diuersus ab eo, quod citauimus, Chronico Flandriæ. Cæterùm & hoc prælium Iacobus Meierus fusissimè describit, *Lib 10. Annal. Fland.* Gandensis cuiusdam Minoritæ diarium secutus, qui belli huius res eo complexus est, & Gandensium comes in hac fuisse videtur expeditione: ac pleraque vel ab aliis omissa, vel longè diuersa proponit, quæ fuerit è re curiosorum hominum ad eruendam certiùs veritatem perlegere. Ego quidem eum postquam attentissimè lectitaui, ac cum aliis auctoribus composui, haud aliter facere potui, quin ex ipsius præsertim narratione totam ferè huius belli pugnæque historiam in Annalibus meis pertexerem, quò te, Lector, remitto priùs admonitum ab eodem rectiùs pugnæ huius tem-

pus

pus Augusto, quàm Septembri à Villaneo apud Papirium assignari: & quam D. Antoninus ait delectam fuisse Abbatiam sepeliendis cęsorum Francorum cadaueribus, Phanopinense Monasterium vocari, cuius posteà mentionem in Carembaultia regione faciemus. Tantum hîc accipe, non iniustè forsitan eum à Belleforestio reprehendi, quod inter eos Franciæ proceres, qui se fuga subduxere, Carolum Siciliæ regem, pro Carolo Valesio, & quosdam alios recenseat; tum quod Siculus ei pugnæ non interfuerit, tum quod Villaneus, S. Antoninus, Chronicon Flandriæ manu exaratum, & Papirius solummodò Carolum Valesium, & S. Paulli Comitem fugæ præsidium quæsiuisse asserant. De ceteris huius locis tractus, nihil admodum suppetit, quod his inseri libris sit necesse. A

Melanthoisa Regio, & in ea Annappium, Anstaïnum, Perona, Fretinium.

Melanthois. B

Capvt XXI.

Pabvlanae regioni Melanthoisa iungitur alluentibus hinc Marqua, inde Deulla Insulam vsque. Hoc territorium ab Iacobo Meiero alibi Melanthiscum appellari comperio; ab S. Audoëno in vita S. Eligij Medenatense. Huius ista sunt verba: *Post hæc simili modo grandi labore, atque instantia inuenit in territorio Medenatensi, vico Siclinio S. martyrem Piatonem.* A Carolo Caluo Imperatore in litteris pro Martianensi monasterio scriptis *Medenensemse* nuncupatur; quod tamen vitiosè scriptum est, pro *Medenensense.*

ANNAPPIVM. Hic in primis Annappium est pagus nobilis, & qui nuper Comitatus dignitatem induit. Arcem habet elegantem, quæ Comiti suo periucundam præbet habitationem. Asnapiam vocat Baldericus Tornacensis Episcopus, cùm in quodam diplomate conscripto Christi anno 1110. de altari Asnapiæ agit: & Flandriæ Comes Balduinus Insulensis illis in litteris, quibus ecclesiæ S. Petri dotem assignat. Ac nescio num Anaspas nominet B. Euerardus Comes, ac Cysoniensis monasterij fundator. Sic enim ipse in Testamento: *Secundus quoque Berengarius volumus vt habeat curtem in Anaspis cum his omnibus, quæ ibi pertinere videntur.* Quod sanè si esset, florentissimos & nobilissimos olim dominos habuerit hic locus, vt ex illis patet, quæ supra de Cysonio memoriæ mandauimus. E veteribus Annappij Regulis, qui posteà vixere, in Marquettensi Cœnobio iacet Walterus, qui baltheo fulsit equestri, & montium vrbis Hannoniæ Aduocatus, seu defensor olim exstitit. Ad nobilissimum & perillustrem virum Ioannem Robblium spectabat nuper huius vici dominium, qui pace clarus & militia Gallo-flandriam annos multos gubernauit, & magnum ei decus instaurata magnis impendiis arce, & conciliato Comitatus titulo attulit. Nunc filius eius maximo natu eò potitur. Annappes. C

ANSTAÏNVM. Iuxta Gruysonium iacet Anstaïnum Marquæ aquis irriguum. Vetus habet paralysi solutis hominibus erectum olim Nosocomium, & minimè contemnendum toparchæ prætorium. E terræ visceribus illic fons scaturit, cui nomen à S. Laurentio inditum. peregrinis admodum is gratus, qui martyrem istum venerabundi, laticem auidè bibunt quærendo morbis remedio. Eundem cum Gruysonio dominum hic vicus agnoscit, postquàm è variis familiis ad Ongniesam peruenit. D Anstaing.

PERONA. Ad eundem Marquæ amnem sita est Perona. Visitur in ea toparchæ arx pulchrè satis ac firmiter constructa. Ob fluuium Marquam pascuis abundat. Huius dynastiam diu obtinuere Verdierij ex veteri & equestri nobilitate progeniti. Quem antiquissimum monumenta ecclesiæ repræsentant, Georgius fuit quatuordecim parens liberorum. In his Guilelmus à Christi anno 1473. ad 1551. cælibem duxit vitam armis assuetus: cúmque Peronæ dominio potiretur, ab fundamentis ad fastigium vsque sa- Peronne.

A cram instaurauit ædem. Per nuptias Iaquelinæ Verdieriæ memorati Georgij filiæ natu minimæ cum Adriano Betsio, in Betsiorum gẽtem huius loci possessio transiit, quæ pernobilis & peruetusta est apud Gandenses familia; indéque nuper habebant Peronenses regulum Ioannem Leyæ Baronem, qui cum Maria é Grimbergiorum nobilissima domo genita per matrimonium coaluit.

Fretin. Habet etiam hic tractus Fretinium, cui castrum decori, magno prata emolumento, boum equorúmque armentis, & innumeris anseribus alendis opportuna. Templum eius nobilissimo & maximo ære campano se iactat. Ab hoc loco domus Fretiniorum cognomen olim accepit: è qua iam video temporibus Theodorici Elsatij Flandrorum Comitis *Vrsonem & Baldouuinum* floruisse. Hi enim litteris, quas idem Comes stabiliendis Abbatię Phanopinensis rebus conscripsit, nomina sua subdidere signáque. Vixit posteà Vrso Fretinius in numerum auratorum Equitum adscitus, & pagi huius dynasta. Exstant litteræ, quibus palam fiat ipsum anno Domini 1212. litem cum ecclesia S. Petri Insulensi habuisse, quòd is virum S. Petro subditum decem libris multasset. Insignem video fieri mentionem Gerardi de Fretin apud Ægidium le Muisis in Martinianensi Chronico nondum typis subiecto: *& Comes Flandriæ* inquit Ægidius, *cum suis Baronibus & villis sua sigilla apposuerunt. Et accidit quod magister Gerardus de Fretin portans sigillum Comitis Flandriæ venit ad eum interrogans, si sciret, quid in scripto contineretur: qui respondit quod non: cui Gerardus sigillum reddidit affirmans, quod nunquam id quod non viderat, sigillaret.* Hoc verò accidit, cum post pugnam Pabulensem Francorum rex Pulcher Insulam obsedit, & Ioannes Namurcensis Roberti Flandriæ Comitis frater cum Flandris ex aduerso constitit. Longo pòst interuallo Ioannes cognominatus Hingueltes, cui Fretinij obuenerat possessio, Lendiensis oppidi agríque Bailliuus claruit, particépsque consiliorum & cubiculi Burgundiæ Ducis Philippi cognomento Boni, factus est. Paucis ab hinc annis Philippus Robblius Annappij Comitis frater, equitum D. Iacobi, & aurati calcaris ordinem adeptus, & in militia tum equitum, tum peditum ductor, hunc pretio pagum sibi comparauit, eiúsque arcem nouis ornauit ædificiis. Ceterùm incommodi multum & maleficiorum militarium passa sunt olim Fretinium, Perona, Anstainum: ac primò quidem, quando Philippus Augustus exercitum ad Pontem Bouinum cuncta per viam corrumpendo à Ponte Wendinio pertraxit, ibíque aduersus Othonem & Ferrandum manus conseruit. Deindè quo tempore Flandri hæc loca ingentibus copiis obtinuère paullò antequam cum Philippo Pulchro Francísque ad montem Pabulanum confligerent. Ac demum vbi Philippus Valesius ad Pontem Bouinum magno cum exercitu castra metatus est, interímque Comes Hannoniæ multas in Gallo-flandriam clades intulit Anglis & Flandris in obsidione Tornacensi coniunctus.

Margin: FRETINIVM. — B — An. 1304. — Epitaph. — C — Vide cap. 18. & 20.

D

Laus, & Monasterium Laudense.

CAPVT XXII.



Lot. AD Deullani iacent Laus, Esquelmia, & Wazennæ. Præter nemus, pascua, fluuij commoda, & soli pinguedinem, duo præsertim Laudem celebrant, Monasterium & D. Virginis Mariæ sacellum. Cistercienfis Ordinis Monachos habet Cœnobium ipsa vetustate, opibus, ædificiis, & disciplina nobile. Ab ipsis ferè initiis hominibus claruit, qui magnum ei nomen pepercre virtutibus, & sapienti cœtus religiosi gubernatione.

Margin: LAVS. — MONASTERIVM LAVDENSE. — ABBATES MONASTER. LAVDENS.

Qui primus sacrum hîc clauum obtinuit, Ioannem nominauere: quem multa præditum virtute vero simile est anno supra millesimum & centesimum nono & quadragesimo magistratum iniuisse. Quamquam minimè desunt, qui velint vel in- IOANNES I. ABB. LAVD.

cognitum

cognitum primi Antistitis nomen fuisse; vel potius primum hoc monasterium D. Bernardum rexisse, cuius institutor fuerat. A

SAMVEL 2. ABB. Quem secundum Religiosi moderatorem habuere, Samuel nuncupatus est, insignísque famâ fuit religionis præclarus. Quibus nomen eius & regimen perpetuæ traderentur memoriæ, hi versus olim conditi:

Rexit pòst Samuel Fratres dulcissimus vt mel
Hic claustrum dotat, † verúsque bonis opulentat. † veúsque
Abbatizauit tribus annis vi - quoque - ginti.

Apud summos Pontifices Romanos Vrbanum Tertium, & Alexandrum Tertium magna valuit auctoritate, variásque ab ipsis Bullas tum bonis Abbatiæ confirmandis, tum rebus aliis stabiliendis, obtinuit.

SIMON 3. ABB. Successor huius Simon Philippo Elsatio Flandriæ Comiti gratissimus exstitit: ideóque cum ipso in Palæstinam iter secundum suscipiente iucundissimam sibi peregrinationem suscepit. Ipsi olim hi versus adscripti:

Abbas sum Simon, qui gliscens visere Sion B
Ierusalem migro Comiti famulando Philippo.
Annis præsedi viginti pastor & vno.

STEPHANVS 4. ABB. Floruit posteà Stephanus, qui licet morbis frequenter agitaretur, magno nihilominus animo ingens gubernationis munus domi sustinuit, & ab diuersis Pontificibus Romanis plerasque bonis Monasterij roborandis litteras impetrauit. His eius memoriæ versibus quondam est nauatum:

Humanus Stephanus oritur, simplex, quoque planus.
Sæpiùs ægrotans, animo sed pondera portans,
Annos bis geminos Fratres hìc duxit ouinos.

Vnde tum candorem animi, tum mores humanos ipsius agnoscas.

IOANNES SECVNDVS 5. ABB. Successit Stephano Ioannes Secundus, cui tam vitæ innocentia, quam animi mansuetudo Agnini cognomen comparauit, vt his versibus antiquitas patefecit: C

Ex hinc minat oues Agninus ille Ioannes,
Cui fuit, vt vulgò fertur, Warneston origo.
Quatuor atque decem tenet annos hìc pater arcem.

GVILELMVS 6. ABB. Rexit postmodum Guilelmus Carninij natus, cui res præclarè gestæ cognomen eximij peperere. Mirum sub eo sparsit odorē insignis cultus religionis: ideóque multos ipse nobilium hominum perpulit, vt in hôc Monasterium è bonis suis plurima largirentur. Inde non modò census valdè fuerunt intra breue spatium temporis aucti, verùm etiam adeò florentis Abbatis operâ non pauca domi surrexerunt ædificia, & præsertim eius templi nauis, quod hodiéque conspicimus. In præsulum Indice hęc de hoc viro canuntur:

Rector hic eximius Guilelmus famine dignus, D
De Carnin partus, decimas septem parit aptus.
Viginti pastor annis vno quoque dicor.

LAVRENTIVS 7. ABB. Guilelmum excepit proximè Laurentius, cui natale solum fuerat Thoraltum in Flandria. Sacrum prędecessoris laborem in templo fuit prosecutus, multúmque molem eam promouit. Hæc memoriæ ipsius adscripsit metricus Abbatum catalogus:

Pectore cælestem nutriens Laurentius ignem
A paruo insidias vigili cura arcet ouili.
Morte vocante nouem præsul geminauerat annos.

IOANNES TERTIVS 8. ABB. In Ioannem Tertium posteà pedum votis religiosorum fuit translatum: de quo hæc syllabus antistitum:

Dux subit inde viæ feruens pietate Ioannes.

Iámque

A *Iámque tribus binas decades superauerat annis*
Cùm cadit exspirans, meliore fruatur vt aura.

Eius tempore plurimum hic amorem religionis arsisse comperio. Etenim huius gratia Nicolaus cuiusdam in Belgio cœnobij moderator abiecto pedo huc sese contulit, vt inter nouitios Bernardina se disciplina imbueret, nouámque viuendi rationem capesseret, incitando vehementius ad religionis cultum animo.

Emicuit posteà Nicolaus ab Auchy. Eius est opus templi ab Guilelmo Laurentióque incepti perfectio. Multa valuit consiliorum prudentia. Quæ gesserant maiores, quantum licuit, litteris tradi curauit. Inter antistites huius cœnobij hunc in modum celebratur: NICOLAVS AB AVCHY 9. ABB.

Post hunc præficitur numero crescente dierum
Consilio vir & arte valens Nicolaus ab Auchy.
Vix tamen ille nouem potuit producere Ianos.

B Adhibitus est subinde regimini Robertus è nobili natus Engloensium familia. Ad cumulandas nouis censibus possessiones Monasterij multus incubuit. quò respicere videntur hi versus è catalogo præsulum sumpti: ROBERTVS 10. ABB.

Hinc meritis partus, & dignus laude Robertus,
Erexit furcas, agros cumulat, replet arcus
Annos iste decem curam portauit ouinam.

Robertum insecutus est Eustachius, cuius hoc præconium. EVSTACHIVS 11. ABB.

Astat & vndecimus Eustachius vndique magnus,
Præclarus meritis, vita flagrans quoque, totis
Sex annis vixit, post quos mundo valedixit.

Successorem hic habuit Ioannem eius nominis quartum, cui vitæ integritas insignem peperit famam. De ipso hæc in Abbatum Catalogo deprehendi: IOAN. QVARTVS 12. ABB.

C *Feruidus ad gentes dignoscitur iste Ioannes,*
Exemplis rutilans, ac vitæ dogmata stillans.
Annis quinque tulit præsentis pondera claustri.

Admotus fuit deinceps gubernaculis Hugo li Pers è nobili Engloensis familiæ natus genere. Laudes eius hi versus continent: HVGO 13. ABB.

Lucidus hic Hugo, qui fertur origine d'Englo,
Vir liquidi sensus coaceruat in horrea census.
Annis viginti, minus vno, præsulo genti.

Ad regimen posteà peruenit Guilelmus Secundus Insulensis, cui præsulum Index hos versus apposuit: GVILELMVS 14 ABB.

Domnus Guilelmus decimus quartus vir honestus,
Virtutum dote prægnatus, migrat ab orbe
D *Postquam anno solo præfuit in solio.*

Hunc proximè secutus est Ioannes Quintus, quem suos inter liberos Insula quoque censuit. His eum coloribus Abbatum Syllabi auctor depinxit: IOANNES QVINTVS 15. ABB.

Spreuit honores, terris hærens, mente Ioannes,
Electus pastor, sapiens, prudens, quoque rarus.
Iste decennat, atque nouennat, posteà regnat.

Claruit subinde abbatialibus ornamentis Theobaldus, quem non minus litteræ, & sacrorum voluminum cognitio, quàm pietas, exornarunt, vt hi versus indicant: THEOBALDVS 16. ABB.

Balsamus vt redolens Theobaldus hic edit odorem,
Egregius Doctor, & magnus in ordine pastor.
Hunc post tres annos mors lurida duxit ad imos.

ÆGIDIVS 17. ABB. Ad Ægidium Gamantium nobilibus ortum Insulæ parentibus, delatum posteà est ius Asceterium moderandi. Creuit sub eo ex parentum muneribus res domestica. Hoc ipsius elogium in Antistitum Catalogo: A

Ægidius post hos pastorales canit hymnos,
Ac latrans cautè perduxit oues sine fraude.
Annis iste decem præfuit atque nouem.

NICOLAVS 18. ABB. Huius successor Nicolaus Maloen patria Brugensis non caruit fama sanctitatis. Agebat hic priùs in Dunensi Monasterio, ibíque clarissimum sociis erat virtutum exemplar. Cùm igitur aliquo Laudensibus opus esset, qui labascentem disciplinam erigeret, sublato è viuis Ægidio Gamantio, eo de cœnobio votis horum ardentibus euocatus est, ac regimini admotus. Fecítque sanè perquàm strenuè, vt quamdiu cœtum eum excoluit, nihil ad verum religionis cultum defuerit. De ipso hæc habent antistitum tabulæ:

Abbas hìc alius installatur Nicolaus, B
Qui Dunis sumptus impleuit munia promptus.
Octo bis sume, si vis mea tempora nosse.

IACOBVS 19. ABB. Abbatialibus postmodùm decoribus exornatus fuit Iacobus de Crissembien, domo Tornacensis, & loco nobili natus. Erga templi ædificium suam præsertim operam extendit. de ipso hæc Index moderatorum huius Phrontisterij loquitur:

Vernantem sanctus dedit hunc Iacobum Nicolaus,
Moribus insignem, paruum, sed corde virilem.
Hic quadraginta tribus annis exstitit Abbas.

OLIVERIVS 20. ABB. Præfectus est deinde religioso gregi Oliuerius le Moisne, qui nonnihil etiam ad ædis sacræ molitionem laboris contulit, vitámque febri perdidit, dum à Generali Conuentu Ordinis domum reuerteretur. Hæc laus eius in Syllabo præsulum:

Claret Oliuerius re pastor vocéque verus, C
Qui labens claustrum cœpit deducere sursum.
Hic per bissenos prælaturam tulit annos.

IACOBVS 21. ABB. Primus & vigesimus huic Asceterio præfuit Iacobus Six, cuius opera templi nauis ruinam minitans fuit stabilita, & multæ nouis ædificiis officinæ sunt exornatæ, vt his versibus is insinuauit, qui Catalogum scripsit Abbatum:

Arduus hic Abbas Iacobus sex dedicat aras,
Cœnobij rimas celer expellítque ruinas.
Annis hic decem † Laudensis limina triuit. † Laudensia.

Epitaphium verò his verbis conscriptum videtur: *Hìc iacet piæ memoriæ Dominus Iacobus huius loci Abbas* XXI. *ac reparator magnificus, qui abbatizauit* XV. *annis. obijt anno* M.CCCC.LX. Vnde colligas minùs rectè annos eius regiminis in catalogo iam citato numerari.

LIVINVS 22. ABB. De Liuino le Mesre, quem habuit successorem Iacobus, hæc suppeditat idem Index: D

Mundo Liuinus pastor pius atque benignus
Floruit vt virgo, quem fuscat nulla rubigo.
Annis hic tribus, octóque mensibus assidet alto.

PETRVS 23. ABB. Post hunc Petrum de Bosco insignis pietas, ardénsque zelus religiosæ disciplinæ memoria dignum reddidit. In his prouinciis totius Ordinis vicarium egit magna cum laude. eóque clarior euasit, quòd sexto & vigesimo Magistratus anno sua se sponte dignitate exuerit, vt quietiùs ad cælestem se viam accingeret. Tabulæ antistitum his laudant verbis:

Petrus de Bosco pòst claustro dompnat in isto,

A *Quem celebrem pietas etiam post funera fecit.*
Addidit hic bis tres vicenis mensibus annos.

Adscriptum est eius sarcophago: *Hîc iacet piæ memoriæ dominus Petrus, huius monasterij Abbas* XXIII. *religionis zelator ardentissimus, qui anno administrationis* XXVI. *senio fractus cessit, anno* M. CCCC. XC.

Ab hoc designatus successor Michaël Requillarte Insulensis, suprema Theologię laurea donatus fuit: cámque doctrina & sapientia famam adeptus est, vt inter Ordinis celeberrimos homines cēseretur. Eam ob rem cùm de vita Religiosorum reformanda Generalis Conuentus haberetur, à Christianissimo rege Carolo eius nominis Octauo, in Franciam accitus est, felicique successu ad instaurationem religiosæ B disciplinæ incubuit. Hoc eius encomium Abbatum Catalogus repræsentat: MICHAEL 24. ABB.

Vir, studijs cui magna sacris est gloria parta,
Subsequitur Michaël, sublimi dignus honore.
Binas hic hyemes, & bis duo lustra peregit.

Hunc excepit Dionysius Bauuins intra muros Insulenses progenitus. Struendis domi sacris ædificiis, insignique condendo Insulæ hospitio, sumptus maximos impendit; ideóque de ipso hæc canuntur: DIONYSIVS 25. ABB.

Præstanti ingenio Dionysius, inclyta Laudis
Ad seros ventura parans monumenta nepotes,
Tres decades annis gaudet superare duobus.

Huius cessione pedum tractauit nepos ipsius Dionysius de Watrelos, de quo hæc Index antistitum: DIONYSIVS 26. ABB.

Sanguine coniunctus subijt Dionysius alter.
C *Hunc decus ad nostrum meditantem plurima tristis*
Mors rapuit, bis sex geminatis mensibus anni.

Ioannem Mariage Insulanum cœnobio præsulem posteà imposuit Carolus Quintus Cæsar inuictissimus. In eius memoriam hi versus conditi: IOANNES 27. ABB.

Qui sequitur, magnas Ioannes corpore dotes
Atque animo tulit, exuperans virtutibus annos.
Vndecimam moriens collegit in horrea messem.

In locum Ioannis suffectus est Franciscus vanden Abeel patria Flander. Priùs monachum egerat in Baudeloënsi monasterio. Inde cùm fuisset ob virtutem & mores placidissimos ad præfecturam euocatus, propter bellorum asperitatem multa sanè grauiáque pertulit incommoda. Quæ res ipsi occasionem præbuit omni se dignitate exuendi, eáque alium onerandi, postquam annos septem rexisset. Eius tumulo hi versus insculpti: FRANCISCVS 28. ABB.

Hoc Franciscus Abeel, quondam venerabilis Abbas,
Marmore sub gelido puluis & vmbra iacet.
D *Qui varijs animi præstans virtutibus, annos*
Præfuit huic septem non sine laude loco.
Hæc qui scripta legis, dic lector amice, suaui
Ambrosia diuûm & nectare viuat Abeel.

In Catalogo hæc de eodem reperi:

Hic Franciscus Abeel Flandrensibus excitus oris,
Fungitur Abbatis septem non amplius annos
Officio: vitam magis eligit inde quietam.

Ingens deinceps animus, & præclarum instaurandæ religionis studium insignem reddidit Franciscum Mommalium. Is enim, cùm sæculo præterito in monasterium rabies hæreticorum grauissimè fuisset grassata, longè maximam paullò pòst operam, FRANCISCVS 29. ABB.

vt corrupta restitueret, ac suis ad virtutem capessendam animos faceret, contulit. A
Moderatorum cœnobij catalogus hæc de ipso proponit:

Post hunc Franciscus Mommal Namurcius heros,
Auspicibus votis meritos assumit honores.
Carpitur at decimum post annum in flore iuuentæ.

Appositum verò eius tumulo epitaphium sic loquitur:

Hac terra sub mole cubat Mommalius Abbas,
Ac in putre abijt, quod fuit antè, solum.
Ingenio vir dædaleo, vírque integer aui,
Laudensem rexit qui duo lustra domum.
Et quæ vastarat rabies effusa per orbem
Geusica, culta magis reddidit illa Deo. B
Vos illum finite, ô superi, precor, ire beatus
Cœtibus immixtum per loca læta poli.

PETRVS CARPENTIER 10. ABB.

Francisco vita functo, ad Petrũ Carpentierum ius omne gubernandi vota monachorum detulere. Huius magistratus principio in tempora sanè difficilia incidit, vt denique Tornacensi præsidio continuè prædas agente, Insulam ipse cum cœtu suo perfugere fuerit coactus. Tornaco in Catholici regis potestatem redacto cùm suos domum Religiosos reduxisset, præclarè admodum eos moderatus est. Placet hîc adscribere quod elogium quidam eorum in hæc verba conscripsit: *Omni cum humanitate & modestia suos rexit, omnibus omnia factus: erga proprios filios verus pater & pastor; erga externos munificus hospes exstitit: Gallos & Belgas diuersorum cœnobiorum ob bella intestina profugos, in domum suam recepit, quos præ suis Religiosis, quanta potuit charitate paterna, quanto tempore desiderarunt, adiuuit & fouit. Litteras supra modum (ipse parum litteratus licet) amauit, viros litteratos coluit: suos, quotquot studere voluerunt (præcipuus in hoc & primus inter alios prædecessores suos) ad diuersas Vniuersitates, Parisiensem, Louaniensem, Duacensem, studiorum gratia proprijs expensis misit.* Ab summo C Pontifice Clemente octauo mitram sibi, suísque successoribus obtinuit. Anno fermè vno priusquam mortem oppeteret, in humeros Vincentij Longuespei Insulensis sacrum regendi munus ita reiecit, vt is ad gubernationem oneri sese auxilij gratia supponeret, quò liberiùs ad exitum felicem suum ipse componeret animum.

VINCENTIVS 11. ABB.

Mitra postmodum, quam priùs Petro impetrauerat, ornatus fuit idem Vincentius Longuespeus. Eum negotia Ordinis Romæ, in Germania, & alibi tractata, dein vicarius huius monasterij labor idoneum regimini testabantur.

QVI VIRI EX HOC MONASTERIO AD REGENDVM ALIO FVERINT EVOCATI.

Nunc in humeros D. Ioannis Foucart Athensis huius loci gubernatio incumbit: cui multũ Theologiæ studium, expedita feliciter totius Ordinis, cum ei esset à secretis, negotia, Nizellẽsis monasterij, quod pœnè totũ annis vndecim, quibus ei præfuit, à fundamentis instaurauit, prudens & prouida moderatio; impensus visitandis ac reformandis Poloniæ cœnobiis labor; & hinc apud Archiducem Albertum maior auctoritas conciliata, gradum ad hanc fecere dignitatem. Atqui hæc de Abbatibus. D
Nunc obiter eos videamus, qui hoc è loco profecti sunt aliò, & quos eximia religio, vel doctrina Phrontisteriis aliis antistites dedit, aut aliis ornauit dignitatibus.

IOANNES DE VVATRELOS EPISCOPVS VISENSIS.

In his principem memoriam Ioannes de Watrelos meretur. Is enim Visensis apud Lusitanos ex monacho pontifex claruit, vt his indicat verbis huius cœnobij Kalendarium: *Tertio Idus Iunij O. R. dominus Ioannes de Watrelos monachus domus huius, Visionensis Episcopus, qui nobis contulit ad pitantiam quadringentos florenos, & multa alia.*

PHILIPPVS DE FONTANIS CLAREVALL. ABB.

Post Ioannem, Philippum de Fontanis iure collocabimus. Hic námque supremam S. Theologiæ lauream adeptus primùm generalis fuit Ordinis Cistertiensis Procurator, deinde Mesiensis, seu Maceriensis antistes, ac denique Clareuallensis Archimandrita, & doctrina & virtutibus ita gradatim euehentibus.

ANDREAS DV QVESNE DVNENS. ABB.

Andreas du Quesne in nobilissimo Dunensi Asceterio gubernaculis adhibitus

egit

A egit Abbatem senis fermè annis, quem cum virtute diuinarum rerum studij laurus ornauerat.

Apud Claromariscenses supremum sustinuit magistratum Arnulphus de Villari non parua fultus rerum experientia. Arnvlphvs de Villari Claromarisc. Abb.

Valcellense Monasterium aliquot hinc euocauit Religiosos, eósque sibi prælatos imposuit.

In hoc autem Monasterio insignis quondam visus est Principum nobiliúmque hominum conuentus, quando Ludouici Malcani, eiúsque coniugis corpora huc delata, & posteà Insulam admirabili pompa sunt portata, vt in templo D. Petri tumulo mandarentur, Burgundionum Duce Philippo Ludouici genero id funus incredibili sumptu & magnificentia procurante, quemadmodum Ioannes Froissartus latè memorat: & pedum obtinente Vincentio Longuespeo haud diu post initium huius sæculi. Prouinciale Capitulum hic celebrauere totius Bernardini Ordinis Generalis, & vt minimùm Abbates octodecim, quos Belgicæ prouinciæ, & Leodiensis Principatus miserant. Conventvs in Lavdensi Monast.

B Verùm minimè potuit hic locus sacrilegis hæreticorum manibus obsistere, cùm illi vltimi sæculi anno sexto & sexagesimo rebus sacris bellum indicerent. Imagines, libri, sacra vasa, & cetera ædis supellex ipsis ludibrio & prædæ fuerunt, postquàm vi armorum penetrauere.

Nunc autem ab Cœnobio ad B. Virginis sacellum transeamus. Id permodico abest spatio à Monasterij ambitu. Huius ædificandi causam præbuit posita quondam in proximo Deiparæ matris statua, eius efficaciam ab annis circiter quadraginta prodentibus miris rebus, cui propter fluentia frequenter in mortales beneficia Gratiæ nomen inditum fuit. Nihil in hac regione celebrius, accurrentibus vndique nimirum per singulos dies auxilij poscendi, & venerationis gratia multis hominibus. Quæ verò miracula propter eam statuam ad matris gloriam operatus sit Christus, alibi commodiùs latiúsque stylo persequemur. Anno elapsi proximè sæculi vltimo, rigente niuibus & frigoribus tempestate Serenissimi Archiduces Albertus & Isabella sacrum hunc locum adiere supplices, ibíque pluscùlum orationi tempus dedere, cùm

C Insulam pompa solenni fuissent recepti: eorúmque munificentiæ & religionis argumentum argentea hic pendet lampas.

Si nobiles familias, quibus olim pagus Laudensis inclaruit, perlustrare velimus, duæ omninò sese nobis obijcient, quæ laudem & memoriam merentur. Harum ea primum locum sibi meritò vendicat, cui Laudensis cognomen ipse pagus peperit, cuiúsque fuit potestati subditus. Ex ea tres video ijs litteris subscriptos, quas Theodoricus Elsatius anno Christi 1147. empto condendi Monasterij Laudensis fundo conscripsit. Horum ista fuere nomina; Hugo de Los, Derbaldus frater eius, & Lambertus filius. Quæ nobiles familiæ Lavdvm ornaverint. Familia Lavdensis.

Secundæ domus gentilibus cognomen *Duremort* seu Duræ mortis adhæsit: quorum Reinerus, & Ioanna non parum liberales in Laudense monasterium exstitere: fuítque tandem huius asceterij peculium ea villa, quæ cognomentum & census ei familiæ donauit. Familia de Dvremort.

Non erit iniucundum Lectori, vt arbitror, si hoc loco eam fabellam refutem, qua nonnulli eius villæ & cognominis originem ad Balduini Refellitvr fabvla de origine villæ de Dvremort.

D Constantinopolitani Imperatoris, & Flandriæ Comitis necem referunt. Hæret adhuc nonnullorum Insulensium mentibus is error, quo pertinaciter affirmant, eum, quem Ioanna Ferrandi vxor, & Flandriæ Princeps supplicio affecit, anno Domini 1225. non Bertrandum quempiam eremitam, at verum ipsius patrem Balduinum Cæsarem fuisse: eóque adactam volunt crudelitatis, vt Comitatu Flandriæ potiretur. Alunt hanc erroris pertinaciam liber vetus Liderici, & manuscriptum Flandriæ Chronicon, vbi non modò idem asseritur, sed etiam memoriæ traditum est, Laudensis Monasterij Abbatem (qui tunc erat Guilelmus) pari cum Insulensibus opinione imbutum, ad patibulum extra muros Insulæ surrectum noctu cum suorum cœtu monachorum venisse, ex eóque suspensum Cæsaris cadauer sustulisse, ac terræ sanctæ mandasse: ideóque pedum ei ab Ioanna detractum. Additur ab nonnullis eo loco Balduinum è trabe suspensum, vbi villa Duræ mortis quondam visebatur: eique datum ideò cognomentum, quod is Augustus priusquam strangularetur, *O dure*

mort Gallicè exclamauerit. Verùm enimuerò hæc plurimùm ab rei veritate discedere tam certum est, quàm quod certissimum esse potest. Primùm enim is auctor Aquicinctensis Auctarij, qui tum in Aquicinctensi Monasterio degebat, cùm hæc gererentur, & scribendi laborem anno supra millesimum & ducentesimum quinto & vigesimo videtur abrupisse, diuersa prorsus litteris tradidit hunc in modum. *Anno* M. CC. XXIV. *in quadragesima venit quidam ignotus, & tanquam Eremita habitauit in foresta de Glanchon iuxta Mortaigne, & tandem reuelauit quibusdam, quod ipse erat Balduinus Comes* Flandriæ *& Hainoiæ, & Imperator Constantinopolitanus. Quo audito quidam nobiles crediderunt verbis ipsius; duxerunt enim Valencenas cum honore, & cum ibi ornatũ, sicut decebat Imperatorem & Comitem, duxerunt per* Flandriã: *& multi* Flandrenses *fecerunt ei homagium sicut Comiti, & tandem intrauit Insulam cum maximo comitatu & apparatu. Ludouicus autem rex* Franciæ *fama eius audita, diem ei apud Peronam assignauit, vt cognosceret eum, qui dicebat se esse auunculum Regis prædicti, & vt faceret ei debitum homagium de Comitatu* Flandrensi, *si esset Comes* Flandriæ *veniendo & redeundo securè. Tandem veniens Peronam, & audacter apparens coram Rege Ludouico, & consilio eius, in palatio ipsius Regis, multis interrogantibus examinatus est, sed certitudinem nullam respondit. Vnde pluribus argumentis est conuictus, quod dolosè ageret, & per omnia mentiretur & ita recessit cum pudore: & prædictus rex districtè præceperat eidem, quòd de terra sua recederet indilatè. Eodem autem die, quo licentiatus est à rege, tam die, quàm nocte Valencenas venit, vnde furtim & latenter effugit. Quo audito Ioanna Comitissa* Flandrensis *cautè fecit quæri eundem: qui tandem repertus est, & ad dictam Comitissam adductus apud Insulam; vbi de consilio Baronum suorum iudicatus est, & damnatus, quòd cum equis traheretur extra villam, & suspenderetur: & ita vitam infeliciter consummauit.* Hactenus Anonymus ille Monachus, cui respondent ea, quę Ioanna princeps Insulẽsibus culti Pseudo-Balduini veniam deprecantibus indulgens ita conscripsit: *Ioanna Flandriæ & Hainoniæ Comitissa dilectis suis Bailliuo, Scabinis, & omnibus illis de Insula Salutem: Nouerit vniuersitas vestra, quòd ego diuini amoris intuitu vos & omnes illos, quos odio habebam occasione Bertrandi de Rais, qui se patrem meum fecit appellari, de omni rancore & forefacto, quod mihi fecistis, quitos clamo, liberè & absolutè.* Eandem historiam apud Iacobum Guisianum etiam fusè tractatam reperio: ex qua hîc nonnulla prorsus sunt eius verbis repræsentanda. Cùm igitur ad eruendam de Balduino Cæsare veritatem, essétne is verè à Barbaris interfectus, missos ab rege Franciæ legatos in Flandriam & Hannoniam docuisset, vt Bertrandum, qui iam in Flandria & Hannonia cunctos fermè suas in partes pertraxerat, fraudis conuinceret; inuentos Valencenis memorat viros nobiles non paucos, qui iam sumpto D. Francisci habitu inter minoritas degebant, & quos fama erat, cum Balduino ad sacram fuisse militiam profectos: dein hæc subiungit: *Cùm autem Episcopus Siluanectensis, qui vnus regis legatorum erat, interrogaret nomina Fratrum, cuius patriæ, aut nationis, aut conditionis & status essent, quia constantiam eorum experiri volebat, etiam si scirent aliquid de rei veritate Comitis Balduini, de eius morte, aut vita; & eos ad sancta Dei euangelia fortiùs adiuraret, vnus pro omnibus respondit: Domine pauperes peccatores sumus, vermes inutiles, Christiani tamen, & huius deserti incolæ sumus nos 16. cum illustrissimo principe Balduino, cuius anima requiescat in pace, mare transiuimus, & ab illo tunc vsque ad eius mortem secum moram vnà traximus. In omnibus bellis, in quibus personaliter intererat, semper præsentes fuimus; & in finali bello contra Comanos, & Blatas viuum, & pòst mortuum vidimus. huius rei omnes testes sumus. Rogamus insuper, vt in regis præsentia cum isto, qui se dicit Balduinum, verbum habere possimus.* & non multo pòst: *Paucis postmodùm euolutis hebdomadibus rege perueniente Peronæ districtiùs pro prædictis mandauit Fratribus, eorúmque auditis relationibus, & nominibus eorum quadam violentia extortis ab eisdem iussit eos in Conuentu Fratrum Peronæ per aliquot dies exspectando remanere. Interim mandauit Rex, vt præfatus Eremita, fictus Balduinus feodum Flandriæ ab eo, prout decens, iustum, & æquum erat, releuaret. Cùm verò Peronæ cũ solemni comitiua Flamingorum peruenisset ad regem, & per audita perpendisset, quòd præcipui Barones Flandriæ, Hannoniæ, Angliæ, Lombardiæ, Portugalliæ, qui cum ipso semper fuerant, illuc accessissent, timens nimium, de nocte hospite*

Lib. 11. Annal. Hannon. c. 11.

A B C D

insalutato

A *insalutato clam solus recessit, & sic iusto Dei iudicio, ac sanctorum fratrum meritu fuit patria a tali tyranno totaliter liberata, &c.* Nam deinde latiùs enarrat, quî posteà captus, & ad Ioannam missus, nomen suum, patriam, ac fraudem patefecerit, ideòque iustè fuerit ad restim condemnatus. Non absimilia referens Iacobus Meierus tandem addit: *Ioannes Episcopus Mutelanensis, & Albertus Theologus Ordinis D. Benedicti missi ab Ioanna in Graciam ad disquirendum de morte Balduini, renuntiauerunt captum fuisse ad Hadrianopolin ab Ioanne Valachorum rege, missúmque ad reginam in oppidum Cernoam, ibique membratim dissectum. collectas tamen corporis partes, ac tumulo compositas ab fœmina quadam Burgundica amore nominis Latini.* Paria prorsus à Petro Oudegherstio recensentur. Neque ab horũ narratione Iustus Lipsius recedit, dum in Monitis & exemplis Politicis eam repræsentat. Ex his igitur cùm videas Balduinum in Gręcia cæsum, ac Bertrandi fraudem patefactam: nihil est cur Ioannæ patris cædes affingatur. Deinde quis ferat de Duræ mortis origine fabellam, cùm sit certissimum, diu antequam Bertrandus strangularetur, id cognomen habuisse, quam diximus, villam; ac longè prius Bertrandum, Rainerum, & Ioannam eo floruisse cognomento per nobilis familiæ suæ, ac nonnulla Laudensibus Monachis donasse, vt varia horum testantur monumenta? Porò intra fines pagi huius Fraxinense & Landastense dominia cernuntur elegantibus satis ornata domiciliis. Ceterùm in Laudensi pago natum video insignem illum Monasterij Martianensis antistitem Arnoldum Gantoisum, cuius nomen factáque celebrat Gallo-flandria quémque nos inter eius cœnobij Abbates prolixè laudabimus. Lib. 8. Cap. 102. Lib. 2. c. 6.

B

Esquelmia, VVazenna, Sainghinum, Roncinium & Flersium.

C

CAPVT XXIII.

Esquelmes. An. 1066.



SQVELMIA Laudi adiacet. Eam olim video Eschelmiam, & Skermas vocitatam. Balduinus Insulensis cùm diplomate suo Canonicis Insulensibus quædam tribuit Skelmes nominat, inque territorio Insulensi collocat. Hunc pagum ornat in primis sacellum Deiparæ matris nomine dedicatum, cui iam ante quadringentos annos propter eiusdem Virginis imaginem, & variam ab ea perceptam opem conciliata veneratio est. Ferè nuper consenuerat ob adolescentis illius Laudensis viciniam. Verùm hoc tempore nouus ei decor additus frequentiam hominum ciet, rursúmque venerationem & cultum magnę matris impetrat. Ea nunc ædicula cum dominio censibúsque ipsi obnoxiis ad Insulense Societatis Iesu Collegium pertinet D. Engelberti Desboisij S. Petri Insulensis Præpositi, quem patronum habebat, munere, & eiusdem S. Petri ecclesiæ Capituli consensu. Est verò Esquelmia eorum pagorum vnus, quos Tornacensis Episcopus Guido à Francorum rege Carolo accepit, cùm anno Christi 1321. ius omne ciuitatis Tornacensis in regiam trãscripsisset potestatem. Duas claudit veteres dynastias l'Engleam & Hayam, quarum toparchæ quidam olim non parui nominis fuere, ac interdum equestri fulsere cingulo, eam meritis dignitatem adepti. ESQVELMIA. SACELLVM DEIPARÆ VIRGINIS.

D

VVazennes. Inter Esquelmiam & Insulam Wazennę cernuntur. Wascenas diplomata quædam nuncupant. Balduinus Insulensis Flandriæ Comes Insulensi territorio asserit citatis iam litteris. In hoc vico parent quædam monumenta veteris Tornacensium Episcoporum domûs: quò seipsi quondam relaxandi animi causa sæpiùs conferebant. Eodem modo ac tempore quibus Eschelmia in potestatem Tornacensium pontificum venit hic locus. Ioannem Pratensem Tornacensibus infulis clarum hîc in prætorio suo commorantem sacrum diploma conscripsisse anno Domini 1343. deprehendi, quo fidelibus Christianis quadraginta dierum indulgentias largiebatur, qui laudes VVAZENNÆ.

D. Virginis Mariæ diebus Sabbatinis in Episcopali templo celebrarent Tornaci. A
Ibidem cùm ageret Francorum Rex Carolus Quintus insignes scripsit litteras, quibus Dominicanis Monasterium intra muros Insulenses condendi potestatem faceret anno supra millesimum & trecentesimum octauo & sexagesimo. Qui litteris mandauere primam illic eorundem Tornacensium Episcoporum sedem fuisse Liderici Buccensis ætate, turpissimum errorem inuehunt: quoniam certissimò constat, multis ante Lidericum annis saltem Superiorem, Theodorum, Eleutherium, & aliòs Tornacensibus pontifices præfuisse, iisque domicilium præbuisse nunc Tornacum, nunc Blandinium; vt de Sancto Piatone taceam.

Scriptor quidam Chronici Fland.

FLERSIVM — Flers.

Proximum Annapio Flersium est. Templum habet insigni è candido lapide turri conspicuum, & campano ære nobile. Ni malè scriptum sit, in citato priùs Insulani Balduini Flandriæ Principis diplomate, Fles nominatur. Inter alias domos vnam includit admodum veteri nobilitate memorabilem, vbi quondam insignes viri consederint. Ei nomen est Quiquempotiæ: vnde fuit olim gentile nobili familię cognomen inditum. De hac istud reperi: Gillebertum Burghelium, cui coniux è familia B
Insulensium Castellanorum obtigerat, vnà cum ea Sacellanum perpetuo censu donasse, qui Curionem Flersiensem in peragendis diuinis mysterijs adiuuaret, & in prætorio Quiquempotio missam faceret.

SAINGHINVM. — Sainghin.

Abest inde plusquam leucæ spatio Sainghinum. Id eleganti & alta turri, vastis nolis, aliquot nobilium ædibus, & magno incolarum numero laudem meretur. Iis, quæ suprà memorauimus, Philipporum Augusti, Pulchri, Valesij Franciæ regum bellis, non exiguis affectum fuit malis. Et cladem aliquam recentiorem Castri ruinis, quondam eius Dynastarum sedis, testatur. Rigordus in gestis Philippi Augusti Francorum regis, Sanguineum appellat, dum scribit: *Processimus itaque ad Pontem quemdam Bouinum nomine, qui est inter locum, qui Sanguineus dicitur, & villam, quæ vocatur Cesona.* Itémque Guilelmus Brito, vbi canit:

Philipp. lib. 10.

Sanguineum à Zephyro, Cesonam tangit ab Euro.

Sitne hîc in auras productus Clemens Sainghinius, qui rex armorum, vt hîc nominant, seu Caduceator nobilis exstitit, cuiúsque historia nondum in lucem edita, quorundam manibus teritur, incertum habeo. C

Haud multum inde distat Roncinium, Reliquiis ac cultu S. Rictrudis Martianensium Monachorum, ad quos pertinet, patronæ nobilis locus. Mentionem eius facit Carolus Caluus Imp. eo diplomate, quo Martianensis ecclesiæ bona confirmat.

Siclinium, & in eo Collegium Canonicorum.

CAPVT XXIV.

SICLINIVM. HVIVS LOCI NOMEN VARIVM. — Seclin.

SICLINIVM plurimis rebus famam obtinuit. Seclinium passim nominatur: itáque scribi semper volunt, qui vocabulum deriuant à S. Piatonis eum D
ad locum venientis inclinatione; quòd illîc cadendo inclinauerit sese, vbi nunc eius sepulchrum cernitur. Vetera tamen monumenta & diplomata semper ferè Siclinium vel Sicclinium ostentant: itáque in passione & vita S. Piatonis, quæ Siclinij in Ecclesia seruantur veteri manu exaratæ, scriptum inuenio. Quamquam nolim dissimulare in passionis illius exemplaribus tum Bertiniano, tum Audomarensi Sacelinium legi éque Pontificijs decretalibus Siclunium, vel Siclunum quosdam scripsisse deprehendi; cùm lib. 3. de præbend. cap. 17. & 18. nunc Siclunienfis, nunc Siclunensis Canonicus & Præpositura legatur. Vrbis nomen & priuilegia huic loco impertijt quondam Ioanna Flandriæ Princeps & Ferrandi coniux, vt eisdem iurib. frueretur, ac lege, quibus Insula: adeóque suam litteris anno 1218. Insulæ fidem obligauit, haud aliter vnquam ab se Siclinienses, quàm Insulenses, iri tractatum. Quod

VETVS VRBIS PRIVILEGIVM.

Ioanna

A Ioanna Siclinienſibus conceſſit,ratum habuit ann.1224. ſoror eius Margareta, dein poſt multos annos Francorum rex Ioannes. Muri nunquam, aut valla hoc municipium cinxere. Templum habet magnum,& ipſa clarum vetuſtate, varióque incendio. Id Canonicis, & Parœciæ commune. Viſitur in eius crypta ſub odeo fons ille, qui S. Martyris Piatonis caput afferentis aduentu ebulliit, & iuxtim vetus eiuſdem ſepulchrum. Frequens fit eò concurſus hominum,exſtinguẽdis præſertim febribus, & depellendis ex humanis corporibus impuris ſpiritibus, flagitantium opem. Stat etiam Siclinij Noſocomium ſatis antiquum, elegans, & opulentum. D. Auguſtini virgines inſident ægris pauperibus auxilia præbituræ. Item aliud minus, vbi præcipue viam facientibus tectum pateat. Et ſunt ornamento nobilium aliquot prætoria minimè contemnenda, vbi Breuchiani toparchæ, & dynaſtæ Fermontij ſedem habent.

Ædes et Collegium Canonicorum. Fons S. Piati. Nosocomium. Hospitale. Du Breucq. De Fermont.

B Vetuſtiſſimum & præclariſſimum huic loco ſplendorem S. Piaton Neruiorum Apoſtolus,& inſignis Chriſti Martyr attulit. Vt enim vero ſimile eſt,cum per Neruios Chriſti doctrinam ſeminabundus excurreret,huic pago lucem veritatis intuliſſe: ita prorſus certa veritate firmatũ eſt,hunc ſanctum hominẽ vel ſummum verticem,vel caput totum ferro delectum manibus huc portaſſe, eóque depoſito,& collapſo corpore,ſepulchri locum ipſo caſu ſignaſſe;ac mox eum ibidem terræ mandatum. Rem eam ita Clerus Siclinienſis in vita ipſius tradidit: *Seniorum autem traditio & vulgaris relatio hoc commendat, quòd cæleſti lumine ſuper illum influente, & ſuperna voce reboante, corpus Sancti erectum in pedes ſteterit, & caput ſuum præ manibus acceptum tulerit, atque à loco decollationis diuino remigio portauerit in locum tumulationis. Dei autem conſilio, qui ſanctos ſuos cum menſura probat, & ſine menſura glorificat, viri fideles, qui beati viri fuerant admonitione conuerſi, ſumma deuotione functi parauerunt aromata, & linteamina precioſa: & inuoluentes illud diligenter, ſepelierunt in lapideo ſarcophago mundo,*
C *& tanti viri tumulatione digno. Ibi antiquis & modernis temporibus multa peracta ſunt miracula: quæ ſi per ſingula ſcriberentur, deputarentur ſuperflua. In ipſa verò ſepulturæ eius hora cælica ſuper eo plenè refulſit gratia, quandò executores ſenſerunt redolentia velut aromata, & ſuauiſſimus odor è cælo lapſus corda omnium, qui aderant, refecit, & corpora. Nempe attoniti & ſtupentes laudabant magnificè Deum ſuum, dicebántque: Quis Deus magnus ſicut Deus noſter? &c.* Horum aliqua dum ſtylo proſequitur eiuſdem Martyris Paſsio non paullò antiquior, iſta ſubdit: *Ædificauerunt autem baſilicam in ſupradicto loco Siclinio, in qua diui Martyris corpus cum hymnis & laudibus poſuerunt. Vbi per orationes eius ægri ſanantur, cæci illuminantur, claudi recuperantur, vexati à dæmonio liberantur, & fideliter precantium vota exaudiuntur.*

Siclinium S. Piaton illustravit.

Non paruum poſteà eidem loco decus comparauit S. Eligius Tornacenſium & Nouiomenſium Epiſcopus, vbi repertum S. Piatonis corpus ornauit, templúmque capacius condidit,& Canonicos ibidem poſuit. Audiatur Siclinienſium Clericorũ ea de re tradita litteris ſententia. *Locus autem tumuli vocitatur Siclinium, vbi Sanctus Pontifex Eligius adueniens, & monumentum huius Martyris requirens, tandẽ Deo volente reperit; & quaſi nuperrimè paſſum, ſic recenti ſanguine, & integris veſtibus inuenit.*
D Et paullò poſt: *Conſepultos quoque illos decem ferreos clauos reperit, quibus Dei Martyr candentibus per vngulas digitorum traditur excruciatus. Hos decem clauos beatus Eligius ad populum palam protulit, & immane tormentum, quod ſcriptura non pandit, ipſorũ clauorum ſignis beatum Martyrem pertuliſſe prodidit: & beatiſſimum corpus de priori monumẽto honorificè tranſlatum, in melius compoſitam & honoratius decoratam ſepulturã recondidit. Qui beatus Epiſcopus glorioſum Martyrem multo amore & honore proſequens, eccleſiam eius antiquam deyciens, ampliorem atque decoratiorem ædificari præcepit, Clericos inſtituit, beneficia delegauit, vt diatim cultus diuini officij ex more ibi celebraretur, ad laudem & gloriam ſanctæ Trinitatis. amen, Tumuli autem eius faciem idem ſanctus Pontifex auro & argento, gemmiſque, ac lapidibus pretioſis mirificè manu propria exornauit, vt oſtenderet ex cultu ſepulchri, quantus eſſet apud* Deum *in curia cæli.* Hucuſque Clerus Siclinienſis, qui non modicam partem eorum, quæ ſcripſit, ex D. ſumpſit Audoëno. Is enim cùm S. vitam Eligij litteris mandaret, lib. 2. cap. 7. in hunc modum locutus

Dein etiam S. Eligius.

eſt:

A

est: *Post hæc simili modo, grandi labore atque instantia inuenit in territorio Medenatensi, vico Siclinio, S. Martyrem Piatonem. Cui similiter clauos ob longos ex corpore ablatos populis in argumentum monstrauit. Corpus denique, sicut Martyrem decuit, accuratè composuit, atque Mausoleum desuper eleganter fabricauit.*

QVÆ ADVERSA SICLINIO EVENERINT, QVÆ IVCVNDA.

Nunc verò clades huius municipij, nunc lætos ipsi regum ac principum aduentus, vt vetera memorant monumenta, proponamus. Quin communem cum aliis locis vicinis calamitatem pertulerit, quo tempore grassati sunt Normanni, nullum mihi dubium est: cùm priùs Carnutum sancti Piatonis corpus delatum fuerit à Clericis, vitandæ persecutionis gratia. Sensit posteà infensas Philippi Augusti Francorum regis copias, cùm is à Ponte Wendinio ad Pontem Bouinarum militem traheret Othoni Cæsari, & Ferrando Flandriæ Comiti occursurus quà enim viam hic maturabat, igni omnia ferróque corrupit, vt anteà ex Rigordo diximus. Cùm Philippus cognomento Pulcher, qui Francis imperauit, anno 1297. infestus in Gallo-flandriã exercitum raperet, totum hunc locum miles eius & grauibus exhausit rapinis, & incendio deformauit. quamquam ipse posteà sacram supellectilem, & ad diuinum cultum spectantia Canonicis omnia restitui mandauerit. His enim de rebus à Canonicis interpellatus ita scripsit: *Philippus Dei gratia Franchorum rex, omnibus Bailliuis, ac Iusticiarijs regni nostri, ad quos præsentes litteræ peruenerint, salutem. Vobis, & cuilibet vestrum præcipiendo mandamus, quatinus in assisiis vestris & alibi palàm & publicè proclametis, seu proclamari faciatis, vt omnes qui reliquias sanctas, chartas, priuilegia, campanas, calices, ornamenta, aliásque res, seu bona ad ecclesiam sancti Piati Siclinensis pertinentes abstulerint, rapuerint, seu distraxerint, aut ea habent & retinent, aut retinere præsumunt, eidem Ecclesiæ, vel eius procuratori præsentes litteras deferenti reddant, & restituant indilatè: alioquin eos * ex tunc pro furibus, & prædonibus sacrilegis habemus, & ipsos tanquam tales suis culpis exigentibus puniemus. Præterea si de prædictis rebus & bonis noueritis, vel inueneritis in Bailliuijs, seu locis vestris, aliquid detineri, illud procuratori, vel Ecclesiæ prædictis, reddi, seu restitui, ac deliberari faciatis sine mora. Datum apud Mangniacum die Sabbati post festum beatorum Remigij & Illarij, anno Domini M. CC. nonagesimo septimo.*

AN. 1214

B

* ex nunc.

C

Chron. Fland. MS.
Iac. Meier. l. 12.

Anno verò 1340. dum alter Francorum rex Philippus Valesius iuxta Bouinas multum temporis in castris exigit; è contrario Tornacum castris aliis obsidet Anglorum rex Eduardus; qui partes huius sequebatur. Hannoniæ Comes repentino Siclinium aduentu oppressit; & cùm prædæ multum abegisset, ædificia flammis absumpsit.

Ioan. Froissart.

Dum veniret suppetias Comiti Flandriæ Ludouico Maleano Francorum rex Carolus, Siclinium diuertit, ibíque plusculum temporis moratus est: vti Principum Ducúmque consiliis agitaretur, quanam parte bellum in Flandros portaret. Gemuit interim non leuiter Siclinium, cùm id cibos & potum militi, equísque pabulum gratis cogeretur sufficere.

AN. 1382.

Oliuerius Merch. l. 1. c. 26.
Iac. Meier. l. 16.

Verùm dissidentibus à Philippo Burgundiæ Duce, & Flandriæ Comite, Gandauensibus, anno 1453. ad concipiendas condendásue pacis leges, his Burgundio Siclinij colloquium indulsit, eóque Stampanum Comitem misit, quo etiam Gandauensium nomine Prior Carthusiæ, ac nouemdecim primi ordinis viri conuenere, quamquam nihil æquum eo potuerit consessu ab Gandensibus Comes impetrare.

D

Lib. MS. Duac.

Octennio post, Ludouicus eius nominis vndecimus Franciæ rex Tornacum ex Atrebatibus tendens huc diuertit: & quoniam placuit innoxius eius aduentus, veteri more donatos ipsi à Senatu medium auenæ, pauones duos, capones duodecim reperio.

Lib. Duac. MS.

Et dum volueretur supra millesimum & quadringentesimum annus quartus & sexagesimus, Siclinium rursus cum insigni Comitatu Rex idem aduenit, ibíque dies aliquot substitit Tornacum Insulámque petiturus.

Præteriti nuper sæculi anno sexagesimo sexto collectorum aliunde sectariorum grauis manus huic municipio ingruebat, vt rebus sacris iniuriã cladémque sacrilegis armis inferret. Verùm incolę, vicinis in agmen vnà coëuntibus, iam propinquan-

A tes idoneo ad cædem loco ita fortiter aggressi fuere, vt partem ferro peremerint, partem in paludes riuósque propulsam aquis obruerint.

Et iacta sunt in ædibus Breucquiani Reguli Wallonum militum ab rebellibus copiis ad Regem Catholicum reuocandorum, vexandorúmque per eos fidei Catholicæ hostium initia, cùm illic Baro Montignius, aliique occultum his de rebus colloquium habuere. Fuit verò is Breucquianus toparcha Franciscus de Haynin ex ea profectus Hayniniensi familia, cuius in Wanebricisio mentionem fecimus. Hunc ob Catholicæ fidei ardorem, Insulensibus per tumultus Belgicos opitulandi, consulendíque studium, artem ac fortitudinem militarem non exiguam fuisse laudem assecutum video. Postquàm nunc alam equitum, nunc peditum cohortem in armis duxisset, extremum diem clausit in Gallia, dum trecentis peditibus iis in castris præesset, quæ Dux Parmensis è Belgio in Normanniam ferendis Rothomago suppetiis promouerat.

B

Carembault.

Carembaultius Ager, & in eo Pons VVendinius & Gondecuria.

CAPVT XXV.

CAREMBAVLTIVS terræ tractus insequitur pagorum seu virorum numero minor, propemodum par soli bonitate, cæli clementia, & partem magnam campis patentibus commendabilis. Ab Hugone Tornacensi Episcopo Comitatum Carenbam vocari video. Sic enim ipse iis in litteris, quas de fundatione Phanopinensis Monasterij conscripsit: *Deprecatus siquidem, vt altari libertatem concederemus, quod est in Villa Phalempin in Comitatu videlicet Carenbam.* Hîc Pons Wendinius

Pont à VVendin. C nius in extrema Gallo-flandria vicus est. PONS VVENDINIVS. Is sublicio ponte Deullam iungit perpetuo meatu nobilis in Artesiam & Franciam abeuntium, aut Insulam inde carpentium iter, multáque gaudet hominum ad S. Rochi cultum multis e locis aduenientium frequentia. Senatus Insulensis eum magno locum pretio sibi comparauit, vt indigenis imperans faciliùs turbulentis temporibus hostium suis finibus ingressum arceat. ibíque docuit fluuium Deullam maiores pati ac retinere naues deuehendis abusque Lendio Insulam mercibus. Quà respicit Artesiam, ingens, ac multis stagnans aquis palus ei obiicitur, vno tantùm eóque non admodum patenti aggere itineris gratia interposito. Hac sæpè tamen in Gallo-flandriam Francorum exercitus penetrauere. & interdum ad vtrasque pontis fauces steterunt oppositæ hinc Belgarum, inde Francorum acies. Inuenio ibidem loci Ludouicum Franciæ Regis Augusti filium, & Flandriæ Comitem Ferrandum insignem habuisse conuentum exstinguendis, quas alebant, de Aria & Audomaropoli controuersiis: adeóque hos inter dictas pacis le-

D ges anno Christi post millesimum & ducentesimum vndecimo. RIGORDVS. Paucis post annis huc inuexit grandem exercitum Philippus Augustus, cunctáque per viam populatus est, cùm in armis Otho & Ferrandus Comes iuxta Valentianas consisterent. Chron. Fland. Iac. Meier. l.10. Anno 1304. feruente Flandros inter Francósque propter Guidonem Flandriæ Comitem bello, vltra fluuium consedere plurima Francorum millia. Et quidam ex iis iussu regis transmisso per angustias vadorum fluuio, multum stragis hoc in vico edidere. Verùm cis eundem amnem castra metatus est Philippus Guidonis filius, & latè circùm Flandros posuit, vt Francorum impetus reprimeret. Ergo posteà nunc his, nunc illis per paludes transitum sibi parantibus, vltrò citróque multi periere. Ne tamen in Gallo-flandriam totus sese Francus per pontem, vel opportuniora paludis loca effunderet, Philippus egregiè contendit, tandémque obtinuit.

Bis ad eundem Pontem copias deduxit Archidux Austriæ Maximilianus bello Francum in Attebatibus agentem petiturus: ibíque per dies aliquot castra posuit

Ioan. Molinet. to. 1. Oliuer. Marcb. l. 1. c. 9.

primùm anno 1478. deinde anno proximè secuto. Et illo quidem tempore non priùs hinc discessit, quàm Franciæ rex cum eo inducias pacisceretur, hoc verò etiam vltra Pontem progressus Artesiis cladem intulit, coactóque ad nouas inducias rege per eundem gloriosus Insulam reuisit. A

GONDECVRIA. Gondecouri.

Siclinium proximè sita est Gondecuria, cuius vetustatem viri nobiles asserunt, qui familiæ cognomen ab ea traxere. Viuebat anno Christi 1155. Colardus Gondecurius adeò familiaris Theodorico Flandriæ Comiti, vt litteris iis, quibus is bona ecclesiæ Phanopinensi donata confirmat, cum aliis claris hominibus subscripserit. In aliquot diplomatum Philippi Elsatij Theodorici filij & successoris subscriptionibus, trium aliorum ex eadem gente Roberti scilicet, Ægidij, & Oilardi nomina & cognomina leguntur. Ab Roberto Duacensibus D. Amati Canonicis datas insignes Christi ac Sanctorum reliquias inuenio, quarum ita memoriam habet liber argenteus D. Amati ecclesiæ: *Hæ sunt Reliquiæ, quas Robertus de Gondolcourt attulit de Constantinopoli.* Ex eadem, vt arbitror, familia Thomas Gondecurius ecclesiæ Canonicorum S. Piatonis Siclinij datus olim fuit Præpositus. Ad hûc pagum reuocatur natiuitas Nicolai Maupayi tanta virtute ac scientia præditi hominis, vt sacris fuerit infulis ornatus, & in Suffraganeum Atrebatensi Episcopo concessus. Laudatus est anno præteriti sæculi sexagesimo sexto indigenarum animus, qui cum Sicliniensibus aduersus irrumpentes & sacra inuolantes hæreticos arma corripuere, horúmque plurimos partim ferro cæsos, partim aquis immersos peremere. B

ROBERTVS DE GONDECOVRT.

NICOLAVS MAVPAY EPISCOP.

Phalempinum, & monasterium Phalempinense.

CAPVT XXVI.

C

PHALEMPINVM. PAGI HVIVS NOMEN EXPENDITVR. Phalempin.



PHALEMPINVM multis rebus inclarescit. Frequentiùs hoc ei nomen, quàm Phanopinum, vt multa monumenta, & diplomata testantur. Nec aliter scribit Hugo Tornacensis Episcopus iis in litteris, quas de cœnobij erectione anno Christi 1039. composuit. Contrà Phanopini nomen ostentat vetus ex ebore cœnobij sigillum. Et quidam huius originem ad S. Martini tempora, factúmque referunt, vt ex Phano vel Fano, pinúque coaluerit vocabulum. Ipsum diui facinus ab Sulpitio petitum hîc proferam: & deinde quid sentiendum arbitrer, indicabo. Igitur in vita S. Martini lib. 1. cap. 10. ita de ipso scribit Sulpitius. *Item dum in vico quodam templum antiquissimum diruisset, & arborem pinum, quæ fano erat proxima, esset aggressus excidere; tum verò antistes loci illius, ceteráque gentilium turba, cœpit obsistere. Et cùm iidem illi, dum templum euertitur, imperante Domino, acquieuissent, succidi arborem non patiebantur. Ille quidem eos sedulò commonere, nihil esse religionis in stipite, Dominum potiùs, cui seruiret ipse, sequerentur: arborem illam excidi oportere, quia esset dæmoni dedicata. Tum vnus ex illis, qui erat audacior ceteris: Si habes, inquit, aliquam de Deo tuo, quem dicis te colere, fiduciam, nosmetipsi succidimus hanc arborem; tu ruentem excipe: & si tecum est tuus, vt dicis, Dominus, euades. Tum ille intrepidè confisus in Domino, facturum se pollicetur. Hîc verò ad istiusmodi conditionem omnis illa gentilium turba consentit, facilémque arboris suæ habuere iacturam, si inimicum sacrorum suorum casu illius obruissent. Itaque cùm vnam in partem pinus illa esset acclinis (vt non esset dubium quam in partem succisa corrueret) eo loco vinctus statuitur pro arbitrio rusticorum, quò arborem esse casuram nemo dubitabat. Succidere igitur suam pinum cum ingenti gaudio lætitiáque cœperunt. Aderat eminus turba mirantium. Iamque paullatim nutare pinus cœpit, & ruinam suam casura minitari. Pallebant eminus monachi, & periculo iam propiore conterriti spem omnem fidémque perdiderant, solam Martini mortem exspectantes. At ille confisus in Domino intrepidus opperiens, cùm iam fragorem sui pinus concidēs edidisset, iam cadenti, & super se ruenti eleuata protinus obuiam manu, salutis signum opposuit. Tum verò turbinis* D

modo

A *modò retroactam putares, ita diuersam in partem ruit, adeò vt rusticos, qui in tuto steterant, penè prostrauerit, &c.* Hæc Sulpitius de admirando S. Martini facinore. Nunc quid sentiam, paucis aperiam. Rem istam Phalempini perpetratam qui volunt, parum sequentia Sulpitij verba trutinauere, quæ non dubiè ipsis aduersantur. Sic enim auctor ille S. Martini discipulus: *Quod adeò virtutibus illius, exemplóque conualuit, vt iam ibi nullus locus sit, qui non aut ecclesijs frequentissimus, aut Monasterijs sit repletus.* Asserit igitur Sulpitius viuo se regionem eam plurimis ecclesiis aut Monasteriis floruisse, quæ partim S. Martinus, partim alij eius exemplo condiderint, postquàm arboris casum is Antistes à capite suo auertit. Sed quod istic Monasterium ea ætate vel constiterit, vel erigi cœperit, nusquam proditur: neque tunc vllum fuisse argui posse arbitror. Quæ namque totius Belgij antiquissima traduntur Monasteria, eam minimè ferunt ætatem. Ab Diui Amandi, & Chlotharij Secundi Franciæ regis temporibus horum ferè arcessitur initium: vt nondum exacto quinto sæculo ne vllam quidem vel sanctus Amandus, vel Chlotharius, eiúsque filius Dagobertus, de condendis in Belgio
B Monasteriis cogitationem susceperint, quibus tamen prima debentur D. Petri Gandense, Bauonicum, Elnonense, Martianense, Broylense, Troncinicum: tantúmque sæculo quinto iam adulto suum S. Medardus Monasterium Tornaci erexerit, cuius in miraculis S. Eleutherij mentionem fieri video. Igitur quamuis Ægidius Froidurius eam de nomine Phanopini ex D. Martini facto induerit opinionem, eámque non reijciat Ioannes Molanus, cùm mentionem eius facit in Sanctorum Belgij Natalibus: ex iis nihilominus quæ iam dixi, & sententia Francisci Pietini, cuius opera scriptum est Phalempinense Chronicon, ac Francisci Barij Prioris Aquicintini, & aliorum, fabulosè arbitror huc detorqueri maximum S. Pontificis miraculum cuius à Sulpitio fit mentio. Nisi fortassis aliud consimile fuerit hîc aliàs ab eodem Episcopo patratum. His itaque de nominis origine omissis, ad pagum veniamus, in eóque Cœnobium, & viros, qui claritudinem attulere, dispiciamus. Haud dubiè vetustatem præ se fert is locus. Iam diu ante Christi annum millesimum & trigesimum nonum hic pagus erat Insulensium Castellanorum peculium, ibique sedem habuerat Saswalo, qui primus eorundem Castellanorum creditur, quorum certa mentio monumen-
C tis, aut literis est tradita. Quod ab ipso illic conditum est Monasterium, à Canonicis, vt vocant, Regularibus insidetur. Angustum quidem hoc ædificium habet, at insigni bibliotheca & pretiosis templi ornamentis est laudabile. Multo tempore Abbatibus, Religiosis, & imbutis varia doctrina viris claruit is locus. De Abbatibus primum erit hic sermo, deinde scientia illustres Canonicos dabimus. MONASTERIVM PHALEMPINENSE, SEV S. CHRISTOPHORI.

Qui primus Abbatis nomine huic Asceterio præfuit, suscepta D. Augustini regula, fuit Lambertus, qui sanctis moribus, & magno religionis ardore præditus nihil suis ad virtutem necessarium deesse subditis patiebatur. Prodierat is ex officina totius virtutis, sancta scilicet familia D. Ioannis Morinorum Episcopi, quem suprà ostendimus primùm inter Canonicos Insulenses, deinde in Monasterio Montis Eligiani optimè vitam traduxisse; & postquàm aliquamdiu Atrebatensis Archidiaconus fuisset, infulis ornatum Morinensibus: vt minimè fuerit mirum, si tanto vsus
D præceptore commissum sibi gregem ad religiosam disciplinam exemplo suo incitauerit. E Francisco Pietino id colligo, cuius hæc verba in Phanopinensi Chronico: *Quod cum ille multò libentissimè annuisset, & Ioanni Morinensi Episcopo sua probitas non nihil familiaritatis cum Paschale eius nominis secundo iam pridem conciliasset: eius fauore & amicitia fretus, Episcopatus sui anno 9. à Christo autem nato 1108. Lambertum Clericum & familiarem suum huic Cœnobio Abbatem dedit, ijs legibus à Paschale Pontifice paulò post præscriptis, vt ipse Abbas eiúsque Clerici Canonicè ac religiosè viuerent secundum D. Augustini institutum.* LAMBERTVS I. ABB PHALEMPIN.

Qui proximè factus est Phanopinensis Antistes, Iuonis nomen habuit. Ex eo magna virtus eius, & studium religionis arguitur, quod Cœnobium suum Aroasianæ Congregationi, quæ plurimum id temporis florebat, summisque Pontificibus ob integram vitæ religiosæ disciplinam charissima erat, adiunxerit. IVO 2. ABB.

Iuonem secutus est Hemfridus, de quo sic Pietinus: *In demortui Abbatis locum* HEMFRIDVS 3. ABB.

suffectus est Hemfridus Abbas tertius, vir eximius, cuius ætate magna religione hoc cœnobium inclaruit, vt omnium rerum initia feruere solent, quod ex statutis & præscriptis vitæ arctioris ab illis recenter susceptis augurari licet. Qua ex re factum est, vt eius Abbatis tempestate Principum ac priuatorum opibus hoc cœnobium certatim iuuaretur. Quanti eum fecerit Alexander Tertius Romanorum Pontifex satis ostendit tribus illis, quas ad eum scripsit epistolis. Quòd *Hymniacensis* Monasterij *Catalogus defunctorum memoriæ consecratus*, Hemfridum *quondam Abbatem vocet*, suspicatur Pietinus, *illum modestiæ causa sub vita finem dignitatem exuisse.* A

HERBERTVS 4. ABB. Post Iuonem cœtum Phanopinensem moderatus est Herbertus. De ipso tantùm hæc habet Pietinus: *Is diem supremum egit 27. Augusti: quo die septem panes dari defunctorum nostrorum catalogus iubet. Ob eius merita insignia hoc beneficij manibus eius tributum à maioribus nostris crediderim, etsi nos ea lateant.*

ALVLPHVS 5. ABB. Hunc excepit Alulphus, qui paucis tenuit annis gubernacula.

IOANNES AB INSVLA 6. ABB. Eo vita functo, in Abbatem sextum electus est posteà Ioannes ab Insula cognominatus, vir, vt inquit Pietinus, admodum clarus. Patrem Hugonem, matrem Ermentrudem Insulenses Castellanos habuit. Quantum colligo ex matris donatione, iam tum sese Monasterio addixerat, cùm flueret annus supra millesimum & centesimum septimus & septuagesimus. quo tempore mater ob filium religionis habitum capessentem duos auenę modios, & terræ mensuram, quod bonnarium nostrates appellant, in perpetuum donauit. Exstat diploma, quo Romanus Pontifex Honorius Tertius eum prosecutus est. Ad eúmque S. Ioannis Baptistę dentē cum litteris pietate plenissimis misit G. Thessalonicensis Archiepiscopus, qui tum Atrebati degebat. Ingenti animo clades magnas sustinuit, quibus, dum regeret, afflictatum fuit monasterium, sæuientibus inter Franciæ regem & Ferrandum Flandriæ Comitem bellis. Postquàm diu insigni religione cœtum fuit moderatus, præclarum modestiæ specimen præbuit, sub exitum vitæ omni se abdicando Cœnobij cura, sacróque imperio. Placuisse mores eius, & non sine sanctitatis opinione vita functum fuisse, videntur hi versus indicare, qui marmoreo eius tumulo cum alijs, qui nunc legi nequeunt, insculpti sunt: B C

Clariùs enituit post mortem vita Ioannis,
Hîc qui ter denis, & sex Abbas fuit annis.
*Exstinctum iubar ecclesiæ mortalia * luce.* *luge.

IOANNES 7. ABB. Postquam in cælos Ioannes migrauit, eiusdem nominis alter in locum eius antistes suffectus est, de quo nihil in tabulas relatum inuenio.

PHILIPPVS 8. ABB. Secundum hunc claruit Philippus, quem de Monasterio Hymniacensi flagitatum Canonici Phanopinenses propter virtutem sibi libentes imposuere. Sed is aliquamdiu præclarè officio perfunctus, eo, quem non quæsiuerat, sese volens honore nudauit, vt memorat Pietinus.

LAVRENTIVS 9. ABB. Qui hunc excepit Laurentius non parua resplenduit virtutum claritudine, vt ex eodem Hymniacensi Phrontisterio ad regendum euocaretur. Quid tamen præclari egerit, à nullo proditur. D

In Chronico Phanopin. THEODORICVS 10. ABB. De Laurentij successore hunc in modum loquitur Pietinus: *Successit ei Theodoricus, aliàs Thericus huius cœnobij decimus Abbas è Diui Nicolai à Pratis, vbi Abbatem sextum agebat, ascitus. Is posteà nostri Cœnobij curam reiecisse, & Tornacum se recepisse inuenitur, nec quam ob causam liquet, nisi quòd amantior sui natiui cœnobij fuisse creditur. Hominem exuit Tornaci die 25. Iulij in suo cœnobio conditus sub marmoreo saxo. Vixit tamen complures annos, posteaquàm nostrum cœnobium curare desiisset, vt cernere est ex eius litteris indicibus icti fœderis cum Clericis D. Nicolai à pratis anno Domini 1264.* Hucusque Pietinus: cui si litteras eiusdem Theodorici subijciam, non erit opinor, Lectori curioso vetustatis iniucundum. Sic igitur habent illæ. *Vniuersis præsentes litteras inspecturis Th. diuina permissione Abbas S. Nicolai de Pratis iuxta Tornacum, & eiusdem loci Conuentus salutem in Domino sempiternam. Nouerit vniuersitas vestra, quòd nos cum viris religiosis Abbate & Conuentu ecclesiæ de Phalempin propter augmentum mutuæ cha-*

ritatis,

A *cietatis, & profectum animarum, vtriusque ecclesiæ specialitatem societatis inijmus perpetuis temporibus obseruandam, sicut expressum est in serie subsequenti. Si quis de fratribus dictæ ecclesiæ turbatus exierit septa Monasterij, retento tamen habitu regulari, veniens ad nos per quadraginta dies retinebitur frequentans ecclesiam, claustrum, dormitorium, & refectorium, sicut nostri, vt pax turbati fratris per Abbatem Ecclesiæ nostræ, vel alios probos viros interim reformetur. Si quis de fratribus ab Abbate suo ad nos missus fuerit exigente culpa sua, nos ipsum vsque ad annum, vel Generale Capitulum, sicut moris est in ordine, tenebimur retinere. Si casu aliquo ipsam ecclesiam grauari contigerit, quod auertat Dominus, sarcina debitorum, nos ad petitionem Abbatis vnum de suis Canonicis retinere tenebimur, quousque alios fratres missos ad Ecclesias Ordinis, ad propriam ecclesiam contigerit reuocari. Cum aliquem de fratribus dictæ Ecclesiæ contigerit decessisse, & eius obitus nobis fuerit nuntiatus, nos pro ipso vigilias nouem lectionum, & in crastino missam celebrare tenebimur in Conuentu; triginta diebus prabendam pauperibus erogare; missas & orationes dicere; defuncti nomen in libro Capituli annotare, & idem facere penitus, quod pro*
B *nostris secundum Ordinem fieri consueuit. Et ad omnia prædicta tenentur nobis & nostris præsentibus & futuris Abbas & fratres Ecclesiæ memoratæ. Sic nos iuxta preceptum Apostoli, alter alterius onera portando adimplebimus legem Christi. Vt igitur fœdus societatis prædictæ futuris temporibus inuiolabiliter obseruetur, nos litteras huius continentiæ mutuò contulimus sigillorum nostrorum munimine roboratas. Datum anno Domini M. CC. LX. V. mense Ianuario.*

Postquàm verò Pietinus Nicolaum Theoderico suffectum ostendit, hæc de ipso, NICOLAVS 11. ABB.
aliisque præcedentibus subijcit: *Videtur eius tempestatis Abbatibus solemne fuisse, sua sponte sub vitæ finem dignitatem exuere, modestiæ, opinor, causa, vt erant in pietatem propensiores, nondum ambitione suam tyrannidem tam latè porrigente. Nam inuenio hic quinque Abbates continenter ferme mortem obijsse priuatos.*

Qui suscepto gubernandi munere duodecimus Abbas effectus est, alterum Nicolaum inuenio, cui cognomen Hustinus, vel à Tornaco fuit. Multa virtute & sapientia præditum fuisse hunc virum, Franciscus Pietinus prædicat: ideòque sub eo plurimo floruisse religionis & bonarum artium studio Canonicos idem asserit. Cùm Generalis Conuentus haberetur Aröasiæ, inter ordinis Definitores locum tenuit: & quo suorum necessitatibus largè subueniret, non pauca Monasterij possessionibus adiecit. Illectus sanctis eius moribus Rogerius Ioannis hoc nomine tertij Insulensis Castellani frater domum sibi intra cœnobij septa construxit, vbi posthabitis sæculi pompis cælestium mentem rerum meditatione quietiùs pasceret. Huius Abbatis sepulchro hi versus olim appositi fuere: NICOLAVS HVSTINVS 12. ABB.

C

Hic putrefactus ego Nicolaus corpore dego,
Abbas indignus, animæ Deus esto benignus.
Te mihi posco fore patronum pro famulatu
Martyr Christophore, precibus me solue reatu.
D *Qui me calce teris, sub eadem lege teneris,*
In modicum cineris rediturus cùm morieris.

Sublato è viuis Hustino, ad Hugonem Canonicorum suffragijs delatum est domus imperium. HVGO 13. ABB.

Admotus est postmodum supremis cœnobij curis Ioannes Bouchierus. IOANNES 14. ABB.

Vt deinceps sacrum gregem regeret, Guilelmus Longés è cœnobio Hymniacensi assumptus est. GVILELMVS 15. ABB.

Ioannes quartus pedum deinde suscepit. IOANNES 16. ABB.

De Guilelmo Clenquet, qui decimus ac septimus antistes claruit, hæc Pietinus proponit: *Circiter annum Domini 1335. huius cœnobij gubernaculo admotus est, quod 42. annos moderatus est, illiusque res propemodum deploratas sua industria stabiliuit. Nam ad rem familiarem augendam vehementer attentum fuisse, plurimis argumentis arguitur.* Et postea: *Ædificandi tamen studio cum primis delectatus est, vt ex illius monumentis, quæ* GVILELMVS 17. ABB.

adhuc exstant, facilè liquet. Nec arbitror quemquam Abbatum ab huius cœnobij exordio fuisse, qui eo plura extruxerit, præter hunc vnum R. P. Andream Mundet Abbatem meum meritissimum. A

PETRVS 18. ABB. Ad Petrum Paruum delata subinde est dignitas abbatialis.

IOANNES 19. ABB. Post hunc Ioannes Martinus cœnobij onus sustinuit.

IACOBVS 20. ABB. Vt omnem mortuo Ioanne loci huius curam capesseret, ex Monasterio Hymniacensi euocatus est Iacobus le Ville ob eas virtutes, quæ plurimùm in eo splendebant.

VVALTERVS 21. ABB. Indidem postmodum postulatus est Walterus Pullus, vt Phanopinensis Abbatiæ gubernationem susciperet.

GOSSVINVS 22. ABB. Abbatiale munus eiusdem cœnobij Gossuinus Hannibaut deinceps capessiuit.

IOANNES 23. ABB. Eum Ioannes Pourette in eodem gradu dignitatis secutus est.

IACOBVS 24. ABB. Quartus & vigesimus summum Iacobus le Teri adeptus est magistratum. De ipso hæc apud Pietinum reperio: *In hac misera facie suffectus est defuncto Abbati Iacobus le Theri eius nominis secundus, numero 24. Abbas è pago Tummerie dicto oriundus, qui ab hoc cœnobio circiter ter mille passus abest, vir ad rem domesticam probè curandam non ineptus. Siquidem huius cœnobij opes vehementer attritas quatenus in se fuit situm, colligere & augere curauit, ausus illud etiam ab aduersariorum iniurijs asserere. Pecunia comparauit quidquid nobis agrorum, vinearum, & cæduæ siluæ Proulliaci secus Remos est.* B Et infrà: *Anno 1440. Louanij iuri Pontificio operam dabat: vbi suis articulis summam, quam Pisanam vocant, scripsit, quæ adhuc in Bibliotheca nostra exstat.*

NICOLAVS CANETVS 25. ABB. Successorem hic habuit Nicolaum Canetum, cuius exitus valdè miserandus exstitit, quòd è turri campanaria fortè delapsus interierit; quemadmodũ narrat Pietinus.

IOANNES CHIVOREVS 26. ABB. Post hunc proximè Ioannes Chiuoreus Phalempini genitus patre Mattheo, huius Abbatiæ regimini admotus est, quamuis secundum & vigesimum dumtaxat ætatis annum duceret. Sed inerat ei supra iuueniles annos ingens sapientia, & flagrans prouehendæ religionis ardor: fuit ei principio regiminis non leuis labor ac concertatio cum aliquot discolis ac præfractæ ceruicis Religiosis, à quibus non modò fuit falsò criminum arcessitus, verùm etiam prauis artibus ac venenis propemodum exstinctus. Omnia tamen tùm patientia & prudentia, tum iudicum sententijs pericula & calumnias superauit. C Ac ne posteà quid suis ad studium virtutis, optimarúmque artium deesset, prouida sanè diligentia in id in primis elaborauit, vt omnia benè constituta, moratáque sui Ordinis Phrontisteria his in partibus lustraret: quæ optima illic nactus esset instituta, domum ea transferret, illísque subditos imbueret: de monasteriis aliis multâ præditos virtute viros euocaret; eos suis Clericis Regularibus efformandis adhiberet. Quibus equidem rebus breui perfecit, vt multorum rudes animi optima tingerentur disciplina, & plerique præclaro studio religionis efflorescerent. Ergo rebus ita feliciter succedẽtibus, opportunum maioribus incrementis consilium inijt vario seipsum scientia percolendi. Eò celeberrimas Academias adire constituit. *Francisc. Pietin. in Chron. Phalemp.* Sed priusquàm id faceret, qui res domesticas susciperent, eásque probè ac diligenter accurarent, aliunde viros accire placuit. In his præsertim emicuit Ioannes Saracenus Dominicani Ordinis sacerdos egregius, qui Priorem egerat Insulæ, sacrámque ibidem Theologiam docuerat. Hoc igitur Vicario Generali constituto, & Abbatiæ præfecto, nunc Louanium, nunc Patauium Ioannes adijt studiorum gratia: D illícque variis hominibus adhæsit multiplici doctrina & virtute conspicuis: sed præcipua cum Francisco Buslidio pontifice Bisuntino familiaritate vsus est. Vbi plurimum variæ cognitionis, sapientiæ, virtutis hausit, tum denique in Belgium iter ad suos relegit. Dici nequit, quanto fuerit omnibus ad mores optimos incitamento castissimus ipse, & religionis amantissimus. Et summam inde voluptatem capiebat, cùm suos virtutum fructus facere perspiceret. Duo tamen ipsum grauiter perculere, pestis, & morborum pertinacia. Lue multos de suis absumi magno animi mœrore & misericordia conspexit. Et vix quadragesimum septimum ætatis annum attigerat, cùm fractis viribus corporis in varios sese morbos præcipitem dari sensit, qui magnis ipsum doloribus semper agitauere. Igitur quamuis hos insigni semper patientia tolerarer, tamen cùm videret sese oneri curarum succumbere, in alienos humeros id re-

iecit

A iecit de Iulij Secundi Pontificis Romani voluntate anno 1512. Haud amplius anno vixit, postquam sese Magistratu abdicauit, charus quoque tunc omnibus, & magna cultus veneratione.

Huic viuo successit Andreas Mundetus, vnáque cum ornamentis dignitatis zelum Dei, studiúmque religionis induit: vt ijsdem ad propriam perfectionem, & summum cultum vestigia insisteret. Et sane suam ita Spartam adornauit, vt nihil reliqui fecerit, quo summa virtutum ab omnibus domi capesserentur. Adeóque rem familiarem egregiè moderatus est vt & plurima ędificia construxerit, & pretiosissima supellectile templum ornauerit. Inter alia eius opera laudem meretur bibliothecę structura, & quam illic optimorum librorum copiam posuit. In eius encomium hos panxit versus Ægidius Froidurius, qui tunc illic monasticen exercebat: — ANDREAS MVNDAEVS 17. ABB.

Conditus hoc lapide est Andreas nomine reque
Relligionis amans, & ad omnia prouidus Abbas:
B *Quem tituli memores passim, monumenta loquuntur*
Insignem pietate virum, & praestantibus actis;
Quod rectis studijs componens seque suosque
Non minus has alijs rationibus auxerit ædes.

Andream Ioannes excepit ab Atrio cognominatus: quem duobus prædecessoribus virtutis & disciplinæ religiosæ cultus parem fecit. Insignis in eo aduersus omnes eluxit gratia, & comitas: vt quamuis hospites suos frugali mensa exciperet, ab se tamen omnes mirè contentos exhilaratósque dimitteret: suis omnem domesticis adimeret tristitiam, summámque beneuolentia, mansuetudine, & prouidentia voluptatem eis pareret. Cùm de religiosis ad cœnam quotidie aliquos admitteret, & mensa priuata cum iis vteretur: exacuendis eorum animis, & ciendis sermonibus nunc pijs, nunc doctis, aliquid semper ipse proponebat, ac singulorum exquirebat sen-C tentias, eósque, qui aptè responderant, laudibus efferre; qui minùs expectationi satisfecerant, modestè & hilariter instruere solebat. — IOANNES DE L'ATRE 18. ABB.

Ioanni datus est successor Matthæus à Castro felici admodum vir ingenio, & singulari præditus eloquentia: quémque omnibus charum comitas morum, vitæ puritas, decens hilaritudo, & multiplex doctrina reddiderant. — MATTHAEVS A CASTRO 19. ABB.

Huic suffectus est Carolus du Tillieul, præclaro sanè & ad varias capessendas disciplinas idoneo ab homine ingenio donatus. Verùm adhuc iuuenem ingens multa prius cocta congendi ardor mentis abalienatione perculit. Qui tum onus regendi vicarium sustineret, Petrus du Parc electus est. — CAROLVS DV TILLEVL 20. ABB.

Hoc tempore eorum hic moderatur D. Adrianus Bauwyns qui priùs annos plurimos cum laude Sclinensi Nosocomio præfuerat. — D. ADRIANVS BAVVYNS 21. ABB.

Atqui hæc de Phalempinensis Abbatiæ rectoribus sufficiant. Nunc etiam obiter videamus, quinam è Regularibus eius Canonicis aut virtute, aut scientia floruerint. — INSIGNES PHANOR. CANONICI RELIGIOSI.

Inter eos, qui Priores fuere Ioanne Chiuoreo gubernacula domus tractante, D duo præsertim emicuere, Ioannes Faber, & Ioannes à Planca. De illo sic Pictinus: *Frater Ioannes Faber legum peritissimus hoc munus itidem & piè & prolè annis aliquot obiuit, de Monastica religione, omnium, qui hunc aliquandò nouerunt testimonio, quam optimè promeritus. Nam eo Priore in hoc cœnobio magna pietati accessio facta est. Quin quoque etiam multos ab iniquitate auertit sacris concionibus sanctisque consilijs, dum Curionis officium multis annis præstare iussus est.* De hoc verò hæc idem subijcit. *Frater Ioannes à Planca Musicus absolutissimus, quamquam adhuc iuuenis, super senes tamen intelligens, hoc munere exactissimè gessit.* — IOANNES FABER. — IOANNES A PLANCA.

Eodem cum his vixit tempore Ioannes Denis. in quo vitę puritas, honesta conuersatio, mores integri, zelus ardens religionis, insignis animi pietas, homines ad virtutem incitandi studium, erga D. Virginem cultus, admodum claruere. Dum Pastorem ageret, si fortè ad ægros visitandos, aut alio ex officio viam carperet, ad sonitum æris campani quo beatæ Virginis tertium salutandę admonemur, illico in genua — IOANNES DENIS.

reuerenter se proijciebat; parúmque mouebatur siue aquis, siue luto genua eo loco immergeret, vbi sonus eum deprehenderat; ibíque tam diu capite nudo cæli reginam venerabatur, donec salutationis carmen tertiùm recitasset. A

PASCHASIVS BALDVINVS.

Eluxit etiam hoc in cœnobio tam scientia, quàm virtute multiplici Paschasius Balduinus. De ipso in monumentis Phanopinensibus ita reperi. *Tota vita sua Dom. Paschasius fuit corpore, & mente castus, corde deuotus, affabilis alloquio, amabilis omnibus, prudentia præditus, religionis zelator, & obseruator maximus ceremoniarum antiquarum, & constitutionum paternarum tenacissimus, patientia singularis, secreti tacitus, sapientia summus, quippe qui latinæ, græcæ, hebraicæ linguæ erat peritissimus, eloquendi facultate præcipuus, linguæ flumine copiosus.* Quibus hæc addo ex Francisci Pietini Chronico: *Quemadmodum docet venerandus Pater D. Paschasius Balduinus hac ætate Prior Phanopini huius cœnobij (vir præter reconditissimam eruditionem, trium etiam linguarum sacrarum exacta cognitione insignis, pietati quoque ac studijs rectis promouendis totus natus) in eo opere, quod maximo studiosorum omnium bono, sedulò adornat, retrusissima quæque philosophiæ, ponderúmque ac mensurarum arcana omnia in lucem breui, vt speramus, prolaturus; vt non sit cur quisquam posthac Budæos, Agricolas, Priscianos, aut ijs etiam doctiores magnoperè desideret.* Hactenus Franciscus eius operis mentionem faciens, quod de ponderibus & mensuris Paschasius doctissimè composuit, ac nondum typis mandatum Phanopini seruatur; cuíque alterum idem de Kalendarij reformatione molitus est adiungere. Qui desiderat huius hominis doctrinam & facundiam cognoscere, eam legat epistolam paullò longiorem, quam is ad Franciscum Ruëum Insulensem medicum de Gemmarum nominibus ac viribus scripsit, quámque idem Ruëus suis de sacræ Scripturæ gemmis & lapidibus libellis apposuit. B

FRANCISCVS PIETINVS.

Neque sua caruit laude, dum viueret Franciscus Pietinus. Fuit enim, vt quidam Phanopinensis religiosus litteris tradidit, *vir valdè pius, & maximus zelator antiquæ religionis, & obseruator, macerans corpus suum ieiunijs, & frequentibus orationibus; satis eruditus in sacra Theologia, & in diuersis historijs valdè peritus. Transtulit in linguam vernaculam D. Ioannis Chrysostomi plurimos tractatus: emendauit, & correxit hymnos ecclesiasticos.* Seruantur in monasterio manuscripta duo eius opuscula, Chronicon scilicet Phanopinensis cœnobij, & Stemma Insulensium Castellanorum; è quibus hoc Gallicè, illud Latinè conscriptum est. C

BALDVINVS HANGOVART.

Neque verò exigua hoc in monasterio virtute floruit Balduinus Hangouartius è celebri apud Insulenses familia prognatus; quem spreto mundi fastu religiosæ vitæ institutum arripuisse comperio, postquàm non modò factis militaribus gloriam sibi comparasset; verùm etiam rei panariæ præfectus, & nobilium vnus domesticorum in aula Burgundiæ Ducis Caroli viduæ fuisset. Qui latinam de rebus Guilelmi Hangouartij Artesiæ Præsidis orationem scripsit, hæc de ipso memoriæ consecrauit: *Balduinus huius frater, vir bellicæ artis peritia insignis, mortua filia, quam ex Agnete le Mesre vnicam susceperat, studio vitæ tranquillioris repudiata militia, in qua multos per annos patriæ & Principi præstiterat operam, monachorum instituto in secessu Phanopinensi seipsum addixit. Vnde vocante† Cornelio à Bergis Episcopo Cameracensi anno 1495. lustrauit cœnobium Sororum in oppido Hannoniæ Quesnoyo, quod infestabatur à malignis spiritibus; eóque Dei permissu & gratia repurgato, diligenti in hoc ab ipso Episcopo & Balduino nauata opera functionem honestam suscepit in Prioratu Siluæ Domini Isaaci iuxta Niuellam, vbi supremum diem clausit, & conditus est.* † Hen... D

HENRICVS FROIDVRE.

Ægidium Froidurium (quem in Nosocomio Comitissæ degentem, ac spiritualem sanctimonialium ægrorúmque curam sustinentem Insulæ mors abstulit) inter viros Insulenses laudauimus. Ex hoc cœnobio qui clari virtute homines ad regendos alibi cœtus fuerint exciti, apud Pietinum hi produntur: *Ex hoc siquidem cœnobio ascitus est Gilbertus Canonicus noster Abbas Warnestunensis, mundo exemptus 3. Aprilis die. Ascitus est & Ioannes Panekin aliàs Billet, itidem Canonicus nostri cœnobij ad moderandum Hymniacense cœnobium: qua dignitate potiebatur anno 1431.*

Fuisset nunc locus iis nobilibus hominibus vel enumerandis, vel sua laude condecorandis, qui non parum splendoris Phanopino, vel ibidem loci commorando, vel

A [illegible] quædam largiendo, comparauere. Sed quoniam ij præsertim aut Insulani [illegible] fuerunt, aut inter eos censentur, qui monasterij fundationem auxere: de eisque commodior agendi locus erit, cùm de fundatore, & benefactoribus [illegible] de Castellanis Insulensibus sermo instituetur posteà.

Quibus adversis afflictum fuit Phanopinum.

[illegible] ad calamitates, & maleficia, quibus olim Phanopinum grauiter affectum [illegible] conuerto. Ex his ea tantum in medium afferre libuit, quæ præsertim [illegible] monumentis, aut libris vetustioribus erui: & quorum aliqua [illegible] peculiaria fuere, nunc etiam incolis pagi communia. Vixdum ætatem [illegible] septuaginta ferebat Phanopinense monasterium, quando grauissima calamitate [illegible] oppressum, vel quibusdam maleuolis hominibus tyrannicè infestantibus [illegible] Canonicorum, qui nondum erant D. Augustini placitis constricti, malis
An. 1090 moribus, & ignauia pessumdantibus. E Roberti Frisonis Flandriæ Comitis diplomate [illegible] in primis colligo, cùm de Phanopinensi ecclesia sic loquitur: *Quámque [illegible] tyrannide attritam, & prauitatu consuetudine videras exinanitam.* Deinde ex Balderici Tornacensium & Nouiomensium Pontificis epistola,
B
An. 1095 [illegible] eadem ecclesia sunt verba: *Quæ eo in tempore ferè ad nihilum erat redacta.* Quibus hunc in modum subscribit Franciscus Pietinus eiusdem loci Clericus Regularis. *In Chronico.* *Tam exiguus, vt dicere cœperam, [illegible] canobij fuere initia, vt ab exacto ab eius ortu [illegible] & sexagesimo, in antiquum penè chaos relapsum videretur: tàm rarus & infrequens [illegible], vt neque sacerdotem, neque leuitam in eo temerè quisquam inuenire posset.*

Elapsis postea centum pluribúsue annorum curriculis idem Phrontisterium nouis iam ædificiis exornatum, & ab Regularibus insessum Canonicis, totúsque pagus non leuem pertulit cladem Othone Imperatore, & Ferrando Flandriæ Comite aduersus [illegible] regem Augustum grauissimo ardentibus bello. Id partim ex diplomate sacro [illegible] Thessalonicensis Archiepiscopi ad Ioannem Phanopinensium Abbatem scribentis, partim ex Rigordo deprehendi. Epistolam Archiepiscopi totam repræsentare non grauabor, quàm ex Archiuo Phanopinensis Abbas suppedi-
C tauit.

[illegible] S. [illegible] ecclesiæ filijs, ad quos præsentium notitia peruenerit, G. Dei gratia Thessalonicensium Archiepiscopus, & totius Romaniæ Cancellarius, salutem in Domino. [illegible] tam futurorum, quàm præsentium vniuersitas, quòd nos viro venerabili & charissimo in Christo Abbati de Phalempin Tornacensis diœcesis, dedimus vnum ex dentibus B. Ioannis Baptistæ, quo maior inter natos mulierum non surrexit, significantes vobis, quòd cùm ecclesia [illegible] de Phalempin multifariè multísque modis tum guerræ, tum prædonum, tum raptorum, ac demum proprij incendij persecutionibus, immò percussionibus damnificata sit miserabiliter & attrita, omnibus, qui ob reuerentiam Sanctuarij antedicti monasterium [illegible] memoratum, ibique suas piè porrexerint eleemosynas, liberaliter concedimus, & [illegible] omnium orationum pariter & bonorum, quæ deinceps in nostra [illegible] participes, & consortes. Datum Atrebatis anno gratiæ M. [illegible] XVII. IV. Kal. Febr. Hactenus ille Pontifex, cuius verba dum expenderet Pieti-
D nus, [illegible] scripsit in Chronico: *Ex his Archiepiscopi litteris, cognoscimus, hic iam secundo [illegible] periclitatum esse raptorum, prædonum, ac fortuiti incendij, vt ait, iniuria.* At [illegible] non solùm id monasterium calamitatem sensisse, verùm etiam pagum [illegible] Phanopini grauiter afflictatum fuisse, ex verbis Rigordi arguo. Scriptum [illegible] loquit, cùm de Rege ad hoc bellum in Gallo-flandriam penetrante ageret: *[illegible] in manu forti terram Ferrandi, & transiuit per eam, omnia à dextris, & à sinistris [illegible] deuastando & regaliter deprædando.* Cùm enim à Ponte Wendinio Tor[illegible] iter facienti per Siclinium fuerit eundum, in eáque via Phanopinum [illegible] proximè occurrerit; nihil dubitandum relinquitur, quin id cum aliis [illegible] fuerit flammis prædísque corruptum. Passúmne fuerit aliquod graue damnum Phanopinense monasterium ac territorium quo tempore ad montem Pabulam [illegible] inde Franci, hinc Flandri castra duxere, ibidémque manus conseruere, [illegible] certò asserere. Id equidem in confesso est templum ipsum in Francorum

ſepulturam ab Franciæ Rege delectum. De hoc enim monaſterio intelligendum, quod his verbis D. Antoninus tradidit: *Altera autem die Rex Franciæ ordinauit, vt omnes Franci in bello interfecti ſepelirentur in quadam Abbatia quæ ibi propè erat.* A

Dum vigeſimus ac tertius Antiſtes Phanopinenſium Abbatiam regeret Ioannes Pourreltus, ingentibus maleficiis tum Religioſos, tum agricolas Phanopinenſes è Lignyaca domo vir quidam infeſtauit. Apud Franciſcum Pietinum de ipſo hæc reperio: *Huius præterea Abbatis ætate vixit Phanopini Ioannes Liniacus quidam Camuſetus cognominatus, qui pluſquam militari licentia, ac barbara tyrannide hoc cænobium, eiúſque incolas diuexauit. cibum eſurientibus, nudiſque veſtimenta ſubinde detrahens.* Indeque factum additur: *vt vix pane cibario, & aqua cocta latrantem ſtomachum eius clerici, qui pauciſſimi tamen erant, placare poſſent; tantùm aberat, vt delitijs indulgerent.*

INSVLENSIS CASTELLANVS PHALENPINI DOMINVS.

Iam verò Phanopini dominium etiam ad Caſtellanum Inſulenſem pertinet, vt iam inde à Saſvalone rerum potitos illic deprehendimus, quicumque Caſtellaniam Inſulenſem obtinuere. Rariùs tamen ijs ſedes hîc fuit: magíſque ſemper ipſis arriſit Ploïchij commoratio, quæ villa non procul à Phanopino cernitur frequenti nummorum veterum effoſſione nobilis. Ea de re ſic à Pietino litteris traditum video: *Eo tempore Caſtellani Inſulenſes plerumque agebant in villa ab hoc cænobio circiter mille paſſus diſſita, vulgo Ploich nominata, vbi ædes prætorianas vernaculo lapide miri candoris affabrè exſtructas habebant; quarum ruinæ ac veſtigia aliquot adhuc exſtant antiquum illorum ſplendorem & maieſtatem teſtantia. Nunc verò Phanopini vrbanas ædes habere cœperunt, in quibus æſtiuis potiſſimum menſibus commodè ſe recipere liceat, quæ picturis, & variis operibus noſtra ætate nonnihil exornatæ fuerunt opera domini Ioannis de Frelin quæſtoris ærarij in hac Caſtellania Inſulenſi clariſſimæ Principis ac Dominæ D. Mariæ à Lucemburgo.* B

Wepeſanum Territorium, & in eo Waurinium Sanctaq. C

VVeppes.

CAPVT XXVII.



A CAREMBAVLTIO, Melanthoiſo, & Ferraino Weppeſius ager oppidò magnus, & minimè macer, Deulla fluuio diſtinguitur. Eum ab altera parte ambiunt Liſa & Arteſia. Hîc ad Deullæ ripas conſidet Waurinium vetus & nobilis pagus. Ob flumen paſcuis abundat. Templum eius, turríſque ſatis elegantia. Viſitur iſtic opere veteri caſtrum olim reguli ſedes, cui plus commendationis geſta cum Francis ſub Maximiliano rege Romanorum & Archiduce Auſtriæ bella conciliant, quàm ædificij ornatus. Obſedit eam arcem Creuecœurius Eſquerdarum toparcha Franciæ regis nomine anno 1488. Neque facilè, iam concuſſis multa vi tormentorum muris, in poteſtatem redegiſſet, niſi Morianus Gerſius, cuius cuſtodiæ fuerat concredita, eam ſuóſque milites prodidiſſet, vt tradidit Ioannes Molinetus. Paucis inde diebus inter Franciæ Regem & Gallo-flandriæ Ordines pax hîc aliqua conciliata, quam ſuo Maximilianus Rex aſſenſu roborauit, vt latè in Annalibus explicabitur. Habet quoque is pagus inſtauratum nuper nouis xenodochium ædificijs. Et intra fines eius elegans Val... dynaſtæ prætorium conſpicitur. Ex agrorum cultu, paſcuorum commodo, & lanificio indigenæ, quorum vis magna eſt, opes colligunt. Ipſi loco ingens dignitas obuenit ab officio, ſplendore, potentia Comarchi vnius è Quatuor-viris nobilibus Ordines Inſulenſis Caſtellaniæ ducentibus. Is olim Flandriæ nunc Dapifer, nunc Seneſchallus tracto in hereditatem officio vocabatur, vt partim diplomata, partim hiſtoriæ oſtentant. Ex his aliquos vt eruamus è vetuſtis monumentis & libris, inſtituti noſtri ratio nos admonet.

VVAVRINIVM. — VVaurin. — Tom. 2. — Moreau de Gerſe. — D

E VVAVRINIA DOMO ILLVSTRES VIRI. BALDVINVS.

Theodoricum Dapiferum litteris, quibus Balduinus Inſulenſis Flandriæ Comes dotem Canonicis, templóque D. Petri Inſulenſis aſſignat, ſubſcriptum video.

Inſulani

A Insulani nepotem Robertum ab Hierosolymis cognominatum in Syriam bello secutus est Hellinus Waurinius, ibique cum aliis Flandriæ nobilibus præclara edidit militiæ facinora. HELLINVS. Iac. Meier. l. 9. Iac. March. l. 2.

Floruit posteà Carolo Flandriam moderante Gualterus Dapifer, quem falsò putant è Locrensi familia progenitum Iacobus Meierus, & Iacobus Marchantius, dum vnà cum eodem Comite à parricidis Stratensibus necatum memorant. GVALTERVS. Cùm enim eo tempore apud Waurinios Dapiferi dignitas consisteret, cúmque Gualterum, qui Caroli causa cæsus mortem oppetiit, Gualterus in vita Caroli Dapiferum nuncupet: omnino nulli dubium esse potest, quin is Gualterus ex Wauriniorum stirpe prodierit. Quæ autem de ipso litteris mandauit Gualterus Morinensis canonicus, hæc sunt è capite octauo & vigesimo: *Sic demùm ad perquirendum Gualterum Dapiferum, quem elapsum fuga timebant, redeunt.* Et paullo pòst: *Gualterum autem cùm diu quæsitum non inuenirent, & de inuentione eius iam desperarent, quidam puer eum dicitur prodidisse, & latibulum, quod cum in tanta necessitate opportunè satis occultabat, persecutoribus ostendisse.* B *Qui vt se proditum sensit, veloci cursu protinus fugam iniit, & vsque ad altare S. Donatiani currendo peruenit, & velo, quod altari oppansum erat, se, quantum potuit, operuit. Quo in loco ministri diaboli persecuti arripuerunt, & confessionis faciendæ, quam solam petebat, sibi facultate superbè negata, de Ecclesia extrahentes occiderunt.* Cæterùm tam atrocis Stratensium in Gualterum odij ac furoris non aliam causam deprehendo, quam quòd Principi suo virtutibus is similis fuerit; ac propter officij dignitatem, & potentiam, ad vindicandam Comitis necem multum allaturus momenti videretur.

Huius, opinor, filius fuit, Balduinus, quo Dapifero Ioannes Morinensium Episcopus pro ecclesia S. Petri Insulæ aduersus Guilelmum Flandriæ Comitem scripsit litteras anno 1128. BALDVINVS.

Cùm Flandriam obtineret Theodoricus Elsatius, vixit Robertus Waurinius Flandriæ Seneschallus. ROBERTVS. Quibus is Comes eius loci, quem construendo Laudensi Monasterio Bernardus Anechinus vendiderat, cessioni annuit, dum curreret annus 1147. litteris nomen sigillúmque apposuit: ac nonnulla Laudensibus monachis dedit, vt C his verbis eorum Kalendarium testatur ad 14. Kal. Martij: *O. vir illustris Robertus de Waurim Seneschallus Flandriæ. dedit 50. libras.*

Eiusdem Theodorici Elsatij bona Phanopinensis Ecclesiæ confirmantis diplomati subscripsit Rogerius Dapifer anno 1155. ROGERIVS. Dein litteris Gerardi Tornacensium & Nouiomensium Pontificis eadem bona stabilientis anno post millesimum & centesimum septimo & quinquagesimo. Omninóque mihi persuadeo hunc Rogerium suprà nominati Roberti filium fuisse. Eum multos habuisse liberos inuenio, in iísque Hellinum, Gossuinum, Rogerum, ac Robertum claruisse. De his enim omnibus aliquid historiæ suppeditant.

Hellinus patri suo successit Flandriæque Dapifer factus est, quo titulo frequenter litteris Flandriæ Comitis Philippi Elsatij subsignare cernitur. HELLINVS. Annò Christi 1169. in Franciam eidem principi Comes iuit, vt cum Francis aduersus Anglos bellum gereret. Verùm illic cùm Franci Cæsaroburgum ad mare situm oppidum ex Anglis D vi cepissent, ab hostibus oppressus, captúsque est. Eius rei sic meminit Robertus de Monte in supplemento Chronici. *Rex Francorum veniens latenter ad quoddam municipium Normanniæ cognominatum Chesuebrut, illud combussit, & quatuor milites in eo cepit. Quo comperto rex Angliæ illum insecutus est, multos cepit nobiles, inter quos etiam Seneschallus Philippi Flandrensium Comitis aduncatus est.* Cui partim subscribit, partim refragatur Iacobus Meierus, dum inquit: *Et Franci alia ex parte Cæsaroburgum oppidum maritimum capiunt, diripiunt, incendunt, vbi à superuenientibus Anglis Seneschallum Flandriæ cum Francis multis Robertus Abbas captum refert. Sunt qui ab ipso Comite Flandriæ Philippo Cæsaroburgum captum putent, eúmque in Franciæ regis fuisse partibus, quamuis iterum ab Anglo staret.* Lib. 6. Exorto posteà graui bello Francos inter Flandrósque, pertractis in Franciam copiis Philippus Flandriæ Comes Hellinum Crispiaci posuit, vt An. 1181. inde Francos infestaret vehementer. Quàm is fortiter ac prudenter imposito sibi munere fuerit perfunctus, longa prosequitur oratione Iacobus Guisianus in Han-

noniæ

Lib. 6. noniæ Annalibus, itáque breuiter memorat Iacobus Meierus: *Philippus autem rex conscripto ad finem Nouembris exercitu ex Syluanecto Valesium inuadere tentauit: sed obstitit Hellinus Flandriæ Seneschallus, qui ex Crispiaco omnem circumiectam regionem igni ferróque fecit infestam. Castrum Martini capto Alberico loci Comite diripuit, atque incendit, excurrénsque adusque in agrum Parisiorum grandem inde prædam abegit &c.* De ipso Lib. 2. Philip. prorsus Hellino sunt intelligenda, quæ versibus his cecinit Guilelmus Aremoricus: A

Deuastans igitur à dextris atque sinistris
Omnia trans Isaram pernicibus aduolat alis.
Non cessat populos populari, ducere prædas,
Incinerare domos, in vincula trudere captos,
Syluanectensem donec peruenit ad vrbem.
Quamquam non potuit subitò penetrare sub ictu
Defensam muris, & gentibus. omne quod extra
Muros inuentum est, perimit, capit, extrahit, vrit, B
Vt pars non maneat illæsa diocesis vlla.
Domni Martini Comitem nil tale timentem
Cuius erat nomen Comes Albericus, ab ipsa,
Dum prandet, mensa leuat, ac ita terret, vt acto
Postico fugiens vix se subduxerit illis,
Nobile castellum rebus spoliatur opimis,
Totáque planities, quæ castro subiacet illi,
Tam speciosa bonis, tam diues, tam populosa,
Flandrorum libitu ferro vastatur & igni.
Nil ait, est factum, nisi Flandro milite portas C
Parisius frango. ——

Quarto pòst anno aduersus Hannoniæ Comitem Godefrido Louaniensium Comiti missum auxilio Hellinum deprehendo apud Iacobum Guisianum, & Iacobum Meierum; vario tamen successu. Cùm enim vterque Lembecam cepissent, ignique corrupissent, inuasit eos, & propè oppressit Hannonius. En verba Iacobi Meieri ex Guisiano rem describentis. *Eò celeriter Iacobum Aueniensem Philippus misit, qui ab Balduino inducias Louaniensi etiam atque etiam peteret; quas Flandrus postquàm non impetrasset, Hellinum Variniacensem cum trecentis equitibus Louaniensi misit auxilio, quo accepto Louaniensis virium incremento, mox Lembecam, quæ Hannoniensis erat partium, incendit, manúsque cum Hannoniensi fortiter conseruit. Rogerius Laudunensium episcopus, cum Reginaldo fratre, Manasserius Rascellanus, Godofredus Viennensis, cum fratre Lodomaro, Rodulphúsque Cociacensis ab Hannoniensi stabant. ex Hannonijs octoginta, ex Brabantis autem & Flandris trecentos hic desideratos referunt equites.* Ad bellum denique D sacrum in Palæstinam profectum fuisse Hellinum nostrates docent historiæ. Id breuiter litteris consignauit Aquicinctini scriptor Auctarij: *Porrò nostri milites Iacobus scilicet de Auesnis, Hellinus Dapifer, & multi alij diuersæ dignitatis & ordinis per Apuliam incedentes mare transeunt.* In Ptolemaidis obsidione post multa fortitudinis bellicæ facinora, & tolerata morborum famísque incommoda mortem obiuisse, ex eodem doceor: *Multi tam principes, quàm episcopi, & innumerabilis multitudo vulgi, qui vrbem Acon obsidebant, mortui sunt tam propria morte, quàm Saracenorum telis, Balduinus Archiepiscopus Cantuariensis, Rogerus Cameracensis episcopus, Fredericus Dux Sueuorum, Theobaldus Comes Blesensis, & Stephanus frater eius, Hellinus quoque Dapifer Flandrēsis.* Lib. 6. Peste absumptum asserit Iacobus Meierus: *Periere eadem lue Hillinus Variniacus &c.*

An. 1189 · An. 1191

Gossvinvs. E Fratribus Hellini Gossuinus etiam belli artibus inclaruit: ideóque postquam commisso in Flandria homicidio, cùm ad pœnas quæritur, solum vertere coactus fuit, apud Comitem Hanoniæ insignem nactus est gratiam. Id primùm stylo pro- An. 1185

secutus

A ...tus in Annalibus Hannoniæ est Iacobus Guisianus, ac subinde Iacobus Meierus *Lib. 6.*
An. 118... in Annalibus Flandriæ, cuius hîc locum repræsento: *Inter hæc Gossuinus frater Hellini Flandriæ Seneschalli, ob cædem inter aulicos factam ad Hannoniensem transfugit, quem perbenigne Balduinus accepit ac coluit: illique Adam cognatam suam Eustathij Rodiensis filiam cum ampla dote vxorem sociauit: quæ nupta fuerat anteà Nicolao Cobertiensi.*

Ab eadem laude militari magnum sibi nomen comparauit horum frater Robertus. ROBERTVS. In orientem militiæ sacræ causa cum Hellino fratre iter suscepisse manifestum est; éque castris Aconensibus ab rege Francorum Augusto vnà cum Petro Mainilio in Flandriam remissum, vt Flandros ipsi conciliaret, quorum terris totus inhiabat. Apud Iacobum Guisianum ista fusè memorantur, ex quo hæc breuiter Iacobus *Lib. 11. c. 91.* Meierus: *Lib. 7.* *Enimuerò Guilelmus Pontifex Remorum Philippi regis nomine omnem ad se conabatur trahere Flandriam, ac Ludouicum stirpem regiam in possessionem eius introducere, cuius rei gratia Robertum Variniacensem Hellini in Syria defuncti fratrem, & Petrum Manilium cum præpotenti equitatu raptim præmisit, si qua forte oppida præoccupare possent,* B *Margaretámque & Balduinum eius maritum ab ingressu atque inauguratione arcere.* Sic tamen hæc intelligenda sentias, vt duos illos Philippus rex prius in Franciam ex Oriente miserit, & cum intra fines Franciæ peruenissent, socios Guilelmus iis adiunxerit, & cum mandatis mox ipsos in Flandriam descendere iusserit. Etenim ex Guisiano testatissimum video Gillebertum Montensem Præpositum, qui Balduini Hannoniæ Comitis negotia apud Cæsarem promoturus iam Alpes superauerat, horum ab Syria in Italiam aduentu certos de Philippi Comitis Flandriæ obitu nuncios accepisse, indéque subitò ad Balduinum egisse retro viam in Hannoniam, Petrúmque ac Robertum celerrimo reditu præuertisse. Exactis posteà tribus annis, exortóque Namurcensi bello Flandris præfectus est Robertus, vt cum iis hostem adoriretur Balduini Flandriarum Comitis nomine, quem sibi anteà conciliauerat; eique principi vtilis fuit eius opera, cùm feliciter aduersus Namurcensem Comitem ferro dimicatum est. An. 1194. Id paucis Meierus verbis ita perstrinxit: *Ea pugna Balduinus Balduini Principis filius, Nicolaus Ruminianus, ac Robertus Variniacus magister militum Flandriæ* C *præcipuam tulere laudem.* Vbi per Magistrum Flandriæ militum, vereor, vt possimus Dapiferum vel Seneschallum, vt quidam faciunt, intelligere. Nam, vt posteà videbimus, eo tempore Rogerus ea dignitate potiebatur, filiúmque successorem habuit Hellinum.

Ad Rogerum verò, qui fuit iam laudatorum frater, quod pertinet, anno Domini ROGERVS. 1178. Episcopum Cameracensem ex Archidiacono eiusdem ecclesiæ factum comperio. Testis in primis huius rei Aquicinctinum Chronici Auctarium: *Rogerus Cameracensis Archidiaconus dono ab Imperatore Frederico accepto, ipsius vrbis donatur Episcopo.* Apud Iacobum Guisianum deprehendi, Alardo Cameracensium pontifice vita *Lib. 17. c. 5.* defuncto, grauem de successore motam Cameraci controuersiam. Hugonem enim Oisiacum, qui Castellanus erat Cameracensis, nihil reliqui fecisse, vt fratrem suum Ecclesiæ Cameracensis Archidiaconum ad infulas promoueret. contrà nisum Hannoniæ Comitem, vt alter eo pontificatu ornaretur. Inter eas concertationes apud D Hannonium ita Rogerum nostrum gratiam promeritum, vt eius commendatione ab Frederico pedum impetrauerit. *Guilel. Gaz. in hist. eccl. Belg.* Pontificiis Romæ decoribus indutum, sacróque imbutum oleo tradunt à Guilelmo Remorum Archiepiscopo & S. Sabinæ Cardinale. ab Italia reuersum quod Cameracesij castrum Flandriæ Comes emerat, possidebatque, repræsentata pecunia veteri Episcopatus dominio rursus adiecisse: Ioanni Cantipratanum cœnobium molienti non voluntate tantùm & consensu, verùm etiam opera, & opibus adfuisse, ibíque tum Canonicos regulares, tum virgines sacras diuersis in sedibus collocasse: exorta cum subdito sibi populo contentione, sacrum iter in Syriam aggressum: illic peste cum aliis plerisque Episcopis, & nobilibus Belgis [illegible] morte correptum anno Christi supra millesimum & centesimum primo & nonagesimo. Aquicinctinum Chronici Auctarium circa mortem eius Guilelmum Gazæum duplicis arguit erroris. Vult enim Gazæus anno 1190. priuatum vita Rogerum, quando iam iter è Syria in patriam remetiebatur. Ex aduerso scribit

Auctarium

Auctarium (cuius auctor tunc viuebat) ad Christi annum post millesimum & centesimum primum ac nonagesimum; *Multi tam principes, quàm Episcopi, & innumerabilis multitudo vulgi, qui vrbem Acon obsidebant, mortui sunt, tam propria morte, quàm Saracenorum telis, Balduinus Archiepiscopus Cantuariensis, Rogerus Cameracensis Episcopus.* Et quoad locum huic subscribit Iacobus Guisianus, dum memorat in partibus vltra-marinis sublatum è viuis, cùm recuperando Saluatoris nostri sepulchro laborem impenderet. A

Lib. 17. c. 5.

ROGERVS.

Ex illustribus Waurinianæ familiæ viris iam numeratis natum arbitror alterum Rogerum Hellino parente, idcóque & Waurinij & Lilerij dominum, ac Flandriæ Dapiferum factum. Is etenim cùm anno 1193. mancipia quædam suis litteris in libertatem asserit, hunc in modum orditur; *Ego R. de Waurin, dominus Lilerij, & Seneschallus Flandriæ.* Et deinde Gossuinum, cuius iam meminimus, suum appellat patruum: eiúsque coniux Sibylla, dum litteras scribit anno 1225. sese Dominam Waurinij nuncupat. Quod verò ad concessam ab eo mancipijs libertatem spectat, ipsum diploma, quo ea seruitute exuit, posteà totum proferemus, vbi de mancipijs Gallo-flandriæ sermo instituetur. Ceterùm in Laudense Monasterium hunc quoque cum vxore Sibylla, & filio Hellino beneficum fuisse, suis Laudenses tabulis consignauere. Sunt qui tradant, hunc Hellinum bello pacéque perinsignem virum fuisse; Waurinij Baronem, Flandriæ Seneschallum, Margaretæ Flandriarum principis cognatum nuncupent; captúmque à Francis velint eo prælio, quo Ferrandus Comes ab iísdem victus est, & in vinculis abductus. Apud Iacobum Meierum libro Annalium decimo de eodem hæc habentur post dictæ pugnæ mentionem: *Hellinus Varinicus Flandriæ Seneschallus, vt vocant, eo ipso die balteo donatus.* Qualem autem is eo se prælio gesserit, ab eodem auctore accipe: *Hellinus Seneschallus Raso Gauerus, cum tribus filijs florentissimis adulescentibus &c. quanta virtute, quibus dexteris rem gesserint, quæque facinora fecerint, quis facilè scripserit?* B

HELLINVS. *Alex. Meuerin. in Collectan. vetust.*

Diu postmodum alij atque alij ex hac familia illustres viri tum dignitate, tum factis præclaris floruere, & apud Flandriæ Comites gratiam obtinuerunt: quia tamen præter nomina ferè nihil aliud monumenta & historiæ subministrant, de his quidquam proferre supersedeo: tantúmque id moneo in Lalainiam domum Waurinij possessionem transmigrasse; idcóque nunc per vxorem Berlaymontij Comitem, qui Velleris aurei torque insignis Luxemburgensem ducatum gubernat, ea potiri. C

SANTÆ. Santes.

Ad eundem, fluuium Santæ consident. Ibi pascua pecori præbent paludes; arua lætam satis segetem. Diu nobiles è Lannoyana domo dynastas habuit hic pagus, ac in primis Hugonem, qui & primos inter aurei velleris equites adscitus fuit, & Gallo-flandriæ præfuit, vt tunc latius explicabimus, cùm Lannoynam familiam, & Gallo-flandriæ gubernatores laudabimus. Inest ei veteris arx operis, quam toparchæ quondam incoluere; quamquam ea minus eorum splendori respondeat. Nunc Comitis Annapiani peculium Santæ sunt.

Vrelenghehemum, & Arquinghehemum. D

CAPVT XXVIII.

VRELENGHEHEMVM. Vrelenghehem.



AD Vrelenghehemum diuerto, quod olim quidem oppidi iure donatum fuit, verum modò culpáne indigenarum, an iniuria, ea certè exutum est potestate. Stabat iam tum celeber Vrelenghehemi vicus, cùm S. Chrysolius anno circiter Christi trecentesimo ac tertio Martyrij palmam obtinuit. Hic enim ille ob fidei Christianæ hostibus grauiter tortus, cæsúsque sanguinem fudit. Id in eius Martyrio satis antiquo ita proditur: *Qui tandem prædicando, & populos quamplurimos ab erroribus suis conuertendo, ad locum vulgariter Vrelenghehem nuncupatum,*

In officio Canonic. Comminens.

A *ac Insulensi territorio situm, securus ac intrepidus peruenit, non veritus incredulæ gentis expetere feritatem. Vbi cùm peruenisset, & innumerabilia miracula faciendo sæpè dictum nomen Trinitatis verbo prædicasset, & cùm sanctitatem conditionémque suam fama celebrior Cæsaris auribus intimasset, extemplò militibus, satellitibus, & ministris missu Martyr beatus ex Cæsariano iussu tenetur, deridetur, conspuitur, flagellatur, & tandem pretiosa corona cum cerebro crudeliter amputatur. Mira res, magnóque miraculo dignissima. Nam postquàm beato Martyri corona cum pretioso cerebro ipsius ab hostili gladio amputata fuisset, & sparsa super terram cecidisset, ipsam cum cerebro Martyr Domini proprijs manibus collegit. Denique B. Martyr à loco in quo Martyrium sustinuit recedens, & coronam suam * cum cerebro vnà canola B. Petri superius nominata, ante pectus suum in manibus deferens vsque ad locum, qui nunc Comines nuncupatur, non dicitur restitisse.* Adhuc modo iuxta templum is fons scaturit, quem eidem sancto Martyri post abscissum verticem viam facienti & vehementer sitienti Deus repentè suppeditauit: multique remedium hausto eius latice febribus quærunt. Eius fontis mentionem faciunt in veteris Officij Lectionibus Canonici Lendienses: Illic enim hæc leguntur: *Amputato itaque [illegible]* B *antistitis vertice, diuina cœperunt clarere miracula. Nam è terra pulcherrimus erupit fons.* Neque verò ab solo Martyre & Pontifice Chrysolio huic vico accessit olim celebritas, & sanctitas. Etenim vt eorundem Canonicorum Lendiensium habet officium, *Cum eo & alij quamplures referuntur Martyrio coronati.* Ceterùm in hoc loco vitam hausit Iacobus Sixius, quem Laudensis Monasterij Asceteræ præsulem habuere multa virum in templo & alijs Cœnobij ædificiis molitione laudabilem. Ad Dynastiam quod attinet, eam Princeps Gauerensis Comésque Egmondanus obtinet patre natus Carolo, quem nuper aureo clarum vellere, & Comitatus Namurcensis præfectum è viuis mors abstulit.

* vna cum cerebro & cano. [illegible]

[illegible]

Arquinghehem sur lys.

ARQVINGHEHEMVM.

Iuxta Lisam porriguntur Arquinghehemum, Armenteria & Houplinia. Arquinghehemo pingue solum, pascua, idem amnis ad opes & voluptatem faciunt: ad decus templum turri & nobili ære campano insigne: ad securitatem impositum fluuio C castrum. Locus & opera hoc muniunt. Frustrà fuit cùm insessum à Francis obsideret quindecim dierum spatio Ferrandus Flandriæ Comes, magnis circumsepientibus eius copijs. Istud his notauit verbis Iacobus Meierus: *Quod vt primùm Ferdinandus cognouit, Insulam mouit, atque ad Lisam arcem Herkinghem nouo quotidiè ad eum confluente milite obsedit: quam post decimum quintum diem quum capere non posset, reliquit, & Insulam tentauit.* Sed paullò pòst idem irati regis Francorum Augusti graue sensit imperium. Eo námque iubente munitionibus nudatum, & in plana deiectum est. Ex Meiero id collegi, cùm subderet: *In Duacensibus firmum præsidium imposuit; munitissimam ad Herkenghem arcem nemine defendente diruit.* Iterum tamen posteà non minori tum elegantia, tum firmitudine surrexit, ac viris magnis iucundam tutámque præbuit sedem. E familia Comitum Flandriæ Guido Nothus ibi consedit, cuius filiam Aleidem Arquinghehemi & Richeburgi potentem Ioannes Luxemburgius Walerandi & Guyottæ filius, Lignij toparcha, & Insulensis Castellanus connubio sibi copulauit. Ibidem posteà commorati plerique Fiennatum è domo Luxembur- D gica Dynastæ, quibus etiam Arquinghehemi dominium obtigit. Ex his prætertim illic familiam magnificè & nobiliter aluere Theobaldus Ioannis iam nuncupati abnepos, qui coniugem è Melunia domo Philippam Ioannis Antonigij toparchæ filiam & Sottenghemi dominam duxerat, multáque grauis ætate Cenomanensem Episcopatum adeptus est: huius filius Iacobus, qui Gerardi Berlaymontij filiam, & Villæ in Hannonia heredem Mariam vxorem habuit, aureóque vellere claruit, vrbiúmque & arcium Insulensium, Duacensium, & Orchiacensium Capitaneus Generalis floruit, ac toti etiam Gallo-flandriæ fuit præfectus: itémque Iacobus alius his parentibus exortus, cui matrimonium insigne cum Margareta Brugia Gruuthuysæ Domini filia obtigit, & quem torque Velleris aurei nobilem Gallo-flandria Gubernatorem coluit; ac denique alius eiusdem nominis horum filius, qui per nuptias Helenæ Crouyacæ Comitis Portiennæ filiæ, & Ducis Arschottani sorori coniunctus primus Gaueræ Comes creatus est, factúsque Gallo-flandriæ præfectus inter aurei

Lib. 8.

Feruq[illegible].

GVIDO A FLANDRIA.

IOANNES LVXEMBVRGIVS.

THEOBALDVS.

IACOBVS.

IACOBVS.

IACOBVS.

Velleris equites illuxit. Hoc postremo absque liberis mortuo, soror eius Francisca huius loci possessionem inijt, & per matrimonium Ioanni Egmondæ Comiti colligata in domum Egmondanam eam transtulit: ideóque iam Princeps Gauerensis, & Comes Egmondanus eadem fruitur. A

Armenteria oppidum, & Houpplinia.

CAPVT XXIX.



RQVINGHEHEMO proximam tres ab Insula leucas Armenteriam oppidum terrei tantùm vallant aggeres, & tenui ambiunt aqua fossæ: opportunè tamen influit Lisa magnarum etiam illic nauium potens. De origine nondum quidquam compertum habeo. Quæ tradunt aliqui vulgi vocibus obsequentes de Melusinæ domicilio, & ducto ab ea in Luxemburgios dominio, fabulam sapiunt. Verius est, diu antequàm Luxemburgij Fiennis imperantes huius oppidi possessionem adirent, nobilissimæ cuidam familiæ Armenterianum nomen adhæsisse, quæ loco potiebatur: Eius caput olim Comitis Flandriæ domesticis semper præfuisse magni magistri nomine. Superest Phalempini diploma, quo Clementia eius familiæ matrona quædam ei monasterio largitur anno Christi 1220. Et Hellini Armenteriani ex ea gente equitis nomen adhuc ostentat eiusdem cœnobij Archiuum. Vidi etiam litteras Hellini Mauritanij Armenteriæ quondam reguli anno Domini 1219. conscriptas, vbi mentio Ioannis de Armentiers, eiúsque filij Leonini, eiusdem loci domini, ac militis, hoc est equitis aurati ingeritur. Apud Ægidium le Muisis in Chronico Abbatiæ S. Martini Tornacensis reperio, Hellinum Armenterianum anno post millesimum & ducentesimum nono & octogesimo magna Tornacum pompa iniisse, vt illius vrbis Aduocatus inauguraretur; cúmque viuis ereptum anno 1302. in eo magistratu successorem habuisse Anselmum Aigremontium. Quod arbitratur Ioannes Baptista Grammayus in familiam Castellanorum Insulensium transcriptam Armenteriæ possessionem per contractas cum Rogerio Mariæ nuptias, nullo consistere modo potest. Ea quippe mulier absque liberis mortem oppetiit. Et si verum esset, quod traditum fuit à Clemente Sainghinio, Clementiam Hellini Armenteriensis toparchæ filiam cum dicto Rogerio matrimonium iniuisse: nihilo tamen plus per eam in domum Insulensem ea transire potuisset hereditas, cùm nullam etiam ea prolem susceperit. Vero fuerit similius Mathildem Arnulphi Mauritaniæ & Armenteriæ domini filiam inito cum Ioanne Insulensi Castellano nuptiarum vinculo, & progenitis ex eo quatuordecim liberis, in dotem secum Armenteriam traxisse; hanc posteà per matrimonium ad Luxemburgios deriuatam, indéque tandem nouis aliò nuptiis traductam. Etenim Walerandus Luxemburgius Lignij & Beaurenoitij toparcha per coniugium in manus venit Guyotæ Ioannis filiorum Ioannis & Mathildis primogeniti, ac Beatricis Claremontiæ vel Nigellanæ vnicæ prolis, quæ tum paternas, tum maternas secum marito traderet possessiones. Nihil tamen hîc affirmo. Superest Marketris in templo Parthenonis marmorea & sepulchralis tabula Ioannis à S. Venantio, qui millesimo & trecentesimo ac trigesimo tertio Christi anno vitam posuit: vbi primùm is Limonij, dein Armenteriæ ex parte dominus appellatur. Cùm flueret annus à Christo nato nonus & vigesimus supra millesimum & trecentesimum, tenui vallo fossaque cinctus erat hic locus, & portis quatuor distinctus, quarum hodie quædam superant argumenta. Inuictissimus Cæsar Carolus Quintus fines proferendi, & maiori circuitu aggerem fossasque ducendi veniam dedit anno supra millesimum nono & quingentesimo. Haud prius tamen id opus perfectum, quàm præteriti sæculi annus octogesimus inciperet. Olim castro muniebatur hoc oppidum, cui vir aliquis genere, bellóque clarus præficiebatur Castellani nomine: & quorum iudicio lites dirimeret, aut reorum crimina expenderet, pœnisue mulctaret, Pares ei duodecim aderant. Eius arcis loco nunc portus conspici-tur,

Marginalia: Armentiers. — B — NOBILIS ARMENTERIANORVM FAMILIA. — C — D — CASTRVM ARMENTERIANVM.

A tur, qua Lisa sinuosè permeat. Ceterùm elegantibus satis ædibus Armenteria celebratur, & frequenti populo. Præter Capuccinos, nullum hactenus virorum habuit Phrontisterium. Sub finem anni 1622. iacta sunt erigendæ Societatis Iesu domus fundamenta. A compluribus annis Leucopheræ D. Francisci Virgines hic consident. Pulchrum & commodum est harum monialium ædificium, ipsa verò disciplina famam obtinet. Huic adhæret xenodochium: apud Lisam Gerontocomium cernitur. Oppidani Senatus Curia insigni surgit ædificio, & pulchram supra turrim horariam pyramidem ostentat. Magnas opes ciuibus densorum pannorum textrinæ afferunt. Dici nequit, quanta vis eorum pertexatur, quos Estametas nominant. Qui quatricolores appellantur, plus laudis & pretij olim arcessebant vel ab Italia & Constantinopoli, cùm frequentissimi conficerentur. Multum etiam commodi & diuitiarum conciliat opportunus efferendis, inferendisue rebus Lisa fluuius, & bonus negotiatorum numerus. Binas quotannis nundinas ciues habent exponendis venum generis omnis mercibus, quarum priores in nonum diem Maii, posteriores in Iunii octauum & decimum incidunt.

Capucini.
Grisea sorores.
XENODOCHIUM.
GERONTOCOMIUM.
PANNI ARMENTERIANI.
NVNDINÆ.

B Olim commendabat hanc vrbeculam insignis Sodalitas S. Crucis. Theobaldus Luxemburgius Armenteriæ ac Fiennarum regulus (de quo antè memorauimus) quique sublata è viuis coniuge, in Cisterciensis ordinis Monasterium religionis ergô abdidit sese, ac postquam Ignyacensem & Visicampensem Abbatias præsul moderatus est, Cænomanensi præfuit Episcopatui, indéque Romam euocatus, vt Cardinalium cœtui adiungeretur, et iter è viuis abijt, auctor eius extitit; eáque religione magnum quotannis ciebat clarissimorum hominum in æde sacra conuentum. Id námque præsertim Sodalitium viris vel genere, vel dignitate conspicuis patebat: ideóque Principes, Episcopi, Abbates in illud adscribi vehementer optabant, statóque die aderant Crucem veneraturi, cùm sacra vrgerent ex præscriptis legibus comitia. Pietatem eius sectati sunt ex ordine tres eius in hoc dominio successores, filius, pronepos & abnepos, Iacobi omnes, quos in Atquinghehemo laudauimus.

SODALITAS S. CRVCIS.
THEOBALDVS LVXEMBVRGIVS.

C Horum postremi vidua Helena Crouyaca in huius oppidi templum, vbi mariti corpus terræ mandatum est, admodum fuit liberalis. Ei námque, quod viua frequentissimè coluerat, argenteum sacelli sui cimelium & pretiosum & multiplex, ornatus aræ varios, tapetes personis, arte, materia nobiles, ceris vltimis donauit excitanda maiori erga numen populi veneratione. Neque verò Armenteriæ paruo fuit ornamento Henricus Vicus apud Hannones loco nobili natus, & multa præditus tam rerum diuinarum, quàm vtriusque Iuris cognitione. Cùm enim hic aliquamdiu vitam traduxisset, ac in otio conscribendis operam libris dedisset, mortem denique catholico dignam homine oppetiit. En quæ Miræus de ipso in Elogiis Belgicis: ***De Sacramentis porrò laudantur & Henrici Vici Philosophi, ac Theologi insignis, quamquam coniugij curis districti Commentationes. In quo quidem viro ornando Virtus & Fortuna (si ita loqui licet) contendisse videntur. adeò quidquid boni vtraque habuit, in illum cumulatè congessit. Hæc námque generis nobilitatem, amplas opes, Osthouiæ & Warnauiæ in Flandria toparchias dedit: illa sanctissimos mores, perpetuum vitæ cursum integerrimè actum, eximium auitæ religionis tuendæ studium, & diuinam quandam animi indolem contulit. Vt illustri Vicorum familia non Italia solum, sed & Belgica nostra gloriari queat. Natus est autem Henricus*** CIↃ. IↃ. XXXVI. ***Valentianis in Hannonia. Philosophiæ ac Theologiæ operam dedit Louanij, Martino Rithouio, pòst Iprensium Antistite, praeunte: inde Duacum, Ioanne Vendullio I. V. Doctore, pòst Neruiorum Præsule, ad nouam Academiam deducente, se contulit, ibique primos inter Iuris prudentiæ laurea donatus est. Obijt autem Armenteriæ in Flandria*** CIↃ. IↃ. XCVI. ***inde Nipkercam auectus, & apud maiores honesto tumulo collocatus.***

HELENA CROIYACA.
HENRICVS VICVS.

D Et præclarum sanè lumen Armenterianis Franciscus Moschus varia protulit doctrina, & multiplici dono linguarum, quamdiu apud eos eloquentissimum egit Curionem. Ornabant eum magna Iuris scientia, diuinæ doctrinæ thesaurus, insigne versus tum Græcos, tum Latinos pangendi artificium; mira è sacro pulpito vis dicendi, iucunda morum suauitas. Placet hic aliquos Frederici Iamotij versus apponere, quibus hæc in eo dilaudat verissimè. Ac primùm hæc eius de ipso Parodia.

FRANCISCVS MOSCHVS.

Dulce canit Moschus, prædixit carmine quondam
Fatidico musæ fistula Sicelidos.
Dulce canit Moschus Siculas ad fluminis vndas,
Flos vatum, agresti carmina læta sono.
Dulce canit Moschus fœlicis nuntius æui
Cælicolum, medica clarus & ille manu.
Dulce canit Moschus, nunc finibus Atrebatæis
Exponens summi iussa verenda Patris.
Dulce canit Moschus, nunc finibus Atrebatæis
Æquiparans vario carmine Lusciniam.
Perge diu felix, musis dilecte iuuence,
Dulcis aquæ viuo fonte leuare sitim.
Perge diu felix, Sophiæ sacra pascua tondens;
Talibus exultim ludere versiculis.

In alio quodam scripto ad ipsum eligidio ita laudat:

Nota fides & firma viri constantia, notum
Ingenium rerum cognitione sagax:
Notus & hiberno torrentior eloquij fons
Flumine, qui præceps feruido ab ore ruit,
Seu libeat spissæ moderari fræna coronæ,
Seu dulces fœtus promere Castalidum.

Quæ protulit in lucem tum versibus illigata, tum soluta oratione, manibus doctorum virorum varia teruntur opuscula. Ex hoc autem oppido in vitam qui prodierint patriam natalibus, aliósque terræ tractus scientia ornaturi, duos hîc memorandos arbitror. Eorum vnus est Philippus Montanus doctoralem Theologiæ lauream adeptus: qui tribus Armenterianis doctrina Duaci imbuendis in perpetuum census constituit. Alterum eius nepotem Christophorum Montanum vocauere, quem apud Austriacos Vienna D. Stephani Canonicum vidit; Ferdinandus Imperator suis præfecit eleemosinis; Rodulphus adhuc iuuenis præceptorem habuit.

PHILIPPVS MONTANVS.

CHRISTOPHORVS MONTANVS.

QVÆ CLADES ARMENTERIAM AFFECERINT.

Ioan. Froiss. to. 1. c. 47. Iac. Meier. l. 12. Robert. Gaguin. lib. 8.

Verùm ab incendio, bellísque non modicæ clades Armenteriam variis afflixere temporibus. A bellorum iniuriis hæc profecta. Dum viueret Flandriæ Comes Ludouicus Niuernensis, cúmque bello Flandri grauiter persequerentur, anno 1339. Genuenses pro Comite stipendia Franciæ merentes Armenteriam insidebant, ac frequentes in Flandros excursiones faciebant. Cùm id permolestè Flandri tolerarent; iámque Comes Sarisberiensis vnà cum Iprensibus & Franconatibus ad iter se Tornacum profecturus accingeret: eum multis precibus impulere, vt per viam Genuenses Armenteria depelleret. Votis eorum Sarisberius fecit satis. & quamuis initio vnà cum Armenterianis fortiter sese defenderent Genuenses, captum tamen denique est oppidum his in fugam coniectis, auersáque omni præda, igni corruptum. Ludouico Maleano Flandrorum principe regem Franciæ Carolum Sextum aduersus Flandros rebellantes in bellum pertrahente anno 1382. cùm Franci totum Lisæ fluminis tractum deprædarentur, etiam communi clade Armenteria plurimum pertulit damni. Et cùm Franciæ Delphinus has in partes belli furorem circumferret, non exiguam Picardorum manum in Gallo-flandriam emisit, qui non multo labore Armenteriam subegere, ac non modica potiti præda incendio cremauere domos. Sunt qui velint ad Christi annum 1477. Franciæ regem Ludouicum Armenteriam venisse: ac postquàm in ea oppidi parte, quam Flandriæ Pontem appellant, adhibito pani butyro ientasset, ædibus flammas iniici iussisse, vnde totum arserit oppidum.

Iacob. Meier. lib. 13.

Pont. Heuter.

Sed non minus damni peperere fortuitis vehementes ignibus flammę. Dum labe-

retur

A retur annus 1420. tali infortunio penè omnes domus absumptæ sunt, quòd stipulis culmísque tecta constarent. Rursúsque anno fermè 1467. multa pars ædium in cineres redacta est. Sed nobilissimi huius loci flammis fuere anni 1518. & 1589. Tunc enim non modò ferè omnes igne fortuito ędes arserentverum etiam quidam seruatorum diuinitus ædificiorum præclara sensere beneficia. Illo námque tempore ciuis vnus animaduertens domum suam non posse humanitus à flammis præseruari, cereum sacris verbis expiatum accendit, eóque domi ardente relicto cum vxore ad D. Iacobum in Galleciam profectus est repentè. Et cui di fuisse Deo hanc religionem ab flammis intactæ reducibus ædes patefecere. Aliàs verò cum suam carpi domum igni animaduerteret Nicolaus Forceuillius, vix eam vsui pauperum addixit, cùm illicò vidit aliò incendium vi diuina conuerti.

At bonis omnibus visa grauior illa clades, qua in res sacras vehementer hic grassati fuerunt anno 1566. aliunde profecti quidam hæretici, quos non minùs quàm tela & tudites, furor armauerat. A best Armenteria paullò minus mille passibus Houpplinia. Lisæ assidet dextrorsum. Veteris operis arcem habet. ob flumen pascuis abundat.
B Eius casei plurimùm commendantur. Texendis ibi pannis nonnulli operam nauant.

Bassea oppidum.

CAPVT XXX.

La Basseé. AD fines Arthesiæ consistit oppidum Bassea. Ab Insulana vrbe vltra quatuor leucas hoc recedit. Eius vetustatem multi iactant. Plinij Secundi, qui rerum Naturalium historiam scripsit, temporibus stetisse, nonnullis placet: eámque Bassis in Secunda Belgica numeratis sedem præbuisse. De tanta oppidi antiquitate verúmne dixerint, non ambigo: cùm satis constet vetustissimum esse. Vtrùm ex Plinio id colligi possit, equidem dubitare pronum est. Nam passim eo loco excusa
C Secundi historia inter Belgas non Bassos, sed Hassos, & interdum Vassos nominat. contrà Venetum exemplar Bassos repræsentat, itaque Meierus alicubi legit, cuius hęc verba: *Basseiam puto à Bassis mansisse, quos in hac parte locat Plinius. Nec refert in nonnullis exemplaribus scribi Vassi.* cuius interpretationem minimè reiicit Abrahamus Ortelius. Apud Ptolomeum neque Bassorum, neque Vassorum aut Hessorum vlla in hoc tractu mentio. Igitur certum indè nihil constitui posse arbitror. Ceterùm fossis aqua tumentibus & aggeribus terreis Bassea cingitur: ac murorum partes tantùm ostentat, quibus olim muniebatur, priusquam Caroli Quinti Cęsaris, aut veriùs Maximiliani Romanorum Regis temporibus, iis vt nudaretur, imperatum fuit. Nihil spectabile continet præter cœnobium adstrictarum D. Francisci regulis virginum satis elegans, adiunctum ei Xenodochium, & insigni altitudine templum. Gens tota lanæ linóque nauat. Quondam panni densioris multum hîc conficiebatur opibus comparandis, éique suus opificio magistratus aderat, qui perspiceret diligenter, vitióne panni essent contexti, vrbísque signum legitimè confectis apponeret. Quotannis trium die-
D rum nundinis fruitur Bassea, ipso S. Lucæ peruigilio ad campanæ sonitum inchoantibus; statúmque diem singulis hebdomadis liberæ rerum omnium venditioni, em-
An. 1271. ptioníque concessum habet. Inde canalem opere magno Ioannes Insulensis Castellanus effodit, qui iuxta Berclausium Benedictini Ordinis Præpositurâ nobilem pagum Deullæ iungitur, vt inferantur efferanturúe merces multo ciuium commodo.

BASSEA. Lib. 10. Annal. Litt. Ioann.

Inter eos, qui Basseæ vitam hausere, antistites aliquot numerantur. Eorum vni nuper vita functo nomen erat Ioanni de Looz, quem Chocquense monasterium multos annos inculpatæ vitæ præsulem habuit. Tres etiamnum superstites clarent. Horum primus D. Ioannes de Meer, qui nobilissimo Benedictini nominis cœnobio Aquicinctensi præfectus est. S. Augustini Regulares Canonicos regit D. Robertus Malbranc in Henniacensi Asceterio. Norbertinos in Viconiensi monasterio Religiosos D. Natalis Quarré moderatur.

ABBATES NATI BASSEA.

VIRI DOCTI INDIDEM PROFECTI.

Ex eiusdem oppidi Balletia domo his quoque temporibus fratres duo patriæ laudem doctrina pariunt. Eorum Franciscus ob insignem Iuris cognitionem (cui non vulgarem Græcæ Latinæque eruditionis vim adiunxit) inter regios Mechliniensis Curiæ Senatores considet: Ioannes ob philosophicas disciplinas, quibus annos plurimos Duaci iuuentutem imbuit, magnum assecutus est nomen. A

QVÆ PASSA SIT BASSEA.

Iac. Meier. l. 10

Ad clades verò quod attinet, trium olim annorum spatio, & graue periculum adiit, & binis hoc oppidum grandibus malis oppressum gemuit. Quippe anno 1302. cum templum eius Flandri validè aduersus Francos muniuissent, insidentes Lendium Galliæ regis milites id ægrè admodum propter viciniam tolerauere. Ergo tum vt præsidium eo de loco exigerent, tum vt ipsi munitionem in plana deiicerent; Ducibus Lietberto Bellofromontio, Huberto à Bello-ioco, & toparcha Valli-colorio huc intendunt. Verùm opportunè obuiam eis Flandrorum manus occurrit, qui & hos propè ad internecionem deleuerunt, & periculum à Bassea fortiter auertere. At enim anno proximè insecuto cùm Franci hoc oppido potirentur, id agmen Flandrorum, quod vrbem Morinorum Taruannam, & Liberiam diripuerat, facta in hoc municipium impressione suam in potestatem vi redegit, ac seposita præda incendio cremauit. Et non multis interiectis mensibus, postquàm rursus Franci Basseam munitionibus firmauerant, ad præsidium illic consedere. Flandris tamen audaciam præbuit Gallicarum copiarum in Attrebates à Ponte Wendinio discessus, eam circumueniendi, & obsessos ad deditionem cogendi. Igitur salua dumtaxat vita cùm præsidio ad Francos abeundi potestatem fecissent, rursum patuit prædæ oppidum. Abhinc aliquot curriculis annorum fortuitus ignis pleramque domorum partem absumpsit, eóque incendio Senatorum Curia, & monumenta oppidi periere. Ad Insulenses Castellanos diu spectauit Bassea. Præterito sæculo per emptionem Anna Palantia Glajonæ reguli è nobilissima Stauelensi familia exorti, & aureo vellere decorati vidua sibi subiecit, extremisque tabulis Philippo nepoti suo, & Furnensis Vicecomitis filio reliquit.

(Iac. Meier. l. 10. — B — An. 1304.)

C

Cetera VVepesensis agri loca.

CAPVT XXXI.

HERLYA. — Herlyes.

A Bassea non multum abest Herlya. Comitatus dignitas eum pagum ab aliquot sæculis exornat. A Ioanne Luxemburgio Walerandi & Guyotæ Insulensium Castellanorum filio eo titulo decoratum video iis in tabulis, quæ testamentum eius anno 1360. scriptum complectebantur. Eo nunc floret Comitatu, quem antè Basseæ dynastam nominauimus, eiusdem Annæ Palantiæ dono.

ILLIA. — Illies. D

In hac etiam regiuncula numeratur Illia. Hic præterito sæculo vitam iniit Petrus Carpentierus, qui trigesimus Antistes Abbatiæ Laudensi præfuit. Laudatum in eo fuit insigne studium religionis, animíque demissi, & laudes gloriámque aspernantis præclarum exemplar.

HANTAYVM. — Hantay.

In eodem quoque tractu conspiciuntur Hantayum & Marquillia. Hantayo id peculiare, vt eius incolæ diuturnam agitent vitam, ac plerique centesimum ducant annum.

MARQVILLIA. — Marquillies.

Lib. 8.

Marquilliæ decori est castrum; & vetus olim familiæ nobilitas eandem ornauit. Ex hac Ferrandi Comitis Flandriæ temporibus Daniel floruit, cuius mentionem Iacobus Meierus facit, dum Cortracum à Ludouico Philippi Augusti filio inuasum, captúmque, ac direptum memorat, his verbis: *At ille exspectandum eius aduentum minimè existimauit: sed captis Daniele Markeliensi, ac Philippo Wostinio, quibus demandata fuerat oppidi custodia, ocyus cum præda Insulam recurrit.* Vnde non dubiè corrigendus est Gallicus auctor Chroniei Flandriæ, qui cognomentum de Malines Danieli malè

attri-

A attribuit. Num ex hac prodierit familia Henricus de Marqueillies olim Siclinienſium Canonicorum Decanus, incertum habeo. De ipſo grauiter iidem queſti ſunt Canonici, cum is anno 1297. poſt ſubactam à Pulchro Franciæ Rege Gallo-flandriam, ad Flandros cum Capituli ſigillo transfugiſſet. Hæc ea de re Ioannis Tornacenſium Epiſcopi verba: *Aſſeruerunt etiam* (Canonici Siclinienſes) *ſe antiquum ſuum ſigillum, diu eſt; reuocaſſe penitus & expreſſè, & omnem eius efficaciam. Quod ſigillum Henricus dictus de Marqueillies, qui ſe gerit pro Decano Eccleſiæ prælibatæ, ad hoſtes Regis, & Regni Franciæ, ſub cuius dominio & poteſtate prædicta Eccleſia, & eius bona conſiſtunt, confugiens, ſecum præter aſſenſum dicti Capituli aſportauit, & adhuc detinet, prout dicti Canonici aſſerebant &c.* (In breui.)

(Beaucamp. Radinghehem. — BELLOCAMPVS. RADINGHEHEMVM.) Viſuntur etiam hic Bellocampus, ob ligneam S. Thomæ Cantuarienſis pateram à peregrinis peti ſolitus; dein Radinghehemum eiuſdem beati viri, ac S. Fiacrij cultu celebre.

(Fournes. — FOVRNÆ.) Herlyæ proximæ ſunt Fournæ. Olim Fornas crediderim vocatas. Etenim Rogerus Waurinius, de quo priùs mentionem fecimus, iis litteris, quibus mancipia donat B libertate, ita locum tempúſque ſubſcribit: *Actum apud Fornes anno Domini* M. C. XCIII. Et inter illos, qui tabulis iiſdem ſubſignant, *Hellinus de Fornes* numeratur. Huic loco D. Virgo Maria celebritatem inuehit illic in Curialis templi ſiniſtra parte iamdiu coli cœpta. (D. VIRGINIS STATVA.) Infantes vita functos priuſquàm ſacra tingerentur aqua, eò deferunt impetrandi vitam gratia. Et ferunt aliquos eo munere donatos obſequente poſtulantium votis Deipara matre. Senſit pagi huius ſacra ædes ſacrilegas manus hæreticorum anno præteriti ſæculi ſexageſimo ſexto, dum ij ab Flandria profecti ſacris rebus bellum indixere. Quæ plurimis illic tum ſanctiſſimæ Chriſti matris, tum aliorum cælitum Reliquiis erat inſignis, auróque & argento decôra, ingenti ſacrilegio impij homines thecam arripuere, omníque ornatu detracto, ſancta humi lipſana cum graui ludibrio ſparſere. Neque magis ab iis parcum fuit piis imaginibus templi. Solus eorum furorem eluſit in edito fixus in Crucem mundi Saluator. Cùm enim C craſſiſſimis æꝛearum nolarum, quas templi turris tres magni ponderis habet, funibus obductis magna vi eum in terram detrahere niterentur, illi omnes deſubitò in partes diſſiluere, impióſque labores fruſtrati ſunt.

(Roſimbos. Coupignie. — CASTRVM ROSIMBOSIVM. ARX COVPIGNIA.) In finibus pagi huius Roſimboſium caſtrum inſigni olim firmitudine, & obſidione cognitum; ipſa modò ferè collapſum vetuſtate; deinde Coupignium magnam partem nouo & eleganti ſtructum opere, cernuntur. Eam vtramque arcem non exiguus terræ tractus & inſignis dynaſtia laudabilem faciunt. Coupignia regulum agnoſcit Claudium Ongnyeſum è duobus regij per Belgium fiſci præfectis ſupremis alterum. (FAMILIA ROSIMBOSIA.) Ab Roſimboſia iamdiu traxit cognomen Roſimboſiorum familia, quæ multis rebus in hiſtoriis & veteribus monumentis claritatem adepta eſt. Magnum ſibi nomen conciliauit bellica virtute Parenciæ & Cauleriæ toparcha Petrus Roſimboſius, quem ſuæ Ioannes Burgundiæ Dux Hippocomiæ præfecerat. (*Epitaph. eius.* PETRVS ROSIMBOSIVS.) Cùm multos militiæ labores Principis ſui cauſa toleraſſet, eo prælio mortem oppetiit, quo Franci aduerſus Anglos infeliciſſimo propter Azincuriam manus conſeruere: qua etiam D pugna ferro peremptos inuenio magnum Roſimboſij regulum, eiúſque fratrem Ludouicum Bouſſyj toparcham. (*Monſtrel. to. 1. c. 148 Epitaph. Ioan. Roſimb.* ROSIMBOSII, REGVLVS,)

Quod epitaphium Petri ad parietem chori cernitur in S. Petri eccleſia Inſulæ, hunc in modum Gallicè loquitur:

Par grand deſir d'honneur acquerre
Alla chil Eſcuyer en guerre,
Et pour le Roy ſon droict Seigneur
Suffrit mainte paine & labeur.
Eſcuyer fut de treſ-grand loz,
Nommé Pierre de Roſimbos,
Larges, courtois, beaux, ſecrets,

Et de tous gens estoit aimés. A
En son temps tint la seigneurie
De la ville de Perenchies.
Et aussy de le Caulerie.
Escuyer fut de l'escurie
De hault, puissant, & redoubté
Le Duc Iean plain de bonté.
Et perdy empres Ruisseauuille
La vie en l'an I V c. mille
Et quinze si comme me remembre.
Vingt & cinquiesme iour de Nouembre.
Priez pour luy qui cy passez.
Et pour tous les autres trespassez. B

IOANNES ROSIMBOSIVS

Lib. 1. Chron. Lib. 16. Annal. Fland.

Non minori gloria Ioannes Rosimbosius Fourmellarum dominus militiam exercuit, pacémque domi coluit. Adfuit Burgundionum Duci Philippo, quem bonum cognominant, dum pugnam cum Delphinicis ad Vimiacum iniit. Sed ibi quantum initio laudis meruit, tantum posteà vituperij apud quosdam incurrit. Ex monstreleto sic vtrùmque memorat Iacobus Meierus: *Militare Ducis signum nondum explicatum, nec vlli attributum, sub pedibus inuentum. Erexit tamen illud vir nobilis Ioannes Rosimbosius, ad quod mox aliquot nobiles rati illic Ducem esse, relicto per errorem Philippo concurrebant, sed rex Armorum Flandriæ non minus quàm alij attonitus, negat se quidquam scire de Duce; existimare aut cæsum esse, aut fugatum, quamobrem territi & illi per Pinciniacum fugæ se mandant, quos insecuti Ioannes Rauletus, & Petrus Luxellus aliquot interficiunt, aliquot rapiunt, rati se certa potitos victoria.* Verùm quamuis eam nonnulli fugam aut timoris, aut fluxæ fidei suspectam habuerint: tamen apud Principem suum Ioannes aut veniam aut excusationem facilè obtinuit. Quippe aliquot ab eo tempore euolutis annorum curriculis, Idem Philippus eum Gallo-flandriæ Gubernatorem imposuit, quo in munere vitâ priuatus est anno 1479. vt eius habet epitaphium. C

ANTONIVS ROSIMBOSII TOPARCHA.

Epitaph. eius.

Et nomine virtutis militaris gratus exstitit Carolo Burgundiæ Duci Antonius Rosimbosij regulus. Vix vllum is Princeps bellum suscepit, quo non ipse præclaram ei operam dederit. Eam ob rem & nobilibus eum aulæ suæ speculatoribus præfecit Carolus, & Bethuniæ ac S. Quintini Gubernatorem ita constituit, vt etiam arcibus earum vrbium imperaret. Eius vitam morbus abrupit anno post millesimum, & quingentesimum tertio.

FRANCISCVS ROSIMBOSIVS.

Epitaph. eius.

Floruit posteà Franciscus Rosimbosius sacris dignitatibus, hísque consentaneis virtutibus. Eum Diui Petri Insulensis Canonici suum venerati sunt Præpositum; Cathedralis Ecclesia Tornacensis Thesaurarium habuit; Carolus Quintus Imperator, & Hispaniarum rex Philippus secundus oratorio suo præfecere. Cùm igitur horum gratia non mediocri polleret, multa cum iis, aut eorum causa Franciscus itinera suscepit. Præteriti sæculi annus octauus & quinquagesimus voluebatur, cùm vitam exuit Septembri mense. His temporibus Rosimbosij toparchia per vxorem ad Courrieriensem regulum ex nobilissima Ongnyesiorum familia productum pertinet. D

MAINILIVM. — Maisnil.

Quæ supersunt in eo tractu, præter alia, hæc alicuius sunt nominis, & vetustatem ostentant, Mainilium, Engeloum, & Lommum. Mainilij, vel Maisnilij (vtroque enim modo apud veteres scriptum video) antiquitatem aliqui arcessunt ab Itinerario Antonini, dum ab eo Nemetaci nomine indicari autumant: in quibus præsertim Iacobus Meierus. Induxisse potuit Blandinianum exemplar, vbi non modò Nemetacum, sed etiam Menetacum legitur: vnde procliuius fit Mainilium formare. Verùm itineris ratio minimè permittit Nemetacum ibi collocari. Cùm enim Taruannam inter & Cameracum eo in Itinerario Nemetacum constituatur, itérque fiat per Nemetacum vel Taruanna, vel Mineriaco viam Cameracum capessenti. deinde vix

tertio

A tertio lapide distet Insula Mainilium: quis credat huc tam sinuoso tramite diuertendum? Deinde idem Auctor cùm iter perscribit Taruanna Tornacum, etiam Nemetacum interserit, statuítque passuum millia viginti septem inter Nemetacum & Tornacum. & tamen alibi plus quàm semel asserit, Nemetacum haud amplius Cameraco distare, quàm passuum millia quatuordecim. Igitur cùm certò constet longè plus abesse Cameraco, quàm Tornaco Mainilium; vt alibi Nemetacum constituamus necesse est, quemadmodum anteà diximus, cùm de Nomaïno loqueremur. Habuit aliquandò viros insignes hic pagus. Vnum tantummodò hîc commemorabo. Cùm Philippus Elsatius Flandriæ Comes existeret, vixit apud eum Petrus Mainilius. eiúsque litteris quibusdam pro Phanopinensi Monasterio sigillum noménque apposuit: ísque omninò est, qui Principem eundem bello secutus in Syriam se transtulit. tantíque Franciæ rex Augustus eum fecit, vt Philippo Elsatio ad Ptolemaidem fatis absumpto, vnà cum Roberto Waurinio in Flandriam præmiserit, pertrahendis suam in potestatem eius Comitatus incolis, quemadmodum narrant Iacobus Guisianus & Iacobus Meierus, & nos suprà, cùm de Roberto Waurinio sermo esset, perscripsimus. Pugnauit posteà fortiter cum Ferrando Comite aduersus eundem Regem prælio Bouiniensi, & cum Principe suo in vinculis abductus & in Galliam, vt narrat idem Meierus.
B

Englos. Engeloum, vel Engloum, aut etiam Englosum ab olim illustrauit vetus Benedictini nominis Prioratus (qui nunc Tornacensi Societatis Iesu Collegio Ioanne Venduillio Tornacensi Episcopo procurante, & summo Pontifice annuente, est vnitus.) & Diui Cornelij cultus, frequentissimis eo mortalibus viam facientibus. In hoc vico claruit quondam Engeloensis familia, ex qua multi Prodierunt homines non minùs religione, quàm militaribus artibus & genere nobiles. Abbatia Laudensis duos inde Antistites habuit, Robertum & Hugonem. De Roberto legi, plurimùm eius operâ monasterij redditus auctos fuisse. De Hugone hi versus in eodem Cœnobio cernuntur: ENGELOVM. ROBERTVS D'ENGLO.

Lucidus hic Hugo, qui fertur origine d'Englo, HVGO D'ENGLO.
C
Vir liquidi sensus coarceruat in horrea census.

Constátque parentes eius in eiusdem loci monachos fuisse liberales. Inter militares viros emicuere Bernardus & Robertus, qui anno Domini 1344. Insulensibus litem Parisijs ob vindictam incendiariam intendêre frustrà, vt alibi latius explicatur. BERNARDVS. ROBERTVS. Lib. 3. c. 21.

L'homme Non multum inde L'hommum clementi solo assurgit Vlmam Balduinus Insulensis Flandriæ Comes nominat, cuius hæc verba è dotis Ecclesiæ S. Petri Insulensis diplomate: *In territorio Islensi, in Villa, quæ dicitur Vlma* Vlmum etiam vocari inuenio. Quippe Hugo de Vlmo Theodorici Elsatij etiam Comitis Flandriæ litteris subscripsit. Validam satis arcem habet, commodámque Isseghemij Comitis sedem. Ea trepidationem Insulensibus iniecit, cùm præterito sæculo hæretici ab Menenis profecti subito impetu corripuere. Verùm præter metum inde nihil grauius incubuit, eo loco de hoste protinus recepto. Ad huius pagi templum S. Itisbergæ cultus multos pertrahit peregrinos. In finibus eius Templariorum memoriam ingerit ea villa, cui hodiéque cognomentum Templi adhæret, quòd eorum fuerit olim peculium, vt nunc ad Melitensem ordinem pertinet. L'HOMMVM.
D

Lambersart. Paullùm inde abest Lambersatum, cui celebritatem inuehit S. Callisti veneratio, cuius gratia huc è varijs partibus fit concursus hominum. LAMBERSARTVM.

A

Transcaldia regio, & Comitatus.

CAPVT XXXII.

SCALDIM vltra porriguntur pagi octo satis nobiles: quia tamen ad institutum meum nihil sufficiunt, de ipsis censui tacendum, quamuis Transcaldianam Insulensis Castellaniæ regionem constituant: tantùm hîc moneo, Cauccaïnis, & Pottesæ, iis è locis non minimis, castella dynastis suppetere, ac Pottesam Baroniæ titulo insigniri. Comitatus nomine multa censentur cis eundem fluuium Gallo-flandriæ loca, quę sparsim dictis in regiunculis alibi alia iacent. Eorum quæ duxi hoc in libro memoranda, hæc præcipua, Lezennia, Templemartium, Boutilleria, Royera, Blandinium. Lezenniæ ac Templemartio tumentia terrę viscera opes faciunt effosso lapide albo, struendis ædificiis opportuno. Episcopo Tornacensi peculium Lezennia, postquàm is Franciæ regi omnem in vrbe Tornacensi potestatem cessit, vt anteà significauimus, cùm de Wazennis Esquelmiáque dictum est.

Cauctaine Pottes.

B

Lezenne.

LEZENNIA.

TEMPLEMARTIVM.

Temple-mars.

Primam adscribunt Templemartio inter Siclinium & Insulam posito, tractus huius vetustatem Annales Hannoniæ, quos Iacobus Guisianus composuit. Narrant enim diu antequam Iulius Cæsar copias huc inferret, ab Sacerdotibus Fani Martis (haud procul Valentianis & Bauaco id oppidum quondam fuit, cuius etiam, sicut & Comitatus Fammartensis inde nominati vitæ quædam Sanctorum mentionem faciunt) regis Bouacorum Taynardi furorem & sacrilegium timentibus (statuerat enim iniectis templo ignibus auream Martis statuam, & thesauros omnes diripere) huc delatam scilicet Martis statuam fuisse: hîc conditum mox templum regis Neruiorum venia, vbi ea poneretur. exin vndique fanum celebrandi causa plurimos hominum factos concursus. Hoc posteà templum iidem referunt Annales à propatruis Constantini magni funditus euersum, quo tempore hi bellum in Neruios rebellantes magnis copiis traxere. Quidquid ea de re fuerit, perseuerat hodiéque apud multos opinio ab eo Templo Martis inditum fuisse vico nomen. Omninóque certum videtur nobilem inde familiam, quæ fuit olim ei loco dominata, cognomen à Templo Martis induisse. Sanè litteris quibusdam Philippi Elsatij Flandriæ Comitis, & Rogerij Insulensis Castellani subscriptos video Robertos de Templo Martis, qui non vltimæ Gallo-flandros inter fuerint nobilitatis.

C

Lib. 7.

BOVTILLERIA.

Boutillerie.

Boutilleria insignis est vicus, Florbayensis in Laleuua ditione Parochiæ portio. A multo tempore sacellum habebat, vbi sacerdos annuo censu pollens certis diebus incolarum commodo sacra perageret mysteria. Nunc ingenti opere cogendis in cœtum Carthusianis consurgit illic monasterium, quod primum in Belgio nomen amplitudine, elegantia, censibus, Ascetarum numero sibi vendicabit, vbi suis fuerit absolutum numeris, Ioanne Wasseurio Insulensi fundatore.

ROYERA.

D

La Royere

Royeram non procul Dossemerea sitam vetera nobilitant bella, quæ præsertim Flandros inter Francósque arsere, dum his præesset Philippus Rex ex cognomento Pulcher. Ab hoc enim illic positos milites præsidiarios inuenio, qui frequenter multis Flandros incommodis, & cladibus affecerint.

BLANDINIVM.

Blandaing

Blandinio inter Tornacum Insulámque surgenti ac tantum ex parte Insulensi nomini obnoxio (pars enim alia Tornacensium finibus ascribitur) vetustas, & Episcoporum Tornacensium statio famam excient. Priusquam D. Eleutherius Tornacenses infulas capesseret, stabat is pagus iam tum ædificiis & populi frequentia celebris. Coacti solum mutare S. Eleutherij parentes, incessente omnia Tornaci Scaudiniensis Tribuni aduersus Christianos sæuientis metu, edictóque vrgente, ex eadem vrbe in tutum huc sese receperunt, vbi fundos villámque possidebant. Ac tum operâ & impensis partim horum, partim aliorum opulentorum hominum sacra ędes erecta. Neque multo pòst ibidem Theodorus Tornacensium Episcopus renuntiatus

est;

A est; ísque non alibi sedem posuit, quòd Tornaci, aliísque locis plena periculi essent omnia. Verùm vix tertium pontificatus annum exegerat, cùm vitam de cœlo tactus perdidit. Hæc à plerisque Tornacensibus auctoribus doceor. Primò námque vetus quoddam Tornacense Chronicon ità loquitur: *Fundata venerabili Ecclesia Tornacensi à B. Piato Martyre glorioso, fideles in Tornaco supradictis temporibus, & . . . . commorantes plurima passi sunt opprobria & contumelias propter nomen Domini omnia patienter tolerantes. Expulsi enim & exulati ab infidelibus, atque suis bonis temporalibus priuati, in loco qui nunc Blandinium appellatur conuenientes, ibidem Ecclesiam in honorem S. Petri Principis Apostolorum ædificauerunt, Domino famulantes. Et Theodorum primum Episcopum consecrari procurauerunt, qui paucis diebus euolutis, diuino percussus spiculo interijt.* His persimilia sunt, quę Vita S. Eleutherij ab Henrico Tornacensi Canonico per ecstasim accepta, & Tornacensibus proposita repræsentat; & paullo fusius explicat Guibertus Minorita in eo libro, quem de gestis eiusdem S. Eleutherij conscripsit. Cap. 5. Et si quæras, quod illud diuinum fuerit spiculum, Herimanus S. Martini Abbas

B Tornacensis protinus respondebit, *ictum tonitrui* fuisse quo propter superbiam fuerit interemptus. Ceterùm qui Theodoro sic absumpto in episcopalem succederet dignitatem, omnium votis postulatus est Blandinij Sanctus Eleutherius Sereni & Blandæ filius: ísque postquàm sacris decoribus fuit ornatus, annos hîc complures sese continuit, vt Christianis operam daret. Citatum anteà Chronicon Tornacense octo annos Blandinij degisse memorat. Ex eóque, & vita S. Eleutherij tum ab Henrico vulgata, tum à Guiberto composita didicimus Scaudiniensis Tribuni filiam ab eo pontifice mirabiliter ad Deum conuersam, & Blandinij sacro fuisse tinctam baptismo, & vitam feliciter posuisse: eámque ob rem ab ea denique nomen inditum Blandinio, cuius prius nomen ignoratur: quæ nos omnia in tomo de Sanctis Gallo-flandriæ latiùs repræsentabimus.

C

Lannoya, Haubourdinium, Raimbaucuria.

CAPVT XXXIII.

Lannoy. VAEDAM etiam intra fines Insulensis Castellaniæ loca visuntur, quorum pars numeratis regiunculis quadantenus accensa, pars etiam iis non subiacet, & quòd vel Imperij quibusdam iuribus sint obnoxia vel quoad iurisdictionem ab Imperialis Flandriæ Curia dependeant, olimque nobilibus viris Scaldim vltra in terris Imperij Lothariensis habitantibus parebant, Imperialium nomine comprehenduntur: & quòd vectigalibus minimè obstringerentur, libera dicta sunt Imperia: sempérque in fines eorum perfugientibus asylum præbuere; nisi criminis enormitas arceret. Tria præsertim, quorum mentionem facere libet, LANNOYA

D hîc eminēt, Lannoya, Haubourdinium & Raimbaucuria. Lannoya bis mille & quingentis passibus ab Insulensi vrbe distat Ortum versus. Alnetum frequentius vocat Iacobus Meierus, sicut imperantem olim ei familiam Alnetanam, tracto ab alnis arboribus, quibus is locus olim abundauerit, nomine. Et video Gallicos auctores nonnullos Launoy potiùs, quàm Lannoy scribere. Iam anno 1235. Hellinus de Alneto Ioannæ Flandrorum Principis priuilegium de creando Insulensi Senatu concedentis diplomati subscripserat. Ceterùm quadrangulari ferè forma muro & fossa cingitur; planóque iacet loco. Modicum valdè spatium complectitur, nulla illic ædium elegantia, paruæ incolentium opes. Viget tamen ibi textrina pannorum, quos trippas appellant. Exstantes hi holosericorum æmulatione villos habent, nunc vniformes, nunc variis floribus distinctos: sed neque splendor inest, neque pretium vt holosericis, cùm lino tantùm & lana constent; quamuis etiam conficere tales liceat, quibus villi sint serici splendidique. Gaudent quoque ciues duplicibus per annum

libertrimis

libertimis rerum omnium nundinis; quarum priores inchoantur secunda Maij dominica; posteriores Octobris decimo die; inque triduum vtræque producuntur; ac singulis hebdomadibus die Iouis publico mercatu. Tenue Cruciferorum habet cœnobium hoc oppidum. Igitur præcipuum decus ab arce accipit, & tot heroum, quos suo induit nomine, facinoribus claris & virtute. Ad meridiem medio ferè sinu castrum intra muros vrbis excipitur. Ad speciem & robur in eo nihil desideres: nihil ad loci opportunitatem. In quadrum latè patet, extrorsum prominentibus in Angulis quatuor turribus. Muri admodum densi, firmíque. conclauium & cubiculorum copia, & varietas magna. ingentes & aquis tumentes ambiunt fossæ. Adiacentem infernè aream, quà versus oppidum patet ingressus, multa etiam ornant ędificia, & in primis sacellum, vbi quinque sexue. sacerdotes olim diuinum peragebant officium quotidie; dein aquæ multum obit: vt tuta prorsus, & iucunda sit nobilibus viris ea sedes. Ioannes Lannoyus, qui vellere aureo fulgens Gallo-flandriæ præfuit, mortémque oppetiit anno Christi 1492. oppidum muro fossisque circumdedit, templum arcémque construxit, vt canit eius epitaphium carminibus Gallicis conscriptum.

A
B

E LANNOYANA FAMILIA VIRI INSIGNES.

Incredibile dictu est quot ea familia viros militari fortitudine, regendi prudentia, & plerisque alijs virtutibus claros protulerit, cui cognomen ab Lannoya inditum fuit. Neque vllam ferè aliam est in medium producere, cui plures aureo vellere conspicui Equites obtigerint. Ex his omnes, qui ad meam peruenerint notitiam, libet hoc loco recensere, & suis laudibus ornare: cúmque hîc ordinem tenebo, quem in adipiscendo equestri torque sortitos video.

HVGO.
Epitaph. eius Monstrelet. Oliuer. Marchan.

Igitur qui primus in nobilissimam & clarissimam Equitum eius militaris collegij seriem cooptari suis promeritus fuit virtutibus, Hugo Lannoyus Santensis toparcha exstitit. Religionem eius manifestant suscepta obitáque in Hispaniam ad S. Iacobi corpus in Italiam ad principum Apostolorum limina, in Palæstinam ad consecratos Christi sanguine tactúque locos, itinera; extremis vitæ annis exutus sponte aulicorum negotiorum, & publicæ rei curarum impedimentis, ac leuatus pondere officiorum animus; susceptum quotidie in ecclesia D. Petri Insulensis cælestia contemplandi, ac diuinas laudes, sacráque mysteria frequentandi studium; ad instaurandas in Francia, Belgióque templorum ruinas effusa nummorum liberalitas. Ardorem militaris animi testantur variis in regionibus consertæ cum hostibus manus. contra Turcos Tartarósque prima iniuit prælia. multum deinde laboris militaris in Francia sustinuit, dum præsertim cum Hellyaco toparcha subigendis Pictonibus operam dedit. Azincuriano sese prælio immiscuit; ibíque aduersam expertus militiam cum Philippo Lannoyo hostilibus fuit implicitus vinclis: feliciùs cum Duce Burgundionum Ioanne contra Leodios pugnam suscepit: in Hannonia, ad Pontem S. Clodoaldi, iuxta Syluanectum fortiter dimicauit: in Francia Hollandiáque obsidiones hostium generosè prudentérque sustinuit. His ergo rebus animaduersis eum multi Principes variis, iísque maximis muneribus, & officiis ornauere. In Gallia Pictonum factus est ab rege Capitaneus: ab eodem vrbis Pontargiensis gubernationem accepit: eiusdem voluntate Arcubalistariis Franciæ Magister præfuit. In Belgio Dux Burgundiæ consiliorum fecit suorum participem, & cubiculariis suis adiunxit: cùm primos Equites aureo donaret Brugis vellere, inter alios ipsum adsciuit: Gallo-flandriæ primùm, dein Zelandiæ, Hollandiæ, ac inferiori Frisiæ gubernatorem dedit. Ad reges Franciæ & Angliæ, aliósque magnos Principes Legatus magna feliciter negotia explicuit, multísque vicibus pacem inter eos composuit.

C
D
An. 1429.

GVILLEBERTVS.

Cum Hugone nuptialibus festis Philippi Burgundionum Ducis inter primos aurei velleris Equites renunciatus est Brugis Guillebertus Lannoyus Willeruallis & Tronchinij regulus.

BALDVINVS.
Iac. Meier. l. 16.

Eandem cum his adeptus est nobilissimi collegij dignitatem Balduinus Lannoyus cognomento Balbus, Molembaisij & Lannoyæ Dynasta. Insignem paullò antè laborem Cameracensi Episcopo impenderat, cùm is castrum Malæ domus obsidione premeret, exigendo inde Ioanne Blondello, qui furtim occupauerat, mul-

A tis que excursionibus prædas agebat. Eum Philippus cognomento Bonus Gallo-flandricis vrbibus post Hugonem præfecit.

Anno 1451. Quartus è Lannoyana domo aurei velleris Equitibus aggregatus est Ioannes, quem supra diximus vrbem arcémque Lannoyæ condidisse, vbi priùs eius nominis vicus exstiterat. Apud Bonum Burgundiæ Ducem plurima pollebat gratia. Huius voluntate in Hollandia, Zelandia, & Frisia vicariam priùs egit præfecturam: dein Gallo-flandriæ gubernaculis admotus est. Ambianenses eum Baillinum & Capitaneum habuere. Duorum millium florenorum annua pensione rex Franciæ sibi deuinxit. Ad varios Principes idem rex & Burgundus legauere. quam obiuit ad regem Angliæ nobilissima fuit legationum. tunc enim ab Franco Burgundoque potestatem acceperat cum eo Principe, iis, quas diceret, legibus pacem conficiendi. A Bono varia magnaque Lannoyani oppidi priuilegia obtinuit. Sua templum Lannoyanum & Lysanum pecunia construxit. Sed quoniam alta semper ventorum flatibus exponuntur, summáque frequentiùs petit inuidia: quorundam malis hominum B artibus in grauissimum Caroli Burgundi odium incurrit, penéque ab eodem est Lannoyæ oppressus. Emersit nihilominus posteà, vbi tempus eorum, quæ obiiciebantur, falsitatem nudauit, pristinúmque adeptus est gradum & gloriam. IOANNES. *Epitaph. eius.*

Anno 1481. in eundem adscriptus est ordinem Equitum aurei velleris Balduinus Lannoyus Molembaisij & Solræ toparcha. Apud Philippum Archiducem Austriæ non leuem nactus est auctoritatem. quippe consiliis & cubiculo eius adhibitus magnum aulæ magistrum egit, & Gallo-flandriam gubernauit. BALDVINVS. *Epitaph. eius* [illegible]

Anno 1491. Sextus in sodalitium aurei velleris venit Petrus Lannoyus Frenoij regulus. PETRVS.

Anno 1516. Ex eadem familia septimus torquem eiusdem militaris collegij promeruit Carolus Danzellæ dynasta. Propter fortitudinem & prudentiam militarem, Carolus Quintus Imperator regni Neapolitani proregem eum constituit: quo munere dum fungeretur, aduersus Francos in Italia bellum contra Cæsarem gerentes C insignem se præbuit; eámque retulit gloriam, vt fusis fugatisque Gallicarum partium copiis ad Ticinum in viuario, Franciscus rex Francorum eius se fidei captiuum tradiderit, quemadmodum Franciscus Guiccardinus latè memorat. CAROLVS.

Anno 1531. Ad Philippum Lannoyum Molembaisij, Solræ, Turquoinij potentem voluntate Caroli Quinti Cæsaris delatus est aurei velleris torques. Apud eundem Augustum ea flagrabat gratia, vt cubiculi participem sui fecerit, summum fisco suo præfectum imposuerit, in Aula Mariæ Hungarorum reginæ & Belgij Gubernatricis maximum statuerit magistrum. PHILIPPVS. *Epitaph.*

Anno 1546. In eiusdem nobilissimæ summorum Equitum sodalitatis album relatus est Philippus Lannoyus Sulmonensis in Italia princeps Caroli supra laudati filius, cui per vxorem cum Romanis Columnnis illustrissima intercessit necessitudo. PHILIPPVS.

Eodem anno in eundem Carolus Cæsar ordinem Ioannem Lannoyum Molembaisij regulum adscripsit. IOANNES.

D Anno 1559. A Philippo secundo Hispaniarum rege consors eiusdem sodalitij Equestris factus est Carolus Lannoyus Sulmonensium Princeps. CAROLVS.

Ad extremum ab eodem rege vellus aureum accepit Balduinus Lannoyus Turquoinij dominus. BALDVINVS.

In hac verò familia præter eos, quibus illustre nomen ab Equestri velleris aurei dignitate conciliatum fuit, non vulgarem adeptus est gloriam Guillebertus Lannoyus Santarum & Baumontij regulus, Hugone Lannoyæ ac Lisij dynasta & Margareta Mingualis domina parentibus procreatus. Is enim cum per vxorem Ioannam à Saintaubin Molembaisij toparchiam cepisset, è liberis tres habuit aurei velleris torque fulgentes Hugonem, Guillebertum, & Balduinum, quibus ex hac domo primis tam nobile decus donatum est. Eius quoque per Guillebertum & Balduinum nepotes, pronepotes, abnepotes magnam partem ea sunt ornati velleris dignitate. GVILLEBERTVS.

Ex hac etiam familia Ioannes Lannoyus apud nobilissimi Bertiniensis-monasterij IOANNES ABBAS.

Aſcetas infulis donatus eſt. Quòd is eſſet impeditioris linguæ, dum puer in Vedaſtino cœnobio degeret Atrebati, huius loci præſul ipſum ab cætu nouitiorum dimiſit. Contrà vix in ſuorum ſocietatem monachorum D. Bertini Abbas Guilielmus Philaſtrius recepit, cùm inſigni animaduertit præditum ingenio; ac ſtudiorum gratia poſt tirocinium religionis Pariſios miſit. Illic comparata non leui doctrina, quamuis adhuc iuuenis, Alchiacenſium renuntiatus eſt antiſtes. Cepit eum tunc noua cupido maiorem è ſtudiis ſcientiam colligendi: ruſúſque Pariſios profectus eſt. Illic ad ius Canonicum vehementer animum appulit, intráque modicum tempus primam eius ſcientiæ lauream ſibi conciliauit. Auctus poſteà ſupremo Bertinienſis Monaſterij magiſtratu, nihil omiſit laboris, vt à Morinenſis Pontificis imperio ſuum vendicaret cœnobium; multúmque in templi huius Abbatiæ ornatum impendit pecuniæ. Vbi latiùs eius doctrinæ virtutúmque fama percrebuit, apud omnem Belgij nobilitatem maximam ſanè ſibi auctoritatem impetrauit: eáque valuit apud Maximilianum Regem Romanorum, eiúſque filium Archiducem Philippum poteſtate, vt conſiliis eorum adhibitus, & creatus aurei velleris Cancellarius nihil non ex animi ſententia perficeret. B

Ex eadem domo Lamotriæ dominus propter militarem prudentiam, & bellicam virtutem primùm Chiliarcha fuit Wallonum, modò è maximis Belgij vrbibus Traiectum gubernat.

Qui post Lannoyos Lannoya potiti.

Tranſiit verò à nomine Lannoyano ad Egmondanum Lannoya per nuptias Franciſcæ Lannoyæ Guilleberti Lannoyj Willeruallis & Tronchinij toparchæ abneptis, Hugonis Lannoyj Roulencuriæ & Lannoyæ domini filiæ, quam Maximilianus Egmondanus Burç Comes ſibi matrimonio copulauit. Dein à domo Egmondana in Naſſauiam deducta eſt, cùm Anna Egmondana è modò nominatis Maximiliano & Franciſca progenita, per coniugium in manum venit Guilelmi Naſſauij Auriacorum Principis. Nunc per mortem Philippi Naſſauij è Guilelmo & Anna producti, ad quem omnes maternæ poſſeſſiones cum Principatu Auriaco, & pleriſque paternis toparchiis pertinebant, abſque liberis vita functi, ad Middelburgi Flandricæ Vrbis Comitem deuenit. Ab hac vrbecula cognomen accepit P. Nicolaus Lannoyus inter viros illuſtres Societatis Ieſu non minimum locum aſſecutus; quamuis non intra muros eius, ſed in vicinia tenuibus parentibus vitam hauſiſſe credatur. Frequens eius & perinſignis memoria eſt in primo eiuſdem Societatis hiſtoriæ tomo, quem P. Nicolaus Orlandinus elegantiſſimè concinnauit. Priuſquàm in Societatem fuiſſet aſſumptus, in rerum diuinarum ſtudio ad primum docti hominis gradum iam aſpirauerat, & Baccalaureus fuerat renunciatus; ac mox Canonico Furnenſis D. Walburgis Eccleſiæ ſacerdotio donatus, in quodam Ordinis S. Auguſtini Monaſterio Theologicas quæſtiones ſubtiliter explicabat. Poſtquàm verò ſeſe ad Socios aggregauit, eum S. Ignatius ad ſe Romam euocauit: vt quem iam acceperat præclaris ad magnas res capeſſendas expediendáſque idoneum eſſe, ad inſtitutum Societatis animo meliùs imprimendum, optimis præſentem præceptis, ac virtutum variarum exercitationibus fingeret. Et progreſſus ſanè eſt quàm maximè in ſtadio virtutis per ſanctam cùm B. Ignatio familiaritatem Nicolaus; cúmque fructum è ſacris litteris, diuináque doctrina collegit, vt Doctoris Theologi decoribus ornaretur. Miſſus deinceps Panormum, eius Collegij, quod illic Eleonora Ioannis Vegæ Siciliæ Proregis coniux inſtitui curauerat, gubernaculo primus de S. Ignatij mandato manum admouit, ac in eodem primus è pulpito ſacras auſpicatus eſt Theologiæ lectiones. Inde poſtmodum iuſſus Viennam Auſtriç longum ac difficile iter intendere, ante omnes alios è Sociis de Theologicis ſubtilitatibus ex quarti ſentẽtiarum libri methodo in exedra collegij Societatis diſputauit frequẽti ſemper ſeptus corona. Eiuſdem deinde Collegij gubernationi adhibitus, mirum certè eſt, quantum charitatis in egenos, quantum aduerſus peſte laborantes ſolatij & ſubſidij deprompſerit. Quid eo de Lannoij ſtudio & labore litteris Orlandinus ad perpetuam memoriam conſecrauerit, placet eius verbis lectorum oculis ſubiicere. *Iato, inquit, ex humanis exempto, tota Viennenſis collegij adminiſtratio ad Nicolaum Lannoyum redacta eſt. Is erga*

Orlandin. l. 8. Lib. 9. Lib. 11. Lib. 12.

A C D

genus

A *genus omne hominum, sed præcipuè erga Italos milites post Pannonicam cladem nudos, saucios, vel alioqui ægrotos ac rerum omnium egenos Christianæ charitatis vires explicauit. Nemo erat, qui miserè per vias abiectus, vel palearum aliquid, vbi caduca corpora reclinarent, subijceret atque substerneret. Est igitur his affatim & lectulorum, & vestium, & cibariorum, & medicaminum opportunitate consultum: plurimique ea ratione seruati, qui talibus orbati præsidijs atque solatijs funditus perijssent. Quósque conseruare viuos non licuit, eos Patres cum bona æternæ spe vitæ elutis confessione criminibus dimisere. Accessit pio labori in exteros, fortioris occasio pietatis in ciues lue pestifera Viennenses aggressa. Fuit autem in Lannoij pectore siue charitatis, siue fiduciæ tantum (quemadmodum accepimus) vt, cùm ægrotos, quos pestilentia perculerat, interuiseret, eos sæpè sola manus impositione mirabiliter persanaret: singularíque Dei munere factum est, vt animis intenti Patres corporibúsque iuuandis, cùm ab ægrotorum pestilenti spiritu non refugerent, ab eorum tamen contagione semper integri intactíque seruati sint.* Hactenus Orlandinus. Ceterùm Ingolstadiense Collegium post aliquot annos Nicolaus administrauit: indéque recenter institutam Societatis Prouinciam Austriæ iussus capessere, primus eam administrauit, ac inter maximas difficultates moderatus est sapienter. Ad extremum mul- B tis fractus laboribus, annísque grauior, haud sine magna sanctitudinis opinione postremum vitæ diem egit in Italia, cùm post millesimum & quingentesimum tertius & octuagesimus annus volueretur.

An. 1566. Inter hoc oppidum Lysámque, seu Lysium, quas ducebat copias hæreticorum Cornelius, ab Noircarmo cæsas deletásque fuisse, iam supra memorauimus. Id nunc adiicio, quod in maximam incolarum Lannoyæ laudem & gloriam vergit: horum virtute militari, & fidei constantia factum fuisse, vt impium id agmen nunc ingressum flagitans, nunc inuasionem cladémque minitans, priusquam cæderetur à Noircarmi copiis, muris portísque arceretur fortiter. Igitur eo facinore delectatus Rasseghemij Baro, qui tum Gallo-flandriam moderabatur, ingentes Lannoyanis per litteras egit gratias; idémque paullo pòst Margareta Austriaca Belgio præfecta cum C insigni voluptate præstitit. Exactis inde annis aliquot, Maximum ferè periculum An. 1578. adiit Lannoya, cùm Montignij Baro à generalibus Belgij statibus dissentiens, ductores aliquos militum copiis instructos misisset eum vt locum vel bona incolarum venia, vel parato vi aditu insiderent. Etenim principio Lannoyani portis occlusis è muris sese fortiter tutati sunt; & quidam ex vtraque parte cecidere. Id milites ægrè tolerantes portis ignem applicant. Verùm eo valuas depascente cùm ciues animaduertunt nullum sibi superesse aduersus vim præsidium, ea conditione aliquam manum militarem suscipiunt, vt illæsis domibus suis in arcem conscendant, eámque tueantur. Et valuit sanè plurimum id consilium. Ij námque milites vbi castrum insedere, & nihil damni pertulere Lannoyani, & præclusà hæreticis omni in Lannoyam furto militari corripiendam viâ, in agrum Insulensem minus grassati sunt hostes. LANNOYANI RESISTVNT HÆRETICIS.

Haubourdin. Haubourdinium versus occasum Insulæ propinquum est. Libertate olim maxima gaudebat soli regulo subiectũ. Vicecomitatus titulum modo præfert, postquam Ho- D uardriæ toparcha de Franciæ rege per emptionem sibi comparauit, & Belgarũ Principi subiecit. Ædium & populi frequentia, optimorum plurimis pannorum textrinis, influxu Deullę capaciora nunc nauigia multis mercibus vehẽdis tolerare docti celebratur. Prçter insigne templum parochiale separatam habet ędiculam vbi frequenter sacra peraguntur quot hebdomadis non leui incolarum commodo. Id antiquum est monumentum Crespiniorum Attrebatensium, qui anno 1347. viros nobiles duos, per vim Haubourdinio extraxerant, mortéque affecerant. Ad ducentos enim florenos Walerandus Luxemburgius, qui tunc illic dominabatur, damnauit; vt dos huius ædiculæ incrementum caperet duobus alendis sacerdotibus. Est ibidem cum sacello vetus Xenodochium peregrinis morbidísue tecto excipiendis. Non paruam huic loco claritudinem attulit Ioannes Luxemburgius illegitimo toro ex Petro S Pauli Comite progenitus. Hic enim cùm dynastia Haubourdinij polleret, passim Haubourdinij cognomentum induit: adeóque sese factis militaribus insignem præstitit, vt HAVBOVRDINIVM. IOANNES LVXEMBVRGIVS.

Bono Burgundiæ Duci chariſſimus euaderet, ab eóque in collegium aurei velleris Equitum adſciſceretur. Eius res præclaras libris ſuis Engerramus Monſtreletus, & Iacobus Meierus ſparſim prodidere. Non procul abeſt Haubourdinio Emerimum, cui ſemper antiquitus quoad dominium fuit coniunctum; nunc verò diuiſum Vicecomitatus quoque titulum obtinet. A

RAINBAVCVRIA. — Rainbaucourt.

In extremis huius Caſtellaniæ finibus mille & quingentis circiter millibus abeſt Duaco Raimbaucuria. Partim aſſurgit, partim depreſſus eſt hic pagus. Vbi iacet, caſtrum habet ſatis elegans munitúmque; & propter influentem riuum, paſcua. Vbi ſurrigitur, templum oſtentat, nemúſque. Vnde illi haud paruum decus.

Duacum urbs ſecunda Gallo-flandriæ; nomen eius, antiquitas, deſcriptio. B

CAPVT XXXIV.

VARIA VRBIS HVIVS NOMINA. *In Duaco.* — Douay.

DVACVM ſecunda Gallo-flandriæ vrbs ſeptimo ab Inſula milliari Meridiem verſus recedit. Vrbs ampliſſima eſt, ipſaque vetuſtate veneranda. Quidam Doacum nominant. Et notauit Andreas Hoyus vel Doacum, vel Douacum potiùs à veteribus dictum. Sed Duacum ſemper inuenio in antiquis manúque ſcriptis codicibus Martianenſibus & Andreæ Martianenſis Chronico in vita B. Goſuini & S. Amandi miraculis. Quinetiam apud Gregorium ſeptimum lib. 4. epiſt. 20. *Walterus de Duaco* legitur. Et frequenter apud Guilelmum Aremoricum in libris de rege Francorum Auguſto, & Rigordum in Geſtis eiuſdem Regis Duacum reperias, vt pleraque alia vetuſtatis monumenta non afferam. In Gaufrido iam citando, Duay dicitur. Baldericus in Chronico Cameracenſi lib. 2. c. 21. Duwaicum nuncupat. Doiaum etiam nominat Rigordus, quo loco Petrum Cardinalem Duaci genitum Petrum de Doaio indigitat. Quidam exiſtimant Duagium olim à Frodoardo dictum in Chronico, vbi memorat ab Lotharingis, qui partes Giſleberti tuebantur, ereptum Hugoni Veromandiæ Comiti. Et forſan inde ducunt argumentum, quòd paullò antè is auctor Moritaniæ ad Scaldim fluuium & Scarpum, qui Duacum interluit ſitæ dein Attrebati mentionem fecerit. Olim Duacum ſemper Caſtrum, non vrbs, vel oppidum appellabatur. Nec temerè nominari videas, niſi adiuncto Caſtri vocabulo. Chronicon Martianenſe: *Readificauerunt Duacum caſtrum.* Baldericus dicto loco: *Præterea etiam apud Caſtellum Duwaicum monaſterium eſt.* Gaufridus lib. 5. cap. 13. Rerum Anglicanarum: *Nobile Caſtrum Duay.* Sunt etiam auctores apud quos in nominatiuo Duacus efferatur, ſicut apud S. Hieronymum Tornacus & apud alios Cameracus vel Camaracus reperitur. Alexander in vita B. Goſuini: *In Caſtro, qui Duacus nominatur.* Anonymus in lib. 2. miraculorum S. Rictrudis: *Duacus caſtrum & Comitis.* C D

Ioan Couſin. l. 3. c. 4. Rer. Tornac.

DVACENSIS VRBIS ANTIQVITAS VNDE COLLIGENDA?

Huius vrbis vetuſtatem ex Iulij Cæſaris Commẽtariis de Bello Gallico deprehendi poſſe quibuſdam placet. Nam vbi conflandus è variis populis Belgarum in Cæſarem coniurantiũ exercitus recenſetur, inter alios Catuaci ſpondent millia lectorum hominum nouem & viginti. Igitur hic populus quiſnam fuerit, dum quæritur, Marlianus, & alij, quibus voluptati eſt Duacenſibus vetuſtatem arceſſere, haud dubiè reſpondent Duacũ inſediſſe. Verùm Goropius Becanus, Petrus Diuęus, Andreas Hoius, Adrianus Scriekus plurimùm iis aduerſantur. Et ſanè ipſos impugnandi rationes ſunt variæ. Primùm enim melioris notæ Cæſaris libri non Catuacos, eo loco, ſed Aduaticos, vel Atuacutos oſtentant. Deinde auctorum plerique, à quibus iidẽ populi aduerſus Cæſarem conſurgentes enumerantur, Aduaticos ſemper vel Atuacutos, nũquam Catuacos nominant. In his præſertim Oroſius & Ado, qui cùm in cæteris populis

In Orig. Antuerp. *In Antiq. Belg.* *In Duaco.* *In Ind. Coſmog.*

NON A CATVACIS.

A ab Cæsare non discedant, etiam in hoc credendum est eum secutos, quandoquidem libris melioribus vterentur. Et quòd in numero copiarum discrepent, octodecim tantùm millia recensentes Aduaticorum, non id vitio vertendum docet Goropius: verùm inde corrigendum Cæsaris numerum, quòd simile vero fuerit, haud plures potuisse copias Aduaticos præbere, cùm is non ita pridem populus vires cepisset adhuc nouus, & angustis circumscriptus terminis. Ad extremum si Cæsarem diligenter excutiamus, haud dubiè quædam comperiemus, quæ Catuacos explodant. Primò siquidem apud Cæsarem alibi Catuacorum nulla prorsus existit mentio: vt mirari iustè subeat, quò tot hominum millia cum nomine diffluxerint; nisi exstinctum cum populo nomen arbitremur. Sed id alienum à Cæsaris moribus est, qui neutiquam id tacuisset, haud minus inde, quàm aliunde, gloriam quæsiturus, si gentem eam occidione deleuisset. Contrà verò quis putet de Aduaticis in hac populorum commutatione Cæsarem siluisse, cùm frequens alibi eos nominet, ab iis etiam timendum sibi duxerit? Nam aduersus Neruios cùm magnis viribus incumberet, prius hos sibi
B debellandos arbitratus est, quàm iis Aduatici iungerent vires, quos multas in promptu copias habere cognouerat. Maneat igitur Aduaticos, non Catuacos apud Cæsarem legendos esse: non ideò tamen suam Duacensibus vetustatem ereptum ierim. Nam Cæsaris temporibus & Duacum, & Aduaticos floruisse compertum habeo. Inter Neruios & Eburones Aduaticis (non vbi nunc Duacum, vt habet Paullus Æmylius, dum Duacenses in 8. lib. Aduaticos appellat) sedes erat, vbi Cæsar ostendit, populo sui iuris, & nullis obnoxio. In Neruiis Duacum censebatur in quorum exstremis finibus situm erat. Nam eousque Neruiorum fines procurrisse, non difficulter ex Iulio Cæsare arguitur, cùm ex vrbe Ambianorum profectus triduo se per Neruiorum fines iter fecisse tradit, dum acciperet decem se millibus passuum à Sabi fluuio distare, vbi Neruiorum agmen in armis consederat. Credit Goropius Becanus ab Neruiis eo loco conditum fuisse, vt præsidio foret aduersus Atrebates, Ambianos, & Veromanduos: eique datum Flandrica, vel Teutonica origine ab ex-
C cubiis ad tutelam nomen ostendit: idque sic compositum declarat, *De-hu-wac*, idest, *ad tutelam excubiæ*; vnde posteà formetur *Dewake*. quod etiam probat Adrianus Scriekus. Et assertum video ab eodem Goropio Romanas antiquitates olim Duaci repertas: vt ostendat nullo modo ab Romanis hunc locum neglectui habitum, qui multum aduersus hostes eis prodesset. Et vetustos Duacenses circumferunt libros, in quibus vrbem castrúmque Duacense Iulij Cæsaris temporibus stetisse asseritur.

DVACVM OLIM IN NERVIIS.

In Orig. Antuerp.

A QVIBVS ID CONDITVM: ET CVR SIC VOCATVM.

In Indic.

Cùm verò Duacum grauibus iamdiu ruinis oppressum iacuisset, tandem rursus & munitionibus circumdatum & auctum ædificiis fuit; tantùmque tunc Lambris decessit, quantum priùs accesserat eius desolatione. Rem istam ita prodidit litteris Baldericus in Cameracensi Chronico: *Præterea etiam apud Castellum Duwaicum Monasterium est Canonicorum, vbi corpora Sanctorum iacent Morantij atque videlicet Amati. Sciendum est autem, quòd ante constitutionem huius castelli, vsus telonei, quod nunc pro immurentis Flandrensium Comitis potentia, in ipso Castello, mutato pristino ritu sumitur, apud Lambras villam S. Dei genitricis soluebatur. Erat enim regius fiscus: sed tempore*
D *Stephani episcopi à Karolo rege S. Mariæ donatur habendus. Illo etiam tempore portus illuc habebatur. Postquam verò incolatus huius castelli ceperat, illic nauigij vsus deriuatur, & huic nostræ villæ tantùm dimidia portio telonei soluitur.* Qui verò Duacum instaurauerint, libri aliquot Martianenses calamo exarati ac vetusti patefaciunt. Ex Chronico eius Monasterij hunc vnicum proferam locum. *Eo*, inquit, *tempore Adalbaldus Dux, & Erchenaldus frater eius maior natu reædificauerunt Duacum castrum, & infra castrum ædificauerunt ecclesiam D. Genitricis Mariæ, quæ nunc dicitur S. Amati.* Vnde manifestum videas erroris eum, qui Duacensis vrbis antiquitates eruens Erchenaldum Adalbaldi vel patrem, vel auum, D. Virginis templum condidisse asserit. Quonam potissimùm anno id acciderit, in argenteo S. Amati libro his verbis notatum reperio: *Anno DC. LXV. S. Amatus Senonensi ecclesiæ præsidebat, Episcopus. Eodem anno Erchonoaldus cum fratre suo Adalbaldo patre S. Mauronti reædificauerunt Duacense castrum, & infra castrum templum B. Mariæ. Hic enim locus antiquitus fuerat consecratus.*

Lib. 1. c. 11.

QVI DVACVM INSTAVRAVERINT.

Verùm hæc falsitatis argui satis manifestant Gregorij Turonensis Appendix, & Aimoïnus, cùm tradunt anno Christi sexcentesimo & sexagesimo ereptum viuis Erchenaldum. & iam diu antè vitam Adalbaldus in Vasconia cæsus amiserat. Igitur factam ab his fratribus Castri Duacensis instaurationem in anteriora tempora referri necesse est. Dum Balderici locum examinat Georgius Coluenerius D. Petri Duacensis Præpositus, longè recentius id opus fuisse arbitratur, cuius mentionem facit Baldericus. Cùm enim Franciæ Rex Carolus Simplex Stephano Cameracensem ecclesiam administrante Lambras donauerit, isque pontifex diem extremum obiuerit anno 934. etiam inferiùs reiiciendum est, quidquid aliquis Flandriæ Comes, ad instaurationem nouam, aut ad munitionem, vel, quod verius reor, ad circumducendum producto pomærio latiorem murum fuerit molitus. Verùm ne quidem certum est; quid per hanc dictionem, *Immurentis*, velit Baldericus; eâne scilicet velit significare muri ambitum struxisse Comitem, an illic ipsum sedem interdum habuisse. Deinde posset quis iustè arbitrari mendum huc aliquod irrepsisse, ac pro *immurentis* legēdum esse vel *immorantis*, vel *imminentis*. Vt *imminentis*, legatur, posset persuadere id quod priùs de Atrebato dixit Baldericus, ac B. Virginis ecclesia: *esséstque locus venerabilis, & minus indigens, nisi fastuosa Flandrensium Comitis excellentia, quæ iuxta supereminet, aduersari aliquando consueuisset*. Vt enim videtur Baldericus significare, propterea minus pollere B. Virginis ecclesiam, quòd frequentiùs Atrebati degeret Comes, eique ecclesiæ sua præsentia & potentia ingruens nonnihil detraheret iurium ac potestatis: ita quoque credi potest, eiusdem esse mentem, multum detrahi Lambris, eò quòd interdum Duaci consideat Comes, imminénsque ex ea munitione, & metum iniiciens Lambris, multum iis detrahat, vt Duacensi oppido impertiatur. Verùm ad hunc etiam sensum conficiendum, clariùs & minùs contortè duceremus, si pro *Immurentis*, legeremus, *Immorantis*. Sanè frequenter quosdam è Comitibus Flandriæ Duaci commoratos fuisse posteà, non modò scripta illic ab ipsis diplomata testantur, verùm etiam ex ipsis Annalium auctoribus perspicuum est, vt paullò pòst videbimus. Et vt priùs ibidem non rarò consederint, illud Balderici verbum *Incolatus* mihi persuadet, quod non tam ad populum, quàm ad Comitem referendum mihi videtur. Id enim perquàm certissimum est, antequam vlli Comites Flandriæ præessent, haud infrequentes Duacum incolas habuisse: iámque inde ab instauratione, quam moliti sunt Erchenaldus & Adalbaldus, haud parum id floruisse. De hodierno murorum ambitu paullo pòst videbimus. A B C

Lib. 1. c. 13.

Cùm vrbis huius mentionem fecit Guilelmus Aremoricus (vixit is Philippi Augusti Franciæ regis, & Ferrandi Flandriæ Comitis temporibus) ita laudauit:

Lib. 2.

Nec minus & sancti populus venerator Omeri
In Comitis partes iuratus millia multa,
Mittit ei iuuenes clara virtute coruscos,
Cum quibus Hedinum, Grauelinga, Bapalma, Duacum
Diues, & armipotens, & claro ciue refertum.

SITVS ET FIGVRA VRBIS DVACENSIS.

SCARPVS DVACVM INFLVIT AC DIVIDIT.

Cæterum hoc æuo Duaci ambitus sanè magnus est in loco iacenti, & aquis irriguo: figura ouali propior, quàm rotundæ. latericius cingit murus crebris turribus interiectis (quibus olim species maior, cum tectis pleræque assurgerent) obeunte semper tumentibus aquis duplici fossa, vt nihil ad munitionem desideres. Scarpus interlabitur leni fluxu, nisi pluuiis intumeat, alueo sat profundo latóque, & multarum patienti nauium: quem labor opésque Atrebatensium ab ipsorum suburbiis naues Duacum deuehere nuper docuerunt, quamuis pleraque aduersarentur. Ob illapsum eius fluminis iamdiu diuidi vrbem comperio. Quo enim diplomate Ferrandus eiúsque coniux Ioanna Flandriæ principes anno Domini 1228. potestatem faciunt ciuibus magistratus creandi, ita decernunt, vt partem dexterâ fluminis obtinentem Duacum, à sinistris iacentem Duaculum vocent. Num tamen adeò patenti circuitu productum vrbis pomerium ea viderit ætas licet dubitare. Nam multo recentius D

QVANDO FVERIT AVCTVS DVACENSIS VRBIS AMBITVS?

ambien-

A ambientis hodie muri opus, quàm vt quatuor ferat sæcula. Habeo nihilominus compertum anno salutis 1225. D. Iacobi, anno 1228. S. Nicolai, & 1257. D. Virginis adiectas vrbi paræcias, D. Petri Præposito, Decano & Canonicis permittentibus, propter populi multitudinem, eas à S. Petri parochia partes separari. Et quæ veteris ambitus reliquiæ ad paruum macellum, Lamotiani Seminarij ædificia, S. Francisci Phrontisterium parenti, tria illa templa, vt ædem S. Albini, & Franciscanos excludere videbantur. Nisi paræcias illas omnes initio suburbanas fuisse arbitremur, ac posteà nouis mœnibus inclusas, & fossis circumdatas. Ad populi commoditatem non desunt variis locis scatentes viuis, & lympidis aquis fontes. Præcipuus eorum est, qui sancti Mauronti nuncupatur, seu vim & copiam laticis erumpentis consideres, seu medelam, auidè morbis quæsitam hausta eius lympha, dispicias.

Fontes Duacenses.

Ad clausas murorum ambitu structiones quod attinet, ipsa multis quà sacris, quà prophanis ædificiis publicis vrbs abundat, quibus maior, quàm priuatis elegantia Templorum vetustissima & nobilissima, quæ D. Petri & Amati nomine consecrata. B Inest vtrique Canonicorum Collegium. Sed præcipua fundatoris nobilitate pollet, ac forsàn etiam temporum antiquitate præstat illud, quod Amati nomen induit. Ipso ædificio plus vetustatis ostentat D. Petri. Paræciæ sex numerantur. Earum duæ sanctorum Petri & Amati templis inhærent: aliæ propriis vtuntur ædibus. Hæ Deiparæ Virginis, S. Iacobi, D. Nicolai, & S. Albini nominibus innotescunt. Ipsa templa satis capacia, benè structa, & pulchrè satis ornata: procliui scilicet ad religionem, & sacrarum cultum rerum populo. D. Benedicti legibus obsequentium hominum Monasteria duo consurgunt virginum vnum, alterum virorum. Virgines primæ locum occupauere angusto sanè septo, arctis ædificiis, latiori tamen pomœrio iuxta vrbis muros. Inditum cœnobio nomen à D. Virgine Pacéque. Viuendi modus illic asper, seu claustra, seu cibum, seu vestem aspicias: seuero prorsus ad D. Benedicti rutinam instituto. In alia vrbis parte, ad D. Albini, structum paullo latiùs est viris Phrontisterium domo Anglis, at Hispanica religione cultis & doctrina; qui posteà semper alios ex eadem gente recipiant, instruántque. Ei datum nomen à D. Grego- C rio. Visitur etiam eiusdem ordinis in vrbe S. Sulpitij Prioratus aliunde huc delatus grassante olim tumultu bellorum. Aquicinctino subest cœnobio. Opes eius mediocres, pulchrum & laxum ædificium, amplis assidentibus hortis, nullo monachorum præter Priorem insidente nisi aliquos Abbas studiorum gratia illic collocet. Cisterciensis Ordinis Abbatiam Virgines habent à Pratis cognominatam. Scarpo flumini adiacet loco plano & ameno, & pascuis quondam opportuno. Immodicus eius circuitus vel aqua vel muro cingente. templum, ædésque commoda, magna, eleganti opere. Concessúmque est annis postremis Augustiniensibus Abbatiæ Sinensis, seu B. Virginis Belli Loci monialibus, vt vitandis militum incursionibus, & palustris aquæ incommodis intra muros consistant: iámque illuc anno 1622. demigrarunt constructis à fundamentis quibusdam noui monasterij ædificiis. Neque deest Sanctissimæ Trinitatis nomine conspicuis Fratribus cœnobium ad muros vrbis loco patenti, ac ideo minùs commodo. Templum eius nunc capacius quàm anteà: ædes D numero Religiosorum angustæ, cùm illic ad studia quidam alantur, & Prouincialis Minister vt plurimùm sedem habeat. Obsequentes D. Dominici regulæ Patres duplicem obtinent domum. Harum prior in commoda vrbis regione consistit, quà populus frequens, & alluit è Scarpo duplex canalis. Templum illic magnum, elegans, & ciuium Sodalitatibus celebre, ædium laxitas insidentium numero respondet, qui semper hactenus ingens exstitit multis iuniorum vel philosophiæ, vel Theologiæ operam nauantibus. Alterius loci ædificia nuper assurgere cœperunt haud procul publico Academiæ Collegio in S. Iacobi paræcia. Hic eò præsertim conditus, vt sub tecta iuuenes eius Ordinis recipiat, qui Philosophiæ vel Theologiæ laborem impendunt ac studium è toto Belgio submissi. Eiusdem Ordinis Virginibus parari nuper cœpta domus est, eámque nunc aliquot sanctimoniales incolunt. E sancti Andreæ Prouincia Franciscanis etiam opportuno loco iuxta maximi fori aream sedes condita. Ad ædis sacræ magnitudinem, ornatum, elegantiam nihil desideres,

Collegia Canonicorum.

Paræcia.

Monasteria.

Abbatia Pacis.

Monasterium D. Gregorij.

Prioratus S. Sulpitij.

Abbatia Pratensis.

Abbatia B. Virginis Belli Loci.

Trinitarij.

Dominicani.

Franciscani.

O .4 Domus

Domus ipsa claustris, conclauibus, cubiculis, & officinis, quàm alibi toto Belgio maioribus & altioribus instructa. Habitant ibi frequentes eius Religiosi Ordinis, quorum pars magna sapientiam vel philosophicam vel diuinam in scholis auidè bibunt. Permissum quoque pro nuper à Senatu, Recollectis Patribus Franciscanis natione Anglis, vt Asceterium hîc construant, iámque aliquis eorum cœtus coaluit ac Seminarium. Societas Iesu binas hîc etiam domos habet, alteram vetustam, recentem alteram. Vetus, ipsum est collegium Aquicinctino Gymnasio latè assidens. Eius templi moles altior, quàm capacior, opere denso, formáque Romanum aliquid æmulante, interiùs, quàm exteriùs augustior. Erectum ad Sociorum habitationem ædificium nec continuum, nec vniforme, sed multiplex & laciniosum: prorsúsque insidentium multitudini perangustum; fundo tamen valdè capaci. Noua sedes æquè Scotis adolescentibus Philosophia & humanioribus litteris animos percolentibus, ac nostris Sociis communis est. Illic enim eius gentis iuuenibus aliquot adsunt Socij, vt ipsorum industria, pietas & studia promoueantur. Patres Capuccini vastissimum iuxta portam Atrebatensem fundum occupant. solita forma modóque templum & domum habent. cętera immensus obtinet hortus solo sementi & arboribus benigno. Data etiam hîc nuper venia Carmelitis ab Hispania profectis, & rigido constrictis instituto, perpetuum erigendi domicilium, iíque iam aliquot ædificia struxere. Et hîc locum recenter impetrarunt ab Senatu Augustinienses Eremitæ condendo sui Ordinis iuuenum grauioribus studiis nauantium Phyteuterio. Templariorum intra muros vestigia quædam supersunt, eorum templo adhuc stante, & pleraque ædium parte. Ad virgines quod attinet, à Griseis, vt vocant, Sororibus duplex domus habitatur. Domicilio ægris vel aduenis parato harum aliæ inseruiunt, cui diuus Thomas indidit nomen: D. Iuliani Parthenonem aliæ occupant. Non ita pridem Clarissarum, & Annuntiatarum familiæ in vrbem inductæ. Vtrisque Virginibus ibi sedem petendi & capessendi, opportunitas loci occasionem præbuit. Præter Nosocomium & Xenodochium D. Thomæ, visuntur etiam Hospitalia D. Virginis, S. Iacobi, D. Sansonis, dein aliquot Gerontocomia, & Beginarum domus suis omnia sacellis instructa. Sparsæ sunt etiam variis locis ędiculæ, vbi non paruo ciuium commodo statis diebus sacra mysteria conficiantur. Harum maiores DD. Eligij, Magdalenes, & Catharinæ nomen pręferunt. Aliæ duæ minores Deiparæ Virgini structæ sunt, cuius etiam miraculis iamdiu claruere; quarum altera templo S. Petri adiacet; iuxta macellum recentius altera spectatur. Nolim hîc omittere, quem ad inserendam puellaribus animis cum industria pietatem, locum ista ciuitas insignem ostentat. Is D. Agnetis nomen induit, ædificiis, & sacello commodus. Adulta iam ætate virgines ibi commorantur voto castitatis obstrictæ. De suo cœtu caput habent, cui omnes ad nutum obsequuntur. In commune omnia conferunt, quadam religiosæ paupertatis æmulatione. His magno numero puellæ honestis ortæ parentibus, éque variis huc emissæ oppidis vrbibusúe, subsunt. Earum pensa quotidiana, certis temporibus in preces incumbere; operibus variis manus admouere; cuncta ex præscripto agere; probis moribus imbui; statis diebus pęnitudine animum eluere; sacro vesci pabulo; nihil pręter mittere, quod pietatem augeat, aliis posteà ritè formandis. exinde alibi consimiles aliæ magno fructu adoleuere familiæ. Ad quæ confugiant belli tempore, multa sunt etiam in hac vrbe domicilia religiosis cœtibus, qui per agros, aut vicos intutis consident locis. Pulcherrima & maxima, quæ Martianensibus, Aquicinctinis, & Flinensibus erecta. Secundum obtinent gradum Hasnoniense, Henniniacum, Viridariense. At his omnibus pręstat D. Vedasti palatium, ideóque regibus & principibus hospitium prębet. Vt prophana tangamus, Senatorum curia eleganti fronte multa pollicetur. Ab ea, quam sustinet, turri plus decoris & laudis accipit, ipso pręsertim fastigio, vbi stat horologium, arte varia conspicuo. Neque desunt pleręque domus amplissimæ, vbi nobiles viri domicilia fixerint, aut certis temporibus considant.

Præ ceteris rebus Duacum ornat Vniuersitas studiorum. Ea Theologiam, Ius vtrumque, Medicinam, Philosophiam, & litteras humaniores complectitur, iísque pluri-

[Margin notes: Recollecti Angli. — Societatis Iesv. — Capvccini. — Carmelita Discalceati. — Templarii. — Sorores Grisiæ. — Clarissæ Annvntiatæ. — Nosocomia. — Xenodochia. — Gerontocomia. — Beginæ. — Ædicvlæ et Sacella. — Domvs S. Agnetis. — Monachorvm Hospitia. — Palativm S. Vedasti. — Senatorvm Cvria. — Vniversitas Stvdiorvm.]

A plurimum floret. Erectum grauioribus disciplinis publicum ædificium fatis elegans est, vastúmque, & commodum. Illic Theologorum alij Quæstiones D. Thomæ acutiùs expendunt: quidam Scripturæ sacræ paginas explicant: nonnemo Catechisticam habet lectionem: dein Ius vtrumque octoni ferè Iurisperiti commentationibus illustrant: Medicinam aliquot, eloquentiam vnus, Græcas & Hebraicas litteras alij alio ibidem loco profitentur, & tempore. Vbi philosophia & humaniores disciplinæ tradantur omnes, tria sunt hactenus aperta publicè gymnasia. Dignitate præcipuum ab rege Hispaniarum nomen & initia cepit. Situm est amæno loco, & regij partem castri occupat, alluente leniter Scarpo: ceterùm à reliquis Collegiis longissimo spatio distat. Qui præsit, nunc Theologus aliquis, nunc Iuris Canonici lauream adeptus eligitur. Ab incendio nuperrimo, nouum id commodúmque exornat ædificium. Huic secundum est Aquicinctinum Gymnasium, cui nobile cœnobium Aquicinctense nomen fecit, postquàm suis sumptibus Abbas eius Ioannes Lentailleutus à fundamento condidit. Ædificia minùs rident vetera, & eorum quædam B pendent interrupta: ceterùm ingentis sunt adolescentum numeri capacia. Nihil alibi vel augustius, vel maius, vel opportunius, quàm membrum illud recens adiectum, quo templum Societatis Iesu, & procurrens ad platęam ędificium committuntur. Vastissima illic aula superiùs, & subter Theologis ac philosophis exedræ insigni laxitate. Id opus Ioannis Faueani Aquicinctensis Archimandritæ nuper vita defuncti. Qui conuictoribus in varia tributis cubicula pręsit, ex religiosis eiusdem cœnobij aliquis imponitur. Adiungit aliquot hic sibi laicos sacerdotes, qui de ipsius sententia suis singuli locis ad domesticam disciplinam idonea cũcta procurent. Docendi, & in scholis administrandi omnia, penes Iesu Societatẽ ius amplissimũ est ipso fundatoris Ioannis Lentailleuri instituto. Igitur illic de Sociis duo Theologiæ quęstiones explicant; vnus Scripturæ sacræ Interpretem agit, alius Hebraicam linguam profitetur; alterius est munus Mathematicas disciplinas exponere; quatuor alij alias philosophiæ partes edocẽt; Grammaticæ, Poëseos, idiomatis Gręci, eloquẽtiæ pręcepta seni C tradunt. Huic Collegio Martianense Gymnasium obiacet elegantia, laxitate, facello, & cõmodis laudabile. Nomẽ habet à Monasterio Martiancẽsi, cuius Abbati obnoxiũ est. Id enim Arnoldus Ganthoisus eius Phrontisterij antistes à fundamentis exstruxit. ideóque ex eadem familia Regentem accipit, qui suprema potestate secundùm Pręsulem polleat. Mutatum hìc aliquid est proximis temporibus. Occlusis Grammatices ac studiorum humaniorum exedris, philosophicas quęstiones explicandi munus Societatis Iesu Patribus D. Ioannes du Ioncquoy Martianensis Antistes, suis consentientibus Religiosis, commisit: ideóque hìc quatuor è Sociis philosophicas habent lectiones. Erectum nuperrimè quartum est Collegium, D. Vedasti nomine. Id illi Benedictini nominis Anglorum Monasterio adiunctum, cuius antè mentionem fecimus: eundémque cum ipso fundatorem agnoscit D. Philippum Cauerellium D. Vedasti Atrebatensis antistitem. Illic pręter humaniores litteras, Philosophiæ, Iuris Canonici, ac scientiæ ad res diuinas spectantis partes explicantur. Qui supremum illic imperium habeat, idem Pręsul è cœnobio suo virum aliquem D scientiis ornatum constituit. Ad hęc multa sunt sparsa per vrbem domicilia, vel contubernia, quæ vulgò Seminaria nuncupant, variis hominum generibus ad disciplinas incumbentium erecta: quorum pleraque & laxa, & elegantia cernuntur ędificia. Horum pręcipua Regium, Episcoporum, Moullartianum, Hayniniacum, Lamotianum, Mariale, Anglicanum, Hibernicum, & Scoticum, de quibus nos posteà paullo fusiùs.

Quæ magnas opes ciuibus parent Duaci, peculiaria modò ferè nulla sunt opificia. Pannorum quà densorum, quà tenuium (sayettas, & bourrettas appellant) textrinæ nunc paucissimæ conspiciuntur, quibus olim vrbs floruit, licet huiusmodi opificum sua supersint collegia. Anno salutis 1355. cùm Ioannes Franciæ rex in Gallo-flandriam venisset, inter alia Duacenses quatuor ei pannos obtulere domi confectos, vt ostenderent apud se pannorum textrinas vigere. Videóque ab eodem rege per litteras prohibitum in vrbem redire Guillelmum Harniensem, quem Senatus edicto

(verba

COLLEGIVM PVBLICVM.

GYMNASIVM REGIVM.

COLLEGIVM AQVICINCTINVM.

COLLEGIVM MARTIANENSE.

GYMNASIVM S. VEDASTI.

SEMINARIA.

Lib. 2.

OPIFICIA VRBIS DVACENSIS.

(verba sunt Ioannis) *perpetuò à dicta villa Duacensi pro falsa drapperia bannitum* intellexerat. Abhinc paucis annis artifices aliquot subtilissimas e lino telas Cameracensium æmulas pertexere cœperunt; eóque iam laudem opificio & pecuniam Duacensi oppido comparant. Vnde plurimum auri concilietur, frequentissima frumenti vænalis aduectio est; statuto istic à principibus emporio. Huius priuilegio statis quotidie horis mercatus tritici, aliarúmq frugum ciuibus conceditur: exteris intra quinque per circuitum Leucas omninò prohibetur, ne quid frumenti cuiuscunque in pagis coëmant ignaris, & nolentibus Duacensibus. Qui commodè ad maximas efflorescant diuitias, eam ob rem multi consident Duaci negotiatores frumentarij. In totam hi Flandriam, dein Brabantiam & Hollandiam omnis generis grana per amnes onerarijs deuehunt. Gaudent etiam Duacenses quot hebdomadis die Iouis & Sabbati publico rerum omnium mercatu, & celeberrimis anno quolibet nundinis mensis Octobris initio.

Emporium et negotiatio frumentaria.

Ad suburbia quod attinet, pauca & breuia Duacensium vrbi propiùs adhærent. Ea præsertim ad D. Virginis, & S. Eligij portas. In Mariano suburbio leprosorum ædes visuntur, quibus latè adiacent horti, & iunctum est sacellum. Qua Scarpus ex vrbe prorumpit, stat longus intersectorum ædificiorum ordo, vbi lue correpti pauperes stabulentur. Dein aliquod domicilium egenis iam olim ab quodam Episcopo Atrebatensi eâ structum viâ, quæ Insulam ducit; eíque sacellum cohæret, quod sacrosanctæ Virginis Mariæ gratia celebratur.

Suburbia Duacensia.

Quæ Duaco aduersa euenerint.

CAPVT XXXV.



AT nunc paucis videamus, quæ Duacensem vrbem olim modò iucundæ res affecerint, modò depresserint aduersæ. Ab iis placet ordiri, quę vel magnum discrimen, vel graue damnum attulere. Cùm Romani rerum in Belgio potirentur, Duacum bis bello captum inuenio. Imperante Commodo prior circumuenit obsidio, postquàm Germanorum Duces Soricus & Wericus tractis in rebellionis societatem plerisque Belgarum populis, Tornacum Romanis eripuerant. Ac tunc vrbem militaribus iniuriis, & desolationibus grauiter afflictam tradunt auctores. Sub initia Principatus Constantini cognomento Magni rursus hoc oppidum incommoda perpessum est obsidij. Ei Principi Maxentius Morinos Neruiósque hostes artibus suis, & vnà secum rebellandi cupidine reddiderat. Verùm paullo pòst Constantinus patruos Helenæ matris Leoninum, Trahernum, & Marium insigni robore viros, & militiæ facinoribus claros, in Morinos ac Neruios cum magno exercitu misit. Igitur hi cùm Morinis ad officium vi reductis aduersus Neruios tenderent, in hac regione vastati populationibus agri, Duacum, aliáque vi capta oppida, & castella sunt.

Romanorum tempore quid passum sit Duacum. Hugo Tullens. Iac. Guis. l. 6. Annal. Han.

Iacob. Guisian. l. 7. Annal. Hannon. Richard. Vitus in histor. Angl.

A Barbaris nationibus, quæ viribus armísque pollentes in Belgium sese priùs effuderant, quàm sexcentesimus Christi annus iniret, haustum deprædationibus, & incendio Duacum video. Idne verò facinus Francis ab Rheno irrumpentibus, vel Hunnis, aut Wandalis, Gottísne adscribam, incertum habeo. Et diu iacuisse ruinis oppressum suis oppidum, inde non obscurè deprehendo, quòd primi Erchenoaldus & Adalbaldus ad eius instaurationem sese incitauerint.

Quid ei a Barbaris illatum sit. Vett. Monu. Martianens. & Amatens.

Interlapsis posteà nonnullis annorum sæculis, Nortmannico furore correptum vastatúmque Meierus Duacum arbitratur. Verùm antiqua templi Amatensis monumenta, & Iacobus Guisianus contrà prorsus affirmant, ac multis potiùs fuisse vnà cum sacris pignoribus eò perfugientibus præsidio: neque vnquam à Barbaris illis impressionibus subigere certantibus, potuisse peruadi. Placet id totum è Guisiano in medium hîc producere. Sic igitur ille: *In historia Ecclesiæ B. Mariæ Duacensis, quæ*

Lib. 1. Annal. Fland. Nortmanni an id vastauerint? Lib. 13.

nunc

A

† qui iidē cū Nortmannis.

nunc S. Amati dicitur, sic habetur: Nam cùm † Dani totum territorium inter Scaldum & Yscarp fluuios, occupare proposuissent; venerabile corpus S. Amati de Mauronti villa, & Rictrudis & Mauronti de Marsiensi cœnobio, cum pluribus alijs sacris reliquijs, & S. Audeberti, & S. Reginæ, & S. Virginis Rogensis, & à Monasterio Dononiensi, S. Amandi Episcopi Helnonensis Monasterij, & SS. Confessorum Aycadri & Hugonis corpora cum cæteris sanctis & venerabilibus Reliquijs in ecclesia nostra locus tutissimus, cum dignis honoribus & reuerentijs, condita fuerunt. De quorum meritis manifestissimè perpendimus de periculo auxilium. Nam cùm Dani castrum Duacense ferocissimè compluries inuasissent, diuino solùm, & sanctorum prædictorum auxilio omni secluso humano suffragio repulsam vsque Lambras passi fuerunt, & sic perterriti, quòd insultare postmodum per plures annos destiterunt. Si Duagium, cuius aliquoties mentionem facit Frodoardus, oppidum fuerit Duacense: bis, vt minimùm, fuerit hic locus intra breue tempus obsidionis incommoda perpessus. Etenim apud hunc auctorem anno DCCCC. XXX. legitur: *Rodulpho rege in Burgundiam regresso, Lotharienses in Franciam cum Gisleberto obuiam veniunt Hugoni, & oppidum quoddam nomine Duagium quod Arnoldus tenebat, adactum obsidione capiunt.* Deinde anno DCCCC. XXXI. *Lotharienses interea Duagium capiunt, & Hugo illud Rotgario filio Rotgarij concedit.* Sanè hucusque Hugonis Andegauensium Comitis, & Heriberti Veromandiæ Comitis contentiones penetrasse ex eodem Frodoardo colligitur. Primùm enim ab eo scriptum fuit anno DCCCC. XXIIX. *Heribertus Comes quamdam munitionem filiorùm Lotharij, quam dicunt Mortaniam, super Scaldum fluuium vi capit, & diruit.* Deinde ab eodem subiungitur anno DCCCC. XXXI. *Ludouicus Rex in Franciam reuertitur, & Heriberto Comite ab illo deficiente, Rex sumpto sibi Hugone castellum Heriberti Donineum nomine capit & diruit: deinde Atrabatem obsidet. Heribertus Comes adiunctis sibi per Gislebertum Ducem Lothariensibus, contra regem vadit. pactisque inducijs vsque Kal. Octobris, vtrinque discedit.* Non leuem tamen hìc difficultatem id parere videtur, quòd tradat Frodoardus Arnoldum Duagium tenuisse, cùm id primùm Lotharienses caperent; ac postquam secundò ea sunt vrbe potiti, Heribertum S. Quintini castrum eidem Arnoldo dedisse. Quis enim Arnoldus? Nam eo tempore Flandris vtrisque, Teutonicis nempe & Gallicis Arnulphus imperabat. Ego quidem facilè arbitrabor, non alium ab hoc fuisse Arnoldum; quoniam Arnulphum in partibus quoque Comitis Heriberti stetisse video: vt eundem Flandriæ Comitem nunc Arnoldum, nunc Arnulphum nominet, quod etiam alij faciunt. Verùm si bis intra biennij spatium Duacensis vrbs ab Lothariensibus pro Hugone fuerit capta, indubiè Arnulphus intra id tempus eandem vel armis, vel dolo, vel alia quadam ratione recuperauerit: vt forsan inde non leue malum aliquod hoc oppidum sustinuisse possimus arbitrari. Apud eundem Frodoardum Duacensem vrbem Arnoldo vel Arnulpho redditam video, cùm ita scribit anno 941. *Rotgarius Comes datis obsidibus dimittitur à Rege Ludouico, Duagium castellum reddens Arnoldo.*

A VARIIS PRINCIPIBVS SÆPE CAPITVR.

AC FORSAN PRIMVM AB HVGONE ET LOTHARIENSIBVS.

DEIN AB ARNVLPHO FLAND. COM.

B

C

Apud Iacobum Meierum inuenio, disceptantibus de finibus ditionum suarum Franciæ Regibus, & Flandriæ Comitibus, intra paucos annos iam ab his, nunc ab illis obsidio circumuentum, & ad deditionem coactum fuisse hoc oppidum. Primus inuasit Francorum rex cepitque. Arnulphus Comes modò Vetulus ab ætate, modò à corporis dignitate Pulcher appellatus (is fuit, cuius antè ex Flodoardo meminimus) armis repetiit, & obtinuit. At hoc vita perfuncto, eiúsque nepote Arnulpho iuniore Flandrici Comitatus habenas moderante, Lotharius rex magnum ex Francia exercitum in Gallo-flandriam deduxit, eóque Duacum repentè obsedit, & ad deditionem compulit. Hæc narrantis verba Meieri profero: *Grauis illi fuit cum Francis de Flandarum finibus contentio: qui nihil æquè studebant ac Flandris quatenus valebant, præcidere alas, eorúmque fines indies reddere arctiores. Atrebatum, Duacum, Hanas ablata ab illis recuperauit.* Ac posteà: *Eo autem mortuo facilè Francorum armis ob immaturam nouelli Principis ætatem in Flandriam patuit irruptio. Lotharius rex statim Atrebatum, Duacum, Hanas, cum alijs plerisque locis inuasit, Flandriámque omnem, quod & Sigebertus testatur, Lysa tenus rapinis, & incendijs fœdauit.* Hactenus Iacobus. Citatus autem ab

D

AC POSTMODVM A FRANCIÆ REGE.

ET AB EODEM ARNVLPHO COM. TVM ETIAM A LOTHARIO REGE.

Lib. 2. Annal. Fland. in Arnulpho Magno.

eo Sige-

eo Sigebertus hæc habet: *Arnulfo sene Flandrensium Comite mortuo, Lotharius rex Francorum grauiter Flandrias infestat.* Cæterùm, quàm grandi malo fuerit affecta Duacensis vrbs, cùm ei Lotharius obsidium admouit, ex Petri Oudegherstij narratione poteris intelligere. A

Annal. Fland. cap. 30.

IDEM OPPIDVM FRVSTRA OBSIDET IMP. HENRICVS. *Lib. 4. Annal. Fland.*

Anno deinceps millesimo centesimo decimo propiùs hoc oppidum ab ingenti clade abfuit, cùm ei Cæsar Henricus infestissimas obduxit copias. Quibus id probet, Iacobus Meierus hæc Watenensis Codicis verba depromit: *Anno* M. C. X. *Henricus Cæsar filius Henrici excommunicati Castrum Duacum obsedit, & fortem impetum in ciuitatem faciens nostros multum terruit: sed plures ex suis perdidit. Post hæc pace cum nostro Comite composita, multas ob causas mæstus abscessit.*

ARMIS REPETIT ET SVBIGIT COMES BALDVINVS. *Lib. 5. Rer. Anglic. c. 23.*

Dum glisceret anno Domini 1197. Francos inter Anglósque Flandris confæderatos flagrantissimum bellum; Balduinus Flandriæ Comes, qui propter Græcorum Imperium Constantinopolitani cognomentum accepit, Duacum rursus obsidione vallauit, tandémque expugnauit fortiter. En quæ litteris ea de re Guilelmus Neubrigensis tradidit: *Eodem tempore defecerunt à Rege Franciæ quidam regni eius potentes illatis ab eo iniurijs irritati, iunctique regi Anglorum vires eius auxerunt, & ab eo vicissim robur acceperunt. E quibus Comes Flandrensis dolens se à rege Francorum iuris hereditarij dimidia ferè parte fraudatum, Regis Anglorum pecunijs roboratus, nobile oppidum quod dicitur Duay, obsessum deditione accepit, quasdam etiam munitiones alias occupauit.* B

In lib. de gest. Philipp. Aug.

Huc respicere crediderim Rigordum ita scribentem: *Anno Domini* M. C. X C V I I. *Balduinus Comes Flandrensis à fidelitate Regis Francorum manifestè recedens, Regi Angliæ Richardo confœderatus est, & Regem Francorum, & terram ipsius grauiter persecutus est.*

EIDEM METVM INCVTIT REX AVGVSTVS.

Sed non absque magno metu ciuium paullo pòst cum ingenti exercitu proximè muros Duacenses Augustus Rex apparuit. Auctarij Aquicinctensis hæc ea de re verba: *Philippus Rex Francorum hæc audiens, & indignè ferens, congregatis sui regni Episcopis, Abbatibus, equitum quoque & peditum magna copia, contra Balduinum proficiscitur; & in vigilia Assumptionis B. Mariæ apud Duacum ex insperato venit: sed vtili nobis consilio, eadem die recessit.* C

AC POSTEA SVBIGIT. *Iac. Meier. l. 8. Lib. 9. Philip.*

Eodem Augusto rege Francorum, & Ferrando Flandriæ Comite mutuis odiis sæuientibus, etiam nouæ obsidionis ac deditionis incommoda sensit Duacum, ciuibus intra muros Francum admittere coactis. Apud Guilelmum Britonem, ea de re hi versus reperiuntur:

Obtinet hinc abiens sub quarta luce Duacum,
A propria sibi Ferrandi lege solutum,
Sub ditione sua quod adhuc tenet.

Chron. Fland. Meier. l. 10.

PHILIPPVS PVLCHER DVACVM OBSIDET ET OBTINET.

FRVSTRA TENTATVR AB EODEM ALIISQVE. *Ibi. 8.*

DVACENSIA SVBVRBIA IGNI CORRVMPVNTVR.

Et bis Pulchro rege aduersus Flandros eorúmque Comitem Guidonem æstuante, vallatum se doluit hostilibus copiis idem oppidum, bísque leges victoris subiit. Ac primò quidem anno 1297. infestantibus admodum Francis eorum regi deditionem fecit: dein anno 1302. Ioannem Guidonis Flandrorum Principis filium mitiùs obsidentem admisit. Id quod grauiter ferens Pulcher nouis Gallo-flandriam copiis aggreditur, ipsúmque præsertim Duacum maximis adoritur viribus. Verùm tunc solo impetu perterruit, Henrico Flandrensi fortiter tuente. Frustráque postmodum Franci aliquoties belli furtis subigere tentarunt, nunc Maximiliano rege Romanorum Flandris imperante anno 1479. vt latè memorat Molinetus: nunc Philippo secundo Hispaniarum rege, dum Gaspar Colignius Franciæ Archithalassus anno 1557. copias noctu admouit. Neque cessit feliciter tumultuum Belgicorum temporibus hæreticorum factio, qui primùm intestinis motibus vrbem agitare, dein etiã armata ex insidiis manu eam irrumpere moliebantur. Propius tamen ab ingenti abfuit infortunio Duacum, vbi quorundam prauis artibus fex populi commota vrbis compita in armis obtinuit, grauibúsque externos nobiles, qui tunc infra muros sese continebant, iniuriis affectos, vnáque Societatis Iesu Religiosos malè habitos portis expulit, frustrà senatu conatus eius frangere aggresso. Quæ posteà Balignio Cameracum insidente

(Right margin: An. 1304. D — An. 1578.)

A ædificia flammis Franci in suburbijs hausere, non leuem fecere incolis ac ciuibus dolorem.

Quæ læta Duaco acciderint.

Capvt XXXVI.

Verum his omissis ad eà conuertamur, quæ decus noménque magnum olim Duaco pepe̯rere sanctorum, Principúmque munere. Quantum è Martianensibus libris colligo, Diuus Adalbadus, eiúsque coniux sanctissima Rictrudis, nobilissimo hæc Vasconum Ducum, ille regum Francorum genere, exorti, non raro tempus hic transiere. Ad ipsum scilicet Adalbaldum huius loci, quem supra diximus eum instaurasse, possessio spectabat: indéque nonnulli quanquam minùs rectè Duacensem nuncupant Ducem. Neque priùs Rictrudis in Martianense Monasterium sese condidit ęterno numini cōsecranda, quàm illic vnà cum liberis, D. Amando, ac plerísque tum sanctissimis, tum nobilissimis hominibus in B. Virginis æde cælestem publicè, ad tantum opus feliciter capessendū, opem flagitauit.

S. Adalbaldus, S. Rictrudis Duaco sunt honori.

B

Florentissimum verò hæc ciuitas conuentum aspexit anno Christi 874 postquam aduersus Nortmannos eam tutatus est D. Amatus. Quippe regis Francorum voluntate coactum istic concilium fuit, ad exquirendam magnorum hominum sententiam, essentne Duaci Broylenses seu Clerici, seu Religiosi vnà cum S. Amati Pontificis corpore perpetuùm retinendi. Quid hac de re notatum habeat Amatensis Ecclesiæ liber argenteus, in medium hîc profero: † *Placata persecutione Danorum, Fratres Deo & S. Amato seruientes, Carolum regem, * Arnulphum Comitem Flandriæ, Ioannem Cameracensem Episcopum agnomine Bellum, quamplures etiam Episcopos & principes iussu regis conuocatos, quid de corpore S. Amati agendum sit, pariter consulunt. Communi autem eorum ordinatione, & priuilegiorum suorum confirmatione statuerunt, quod sanctissimum corpus; & fratres eidem sicut antea, seruientes, intra Duacum in præfata Ecclesia B. Mariæ cum eorum priuilegijs & possessionibus, quæ priùs habuerant, vel deinceps habituri erant, remanerent. Ad petitionem verò prædictorum Regis, Comitis, & aliorum multorum prædictus Ioannes Cameracensis Episcopus agnomine Bellus præfatum sanctum corpus in dicta Ecclesia, vt decuit, honorifice collocauit in feretro.* Venit posteà cum insigni Comitatu hanc in vrbem Lotharius Francorum Rex anno 975. vertente, ibíque pro Martianensibus Religiosis diploma conscripsit.

Conventus nobilissimorum hominum Duaci cogitur.

† An eo tempore fuerit placata hæc persecutio, ostendemus libro 2. c. 12.
* Balduinum.

C

Atenim si de sacris hominibus, aut diuorum corporibus vno eodémque tempore intra muros Duacenses coactis sermonem libeat instituere; nescio, magísne aliquid ad gloriam facere possit, quàm quod illic ab innumera multitudine spectatum fuit anno partæ salutis 1206. cùm S. Amati pontificis ossa in nouam è veteri capsa transferentur. Primùm enim è vicinis vrbibus pagísue non pauca illuc Sanctorum corpora insigni fuerunt pompa delata. Deinde præter Gerardum Catalaunensem, Gossuinum Tornacensem, Radulphum Atrebatensem Episcopos, Abbatum & Præsulum aliorum, Canonicorum & Monachorum sacris vestibus rutilantium è præcipuis Belgij Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, ac Monasterijs ingens numerus aderat quemadmodum alibi fusiùs memoramus.

Translatio S. Amati cum insigni pompa Duaci celebratur. *Lib. argent. Amat. eccles.*

D

In S. Amato.

Anno 1301. intra paucos dies Francorum rex Philippus cognomento Pulcher cum illustri comitatu bis hanc vrbem pacificus intrauit, quo tempore Flandriam vnà cum vxore lustrabat. Ac priusquam inde Franciam repeteret, ingenti Robertus Atrebatium Comes apparatu nuptias cum Margareta Comitis Hannoniæ filia natu maxima contraxit celebrauítque. Et placuit Ioanni etiam Franciæ regi anno 1355. Duacum plurimos è Francia principes viros ac pontifices deducere: ibíque S. Mauronti festum diem peragere: & cùm ei diuo pretiosum auróque pertextum pannum dedicasset, D. Amati Canonicos regalibus epulis adhibere. Non erit credo, lectoribus oneri, si pernoscendæ gratia vetustatis ex argenteo Amatensis ecclesiæ libro rem eam depromam proponámque. Sic igitur ibi scriptum reperi: *Vniuersis hæc præ-*

Philippus rex Franciæ Duacum venit. *Lib. argent. Amat. eccl. Iac. Meier. l. 10. Ferreol. Locr. in Chron.*

Itemque Ioannes rex Franciæ.

sens scriptum notum sit inspecturis: quòd anno Domini 1355. Illustriss. Princeps Ioannes gratia Dei Francorum rex magna diligentia suos visitando ad partes peruenit Picardiæ, insuper tertio Non. Mens. Maij eiusdem anni Vigilia S. Mauronti, &c. ad villam peruenit Duacensium & cum eo multi nobiles Domini venerunt, scil. Dominus Petrus Dux de Bourbonio, Iacobus de Bourbonio Comes de Pontiuo tunc Comestabularius Franciæ, Dominus Ioannes Artisiensis Comes Augi, Dominus Carolus Artisiensis frater prædicti Domini Ioannis, Dominus Comes de Tancaruilla, tunc Camerarius Franciæ, Dominus Arnulphus de Dodenthem miles, tunc Marescallus Franciæ, Dominus Vicecomes de Carmain, & quidam nobilis miles scilicet Dominus Robertus de S. Venantio: ac etiam quamplurimi Reuerendi Patres in Christo, scilicet Dominus Archiepiscopus Rothomagensis tunc Cancellarius Franciæ, Dominus Archiepiscopus Senonensis, & magnus exercitus nobilium Baronum & militum, ac etiam clericorum similiter cum eo Duacum intrauere. Scito iocundo prædicti Domini regis aduentu, Burgenses Duacenses eisdem vestibus cooperti, & totus Clerus eiusdem villæ processione ordinata cum capis sericis, & sancta Cruce lata à venerabili viro scil. Domino Decano ecclesiæ S. Amati, eidem regi obuiam honorificè occurrerunt, & cum ingenti gaudio pusilli & magni susceperunt. Qui equitans per totum medium villæ cum maxima reuerentia & deuotione ad S. Ecclesiã descendit Amati, & non ad aliam. Oratione autẽ facta eidem Ecclesiæ duos pannos obtulit aurifictos, & eodem die ad cœnam præsentes assistentes fecit vocari venerabiliter eiusdem Ecclesiæ Canonicos. Idem sequenti die scil. festo S. Mauronti prædictus rex ad Ecclesiam S. Amati reuersus ex benigna humilitate cum clero processionem fuit insecutus. & caput S. Mauronti eadem processione orando fuit osculatus & totam missam in eadem ecclesia celebratam deuotissimè hìc audiuit.

IOANNES BVRGVNDIÆ DVX FREQVENS DVACI. *Iac. Meier. l. 15.*

Non rarò hac in vrbe Ioannem Burgundiæ Ducem egisse comperio. Illic enim anno 1411. cum magna ditionum suarum nobilitate considebat, cùm Ducis Aureliani liberi per fecialem & litteras ad certamen vocauere: indéque viris consilio adhibitis, ad eos legauit, qui litteras suscepti ab se belli testes traderent. ibidem omnia bello in Franciam portando necessaria comparauit, ac delectas ex omni Flandria copias recepit lustrauítque.

EIVSQVE FILIVS PHILIPPVS BONVS BVRGVNDIÆ DVX. *Monstrel. t. 2. Iac. Meier. l. 16. Monstrel. to. 2. Iac. Meier. ibid.*

Tribus Duacum nobilissimis conuentibus Philippum eius filium ornasse video. Primus anno 1425. habitus, cùm de pace inter Hannonios & Brabantos concilianda Iacobæ Hannoniæ Principis mater, Ducísque Brabantiæ legati laborarunt. Alter in annum 1437. incidit eodem Philippo iubente, ob exortam inter Charnij toparcham aureo vellere fulgentem, Hyrúmque virum pernobilem in custodiam ab eo coniectum, controuersiam. Hunc enim cùm vellet Franciæ rex in libertatem asseri, grauis admodum incessit Ducem perturbatio, conuocatísque Duacum vtrísque, litem istic dirimi mandauit, vbi tunc agitabat: & cùm ad ipsum omnis controuersiæ arbitrium à partibus delatum fuisset, is secundùm Hyrum in regis gratiam pronuntiauit: statimque huius cum Charniaco, & Ioanne Luxemburgio grauissimas exstinxit inimicitias. Anno denique 1438. cùm Dux idem Duaci consisteret multa septus Burgundica Belgicáque nobilitate, ab Rege Nauarræ ad eum venit legatio. Neptis eius Cliuiensis Ducis filia in matrimonium regis illius filio natu maximo petebatur. Postquàm ergo Philippus regis petitionem suorum consiliis expendit attentiùs, his tandem nuptiis assensum prębuit. Et contractum illico Duaci connubium est, idque non vulgari pompa celebratum, donec in Nauarram ad regem nouam frater nuptam deduceret. Ac tum multo tempore hac in vrbe commorata est Ducis Philippi coniux Elisabetha & cum ea tam virorum, quàm matronarum illustrium vis magna. Fuítque peropportunum quàm plurimis pauperibus, quos Duacum vndique frumenti abundantia exciuerat, eius principis mulieris domicilium. Quippe cùm alibi grauissima mortales indigentia panis opprimeret, iámque Duaci Senatus aliunde profectos inopes excludere moliretur: non paucos ipsa quotidie suis impensis aluit: eóque multos nobiles viros ad subministranda egenis alimenta pertraxit exemplo.

Monstrel. t. 2. Iac. Meier. l. 16.

Lib. ms. Duac. ISABELLA PHILIPPI BONI CONIVX.

PHILIPPVS II. REX HISPANIÆ DVACVM EXORNAT.

At Philippus Hispaniarum rex huius nominis secundus in hanc vrbem duo præclara præstitit. Primum quidem honoris plurimum & maiestatis conciliabat, quo tumultibus Teuthonicæ Flandriæ nondum oppressis, supremum Flandriæ omnis

Senatum

A Senatum illic constituit. Verùm breui tempore Duacum eo consessu claruit, qui pacatis rebus omnibus Gandauo rursus est optanti redditus. Alterum neque famæ modicum, neque vtilitatis parum peperit. Quippe regis eius instituto perpetuam habet Duacum Academiam, cuius anteà meminimus: eiúsque gratia tantum apud exteras nationes nomen obtinuit, vt non modò Belgij omnes Prouinciæ, verùm etiam Francia, Germania, Polonia, Anglia, Hibernia, Scotia, erudiendos huc liberos mittant.

Quos Duacum in auras emiserit viros dignitatibus, virtute, litteris, & factis nobilibus præstantes.

B

CAPVT XXXVII.

VERVM de Principibus hæc sufficiant. Nunc ad eos calamum vertamus, vel qui lucem hausere Duaci nascendo, & plurimis rebus emicuere; vel in auras alibi producti multum huic oppido scientiis & virtutibus attulere splendorem. Priusquàm tamen de his aliquid dicere aggrediar, beneuolum lectorem duxi monendum, nullam hoc loco mentionem eorum me facturum, qui genere vel armis nobiles Duaco laudi fuere: quòd si qui horum libris inseri mereantur, vel ad Castellanos Duacenses, vel ad homines Gallo-flandriæ gubernaculis admotos præsertim reuocandi sint, ideóque videantur alibi opportunius laudandi. Deinde nolim quempiam id à me flagitare, vt omnes hunc in locum referam, qui præclaris se rebus aliis præstare studuerunt. Nam neque in mea id situm est potestate, neque si possem, congruere instituto meo arbitrarer: cùm existimem facturum me satis prudentium desiderio, si paucos tantùm è notis seligam, & qui nondum in cognitionem venere, quantum mihi licebit, in medium eos proferam: vt igitur ab iis ordiamur, quos felici partu Duacum eduxit: inter eos, qui virtutibus suis ad magnas Ecclesiæ dignitates sibi gradum fecere, non immeritò primas teneat Petrus Cardinalis Diaconus, S. Mariæ in via lata titulo insignis, quem Rigordus *Petrum de Doaio* nuncupat, Iacobus Guisianus, & Iacobus Meierus patria Duacensem fuisse asserunt. Apud Innocentium tertium totius Ecclesiæ caput magna valuit authoritate. Quamobrem ab eo Pontifice præsertim electus est, vt in Franciam legatus de pace cum regibus Francorum & Anglorum ageret: tantúmque apud Francum efficeret, vt eiectam è palatio Ingelburgam coniugem thalamo iterum sociaret. Inter reges componendæ pacis gratiâ missum, sic memorat Rigordus: *Dum hæc agerentur, Innocentius Papa Tertius misit in Franciam Legatum Petrum † Capuensem, sanctæ Mariæ in via * Iani Diaconum Cardinalem, ad reformandam pacem inter Philippum regem Francorum, & regem Angliæ Richardum. Veniens autem in Franciam vir venerandus circa Natiuitatem Domini, pacem quæ nimis deformata videbatur, reformare non potuit: sed fide duorum regum interposita, quinquennes treugas ab ipsis accepit, quas nunquam per obsides dolis regis Angliæ interuenientibus confirmare † non potuit.* Ingelburgę causa legatum apertè significat Aquicinctinum Chronici Auctarium: *Diebus Natiuitatis Dominicæ transactis venit in Galliam Petrus Cardinalis Diaconus S. Mariæ, ab Innocentio Papa transmissus legatus, litteras Philippo Francorum regi deferens: in quibus præceptum continebatur Apostolicum, vt Ingelburgem venerabilem Reginam falso consanguinitatis iuramento disiunctam, legitimè sibi resociaret. Quòd si acquiescere nollet, anathematis vinculo subiaceret.* Hæc scriptor Auctarij, qui mox de laboribus à Petro frustrà susceptis conciliandæ pacis gratia: *In marchis vtriusque regni concilium agitatur, vtrique reges Francorum & Anglorum conueniunt, cum multitudine Episcoporum, Abbatum, Comitum, Priorum, Præpositorum, & vtriusque ordinis infinita multitudine hominum; de pace inter reges & Comitem Flandrorum facienda multum laboratur, sed ad effectum minimè perducitur. Sed*

Margin notes: C — D — *Lib. 1.* — PETRVS CARDINALIS. — *In Annal. Han.* — *In Annal. Fland.* — † Duacensem. — * lata. — † abundat hæc vox non.

tamen induciæ in quinquennium retinendæ verbo tenus obtinentur, quæ vix vsque in pascha tenentur. Dum verò negotia sibi à Pontifice maximo commissa Petrus vehementer, at in vanum, exequi contendit, in Belgium iter suscipit. Verùm hîc ab Francis insidias tendentibus cum Namurcensi Comite Philippo intercipitur, & captiuus ad regem mittitur. Paucis hoc indicat Rigordus cùm scribit: *Dum hæc & alia ibidem agerentur, Philippus Comes Namurij frater Comitis Flandrensis, captus est à Roberto de Belesio, & ab Eustachio de Nouauilla, cum duodecim militibus, mense Maio, iuxta castrum, quod Lentium vocant, & regi Philippo traditus cum Petro de Doaio Clerico, qui multa mala regi machinatus fuerat.* Nullam tamen eius mentionem facit Aquicinctense Chronici Auctarium. vbi námque de Comitis Philippi captiuitate loquitur, hæc tantùm habet: *Philippus Comes Namurcensis frater eius cum alijs quibusdam militibus capitur, qui vincti ferro ad Regem in Franciam diriguntur.* Verùm apertè cum Rigordo sentit Iacobus Guisianus, dum vnà Petrum in manus hostium venisse testatur. In eo tamen ab Rigordo diuersum video, quòd scribat ipsum ab Roberto Leuzio seu Luthosio, non procul Leuzia, seu Luthosa in vincula coniectum. Guisianum in vtroque sequitur Iacobus Meierus his verbis: *Philippus Comes Namurcensis Balduini frater, circumuentus Gallorum insidijs prope Luthosam capitur vnà cum viris alijs nobilibus duodecim; in quibus & Petrus Sedis Apostolicæ legatus patria Duacensis Cardinalis titulo S. Mariæ in via lata.* Exacto tamen trimestri Petrum vinculis absolutum regis mandato tradit Rigordus, assertíque in libertatem causam sic aperit: *Electus verò Cameracensis captus fuerat ab Hugone Damelencort: pro quo Petrus iam dictus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus totam Franciam sub interdicto posuerat. Sed reuolutis tribus mensibus, habito rex saniori consilio, Ecclesiæ sanctæ Petrum prædictum liberum reddidit.* Rigordo persimilia in Annalibus Hannoniæ tradidit Iacobus Guisianus. Minimè verò fractum vinculis & custodia Petri animum, quin commissa sibi ab summo Pontifice perficeret, ea, quæ narrat Auctarium Aquicinctense, patefaciunt. Hæc enim ibi breuiter leguntur: *In diebus Aduentus Domini Petrus Cardinalis apud Diuionem Burgundiæ castrum cum personis Ecclesiasticis tenuit concilium. Omnis ab eis ibi facta constitutio non indiget penna vel pergameno.* Quæ paullò fusiùs in hunc modum explicat Rigordus: *Eodem anno mense Decembr. in festo S. Nicolai conuocatum est Concilium apud Diuionem à Petro prædicto Cardinali, omnium Episcoporum, Abbatum, & Priorum totius regni. Sed quia contra regem Franciæ regnum ipsius sub interdicto ponere moliebatur, à nuntijs regis ad Romanam sedem est appellatum. Tamen ipse Cardinalis appellationi non deferens, in eodem loco astantibus Episcopis vniuersis sententiam protulit, sed vsque ad* XX. *dies post Natiuitatem Domini non esse publicandam præcepit, &c.* Verùm hæc de Petro sufficiant, vt eius dignitatem, munus, animúmque declaremus.

B. GOSVINVS ABB. AQVIC.

Post eum non immeritò collocauerim B. Gosuinum, cui sanctissima religio, insignis doctrina, & virtutum vis maxima nolenti pedum Aquicinctensis Abbatiæ imposuit. Qui vitam eius pulcherrimis virtutum luminibus illustrem & sapientissimis facinoribus præclaram litteris mandauerint; duos inuenio, Alexandrum scilicet, qui proximè in Aquicinctensis Monasterij gubernatione ipsum excepit, & Anonymum quendam alium: horúmque labores in vulgus emissi nupertimè sunt, postquàm annos quamplurimos latuere. Duacensem fuisse B. Gosuinum ita prodit Alexander: *In castro, qui Duacus nominatur, ortus est Gosuinus parentes honestos merito transcensurus honestatis, & quampluribus honestatis semitas ostensurus.* Dum iuuenis esset, insignem dedisse litteris operam & virtuti, vterque vitæ auctor enarrat. adeóque dialecticis concertationibus valuisse scribit Alexander, vt Petrum Abailardum vehementissimè disputando constrinxerit confuderitque multos eius discipulos in eam, vbi paullò post docuit, exedram eloquentia, & doctrinæ præstantia pertraxerit Parisiis. Postquàm sese in Aquicinctense Monasterium capessendæ religionis ergô abdidit, credi non potest, quantis animum virtutibus ornauerit; & quàm præclarum se antistitem præstiterit, vbi coactus est totius cœnobij curam suscipere. Admodum sanè mira sunt, quæ de ipso tum Alexander, tum Anonymus in libellis suis prodidere: quorum verba nihil est cur hîc referam, cum iam ea manibus omnium terantur, ex quo lucem

A lucem horum fœtus aspexere, postquam eos P. Richardus Gibbonus Societatis Iesu Theologus è sinu latebrarum eruit, & prælo commisit. Igitur de ipso tantum ea in medium hîc proferenda iudico, quæ sparsim alibi deprehendi. In manuscripto Anselmi Gemblacensis Abbatis Chronico Aquicincti seruato, de imposito ipsi onere gubernandi hæc ad annum 1131. leguntur: *Defuncto Roberto Atrebatensi Episcopo, successit ei in pontificatu Aluisus Aquicinensis Ecclesiæ sextus Abbas, vir magnæ religionis & seueritatis. Cui in Aquicinensi Ecclesia substituitur Gosuinus septimus Abbas.* Qui duos de miraculis B. Rictrudis Martianensium antistitæ, libros composuit anonymus auctor, eo tempore, quo vitam etiamnum ducebat in terris Gosuinus, ista memoriæ tradidit: *Domnus verò Gozuinus Aquicinensis Ecclesiæ Abbas, qui adhuc superest, vir religiosus, & prouectæ ætatis, & inexorabilis corporis sui castigator, quem laudare nolo, quia laudari non appetit.* Lib. 1.
A. n. 1166. In Aquicinctino Chronici Auctario mors eius ita describitur: *Piæ memoriæ domnus Gozuinus Abbas Aquicinensis septimus caritate illustris, amator pacis & religionis* VII. *Id. Octobris circa mediam noctem die Dominica luna* XI.
B *indictione* XIV. *de hoc sæculo transijt: quo in ecclesia B. Mariæ semper Virginis, in loco vbi orare consueuerat, cum magno fratrum suorum gemitu tumulato, Alexander Prior eiusdem ecclesiæ octauus succedit.* Nunc autem ne de aliquo virtutum Gosuini elencho lectorem eum frustremur, cui neutra suppetit eius vita, epitaphium ipsius multa breuiter complexum, dein vetus Religiosi cuiusdam poëma in laudem tanti hominis olim concinnatum placet iam dictis adiungere. Igitur epitaphium sic habet:

Sublimem merito, diffusum nomine, longum
Proposito, breuis hæc continet vrna virum.
Huius vera fides, spes firma, calens amor, huius
Mens humilis, prudens lingua, benigna manus.
Actu Martha fuit, verbóque vacando Maria,
C *Vt pariendo Lia, sic speculando Rachel.*
Discernendo Iacob, Moyses orando frequenter,
Et Phinees vitium confodiendo fuit.
Octobris tibi nona dies extrema, supremis
Addidit Ordinibus te Gosuine nouem.
Inde tuos nobis cineres seruantibus, ipse
Patronum faciat, qui dedit esse patrem.

Producti verò è veteri libro versus ità loquuntur:

Munditiæ titulus, virtutum fulgor, honesti
Integritas, fidei gemma, pudicus Amor:
Pacis oliua, fauus dulcedinis, aureus imber
Eloquij, morum flos Gosuinus obit.
D *Mundus obit mundi victor, nec mundus ab omni*
Sorde, sed à mundi crimine mundus obit.
Irrupit speculum, transcendit sidera, noctem
Abstulit, & plenam contulit vmbra diem.
Vixit hic in mundo non carni, nec tibi munde,
Transijt hinc mundo cernere corde Deum.
Virtutis radium, quem denotat Ordo suorum,
Gréxque patrem doctus, non aliena, sequi.
Quem nec honor, nec honoris onus, nec opes, sed opis res
Viribus Atlantem sensit adesse sibi.
Extulit hunc fidei carbunculus, vnde fidelem

Rem potiùs, quàm ſpem morte ſequutus habet A
Hoſtem pro Chriſto, Chriſtum ſuper omne, propinquum
Vt ſe, non homini ſubdita plus homine;
Sic homo trans homines citráque Deum Deus extans,
Diſpare pro meritis iunxit amore ſibi.
Litis diluuio Pacis ſucceſſit oliua,
Ipſe Noë mittens, ipſe columba ferens.
Qui fuit hoſpitium pacis, manus hoſpita litis,
Litigioſa malis, pacis amica bonis.
Eximium ſtillans oris dulcedine rorem,
Exempli radium ſe noua cera dedit.
Sermonum cultu, verborum floribus orbi
Inſignem genuit philoſophia virum. B
Vir virtute ſenex, non tempore; cui ſtudioſa,
Non annoſa tamen mens dedit eſſe ſenem.
Tranſtulit à puero puerum, ſine crimine morum
Vir nouus in puero, ménſque profeſſa ſenem.
Flos pueri, fructúſque viri, nutrixque ſenectus
Maturam poterat compoſuiſſe nucem:
Dum te fata metunt noſtræ vix æmula luci,
Plúſque ſalutiferis inuidioſa cibis.
Te mortis metit vmbra roſam, tua lilia falcem
Inuitant, ſed ea lilia caſa metunt. C
An moreris? moriendo magis de morte triumphas;
Quæ quia te rapuit, viuere morte dedit.

Finem facio cum his eius vitæ auctoris anonymi verbis, quibus inſignis ad poſteros B. Goſuini tranſmittitur æſtimatio: *Vſque ad præſens cùm Abbas in eccleſia Aquicinctenſi eligitur, baculus eius in manu electi ponitur, eique dicitur, accipe baculum Abbatis Goſuini; vt videlicet, cuius ſuſcipit officium, imitetur exemplum. Quod factum in electione Domini Alexandri, qui eius extitit ſucceſſor, ab his qui præſentes adfuerunt, audiuimus, & in promotione Domini Simonis oculis noſtris perſpeximus.*

IOANNES DV CLERC ABB. VEDASTIN. *Tom. 3. Lib. 16.*

Neque verò alibi, quàm in vrbe Duacenſium felici partu effuſus eſt Ioannes du Clerc nobiliſſimi apud Atrebates Vedaſtini Monaſterij antiſtes olim clariſſimus. Apud Enguerranum Monſtreletum inſignis eius memoria reperitur, quam in hæc verba ferè conſtrinxit Iacobus Meierus: *Menſe Septembri obijt laudatiſſimus Abbas diui Vedaſti Atrebatenſis Ioannes de Clerc anno ætatis ſuæ octogeſimo ſexto, cuius pietas liberalitáſque per ſummam rei frumentariæ difficultatem in alendis pauperibus enituit.* AN. 1461. D *Memor enim erat ideò tanta bona collata eſſe monaſterijs, vt in neceſſitate inopum miſeriam ſubleuent. Idem nouis ædificijs valdè decorauit Monaſterium. Eſt qui Philippi quoque Principis Eleemonem fuiſſe tradat. Ducentis retro annis non habuit ea eccleſia tam laudabilem rectorem.* Ita quidem Meierus. Verùm hîc iis Ioannem coloribus libet repræſentare, quibus eum D. Philippus Cauerellius eiuſdem antiſtes cœnobij noſtris temporibus ornauit. Sic igitur is in ſuorum præceſſorum deſcriptione nondum in lucem edita loquitur: *Ioannes IX. du Clercq (ſatius eſt enim vernacula lingua cognomen imprimere, quàm aliàs parum intelligi) patria Duacenſis, honeſtis editus parentibus, ipſe animo prorſus liberali, & virtute, quæ prima eſt nobilitas, apprimè nobili, è Suppræpoſito Pater Abbas, eum ſe exhibuit, vt ab adepto virtutis officio, quod priuatus exercuerat, nunquam accepta dignitate ſit abductus. Huic tantùm veriſſimæ laudis etiam externi tribuerunt, quantum huius*

A *ordinis præsulum nulli alteri duobus retro sæculis; neque id adulanter, aut falsò. aut enim nemo, aut si quisquam, proximè præcedentium (ad primos enim quosdam pertinet ea lux, ad quam ne posteri quidem omnes aspirare possint) hic optimus exstitit. Quod ea ætate eò mirum magis, quò l licentiam vitiorum omnium secum veheret: vt vix quidquam vel grauissimum probro verteretur. Quæ prudenter, piè, magnificè egerit, ne summa quidem maximorum capita hìc attingere per loci angustias licet. Eum qui cognoscere volet, fingat sibi prudentissimum patrem familias, pastorem pijssimum, virum omninò candido Christianóque pectore laudatissimum.*

Et suos Duaco natales debet Petrus Laubegeois, aliàs Toullet cognominatus, qui monasterium Aquicinense trigesimùs Abbas moderatus est. Eius fuit opus ingens illud ædificium, vbi nunc aduersa laborantes valetudine monachi curantur: quod eo fine construxit, vt illic ab omni tumultu laicorum segregatus & religiosa quiete iucundiùs frueretur, & in suorum spiritualem vtilitatem fructuosiùs ex officio incumberet. PETRVS LAVBEGEOIS ABB. AQVIC.

B Velímne his Robertum Gaguinum sanctissimæ Trinitatis Ordinis olim ministrum Generalem adscribere, incertus hæreo. Etenim circa solum eius natale non leuiter auctores discrepare video. Ioannes Trithemius, & Antonius Possevinus viri longè doctissimi, & qui plurimos legendo libros variam hausere cognitionem, Gallum fuisse arbitrantur. Eius ortum Duaco attribuit Ludouicus Guicciardinus eo in opere, quo Belgicas prouincias describit. In eadem cum eo sententia sunt Aubertus Miræus, & Iacobùs Marchantius. Contrà Ferreolus Locrius *in Artesiæ finibus, vico Callone, ad Lisam fluuium* asserit natum. Qui librum de Ordinis sanctissimæ Trinitatis instituto composuit, duplicem quorundam opinionem proponit, quorum alij Duacum, alij vicinum aliquem locum Gaguini patriam faciunt. In hac controuersia quid maximè sentiam difficile esset statuere, nisi quodammodò me ad vrbem Duacensem Iacobus Bourgesius eius Ordinis vir grauissimus pertraheret. Hic enim cùm vellet Guaguini caput dono Ministri Generalis Duacum deferre, ibique con- ROBERTVS GAGVINVS TRINITAR. GENERAL. *In Catalog. In apparatu sacro. In descript. Belgij. In elog. In Fland. In Chron. Belg.*

C seruare: non alio nisus argumento videtur, quàm vt patriam eius tali monumento decoraret. Igitur nihil ab officio meo alienum fecerim, si nunc eum inter Duacenses collocem, & suis hìc ornem laudibus. Quod video vetustissimum de ipso testimonium, & elogium, ab Ioanne Trithemio profluxit. Is enim hæc libro de Scriptoribus Ecclesiasticis mandauit: *Rupertus Guaguinus natione Gallus, ordinis S. Trinitatis Generalis Minister, Doctor decretorum insignis, & tam in diuinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris eruditissimus, poeta clarus, & orator facundissimus, qui Italos sæpè stupidos sua eloquentia reddidit, ingenio excellens, vita & conuersatione deuotus. scripsit vtroque genere multa præclara opuscula, quibus nomen suum longè latéque notificauit. E quibus extant subiecta. Opus insigni carmine ad Arnoldum Bostium Carmelitam Gandaui morantem contra Vincentium de Castronouo ordinis Prædicatorum de Conceptione S. Mariæ lib. 1. De eadem re prosaicè lib. 1. De misera hominis conditione lib. 1. De arte metrificandi lib. 1. Orationes multæ elegantissimæ lib. 1. Epistolarum quoque lib. 1. epigrammata innumera. Et alia complura.*

D Qui prodijt non ita pridem libellus, initia, progressum, & institutum dictæ iam Religionis complexus, de Gaguino hæc inter alia memorat: cùm iuuenis in hunc ordinem esset receptus, maximíque specimen ingenij præbuisset, Generalis voluntate studiis admotum, insignem adeò fructum fecisse, vt poëta præclarus, orator eloquentissimus, & Iuris Canonici admodum peritus euaserit. Additque his ferè verbis: *Lauream magistralem Iuris Pontificij adeptus & scientia, & pietate sua Academiam Lutetianam ita illustrauit, vt haberetur præcipuum illius decus & ornamentum. Eam ob rem quoties vniuersitati studij Parisiensis conueniebat viris principibus, seu legatis congratulari, aut de graui negotio conuenire; is vnus solus inter tantos Academiæ sapientes, tanquam eloquentior & prudentior ad id muneris omnium calculis eligebatur.* Et mox subiicit ab rege Francorum ad summum Pontificem, Romam; deinde ad Senatum, Florentiam legatum, eius negotia feliciter explicuisse. Apud Aubertũ Miræum hæc insuper lego: *Cumque facundia & rerum vsu eximiè valeret, sæpè regum Gallorum nomine in Italia,*

Germania, ac Britannia publicas legationes obijt. Ludouico XII. *in primis carus, qui cùm librorum studio colligendorum teneretur, ingentem ei pecuniæ vim eo nomine appendit, regiaque suæ bibliothecæ præfecit.* Factus ordinis sui Minister Generalis anno 1473. prudentissimè & sapientissimè tanto magistratu perfunctus est. Quam de Franciæ regum gestis historiam scripsit, eam ita laudauit Faustus Andrelinus, quem ex Italia in Galliam adduxerat: A

Vt nitidos totum radios diffundit in orbem,
Cùm Titan puro splendidus axe micat:
Historijs sic Galla tuis monumenta relucent,
Exculte ac breuibus clare Roberte sonis.
Grandia milleno vix tædia voluerit anno
Quæ rudis immenso codice massa parit.
Gallia quàm debet regalibus inclyta gestis, B
Tam debent scriptis regia gesta tuis.

Cùm verò Gaguinus viuere desijsset, anno 1501. hoc idem Faustus epitaphium tumulo eius apposuit:

Illustris Gallo nituit qui splendor in orbe,
Hic sua Robertus membra Gaguinus habet.
Si tanto non sæua viro libitina pepercit,
Quid sperent docti cetera turba chori?

De corpore ipsius hoc mirum accepi, cùm aliud proximè sepulchrum aperiretur anno 1550. id totum ferè mirantibus omnibus integrum apparuisse: Iacobum Bourgesium, qui tunc erat Parisijs, caput eius impetrasse, ac Duacum portasse: istic in bibliotheca domus intra cancellos ferreos, in parietis cauo, collocauisse: hoc etiam hodie illic asseruari, his additis ab eodem Bourgesio versibus: C

Aspice me quæso. Roberti carcere mentem
Hoc tenui, recolas, quæ monumenta dedit.
Te sua scripta monent: speculum tibi mortis ad hoc sum.
Discito; Vita breuis, nec tibi certa manet.

Ad alios nunc pergo, qui non leuem quoque laudem inter Duacenses merentur. Ex iis primùm aliquos hîc proponam, quos doctrina, virtute, & sacris ordinibus claros antiquitas vidit: dein nonnullos dabo, qui nostra ætate vitam duxere. Eorum quos ex antiquis monumentis erui, primum sibi vendicet locum B. Gosuini frater natu minor Bernardus, quem Aquicinctensis Monasterij ascetam fuisse comperio, ac non vulgari floruisse morum sanctitate. Quæ de ipso suppeditat Alexander in Vita B. Gosuini, iuuat hoc loco describere. Igitur ille hunc in modum narrat libro primo: *Habebat* (Gosuinus) *fratrem natu se minorem, morum suorum elegantiam germana charitate, seu chara germanitate subsequentem. quippe qui eisdem vsus erat cum eo nutrimentis, alimentis pastus, doctus rudimentis: qui in scientia litterarum, quamuis pro ætate ei non valeret coæquari, ampliùs tamen ceteris condiscipulis eum præducem sequebatur, eius scientiæ propinquabat. Habebat & alios carnis generatione germanos, & affectu, quàm carne germaniores: verùm neminem habebat tam vnanimem, qui sic eius per omnia vestigijs adhæreret, æmularetur profectum, probitatem sectaretur. Cui cum eo tanta animi similitudo, & identitas voluntatis, vt fugeret omnia, quæ ab illo fugienda didicisset; appeteret autem, quæcunque docuisset appetenda. Denique huic tanquam symmystæ fidelissimo, indicauerat suæ propositum voluntatis: cui nihil occultandum suadebat firma fides, charitas feruens, tum pro beneuolentia cordis, tum pro consilij sanitate.* Et paullò pòst: *Cùm igitur huic æstus animi sui reuelasset, expandisset secreti sinum, propositum indicasset; laudauit ille velle, suasit perficere, eo tamen tenore rationis, vt absolui festinans compede sæculari, se non relinqueret obligatum: tendens ad littus, se non pateretur naufragari; pergens ad patriam, se non per-* D

BERNARDVS B. GOSVINI FRATER, RELIGIOS. AQVIC. Cap. 11.

A *mitteret exulari. Quod Gosuinus prouidēs in multis vtilitati iam suæ, quàm illius suffragari: petitionem illius non ratus est aspernandam, desiderium impediēdum, spiritum extinguendum, quem non esse relinquendum concors germanitas suadebat. Nam cùm penderent ex inuicē vtpote cor habentes vnum, & animam vnam, alio vacillante, alius non firmaretur; alio periclitante, alius non tutaretur; alio pereunte, alius non sanaretur; denique alio moriente, alius mori videretur. Insuper melius esset duos esse, quàm vnū; quoniam mutuò fouerentur, & si mutaret alter, ab altero fulciretur. His de causis pollicitus est eum viæ comitē, consortem vitæ, socium gaudij, & participem, si quid aduersitatis contigisset. Sic igitur cōfœderatis fratrum conscientijs, & obseruātibus, ne in gaudio eorum extraneus misceretur, colloquebantur soli valde dulciter, & inhiabant ore cordis pariter in superna fluenta fontis vitæ &c.* Hactenus Alexander de Bernardi moribus, & ad complectendam religionem incitato ex fraterna deliberatione animo. Vbi post pauca B. Gosuini ardorem discēdi, curámque maximam per fratrem Commentarios in Priscianum à viro doctissimo concinnatos describendi explicuit, Bernardum à vano studio sic eum auertentem sapienter introducit: *Ar-*
B *tibus*, inquit, *sæculi renunciare deliberas, mundum spernere, valedicere vanitati: & rursum sæcularia quæris, mūdo cōgaudes, amplecteris vanitatem? Sumptibus eiusmodi nō ædificatur humilitatis turris, non cōtinentiæ murus, nō antemurale patientiæ: sed magis turrita superbia, pertinax mentis duritia, procacitas iracunda. Arte tali non domatur corpus, non vincitur mundus, Satanas non supplantatur; sed magis eneruatur spiritus, suffocatur Dei timor, adunatur malignitas inimici. Armis alijs seruitur regi Hierusalem, infertur violentia cælo, acquiritur paradisus, id est humilitate pura, pœnitentia cordis, prærogatiua meritorum. Quid proficit ad æternitatem promerendam rectè loquendi regulas scire, & rectè viuendi regulam non tenere? numquid qui peritè loquitur, & perditè viuit, haberi non debet pro perito, sed pro perituro? Si Priscianus clauem tenet scientiæ sæcularis, non ideò sequitur, vt sit clauiger paradisi, & sermone diserto non absoluet Domini desertores; nec à iudice summo requiretur, vtrum legerimus Priscianum; sed si morem tenuerimus Christianum. Tunc Gosuinus miratus super verbis gratiæ, quæ de ore eius procedebant, & nil inueniens, quod assertionibus illius re-*
C *fragari potuisset; Verum est*, inquit, *frater mi Bernarde, quod per oris tui vasculum diuina mihi gratia propinauit, quia summis inhians animus, non debet infimis inhærere, &c.* Memorat enim posteà Alexander, quemadmodum Gosuinus Bernardi nostri verbis incitatus omnem abruperit moram, & nesciētibus consanguineis Aquicinctū sese cum eo transtulerit, ibique sumpto religionis habitu, nouam & cælestem ducere vitā cœperit. Subiungit verò deinceps missum in Franciam Bernardum ad Suessionense D. Crispini cœnobium, vt quod cœperat Abbatis desiderio suis exemplis ac doctrina Gosuinus erigere, suis etiā moribus ipse sustineret. Ea de re hęc sunt Alexandri verba: *Exinde cùm necessarius esset Abbati suo Gosuinus, ea ratione remisit eum is, cui fuerat commodatus, vt alium loco ipsius accipere mereretur. Cui Bernardus missus est, ad supplendas vi-* Lib. 1. c. 16.
ces Gosuini, quem morum illius coheredem, scientiæ socium, probitatis consortem, participem sanctitatis vera germanitas faciebat. Præcepto namque sui præceptoris obuiare verebatur, licet admodum tristaretur, quòd coesse fratri suo non sinebatur; cuius diu desideratam præsentiam eo perdebat momento temporis, quo reddita videbatur. Cùm illic aliquamdiu insigne
D specimen religionis, aliarúmque virtutum præbuisset Bernardus, Aquicinctum eum Aluisus antistes reuocauit: & postquàm Gosuinum sui Monasterij Priorem constituit, eum Præcentorem creauit, audiendísque de peccatis fratribus præfecit: quo vtroque in officio intra paucos dies vita priuatus est, vt his Alexander verbis testatur: *Fratrem verò eius, quia non minoris esset industriæ, constituit Præcentorem, adiungens ei confessiones audire fratrum pro titulo sanctitatis, & consilij sanitate. Qui cùm* Lib. 1. c. 21.
tanta vniuersorum gratia quod sui erat officij, faciebat, vt cùm iuuenilis esset ætatis, illum frequentarent auidè seniores. Sic in suo gradu ministrabat, vt dignus videretur altiori: quod equidem contigisset, si non horreo suo recondendum Dominus eum mortis falce messuisset. Rapuit hunc eum velociter dextera conditoris non sine multo dolore cunctorum, recolentium dilectionem eius in omnes, consilium ad omnes, auxilium per omnes; recolentium inquam, amicum dulcem, consiliarium sapientem, validum auxiliatorem. Atqui de Bernardo hæc sufficiant.

Quem

AZO CANONIC. AMAT. *Lib. 1. c. 13.* — *Lib. 4. epist. 10.*

Quem secundo virum loco proponere institui, Azonem vocauere. Quali præditus is fuerit doctrina, in Vita B. Gosuini hunc in modum docet Alexander: *Hæc commenta Magister Azo peritissimus, & opinatissimus illius temporis Physicorum, vnicè dilecto commodauerat Gosuino.* Apud Amatenses Duaci Canonico donatum fuisse beneficio Gregorius Septimus Romanorum Pontifex in epistolis asserit: cuius locum hîc refero ex ea quam scribit ad Iosfredum Parisiensem pontificem. *Præterea,* inquit, *Azzo quidam Canonicus ecclesiæ sancti Amati de prænominato loco.* A

ELBERTVS DECANVS DVACENSIS.

Quem tertium deprehendi, Elbertus fuit Decanus Duacensis, multo vir ardore succensus religionis, & Christianæ fidei propagandæ studio. Eum huius gratia in Syriam sacrum iter suscepisse, & cum militibus Christianis sacram militiam arripuisse compertum est. Minus tamen prudenter quàm calidè, ac fortiter, pro fidei causa numinisque, ad pugnam Belgas stimulando, iuxta Ptolemaidem sibi, aliisque corporis exitium attulit. Auctarium Aquicinctense his verbis factum eius perstringit: *Pridie Kal. Augusti, Christiani, qui* † *Accon obsidebant, inconsultis exercitus principibus, infeliciter pugnauerunt aduersus Saladinum, instigante eos Elberto presbytero Duacensi Decano, vt relatum est nobis ab his, qui interfuerunt; Ibi occisus est idem Elbertus, & multi alij vsque ad sex millia interierunt.* B

† i. Ptolemaidem.

B. CHRISTINVS. *Ex relatione Duacensium.*

His beatæ memoriæ sacerdotem Christinum, vel Christianum, subiungo, qui S. Albini parœciam non parum illustrauit, dum viueret. Actorum eius nihil suppeditat. incuriáne hominum, an temporum, vel ignis iniuriâ id acciderit, incompertum habeo. Quòd ipsius imagines ità pingantur, vt manu claues gestent, in eam aliqui veniunt cogitationem, vt ædis Albinianæ Clericum fuisse arbitrentur. Non leuem Duacenses alere sanctitatis eius opinionem, inde colligitur: quòd eius corpus capútque, separatim thecis inclusa, cum cæteris vrbis huius sanctis corporibus, & lipsanis, in anniuersaria & amburbali Processione deferantur; quòd in eius honorem erecta sit Confraternitas, quæ per singulos annos postridie Paschatis ad eius laudem sacrum solenniter in D. Albini templo cani curat; quòd mulieres partus difficultate & doloribus laborantes, dein febrientes, opem eius votis & precibus implorent. Quo verò tempore vixerit, quo die annóue mortem oppetierit, nulla produnt monumenta. C

IOANNES VAIRRIER DOMINICANVS.

Ex recentioribus Duacensis oppidi liberis, qui sacros inter homines laudem merentur, Ioannes Vairrier in primis prodeat. Apud D. Dominici Religiosos cùm iuuenis in sacram se familiam abdidisset, egregium sanè tum è disciplina domestica, tum è studiis grauioribus fructum collegit. Quantus vir is fuerit ita docet appositum eius tumulo epitaphium: *Soluto communi mortalium debito hoc in loco corpus suum in cinerem redigendum humari voluit Reuerendus Pater Frater Ioannes Vairrier Sacræ Theologiæ professor eximius, & S. Fidei Catholicæ aduersus hæreses Inquisitor. Hic facundia simul & eloquentia clarus in verbi diuini declamatione laudabiliter desudauit; & bina vice Prioratus officium administrans in hoc sacro conuentu, bonis spiritualibus & temporalibus ipsum augeri procurauit. Obijt anno 1549. die 17. Martij.*

P. IACOBVS DE LATTRE.

Huic adiungo P. Iacobum de Lattre in eodem Asceterio numini votis obligatum. In hoc viro certabat sapienter cum insigni doctrina ingens animi depressio. Cùm esset ad dicendum è sacro suggestu tum à natura, tum ab arte plurimùm instructus; eámque sibi comparasset in rebus Theologicis eruditionem, quæ sufficeret ad consequendam doctoratus lauream; maluit nihilominus semper eo se gradu abstinere: oblatámque sæpiùs familiæ totius moderationem repudiauit, quamuis rebus iis esset ornatus, quæ sunt ad prudenter regendum necessariæ; ac plus semper voluptatis hauriebat & animi quietis, inter sui Phrontisterij nouitios versando, quos religiosa disciplina imbuendos iucundissimè complectebatur. D

ARNOLDVS VVIONIVS.

Quem post eum memorem, ob virtutem, & doctrinam, Arnoldum Wionium dignum iudico. Hic primùm Aldenburgi apud Flandros Teutones in cœnobio S. Petri Benedictinæ religionis rudimenta posuit: dein Mantuam in Italiam delatus in altero eiusdem ordinis asceterio præclaram duxit vitam pietate doctrináque conspicuus. Ex iis, quæ P. Antonius Possevinus Societatis Iesu Theologus in apparatu Sa-

A cro litteris mandauit, non obscurè hominis præstantia colligitur. Ea verò hæc sunt: *Arnoldus Wion Duacensis Belga, Monachus Ordinis D. Benedicti, operosum, & valde pium opus contexuit, quod prænotauit Lignum Vitæ, ornamentum, & Decus ecclesiæ: in quo vniuersi ordinis sui, in præcipuas familias distincti initia, progressus, & viri doctrina, sanctitate, dignitate clari, & fructus, qui ex ijs in vniuerso orbe recepti sunt; indicantur; ac si superuixisset, recognouisset vtique opus suum, quod Lignum Vitæ inscripsit. Qua occasione in primis vitam D. Benedicti, & originem Principum Austriacorum ex Anicia familia, è qua natus est ipse D. Benedictus, comprobare connixus est, quamquam secus alij sentiant.* & paullò pòst: *Habet autem præ manibus Chronologiam Septuaginta Interpretum, quæ cum magnopere videatur discordare à Chronographia vulgatæ editionis Latinæ Bibliorum, visus est sibi (quod mihi scripsit) cælesti potius, quam humano lumine consecutus, vt possit apposite vtraque conciliari ex duplici mentione, quæ fit in eis, natiuitatis hominum, quos diuina Scriptura commemorat. alterius nempe, quæ carnalis, de qua agitur in vulgata editione: alterius autem, quæ spiritualis, quæ texitur apud Septuaginta Interpretes. Sicque putatis temporibus* B *vtramque conuenire testatur. Sed & eidem Chronologiæ Chronicon ab orbe condito vsque ad hæc tempora adiunxit. Ceterùm collegit, & recognouit omnia opera Platinæ, quæ properant ad lucem, vir sanè, vt pereruditus, ac verè religiosus, sic pro sancta Dei ecclesia indefessus.*

Non leuem prætereà laudem meretur Andreas Crocquetius Hasnoniensis in Hannonia Benedictini quoque nominis cœnobij quondam Asceta. Etenim cum vt virtus eximia, sic diuina tractandis scientiæ cognitio abunde exornauerat. Præclarum eius doctrinæ specimen proponit elegans, & sapiens ad Philippum Hispaniæ Regem Præfatio, quam collectis ex Catecheticis Matthæi Galeni homilijs, & concinnatis labore suo Catechesibus Christianis, dum eas in lucem ederet, præposuit. ANDREAS CROCQVETIVS MONACHVS HASNON.

Ex eodem ordine minimè prætereundus est Philippus de Lattre eius Ioannis filius; qui laudabilem egit vitam Duaci, dum vicariam Gubernatoris Gallo flandriæ potestatem exercuit. Etenim multis, cùm viueret, virtutibus claruit, & non sine sanctitatis opinione in Vedastino Atrebatium cœnobio, vbi strenuum religionis pugilem sese præbuit, è viuis sublatus est. Superat eius religiosi laboris monumentum insigne, ac purissimis moribus consentaneum, quod opusculum à P. F. Gerardo de Cordis doctrina (Latinè) conscriptum, in epitomen redegit, eiúsque frater Franciscus Iurisperitus, ac in templo D. Amati Canonicus, ob vitæ puritatem etiam laudabiles, Gallica veste donauit. D. PHILIPPVS DE LATTRE MONACH. VEDAST. C

Neque verò parum laudis tum propter virtutes, tum doctrinæ factorúmque gratia sibi comparauit Iacobus l'Ostius, quem Duacum in auras eduxit, & suos inter liberos Societas Iesu numerauit. Is quinto instituti ab S. Ignatio, & à Pôtifice maximo cõfirmati Ordinis anno, cùm Louanij dialecticã & Rhetoricam publicè profiteretur, Patri se Fabro vni è primis decem Societatis Iesu sacerdotibus adiunxit, à quo mox in Lusitaniam deductus est. Illic cùm menses aliquot in Conimbricensi Collegio Theologiæ operam dedisset; primùm Coloniam Vbiorum, deinde Romam proficisci iussus, sancto se Ignatio insigniter adeò & doctrina, & virtutibus probauit, vt dignum is iudicarit, quem primum è Societate in Siciliam curandis indigenarum animis, & parandis Sociorum domicilijs mitteret, vix expleto ab religionis ingressu anno secundo. Quid verò illic egerit, ità Nicolaus Orlandinus in eiusdem Historia Societatis memorat: *Hoc anno primùm missus est in Siciliam de Societate sacerdos Iacobus l'Hostius, vnà cum Præsulis Agrigentini Vicario, Cardinali rogitante Carpensi, cuius in tutela ea versabatur Ecclesia. Ergò is in eam cùm venisset Insulam, Drepani primùm docere Christum pueros ac rudes instituit, & ritè confitentibus aures dare. quamuis id temporis, probro propemodum erat crebra & aperta confessio. Ægrotis in valetudinario officiosus ac sedulus aderat: & ad leuanda peccatorum onera assiduis hortationibus inducebat. Studuit & cum Vicario conuulsam Gynecæorum disciplinam modò priuato, modò communi reuocare colloquio. Nec ex inclusis illis feminis defuere, quæ ad antiquam formam se denuò fingi, & tanquam recudi paterentur à Patre. Comes autem Pater ipse mox additus in inspicienda sua diæcesi Vicario, tradebat vbique Christum. Eosdémque Sacca labores in erudiendis populis,* refor- P. IACOBVS L'OSTIVS E SOCIETATE IESV. D Lib. 6.

reformandiſque mulierum contubernijs, ſpe quàm optima, renouauit. Sacerdotum inſuper tentandam ſcientiam Vicario iubente ſuſcepit, eóſque ad ſuſtinendas illas cum dignitate perſonas, obeundáſque ſuas ritè partes incendit. Eadem quoque, atque his affinia ab eo Bibonæ curata. A

Hactenus Orlandinus in libro ſexto, cuius hæc quoque ſunt è ſeptimo: *l'Hoſtius autem verſabatur etiam tum in Agrigentina diœceſi, vbi & ſuperioris anni res captas vrgebat, & nouas inchoabat. Is Collegium quoddam ex eo genere fœminarum, quæ ſua ex probris ſeſe ad pudorem frugémque reciperent, excitauit: diuerſa percurrit oppida: varijs fœminarum cœnobijs & Dei verbo, & Sacramentorum adminiſtratione conſuluit.* De propero verò, & immaturo prorſus tam inſignis operarij Societatis obitu, apud eundem auctorem iſta narrantur, cùm res Collegij Bononienſis exponit: *Vix propriam nacta ſedem Societas haud vulgare in proximo S. Luciæ templo pignus condidit Iacobum l'Hoſtium Belgam virum optimum, quem de Societate primum in Sicilia Agrigenti in animarum cauſa nauiter elaboraſſe, ſupra meminimus. Is è Sicilia Louanium profecturus, Louanienſis Collegij Rector à ſuis popularibus poſtulatus, cùm ex itinere Bononiam veniſſet, morbo ac laboribus fractus, ad æternam vocatus eſt requiem huic B. Ignatius in Siciliam abeunti dedit, (vti erat ſolitus) in mandatis, vt octauo quoque die ad ſe perſcriberet. quod ille executus, quemuis ſæpè non eſſet, cui daret litteras, & decantare ſæpè eadem cogeretur; nullam tamen elabi patiebatur hebdomadam, quin aliquid exararet; malebátque tabellariorum penuria plenos diu reſeruare faſciculos, dum dandi ſe facultas offerret, quàm nimis prudens in parendo videri. Acciditque nonnunquam, vt cùm quod ſcriberet nihil eſſet, hoc ipſum tamen ſcribere non puderet nihil illa hebdomada ab ſeſe geſtum. Cuius modeſtia pariter, miniméque ficta obedientia, mirè captus Ignatius affirmauit, confeſſionem illam longè ſibi gratiorem fuiſſe, quàm ſi multa præclara geſſiſſet.* B

Lib. 8.

P. IOANNES DE THVNES A SOCIETATE IESV.

Neque ſane tradendus obliuioni eſt Ioannes Balduini, ſiue Thuneſius, quem Societas Ieſu ſuos inter alumnos complexa fuit. Huic enim non modò promptiſſimum ad poëticas inuentiones artéſque, ingenium natura concefferat, verùm etiam ſingularem prorſus è ſacro pulpito ad populum feruenter ac cum inſigni methodo dicendi gratiam impertiuerat: vt quicunque peroranti aures præberet, tum concionis artificioſa ſtructione, tum vi quadam eloquendi clariſſimè, & calidiſſimè premendi, mirum in modum quòlibet ab eo raperetur. vnde profecto præclara conſecuta eſt animorum in melius mutatio, vbicunque concionatus eſt. C

P. NICOLAVS TRIGAVLTIVS ET P. PETRVS SPIRA SOCIETATIS IESV RELIGIOSI.

Velim hîc mihi donari veniam, ſi contra inſtitutam à me ſcribendi rationem aliquos è viuis laudandos ſuſceperim. Eos quippe Duacenſes è popularibus ſuis non ſine ſtomacho inuolutos meo ſilentio paterentur, qui nomen Duacenſe in extremas orbis habitabilis partes portarunt. De Patribus Nicolao Trigaultio, & Petro Spira mihi ſermo eſt, quos inter Societatis Ieſu filios, indefeſſos vineæ Dominicæ operarios agnoſcimus. Inſigne latiùs propagandæ religionis Chriſtianæ ſtudium, ingenſque multa pro Chriſti nomine cultúque faciendi, patiendíque ardor, è Belgio primùm in Orientis Indias, ac poſteà in Sinam nauigare compulit: quamuis horum prior hactenus fuiſſet parum firmo, & laborum toleranti corpore. Exactis illic aliquot annis, ac modò Indis, modò Sinis vel ad Deum verum à falſis numinibus conuerſis, D vel in ſuſcepta iam religione Chriſtiana excultis; ac vtrorúmque idiomatis cognitione vſúque comparato, & tandem confirmatis inter labores viribus, cùm intelligeret P. Trigaultius ad diffundendam feliciùs in Sina Chriſtianæ legis doctrinam, multa ex Europæis ditionibus auxilia requiri: relicto illic P. Spira, vt conſuetos iuuandis indigenis labores impenderet, ex eo ſe vaſtiſſimo regno in Europam ad colligenda ſubſidia referre ſtatuit. Et mox impetrata Superiorum facultate, rebúſque ad iter neceſſariis comparatis, ex tam longinqua regione maximam partem pedibus viam in Europæa regna remenſus eſt, haud ſine laboribus immenſis, & præſentiſſimis vitæ periculis; cùm nunc rapidiſſimi amnes & torrentes abſque cymbis ſuperandi eſſent; nunc arentes, & beluis feriſque hominibus infeſtæ ſolitudines cum exiguo comitatu, cum armorum & commeatus pondere, per multos dies ac noctes tranſeundæ. In Europam cum perueniſſet, ab Summo Pontifice Paullo V. à Philippo Tertio

Hiſpa-

A Hispaniarum Rege, à plerisque Catholicis Principibus, quos omnes adiuit, tum pecuniæ multum, variam supellectilem, innumeros libros, tum alia miranda prorsus munera, priuilegiáque, ad moliendam rursus Sinensem expeditionem, & concilliandos Sinarum animos opportuna impetrauit. Vbi res omnes quas volebat, per Europam ex animi sententia perfecit, adscitis in viæ consortium fratre suo Helia Trigaultio, & cognato P. Huberto à S. Laurentio etiam Duacensibus, aliisque non paucis è Belgio Germaniáque Societatis Iesu sacerdotibus, vela denuò per Oceanum in Orientalem Indiam fecit, quò denique peruenit; indéque Sinam versus, Sociis ferè omnibus, ac in iis fratre cognatóque, morbo amissis, nauigauit incolumis, vbi grauem intereà loci persecutionem ab Ethnicis passi sunt, quos discedens Socios illic reliquerat. Versantur ij modò in manibus omnium, quos in primo itinere de P. Gaspatis Barzæ apud Zelandos in Belgio nati, vita libros scripsit in Lusitania, opportunitatem nauigationibus expectans; deinde, quos alios è Sina reuertens in patriam, ex Commentariis præsertim P. Matthæi Riccij de Sinensium rebus hominum Latinè B compofuit. Hos nepos eius Dauid Floritius Riquebourg-trigaultius, tam Iuris vtriusque, quàm Medicinæ Doctor insignis, ac Principum Condæi, & Auriaci nuper vita defuncti Consiliarius, & Archiater Gallica veste ornauit. Hoc de opere quid Francus quidam senserit, placet hoc loco proferre. Eius enim hi perelegantes Hendecasyllabi:

Veni Gallia tota nundinatum.
Hic è finibus vltimis Chinarum
Culti pumice prostitere libri,
Picti vermiculo, polituli que.
Hinc credas mihi, mira, mira disces.
Non hæc vanus ego propola iacto.
C *Vis in moribus vrbicos lepores?*
Et suaues genios amœnitatum?
Ipse est Sina lepos, amœnitásque,
Et narrat nihil infacetiarum.
Malis militiæ, domique leges,
Quas Solon probet, & probet Lycurgus?
Seu Sinam reperis foris sagatum,
Seu Sinam reperis domi togatum,
Ad legem meliore ab arte factum
Illius nihil est toga, sagóque.
Vis verbo omnia finiam vel vno?
D *Quadrant perbenè Gallus atque Sina.*
Sed quis munere tam bono beauit?
Ille Floritius decus suorum,
Ille flosculus vnus exterorum,
Ille gemmula Principum virorum,
Hoc te munere tam bono beauit.
Et quo munere dic eum beabis?
Si vis Floritium tuum beare,
Vt omnes tibi vaneant labores
Duorum vigiles Trigaultiorum,
Veni Gallia tota nundinatum.

IACOBVS DV CLERC.

At enim vt alios reuisamus, quibus Duaci natalis obtigit, quique iam è viuis abiere: iis de viris nunc sermo instituendus est, quos à Clero discretos, & nuptiis illigatos variæ ornarunt scientiæ. Inter hos igitur primus prodeat Iacobus du Clerc, Ioannis, cuius antè mentionem fecimus, frater. Hic enim cùm inter aulicos vitam duceret, plerumque tempus obseruandis Principum, ac præcipuè Philippi Boni Burgundiæ Ducis, actionibus, & variis rerum euentibus impendit, & nonnullos iis de rebus, quas præsertim oculis vsurpauit, Commentariorum libros Gallicè scripsit, qui nondum lucem viderunt, & in Bibliotheca Vedastina seruantur Atrebati. A

HIERONYMVS DE FRANCE ARTESIÆ PRÆSES.

Hieronymus Francius honestis parentibus Duaci exortus ad Iuris prudentiam animum vehementer appulit, eámque adeò feliciter sibi comparauit, vt primùm ea fultus Duacensi vrbi à consiliis fuerit; deinde regios inter Consiliarios adscitus in præsidem Artesiæ demum euaserit, eúmque magistratum multis annis gesserit sapienter, librum denique in Regulas Iuris haud inutilem scripserit. Iis è liberis, quos reliquit, Raynutius eadem instructus scientia Iuris post eius obitum etiam Artesiæ Concilio præfuit, nunc verò supremæ apud Mechlinienses Curiæ Præsidem agit: Hieronymus in Ariensis Oppidi templo Canonicorum Præpositus floret. B

RAYNVTIVS DE FRANCE PRÆSES MECHLINIENS.

NICOLAVS BRONTIVS, I. C.

Et magnum sanè nomen inter Iurisconsultos adeptus est Nicolaus Brontius eodem in oppido natus. Quibus ingenium & doctrinam patefecit, vulgata sunt eius opera nonnulla.

FRANCISCVS POLLET IVRISPERITVS.

Idem studium Franciscus Polletus horum popularis adhuc iuuenis arripuit, ac tantos ab eo fructus collegit, vt quocumque se conferret, (varias quippe Academias obiit, multáque fora lustrauit) insignem sui apud omnes admirationem conciuerit. Eius animi dotes ac scientiam manifestat id opus, quod posteris reliquit, forúmque Romanum inscripsit. Quæ de ipso in eius voluminis ad Lectorem præfatione Philippus Broidæus gener eius, ac quondam vrbis Duacensis Consiliarius, qui nonnihil quoque ad horum librorum perfectionem laboris attulit (præocupatus námque diem suum obiit immaturè Franciscus) memoriæ mandarit, non erit, credo, Lectori graue oculis hoc loco percipere. *Equidem semper*, inquit, *dolendam soceri mortem existimaui, quòd illa præuentus hoc opus perficere non potuerit. hac enim vnà cum vita seriem historiæ, quam contexebat, prematurè abrupit. Nec me hercle, dubitandum est, si fata vitam ampliassent, quin non modò huic operi extremam manum addidisset, sed & alia doctiora, & limatiora ætate ingrauescente cumulasset. Quid enim vetat ex florido vere, & spicosa æstate conijcere autumni futuri copiosam messem? Cùm enim hic ferè adolescentiam in varijs Academijs studiorum ergò peregisset, in quibus non mediocre eruditionis suæ specimen ediderat, persertim verò in amplissimo illo Parisiorum Palladio, vbi cùm publicè, tum priuatim docendo se per aliquot annos exercuerat frequenti corona, & magno auditorum applausu, tandem ad suos huc reuersus, veluti laborum exantlatorum mercedem aliquam consecuturus, atque quasi lautioris, & ciuilioris vitæ genus inchoaturus, pientissimam matronam (vt taceam prudens aliàs tum animi, tum corporis dotes, quia nunc socrus est mea) tum valdè iuuenem duxit vxorem, atque fori nostri causarum patronus, & huius vrbis decurio factus est. Cùmque ad maiora vocaretur, hunc quasi de via pergentem mors inuida rapit, cùm iam annum suæ ætatis trigesimum vix excessisset, magno bonorum & doctorum luctu. Antiquitatis studiosissimus fuit. Meditabatur etiam quæ ad politiam, & reipublicæ reformationem spectabant. Quinetiam quorundam abusuum, quos in Curiam decurionum & praxim irrepsisse animaduerterat, corrigendorum auctor fuit.* Ac ne domestico videamur tantùm testimonio fulciri, ea subiungam, quæ Ioannes Rosinus initio libri noni hunc in modum memoriæ tradidit: *Quorum primus nostra ætate, quod ego scio (Guilelmi enim Budæi de vocabulorum ad veterem Iuris praxim pertinentium significatione commentarius lucem nondum aspexit) integram Romani fori historiam (sic enim ipse appellat) quinque libris exposuit Franciscus Polletus Duacensis I. C. quos tamen morte auctoris interruptos & imperfectos auxit, & ad finem deduxit gener ipsius Philippus Broidæus: libros mehercle* C D

hercle

A *hercle omni eruditione refertos, & ad antiquorum monumenta cognoscenda perquam vtiles.*

In M. Paullo du Mont, cuius etiam locus natalis fuit Duacum, haud parua cum insigni doctrina virtus emicuit. Cùm varias is apprimè linguas, & præ ceteris Hispanicam calleret, multos idiomatibus diuersis conscriptos, in Gallicum libros transtulit: & quò magis religionem hominis suspicias, ad hos interpretandi labores ea præsertim opera delegit, quæ pietatem, ac virtutis studium vehementer promouent. M. PAVLLVS DV MONT.

Ioanni Louysio non pœnitendos è Iuris peritia fructus assecuto (inter prolitas enim, cùm laurea donaretur, propter doctrinam inclaruit, ac deinde non vulgarem causarum egit patronum) etiam placuit cum magna iucunditate Gallicis musis aliquod tempus concedere. Et sanè hoc in genere scriptionis adeò feliciter ingenium exercuit, vt quamplurimos & suauissimis, elegantibúsque homines versibus ornauerit, variaque alia panxerit poëmata. IOANNES LOVYS.

B

Quinam viri aliunde profecti Duacum doctrina & virtutibus exornauerint.

CAPVT XXXVIII.


ERVM vt eorum aliquos proponamus, qui alibi exorti non paruum Duacensi oppido, & Academiæ lumen variis tum scientiis, tum virtutibus & factis præbuere, tempus admonet. A rerum diuinarum cognitione præditis, quorum præsertim magistratibus & lectionibus Academia floruit, narrationem auspicabimur. Quò sanè in genere & primum locum, si tempus spectetur, quo lectionibus Academiam illustrauit, & præcipuam laudem, si doctrinæ excellentiam ponderemus, iure merito Franciscus Richardotius Atrebatium pontifex obtinet. *Is, vt inquit Aubertus Miræus, honesto apud Burgundiones loco natus, mira ingenij celeritate tantam rerum Theologicarum cognitionem etiamnum adolescens adsecutus est, vt vigesimo ætatis anno publicè Lutetiæ Parisiorum Paullinas epistolas magno audientium concursu explanaret. Inde in Italiam excolendo ingenio profectus, apud Principes viros, & scientiarum coryphæos, in his Paullum Manuccium, summo in honore fuit. In patriam regressus, Vesontionum Academiam auspicijs Antonij Perenoti Cardin. Granuellani instauratam, sua doctrina mirificè illustrauit. Pòst ab eodem tum Atrebatium Episcopo, in pastoralis curæ societatem ascitus, ipsi ad Mechliniensem Archiepiscopatum euecto in Episcopali dignitate successit.* Et post aliqua: *In Tridentina quoque Synodo, cùm fidei Catholicæ causam aduersus hæreses recens ab inferis excitatas dicendo egregiè tueretur, à doctissimorum Patrum consessu libenter auditus est. Domum reuersus Academiam Duacenam, sua in Diœcesi à Philippo II. Hispan. Rege recens excitatam, felicibus auspicijs habita & mox edita oratione dedicauit; primúsque in ea sacras litteras publicè interpretatus est.* Laudes eius ita breuiter complexum est epitaphium apud Atrebates in summa Virginis æde tumulo ipsius adscriptum: *Francisco Richardoto Burgundo Atrebatium Episcopo viro in omni disciplinarum genere versatissimo, & concionatori eloquentissimo, qui ob singularem doctrinam, & præclaras animi dotes omnibus ordinibus vnicè carus &c.* Qui plura de ipso desiderat, eam legat Orationem, quàm in eius funere Thomas Stapletonus maximæ vir doctrinæ Duaci ex pulpito recitauit. FRANCISCVS RICHARDOTVS EPISCOP. ATREBAT. *In elog. Belg.*

C

D

Cum Richardotio enituit quàm maximè in Academia Duacensi Walerandus Hango- VVALERANDVS HANGOVARTIVS.

Hangouartius D. Amati Prępositus, ac primus Vniuersitatis Rector & Cancellarius: quem nos anteà inter liberos vrbis Insulensis laudauimus. A

MATTHAEVS GALENVS.

Et tunc quoque non vulgariter emicuit Duaci Matthæus Galenus pręclarum inter aquas Zelandicas sidus exortum. Vt memorat Aubertus Miræus, *Louanium adolescens ad Theologiæ studium profectus, decursóque stadio sacra laurea insignitus, à Ruardo Tappero Dilingam Sueuorum ad publicam diuinarum litterarum professionem est ablegatus, Petro Soto in Britanniam à Philippo II. rege inde accito, & Gulielmo Lindano ad maiora in Belgium reuocato, suffectus. Triennio hic laudabiliter exacto, à Senatu Duaceno euocatus natæ nuper Academiæ magnum lumen attulit. Doctor Fr. Richardoti Atrebatium Antistitis voce salutatus, primus ferè Theologici illic studij cum Richardo Smithæo Anglo fundamenta posuit. Rex Catholicus benè de Ecclesia scriptis ac voce merentem Præpositum in D. Amati, atque Academiæ Cancellarium esse iussit. Samarobrinam (hodie Cameracum) ad Synodum prouincialem missus (vt & olim Tridentinæ interfuerat) vnà cum alijs Patribus vtilia Ecclesiæ Belgicæ decreta constituit. Annos ipsos decem apud Duacenos professus moritur* CIↃ. IↃ. LXXIII. *funebri laudatione à Thoma Stapletono Collega ornatus. situs est in æde sacra illi credita. Bibliothecam in Germania studiosè collectam in patriam optimis libris refertam inuexit. Scriptores antiquos è tenebris eruit nonnullos, in his Hilduinum de Dionysij Areopagitæ vita scriptisque, & Alcuini ad Carolum Magnum Rhetorica. De Theologicis scriptis excellunt potissimum libri de SS. Missæ Sacrificio, & Catecheses ab auditoribus exceptæ, typisque à funere vulgatæ.* Quod Epitaphium Matthæo scripsit Petrus Colpinius domo Duacensis, studio Theologus, etiam plures in laudes eius excurrit grati in magistrum animi testimonio. Id verò tale est: B

Fortè sub vmbroso residebat pallida cippo
Inuida naturæ mors, inimica Deo.
Huc Caro corruptrix morum scelerata, odióque
Feruens, & furijs exagitata venit.
Ac inquit: Perijt virtutis gloria nostræ,
Filia, ni matri fers properanter opem.
Est Sophiæ Antistes sacræ, qua parte Duacum
Influit, & nigris Scarpus inundat aquis.
Protulit hunc diues quondam Zelandia natum,
Nomine Matthæum génsque Galena vocat.
Grammaticæ placitis rudibus formauit ab annis
Gandauum doctis vrbs habitata viris.
Grandior ast ætas Musarum castra Louanj
Tentare, & Sophiæ tecta subire iubet.
Accepit primos Sophiæ altercantis honores,
Excolit & meritum laurea sacra caput.
Abdita linguarum mysteria doctus, Hebræis
Consociat Græcos parte in vtraque potens.
Excepit primos Germania magna Galeni
Fœtus, in studijs docta Dilinga tuis.
Germanis tantum sed Belga inuidit alumnum,
Atque Duacenæ traxit ad arua scholæ.
Præsidet hic, doctos doctissimus expolit, atque
Doctoris sacri stemmata clara tenet.
Nec tamen eximio gestit petulanter honore,

C

D

A *Nec titulo elatus corda superba gerit.*
Corporeos premit affectus, ieiunia durè
Exercet, studijs immoritúrque sacris.
Hunc pietas, hunc prisca fides, Astrea reuisens
Terras hunc ornat, puráque relligio.
Nulla superstitio, nulla hæresis occupat vrbem
Quam colit; has vitá proterit, ore, fide.
Quóque magis nobis noceat, iuuenilia format
Ingenia, atque meos præuenit ante dolos.
Non patitur iuuenes choreas ductare: sed odit
Queis furit exiliens stulta puella, modos.
B *Quid multis? nisi me vindex tua dextera seruet,*
Filia, spes vitæ nulla relicta mihi.
Dixerat & lachrymis faciem suffuderat; audax
Protinus aggreditur mors truculenta nefas.
Lustra nouem ætatis nondum compleuerat, ecce,
Lurida terribilis mors aconita parat.
Viribus exstinctis in toto corpore, membra
Senserunt properam debilitata necem.
Septembris tulit hunc vbi lux quindena, receptus
Spiritus excelsis, venerat vnde, polis.

Ornauit etiam initia Duacensis Vniuersitatis Ioannes Rubus apud Hannones IOANNES RVBVS.
C Athi progenitus. Etenim ei viro & subtilitatibus philosophicis, & rerum diuinarum cognitione prædito Philippus rex Catholicus inter primos sacras quæstiones explicandi munus imposuit. De ipso apud Miræum hæc lego: *Vt ceteræ ferè disciplinæ Louanio Duacum tanquam in coloniam ductæ, sic & philosophia. Rubus enim egregius illa ætate Philosophus è Standonico Gymnasio honorificè euocatus, semina veluti iecit eius amplissimæ segetis, quæ postmodum enata est, Aristoteleo organo, post Boethium aliósque, denuò Latinè reddito: quæ versio hodiéque Duaci in scholis primas obtinet. Doctoris deinde Theologi laurea ornatus, collegit Euangeliorum quatuor elegantem Harmoniam, & ad D. Petri apud Duacenos Præpositus morte obita* CIↃ. IↃ. XCV. *facultates egentibus adolescentibus in studijs alendis reliquit.* Mirabilis in hoc viro elucebat honorum contemptus, despicientia sui rerúmque humanarum, & animi depressio: vt esculenta publicè in foro coëmere, & domum portare, vili corpus amictu tegere, infra ceteros sese abiicere: consuetum ipsi esset insigni Christianæ virtutis exemplo.

Et in eadem Vniuersitate tum temporis floruit Guilelmus Alanus natione An- GVILELMVS ALANVS.
D glus, studióque Theologus: multósque is rapuit in admirationem, cùm primò Lectiones catecheticas habuit, dein Ordinarius Theologiæ professor de rebus diuinis doctissimè differuit. Multa eius opera cum insigni ecclesiæ fructu lucem aspexere, quorum catalogus in apparatu sacro P. Antonij Posseuini cernitur. Ipséque multum vel priusquam sacra purpura insigniretur, vel post adeptam Cardinalitiam dignitatem, in Seminario Anglicanæ iuuentutis Duaci condendo, formando, & stabiliendo laborauit.

Vixit eodem quoque tempore, & varia Duacum illustrauit doctrina Thomas THOMAS STAPLETONVS.
Stapletonus patria Anglus, professione Theologus. Præter multa virtutum excellentium exempla, quibus animi religionem patefecit, etiam diuersos ingenij fœtus hîc edidit. Mirum est profectò quantum sacris lectionibus, cùm doceret; quantum Promptuario tam morali, quàm Catholico, & Controuersiarum libris, dum suos labores typis euulgaret, admirationis pepererit & vtilitatis. Placet multis etiam is

liber, quo trium Thomarum Apostoli & Indiarum doctoris, Cantuariensis Archiepiscopi, & supremi Angliæ Cancellarij vitas complexus est. A

MATTHIAS BOSSEMIVS.

Et his in prælegendis rebus diuinis collega fuit Matthias Bossemius in Hollandia parentibus minimè obscuris editus. Cùm eius scribit Elogium Aubertus Miræus, hunc in modum loquitur: *Excipiat Galenum Bossemius, Zelandum Batauus. Cancellarius enim Academiæ Duacenæ proximè secutus est: qua dignitate nec opinantem, nedum ambientem Philippus II. Rex vltrò donauit. Domo Amstelodamus fuit: quæ vrbs mercatui potiùs faciundo, quàm ingenijs excolendis dedita, habuit tamen Theologos, vt illis temporibus non vulgares, Alardum, Crocum (quem Bossemius puer audiuit) Opmerum, ceteros. Seuerus imprimis ecclesiasticæ seruator disciplinæ & rigidus in clerum censor extitit: vt & vtilem de domestica mulierum societate sacerdoti vitanda commentarium relinqueret: secutus, vt opinor, magnum illud Ecclesiæ lumen* D. *Augustinum, qui ne sororis quidem contubernium ferret, ne, quæ ad illam ventitarent, mulierculæ, aliquam ignominiæ notam optimo Præsuli inurerent. Piè ac prudenter sanè vterque. Nam ad extremum vsque spiritum, vt ille ait, fomes durat. Doctor vnà cum Guilelmo Alano, pòst Cardinale, Thoma Stapletono Britannis, & Ioanne Rubo Hannone renunciatus, annos ipsos* XXXIII. *publicum profitendi munus cum laude sustinuit. Præter multiplicem eruditionem, singularem prudentiam, ceteráque ingenij bona, ea fuit in homine iam inde à primis annis pietas, & innocentissimorum sanctitas morum, isque perpetuus tenor vitæ ab omnibus voluptatum illecebris disiunctus, vt priscorum Ecclesiæ Patrum eximium in eo specimen eluceret: omnésque qui ex piorum instituto viuere cuperent, sese in illius mores, velut perfectissimi exempli, conformarent. Vt felix in primis vrbs Amstelodamensis fuerit, quæ omnibus ferè temporibus talia Ecclesiæ lumina tulerit. Facultates suas, quas amplas est consecutus, Basilicæ B. Amati Præpositus, alendæ in bonum publicum iuuentuti testamento legauit, Collegio Duaci sub tutela Deiparæ Virginis instituto, & vectigalibus instructo.* Huic institutæ à Miræo laudationi hoc vnicum addo: tantæ hominem puritatis, & in corpus acerbitatis Bossemium fuisse, vt nunquam vel famulo permiserit angustum id cubiculum intrare, vbi noctu somnum capere solebat: aut ne qua ratione in cognitionem eorum veniret instrumentorum, quibus membra sæuiter atterebat; aut vt omnem aduersam castitati opinionem amoliretur. B C

GVILELMVS ESTIVS.

Huic annecto Guilelmum Estium eiusdem Theologici studij consortem, & in docendo Collegam. In Hollandia Gorcomij vitam acceperat honestissimis, éque veteri ac nobili arcis Estiæ & Pikiæ toparcharum familia prognatis parentibus, & præclarum ab his virtutum exemplar studiúmque hauserat. Cùm priùs eum Grammaticæ, Poëtices, ac eloquentiæ facultatibus Vltraiecti Macropedius integri vir animi celebrísque facundiæ imbuisset; in philosophicas se Louanij adeò profundè ac feliciter quæstiones & subtilitates penetrauit, vt inter primos ad laureæ gradum emerserit. Iam decem illic annos in Falconis Gymnasio Aristotelis libros explicauerat, summúmque apicem Theologiæ Doctor renuntiatus attigerat, & Pontificio Adriani Sexti Seminario præfuerat; cùm Duacum est euocatus, vt regij Theologorum Phyteuterij curam capesseret, ac de rebus diuinis è publico suggestu disputaret. Hunc vtrumque laborem annos triginta sic sustinuit, vt sapientiæ vis, morum suauitas, virtutis splendor admirabilem omnibus charúmque fecerint. Quæ lucem aspiciunt, hæc præsertim ab eo Duaci elaborata, Gorcomiensium martyrum historia, in omnes D. Pauli epistolas Commentarius, ad libros quatuor Magistri sententiarum elucubrationes; quorum operum primo pietatem erga suos patefecit; aliis multiplicem diuini propè ingenij doctrinam prodidit. Erga iuuenes, qui studiorum curricula egeni corripiunt, adeò propensus erat, vt tùm è suo peculio abundanter pecunias impertiret, tum receptos ex Hollandia & aliunde nummos eis impenderet. Visúsque non rarò est, vbi nec aurum, nec argentum suppeteret, detractas corpori vestes interiores elargiri. Dum vitam finiit, ad D. Petri Præpositus Canonicorum florebat, & quod morienti supererat pecuniæ, in perpetuum vnius pauperis Theologiæ nauantis vectigal impendi ceris vltimis iussit. Hoc epitaphium ei cecinit Andreas Hoius eloquentiæ publicus in Academia Duacensi Professor. D

Patria,

A *Patria, Gorcomium est. qui me eduxere parentes,*
Hic stirpe Estiades, Pikias illa fuit.
Sumere ab his licuit mihi vitæ exemplar honestæ:
Tota stetit prisca pro pietate domus.
Traiectum, antiquus Rheni contermina ripis,
Musarum ingenuis artibus erudijt.
Louanium in Sophiæ Stagiritidis ardua duxit,
Et titulo ornauit duplice Theiologum.
Ad Cathedram & Regimen Schola me Catuaca vocauit.
Æde Petri gessi munia Præpositi.
Ter denis Spartam geminam, haud inglorius, annis
B *Doctor, vtì & Præses Regius, excolui.*
Doctrinæ ingeniíque mei monimenta relinquo;
Vnde mihi, inuita morte perennet honos.

Eius iconi hos quidam versus amicitiæ gratia suppOsuit.

Quicumque effigiem Guilelmi conspicis Estij,
Estij, qui vna fuit gloria Theiologôn;
Relligio, virtus, doctrina, modestia morum,
Hæc vno obtutu conspicienda patent.

Venio nunc ad eos, qui præclara instructi Iuris prudentia Duacensem lectionibus suis Academiam ornauere. Qua quidem in classe primas teneat Ioannes Venduillius, qui posteà in sanctiorem adscitus est Regis Senatum, & denique Tornacensis pontificatus infulis claruit, necesse est. IOANNIS VENDVILLIVS. Etenim is non modò primus à Rege Philippo C ad lectiones Duaci inchoandas delectus, ac præ ceteris admirabili ingenio præditus fuit à natura, omnésque sui ordinis Doctores vel ob insignem Iuris cognitionem, vel propter multigenam aliam sapientiam longè post se reliquit: verùm etiam illustri morum sanctitudine vniuersitatem decorauit, & multiplici ad hanc vel condendam, vel stabiliendam, & ornandam labore incubuit. Huius de viri doctrina studióque incomparabili hæc in eius vita Nicolaus Zoesius: *Huic pietati addebat studium sapientiæ, ita vt non Iuris tantùm, & literarum esset doctissimus; verùm etiam sacræ Theologiæ, philosophiæ, ac geometriæ, linguarum, aliarúmque bonarum artium ita peritus, vt de omni argumento proposito tam doctè prudentérque, quandò locus ferebat, dissereret, vt in eo solo studium posuisse videretur. In antiquitatis studijs, omnique historia, præcipuè tamen ecclesiastica, quid non didicerat? quid non obseruarat? non meminerat? diligentissimè notans ea, quæ pertinebant ad conuersionem gentium (qua historiæ parte pot ssimum recreabatur) hæreses exortas, earum causas, mediáque & remedia, quibus fuerunt rursus extirpatæ, obseruabat.* D Quî verò suam Ioannes operam ad erigendam Duacensem Academiam contulerit, quid in ea iam constituta fecerit, his idem verbis complectitur: *Duacensis etiam Vniuersitatis erectio consilij ipsius opus fuit, adiunctis rationibus, ob quas hoc faciendum esse existimaret necessariò, siue religionem & ecclesiam, siue ciuitates, & ciuilem rempublicam spectares; demonstratis etiam medijs, quibus res peragi, singulari cum fructu omnium, superis adiuuantibus posset. Cuius consilij gratia, ea iam beneficio optimi, potentissimique regis nostri erecta, ad primariam Iuris lectionem in eandem ab eius maiestate omnium primus est euocatus.* Et post pauca: *Duaci ardenter studium pietatis amplexus perrexit in via Domini, & medijs in studijs iuuat, fouet, & alit pauperes, quorum multi supersunt, qui in viros doctos Reip. & ecclesiæ vtiles euaserunt. Et hæc omnia faciebat vxore adhuc superstite, iámque sibi nata filia herede. Dicebat enim gratissimas esse Deo eleemosynas illas, quæ necessitatibus proprijs subtraherentur. Torquebat eum intereà vniuersitatem Duacensem nobili carere membro, Collegio Societatis Iesu, in quo iuuentus litteras cum pietate doceretur. Quamobrem summo studio egit apud præstantissimum Abbatem Aquicinctinum D. Lentailleur, cui cha-*

rus & officijs erat coniunctus, vt docendi prouinciam in Collegio à se erecto Patribus demandaret. Placuit optimo Abbati, nonnullis obstantibus & reclamantibus consilium, quibus Dominus Venduillius magno fortunularum suarum dispendio obuiam iuit, cunctáque obstantia prudentia sua, vigilantiáque dissipauit, quòd videret consilium istud salutare esse, Patrésque in eo Collegio facturos fructum longè maximum, probans vehementer totius Societatis negotia omnia. His adiungenda sunt, quæ Benedictini Ordinis Monachus Andreas Crocquetius de Ioanne nostro ad instituendam Duaci Academicam Catecheseon lectionem multum laboris conferente litteris tradidit. Eius hæc verba Philippum regem Catholicum in præfatione Catecheseon alloquentis: *Cùm igitur erecta nuper Duacensis Academia futuræ suæ quondam amplitudinis spem cunctis faceret, vberésque fructus toti Belgio polliceretur: id vnum ad cœptam absolutionem desiderari videbatur, quòd in ipsius auspicatissima veluti pueritia, nemo publicè Catecheterium aperuisset. Id autem omnium ægerrimè ferens Iuris vtriúsque Doctor Ioannes Venduillius, non minus pietate, quàm eruditione clarissimus, adit principem istic Theologorum M. N. Matthæum Galenum, in quo quid priùs admireris nescias, morúmne candidissimorum integritatem, aut scripturarum solidam & accuratam intelligentiam, aut linguarum exoticarum peritiam, vel denique raram eloquentiam. hortatur vt studiosis omnibus Pantænum quempiam referat, vt iuuentuti Duacensi nauet eam operam, neque sinat diutius huic Academiæ catecheseos laudem deesse. Ibi ille tergiuersari, quòd ea functio hominem planè otiosum, eloquentem, copiosum, & omni Theologica supellectili instructum postularet, &c.* Nam posteà subiungit, quî Venduillius ad Gallenum fortiter obnitentem eò tandem inducendum, vt Catecheseon onus publicum susciperet, Ioannis Lentailleurij Aquicinctensis Archimandritæ, Arnoldi Gantoisi Marchianensis Abbatis, Francisci Richardotij Atrebatium pontificis operam implorauerit: cúmque nihil eorum impressionibus hominem labefactaret, per Duacensem id Senatum ad hoc demum, quod vrgebat, impetrauerit, cùm is ad eum missa legatione, & vehementer flagitauit, ne suam Gallenus operam ad rem adeò fructuosam deesse pateretur, & honorarium ipsi obtulit.

BOETIVS EPO. Qui secundum Ioannem Venduillium Duacensi Academię Iuris prudentia splendorem conciliauit, Boëtium Eponem video, cuius Elogium ita Miræus condidit: *Multiplici laude nomen suum Boëtius Epo Frisius immortale reddidit. Nam linguæ vtriusque exacta notitia, quæ ad homines illustrandos vna ferè sufficere semper existimata est, exiguam partem in huius viri laudibus occupat. Præfulget enim rara quædam Iuris, atque in primis Pontificij cognitio. quippe qui Tolosæ supremæ Iuris prudentiæ laurea decoratus, primùm Lutetiæ, pòst Louanij eam ipsam summa cùm ingenij, tum doctrinæ gloria tradidit. Qua vna re promeruit, vt veluti Colonia regijs auspicijs Louanio Duacum ad Scarpum Fl. deducta, & ipse suos inter antesignanus mitteretur. Qua in Academia septem ipsos & triginta continenter annos, raro certè constantiæ exemplo, de superiore loco profitendi munus sustinuit; honorarij etiam vice Palatini Comitis titulum adsecutus. Antiquitatis verò Ecclesiasticæ peritissimum fuisse arguunt Syntagmata, & Ecclesiasticæ, atque Heroicæ, quas edidit, Quæstiones.* Cùm in templo Societatis Iesu, quod viuus auidissimè pietatis ergô frequentabat, tumulum elegisset, hæc tantùm verba inscribi voluit:

Boëtij corpus quiescit hic Eponis:
Animam respice ô Iesu benigniter.

ADRIANVS PVSSIVS. Cum vtroque iam laudato lectiones Iuris nascente iam Vniuersitate studiorum, auspicatus est Adrianus Pussius, qui nonnullis in eo labore profitendi exactis laudabiliter annorum curriculis, posteà regij Senatus particeps factus est Mechliniæ.

IACOBVS RAEVARDVS. Claruit deinceps inter Iuris Professores elegantissimi vir ingenij Iacobus Ræuardus, de quo hæc Miræus: *Iacobum Reuardum audeam cum I. Lipsio Belgij nostri Papinianum nominare: vt qui cum priscis illis Iureconsultis ingenij doctrinæque præstantia comparandus esse videatur. Is Flander ab vltima stirpe Morinæ gentis parentes habuit domi celebres, opibúsque & virtute honestos, natúsque in Lissvvega municipio agri Brugensis, maioribus suis, & Brugensi imprimus Reipub. singulari ornamento fuit. Adolescens Louanium velut ad mercatum bonarum artium missus, animum ad Iurisprudentiæ studium appulit.*

Inde

A *Inde Aurelianum in Galliam transijt. bienniòque exacto, honore ac titulo Iurecon∫ulti ibidem cohonestatus est. Bello inter reges Hispanum & Gallum exorto, ad ∫uos reuer∫us, Brugen∫i in Vrbe ∫edem fixit, ∫æpius in Ordinem Senatorum adlectus. Pòst ab Academia Duacena ad Iuris profe∫sionem honorificè euocatus, munus ∫uum magna cum laude obijt. Rectórque (is primus est Academiæ Magistratus) publico bono præfuit. Dumque ∫tudijs æquo plus immergitur, vitium pulmonis (phthi∫in medici appellant) contrahit, atque ex∫ucco corpore (vt optima quæque diu in terris perennare non ∫olent) tabe∫cere paullatim cœpit.* Inter opera quæ ∫crip∫it, magni hæc nominis. Variorum libri V. de Præiudicijs libri II. & Coniectaneorum libri III.

Et aliquod etiam lumen Richardus Vitus in magna genitus Britannia Duacen∫i Academiæ peperit, dum in ea multos per annos multa è Iure Ordinarius Profe∫∫or explicuit. Adhuc iuuenis opu∫culum aliquod in duodecim Romanorum tabulas, quod in Italia concinnauerat, in publicum dedit. Cùm pó∫teà lectione hi∫toriarum variarum ad temperandos Iuridici ∫tudij labores interdum cupidiùs vteretur, non- B nullos de rebus Britannicis libros compo∫uit, eó∫que ∫uis Annotationibus illu∫trauit. RICHARDVS VITVS.

Longum e∫∫et hoc loco Riderios, Goethal∫ios, Benignios, Vanderpietrios, Bonmarchietos, Broidæos, Spiras, alió∫que publicos Iuris Profe∫∫ores, qui Duacen∫em Vniuer∫itatem lectionibus & con∫ilijs illu∫trarunt, ∫uis ornare laudibus. Et for∫itan etiam minus quibu∫dam nece∫∫arium videretur, eorum encomia proponere, quorum adeò recens memoria e∫t, vt in multorum hodiéque oculis & ore ver∫entur, quibus & eorum doctrinam è pulpito percipere, & variam ad ∫oluendas lites ac difficultates prudentiam è colloquiis colligere iucundum fuit.

Inter eos, qui de medicis rebus di∫putantes Academiæ Duacen∫i ornamento fuere, in primis M. Adrianum Rhodium, M. Ioannem Siluium, & M. Nicolaum Mercatellium numerant, tum quòd ij primas de medicina lectiones habuerint, cùm pu- C blicus eius Duaci ludus aperiretur; tum quòd iidem præclara fulti doctrina experientiáque fuerint. De ceteris vt taceam, non tam penuria laudationis, quàm breuitatis ∫tudium efficit, cùm hos alij ∫int ∫ecuti, quos in∫ignis quoque ornauerat doctrina & corpora medicandi tractandique peritia. DOCTORES ALIQVOT MEDICINÆ.

E trium linguarum Profe∫∫oribus Regijs ac publicis laudem olim meruere M. Ioannes Palant, cui munus iniunctum fuit Hebraicas litteras tractandi; M. Ioannes Co∫peau, cui data e∫t prouincia docendi Græcum idioma; M. Ioannes Houetier, cuius erat officium eloquentiæ Latinæ præcepta tradere, auctoré∫que Latinos explicare. Qui po∫tmodum hos excepere, ad ∫uam etiam profe∫∫ionem laudabiliter ∫u∫tinendam minimè vulgarem eruditionem attulerunt. PVBLICI PROFESSORES LINGVARVM.

Philo∫ophorum, qui Regium, & Martianen∫e Gymna∫ium primis ferè temporibus in∫igni ∫cientia condecorarunt, Fabros, Hacqueuillios, Raue∫tainos, Vendulllios qua∫i coryphæos fui∫∫e comperio, quibus alij propemodum pari ∫cientia ∫uccenturiati ∫unt.

Verùm his omi∫∫is, nunc aliquando tandem inue∫tigemus, quibus religio∫i Or- D dines aliunde huc delatis luminibus clarucre. Vt pauciores è quibu∫dam ∫acris familiis producam in medium, quàm cuperem, non tam clarorum hominum inopia, quàm minimè ∫uppeditata eorum monumenta efficiunt. Id enim mihi magnoperè per∫ua∫um e∫t, in∫ignibus admodum viris ii∫que compluribus ip∫as olim illu∫tres fui∫∫e: omninóque vel ad temporis edacitatem, vel ad incendiorum iniurias, aut po∫terorum incuriam referendum, quidquid eorum memoriæ tri∫ti obliuione ∫epultum fuit.

In A∫ceterio S. Dominici P. Simon de Laude in agro Duacen∫i Selu∫æ prognatus egregium diu virtutum ac doctrinæ ∫pecimen præbuit. Id cùm placeret Burgundionum Duci Philippo, qui Boni ob mores placidos cognomen obtinuit, eum ∫ibi à confe∫∫ionibus e∫∫e voluit. Vt Atrebaten∫i Epi∫copo Suffraganeus daretur, Salubrien∫em creatum pontificem accipio. SIMON DE LAVDE EPISCOP. SALVBR.

Apud S. Franci∫ci Religio∫os eximiam complures annos vitam duxit P. Iacobus IACOBVS BLASÆVS EPISCOPVS AVDOMARENSIS.

Bla∫æus

Blasæus domo Brugensis. Gubernandi, ac dicendi ad populum gratia pollebat in paucis. Gratissimæ semper fuere, quas è sacro pulpito conciones habuit, ob insignem eloquendi vim, & magnam doctrinæ varietatem. Quòd inesset ei feruentissimum colendæ religionis studium, perquàm idoneus ad cœtum regendum suis visus est moderatoribus. Ergò primùm Duacensem familiam accepit gubernandam; ac deinde totius prouinciæ Andreanæ Minister renuntiatus est. His muneribus probè perfunctus, cùm Namurcensis ecclesia pontifice esset orbata, Hispaniarum Regis Philippi voluntate sacris ornatur infulis, éique præficitur. Quàm præclarè in eo administrando episcopatu operam posuit, tantum ea deinceps apud Archiducem Albertum ponderis habuit, vt is denique ipsum Audomarensi pontificatu donauerit. A

FRANCISCVS PETRART CHALCEDON. EPISCOP.

Apud eosdem Ascetas præclaris se virtutibus exornauit, magnámque sibi doctrinam, & vim dicendi Franciscus Petrart comparauit. Inde cùm diu sacris concionibus feruenter ac piè populum fuisset adhortatus, primum Duacensis familiæ Guardianus curam sustinuit, dein totam S. Andreæ prudenter administrauit prouinciam. Ob hæc igitur cùm plurimis placeret, sacris quoque pontificiæ dignitatis decoribus ornandum plerique proceres rati sunt. Et commodè opus erat Cameracensi episcopo Suffraganeus, qui sacramenta impertiretur, aliáue pontificia obiret munera: ideóque Franciscus in Chalcedonensem episcopum consecratus est, éique coniunctus. B

IACOBVS BOVRGESIVS PROVINCIALIS TRINITARIORVM.

In Phrontisterio Sanctissimæ Trinitatis diutissimè commoratus est Iacobus Bourgesius apud Atrebates in lucem editus. Probi mores, doctrina, & in moderandis Religiosis prudentia ipsum commendauere. Multos annos egit Ordinis sui Prouincialem. Exstant nonnulla eius opuscula, quibus præsertim studium pietatis, ac in Deum religionis, acuatur.

Eorum, qui Societatis Iesu Religionem amplexi Duacum vel doctrinæ præstantia, vel morum excellentia illustrarunt, haud paullò plures licet numerare, de quibus aliquos hîc proferam.

P. MAXIMILIANVS A CAPELLA.

P. Maximilianum à Capella, qui primus est Collegij Duacensis Rector designatus, déque rebus diuinis per aliquot hic lustra quæstiones enodauit docendo, ac multarum sparsit lumina virtutum, iam fusiùs inter vrbis Insulanæ liberos laudauimus. C

P. FRANCISCVS COSTERVS.

P. Franciscus Costerus patria Mechliniensis, sacrarum Doctor litterarum renuntiatus, postquam diu Theologiam magna cum laude docuisset Coloniæ, ac Rhenaniam & Belgicam Societatis Prouincias prudenter administrasset: per aliquod tempus Duacensi Collegio Rector præfuit, ibique, vt alibi solebat, insignibus sanè virtutum exemplis subditos ad religiosæ vitæ studium vehementer accendit. Eius præsertim industriæ & curis initia debet Duacensis B. Mariæ Virginis Sodalitas, quæ tam multos in viris ac iuuenibus litteratis fructus peperit. Vix assequi stylo possim, quantum spiritualis emolumenti ex libello Sodalitatis, ex piis de Christi Passione, & Beata eius parente, meditationibus, ex aliis denique libris tum aduersus hæreticos conscriptis, tum mores informantibus, qui fœtus omnes eius fuere, tam Duaci, quàm alibi, manauerit. Eius vitæ exitus magnam passim hominum mentibus sanctitatis eius opinionem iniecit. D

P. IOANNES SERVIVS.

P. Ioannes Haius ab Seruia nobili Hannoniæ municipio cognomen Seruij adeptus, cùm Louanio, vbi sacra fuerat imbutus doctrina, Duacum venisset, primùm de rebus philosophicis aliquamdiu cum laude disputauit in exedris Aquicinctinis; dein aliquod tempus habendis ibidem Theologicis lectionibus absumpsit. Et cùm per aliquot olympiades è sacro suggestu ad populum dixit, docti pariter vulisque munus impleuit concionatoris. Tenuit etiam prudenter multos annos domi clauum, vbi Sociorum regimini fuit admotus. Catalogus Scriptorum Societatis Antuerpiæ typis vulgatus de sacris eius laboribus in publicum datis hæc proponit: *edidit Duaci Belleri typis* Quaternionem Euangelistarum, *seu Seriem è quatuor Euangelistis.* & Apparatum euangelicum, *veluti προπύλαια ingentis operis*, Concordiæ quatuor Euangelistarum, *cum Sanctorum Patrum Græcorum Latinorúmque in eandem sententiis, Catena Patrum in modum concinnatis, cui hunc indidit titulum admirandum*, Triumphus

Veritatis

A Veritatis ordinati euangelij quadriga inuectæ, Sanctorum Patrum exercitu instructæ.

P. Leonardus Lessius Brecæ apud Brabantos genitus, primum in Aquicinctino Collegio explicandæ philosophiæ laborem posuit: ac iam tum insignem cùm ingenij præstantiam, tum doctrinæ varietatem patefecit. Quòd esset apprimè litteris Græcis eruditus, scriptos Græcè libros Aristotelis prælegebat. Ad quam posteà is vir euaserit vim sapientiæ, ac virtutum excellentiam, gradúmque sanctitatis: exacta religiosissimè vita; librorum tam piorum, quàm de rebus ad Deum pertinentibus tractantium subtiliter, quos partim edidit in vulgus, partim publico negauit, magnus sanè numerus; à diuersis Principibus expetita eius de grauissimis difficultatibus consilia; obitus nuper cum insigni pietate dies extremus; ac statim post mortem in vestium, capillorum, aliarúmque ad corpus eius pertinentium rerum ambitiosa quadam virorum præstantium flagitatione, aut multorum auida præreptione certamen, prodidere. P. LEONARDVS LESSIVS.

B P. Franciscum Pratanum in Hannonia ortum Lessiniæ, multa Duaci tam domesticis, quàm extraneis charum & amabilem reddidere. Per Philosophiæ curriculum iuuentutem tùm duceret in Gymnasio Aquicinctino, & doctrina, & compositis moribus laudem meruit. Admotus deinceps gubernandis domi Sociis, omnium sibi animos insigni regendi arte deuinxit. Elucebat scilicet in eo viro coniuncta religiosæ modestiæ, & prudentiæ, tanta oris & sermonis suauitas, vt facillimè, ac iucundissimè quemuis, quò cuperet, impellere posset, ac sola ferè aspectus serenitate iras intuentium frangere: quod cùm Bruxellæ, vbi posteà Collegium Rector administrauit, ab aulicis fuisset frequenter animaduersum: in summam ipsi admirationem rapti sunt, eiúsque familiaritatem admodum expetiuere; vt quamplurimis mors eius maximo dolori fuerit. P. FRANCISCVS PRATANVS.

P. Ioannes Deckerius in Teutonica natus Flandria primùm in hoc oppido circa iuuenes philosophorum placitis excolendos laborem vtiliter collocauit. Aliquot C deinceps annos explicandis publicè Theologiæ Scholasticæ subtilitatibus impertiit, donec Louanium, dein Græcium in Styriam missus est, vt eamdem vtrobique sacram scientiam profiteretur. Cùm degeret Græcij, *Velificationem* scripsit, seu *Theoremata de anno ortus ac mortis Christi controuerso, déque vniuersa Christi in carne Oeconomia*. Et tomos aliquot ibidem *de Sacra Chronologia, seu Temporibus* composuit, quibus tamen nondum publica lux concessa. Et quoniam mirificè in tenerrimos pietatis affectus rapiebatur, aliquod etiam *Exercitium Christianæ pietatis* edidit. P. IOANNES DECKERIVS.

Qui temporibus horum vixit, & postquam totius Theologici studij curriculum emensus est, annos quamplurimos Classium disciplinæ ac regimini Præfectus grauiter ad iuuenum Aquicinctini Gymnasij fructum incubuit, P. Georgius Colibrantius aliquot sanè rebus plurimùm emicuit. Cùm præter insignem diuinarum rerum scientiam, eminentem quoque idiomatis Græci cognitionem assiduo studio collegisset, omninóque ipsi promptum esset, elegans doctúmque aliquod è Græcis Patribus, quos ingenti cum fructu peruoluerat, quósque mira facilitate explicabat, opus D contexere: abstinuit tamen semper ab iis omnibus, quæ vel leuem scientiæ ostentationem aliorum auribus inferrent: maluítque prorsus per summam animi depressionem indoctus videri, quàm aliquod sibi nomen libris editis conciliare. Erat scilicet insitum ei viro tribus potissimùm rebus summo numini placere, eiúsque amicitiam profunda mentis demissione, insigni morborum & susceptæ sponte corporis carnificinæ tolerantia, in Deum ac homines flagranti charitate, comparare. Et sanè vix verbis queat explicari, quantum per eas virtutes ad publicum ecclesiæ bonum domi forísque pepererit vtilitatis: quantíque laboribus eius ad varias religiones amplectendas iuuenum manipuli conuolauerint. P. GEORGIVS COLIBRANT.

P. Franciscus Flerontinus (natus hic fuit Leodij) cùm in Italia Socios inter admodum sese Philosophicis disciplinis excoluisset, in Belgium reuersus, & iuuenibus datus philosophiæ præceptor, nouam Duacum induxit per quæstiones Aristotelem explicandi, ac difficultates discutiendi rationem: & iuuentutis ingeniis acuendis, ex- P. FRANCISCVS FLERONTINVS.

cutien-

cutiendóque animorum torpore acriores iam de singulis partibus philosophiæ, iam de vniuersis eius thesibus cum aliqua pompa, disputationes instituit, quarum etiam hoc tempore viget celebritas. Neque verò studium & labor eius iis limitibus constringebatur, vt solam adolescentum animis philosophorum doctrinam insereret; Erat nimirum ipsi propositum etiam quosdam pietatis igniculos eorum, quos docebat mentibus iniicere, vt his tandem succensæ vnà cum ipso ad numinis amorem virtutúmque cupidinem incitarentur vehementiùs. Quanti hunc hominem, eiúsque dotes animi Societas fecerit, inde perspicias licet, quòd per annos aliquot, administratis prudenter Louaniensi & Leodiensi Collegiis, totius Belgicæ prouinciæ aliquamdiu fortiter & sapienter sustinuerit onus. A

P. NICOLAVS BOONARTIVS.

Ad eadem explicanda Philosophorum placita missus posteà Duacum P. Nicolaus Boonartius, quem Bruxella in lucem extulerat, miram de se opinionem concitauit, tum propter raram ingenij doctrinæque præstantiam, tum propter insignes stimulandis ad virtutem animis inter dicendum motus orationis. Quòd eum præceptorem habuerim, nihil ab officio meo faciam alienum, si quæ ad laudem eius Societatis Auctorum Catalogus à P. Petro Ribadeneira conscriptus & ab aliis auctus habet, legentium oculis proponam. Sic igitur is loquitur: *Nicolaus Boonartius, natione Belga, patria Bruxellensis, Philosophiam Duaci, Theologiam Louanij docuit, acumine, iudicio, memoria pari, rara dote in tanta ingenij sublimitate: Vt nesciam, an vlli ætate sua cesserit.* Et post pauca: *Scripsit dum in Hispania versatur, elegans & doctum opus, in duas partes diuisum, nondum tamen typis traditum; in quo se non minùs Iurisconsultum, quam Theologum, & in omni historia ac literatura varium ostendit. inscripsit,* Mare non liberum, *siue* Demonstratio Iuris Lusitanici ad Oceanum & comercium Indicum; *contra Batauicam H. Grotij assertionem. Breuem item* Apologiam *Gallicè ac vernaculè pro B. Virgine Aspri-collis, presso tamen vtrobique nomine. Cessit è vita vir non Philosophia modò ac Theologia, sed & pietate magnus, Pinciæ anno salutis* M. DC. X. *dum in patriam rediret, & pararet in vniuersum D. Thomam Commentarium.* B

P. MARTINVS DELRIO.

Non diu pòst insigni quoque doctrinæ admirabilis lumine resplenduit Duaci P. Martinus Delrius Antuerpiæ natus magna Belgij gloria, & ingenti totius orbis Christiani fructu. Vt enim vix aliquem licet proponere, qui plus auctorum attentè legerit, ac plura inde, quam felicissimam habebat, memoria sepserit, aut in aduersaria contulerit eruditionis omnigenæ comparandæ gratia: sic etiam nullum facilè reperias, cui minùs post adeptos insignes magistratus, & collectam cuiuscunque doctrinæ vim maximam, fastuosi supercilij, & aliorum despicientiæ adhæserit; qui procliuiori ad impertiendam aliis contractam è libris variarum rerum copiam, aspergendámque mentibus doctrinam, esset animo linguáque; in quo plus erga superiores, ac regulas eius religionis, quam iniuerat colendi numinis desiderio, summissionis & obseruantiæ spectaretur. Bis Duacum eius præsentia, studiis, doctrinâ, & virtutibus illustratum video. Ipsis propè incunabulis Academiæ non exiguam lucem attulit, paruúmque ornamentum, quamuis adhuc ephebus per teneram ætatem nihil magnum posse videretur. Iam tum is Liræ nobili apud Brabantos oppido sese Grammaticæ præceptis vel audiendis, vel legendis adeò gnauiter applicuerat, vt horum ferè nihil tunc ipsum fugeret. Audiuerat subinde Parisiis P. Ioannem Maldonatum de Philosophicis subtilitatibus & quæstionibus doctissimè & profundissimè tractantem, ibique præsertim ex ea Philosophiæ parte, quam de moribus differentem ethicam nuncupant, insignem ad mores optimè componendos animi supellectilem comparauerat. Igitur postquàm studiorum causa Duacum ingressus est, hic summâ contentione animi ad conciliandam sibi magnam Iuris scientiam, parandámque virtutem incubuit: eáque diligentia multis admirabilem se præbuit. Non erit, vt arbitror, iniucundum id legere, quod tunc eum verecundiæ & castitatis exemplum dedisse memorat is de vita ipsius Commentarius, quem Hermannus Lange-veltius typis vulgandum tradidit suppresso auctoris nomine, *Eluxit,* inquit, *sub idem tempus adolescentis castimonia, in re, quæ iudicio quorundam quibus Circes pharmaca pestifera quadam sanie perenniter stillante oculos obduxerunt, parua videbitur; nec magis eam sæ.Lim* C D

esse

A *esse iudicabunt, quàm sus lutum: ij verò, quibus abstersis nebulis mentis nitescit acies, & nondum* * ὄνου κεφαλὴν ἢ ὑὸς καρδίαν ἔχειν *non irreligiosum integritatis augurium amplectentur. Cum in eodem contubernio vir illustris degeret, qui post diurnas diuturnasque compotationes nocturnis terroribus atrociter quateretur, ex conscientiæ metu, quæ hominem minùs frugi secretiùs sine arbitris & interpellatoribus, acriúsque stimularet: sæpiùs ille Martinum pro sua auctoritate, mitiùs seueriùsque vrgebat, vt sine vllo pudicitiæ periculo (quod procul abesse videbatur) eodem in cubili locum caperet, præsidio (vt censebat) aut solatio futurus. At verò adolescens ingenuus nunquam adduci potuit, vel illa animorum conciliatricula nobilitate, vel potentia nocendi auida, vel blandiriijs, vel minis, vt eodem adolescens cum viro in lecto decumberet. Nimirum etiam vbi discrimen nullum esset, Verecundiam Iuuentutis tutissimam satellitem à se nusquam abire patiebatur.* Ita quidem admodum iuuenis Delrius aliquod Duaco decus inserebat. Postquàm verò Salmanticæ Iuris lauream cum incredibili omnium admiratione fuit adeptus, & in Belgium inde regressus Catholici Regis munere inter Consiliarios Brabantiæ consedit primùm, dein Castrensibus

*asini caput, aut suis cor habeat.

B causis decidendis præfuit; pro Cancellario rursus in Brabantia ius dixit; regio Quæstor fisco aduigilauit; in publicum elegantes doctósque aliquot studiorum suorum fœtus emisit; adita denuo Hispania, spretis omnibus sæculi pompis & regalibus officiis in Societatem Iesu sese abstrusit Pinciæ; inter huius Religionis Socios totum Philosophiæ curriculum iteratò est emensus: tum denique Duacum ab suis moderatoribus remittitur, vt iam clarioribus ornatus virtutibus, & maioribus instructus doctrinæ variæ præsidiis, in Philosophica versetur exedra, ibique iuuenum animos magna vi sapientiæ muniat. Et verò quamdiu hoc in oppido substitit, impositam sibi Spartam mira doctrinæ varietate, & quos penè innumeros legerat auctorum sententiis, aut refutatione, ad stuporem Vniuersitatis ornauit. Ab eo tempore Vrbem Leodiensem, Louaniensium Academiam, Gracium in Stytia, Salmanticam in Hispania sacris lectionibus suis, ac nouis ingenij pignoribus prælo suppositis mirificè affecit, quamdiù vitam otij vacuam duxit. Quæ plena insignis eruditionis, & latinis

C admodum verbis ornata vulgauit opera, multorum ea manibus vbique teruntur, eorúmque seriem ipsius vita, & Scriptorum Societatis Iesu Catalogus præbent.

Ferè tradideram obliuioni P. Ægidium Schondonchum, quem tamen è memoria minimè finit excidere, ad comparandam eloquentiam ab eo mihi puero labor impensus. Cùm is esset Brugis natus in Flandria, iam inde à tenera ætate insigni valuit facundia. Huic cùm studium & diligentiam adiunxisset, eos in Latinis & Græcis litteris progressus fecit, vt perquam eloquentissimus vtráque lingua euaserit, & ad similem dicendi promptitudinem multos iuuenes efformauerit: cùm in Aquicinctina Rhetoricæ classe magno cum plausu Græcos simul ac Latinos pari facilitate auctores prælegeret; ac vtroque idiomate nunc liberam scriberet orationem, nunc in pedes poëticos verba constringeret, vbi posteà iuuentutis Anglicanæ in Audomarensi Seminario curam suscepit, eámque Rector numerosam admodum familiam moderatus est: non modò maximam Belgij nostri partem, verùm etiam totum ferè regnum Angliæ sui nominis fama compleuit, ob eam industriam qua iuuenes eos

P. ÆGIDIVS SCHONDONCHVS.

D cùm sibi deuinciebat, tum ad litteras vtrasque perdiscendas capiebat vehementer. Quæ admiranda sæculi vnius chartis eleganter mandare cœperat, publico mors eius inuidit.

Qui vel hos tempore antecesserint, vel subsecuti fuerint, minimè desunt viri magni, quos etiam iustis laudibus propter nauatam insignem erudiendis philosophiæ candidatis iuuenibus operam, prosequi possemus. Sed quoniam ij partim ad plures iuere nullo ingenij labore ad posteros litteris transmisso; partim adhuc in viuis agunt; & vel circumlato per libros typis mandatos sui nominis splendore cogniti sunt, vel in oculis oréque multorum quotidie versantur: eorum encomiis tum vitandæ prolixitatis gratia, tum eius instituti memor, quo mihi viuentium laudes interdixi, supersedendum arbitratus sum.

Quem vltimum in hoc capite memorandum, & suis laudibus ornandum censui, eo priùs ciuitas Cameracensis claruit, deinde oppidum Duacense, ac denique Tor-

MICHAEL D'ESNE EPISCOPVS TORNACENSIS.

nacum. Michaël is Desnæus fuit nobili admodum loco natus, & quondam Betencuriæ Dynasta. Postquam hic grauia Cameraci (qua in vrbe diu rempublicam inter proceres administrauit) pro patriæ libertate tolerauit, quo tempore castrum & ciuitas in ordinum Belgij potestatem venere: vbi præsertim vitam in quiete, & cultu numinis traduceret, Duacum delegit. Cùm igitur esset apprimè virtutum studiosus, ac inter libros expers nuptiarum iucundissimè conquiesceret: plurimis sanè Duacensium insigni ad studium virtutis, & amorem litterarum stimulandis, exemplo fuit. Cùm etiamnum inter nobiles nondum posito sæculari corporis cultu versaretur, pangendis versibus Gallicis delectabatur vehementer, nullúmque nactus est è Franciæ poëtis, quem non diligentissimè legerit, vt promptiùs elegantiúsque poëmata conscriberet. Ac periucundum ipsi erat cum aliis seu Duacensibus, seu profectis aliunde, poëticum certamen instituere. Vbi posteà floridam posuit vestem, & sacris ordinibus initiatus est: tunc animum præcipuè ad diuinarum studia rerum conuertit, & ad pias sacrásque historias Gallica veste donandas ocium contulit. Ab eo labore prodiit in lucem vitarum S. Patris Ignatij, P. Iacobi Laynez, & P. Francisci Borgiæ trium ex ordine priorum Societatis Iesu Præpositorum Generalium fidelissima traductio. Verumenimuerò cùm eo viro plurimùm floreret Duacensium vrbs: in eum Philippus Secundus Hispaniarum Rex (cuius olim fuerat ephebus honorarius) oculos coniecit; ac illis, quibus insigniter fulgebat, virtutum luminibus præstrictus, Tornacensem ipsum Episcopum nuncupauit; quòd Tornacensibus in officio Catholicæ fidei, ac disciplinæ Christianæ retinendis aptissimum iudicaret.

Castellania Duacensis, & hic vetus Monasterium Pratense, Wasiera, Raissium, Estreesium, Wastinia, Landastum, & Beuurium.

CAPVT XXXIX.



VERVM vt tandem ex vrbe Duacensi pedem efferamus, cúmque agrum lustremus, qui nomini paret Duaceno, & Castellaniæ vocabulum induit, institutus à nobis ordo scribendi admonet. Benè pingue ac fœcundum eius solum est, partem pleramque Scarpo irrigante. Ei qui tribuuntur, ad quinque & viginti pagos vicósue numerant, quorum aliqui & hominum multitudine nobiles sunt, & terræ fructibus ad magnas possidentibus opes faciunt. Ex his præcipuos hîc tantùm memorabo, de quibus aliquid vel historiæ, vel monumenta mihi suffecere.

VBI NVNC CRVX CONSPICITVR, OLIM ABBATIA PRATENSIS IN SVBVRBIO DVACENSI CERNEBATVR.

Sed priusquàm vllum attingamus huius agri pagum, ad flumen haud procul à muris oppidi paullum moræ faciamus necesse est, ibíque depactam Crucem aspiciamus; ac cur eo loci fuerit constituta, explicemus paullò latiùs. Ad ingerendam intuentium oculis sacri loci memoriam, illic defixam olim Crucem inuenio. Stetit enim ibi quondam, vbi monumentum istud cernitur, insigne prorsus ac vetustum Cisterciensis Ordinis Abbatiæ templum, ac quidquid ædificiorum Virginibus ibidem loci considentibus exstructum fuerat: priusquam sacer is cœtus intra muros vrbis, vbi nunc parthenon eius visitur, fuisset collocatus, & Pratensis nomen istic induisset. Equidem vt omnis tam elegantis & antiqui monasterij aliquandò memoria exstingueretur, vbi sæculis aliquot insignes virtutibus Antistitæ ac virgines floruere, parum rationi consentaneum est visum. Eam ob rem postquàm propter continua bellorum discrimina, quæ cum Francis Burgundiones ac Belgæ altero iam præterito sęculo gerebant, id totum fuit cœnobium in plana deiectum, & in vrbem Duacensem translatæ Sanctimoniales: placuit semper aliquo veterem eius soli sanctitudinem indicio ac monumēto testari. Neque profectò ab instituti mei ratione alienum

CVIVS HIC REFERVNTVR ABBATISSÆ.

esse

A esse iudicaui, si non sinerem eas omnes, quæ tot ibi præstantes Abbatissæ vitam suo gradu dignam duxere, ac sepulcris sunt traditæ, iniuriosa deleri obliuione, at in publicam hominum cognitionem ex archiuo Pratensi earum nomina producerem: & quoniam haud facilè opportunus mihi locus id agendi alibi conceditur, alias etiam his annumerarem, quæ post veteris Parthenonis demolitionem in vrbe virgines moderatæ sunt.

Igitur ei virgineo cœtui sub Deiparæ matris tutela vitam ad regulas D. Bernardi exigenti prima præfuit cum pedo abbatiali Elisendis, cui cognomen erat Dassonuilliæ. Priusquàm ipsi regimen huius Parthenonis traderetur, in Brayellano cœnobio, vel Aunayensi haud procul Wendinio Ponte in finibus Artesiæ nunc sito, vitam oppidò quàm religiosè ducebat. Qui Rythmus de principiis huius Abbatiæ scriptus est, eius ita meminit: Elisendis 1. Abbatissa Monast. Prat.

Hinc extra domicilium acceperunt Abbatissam;
B *Non tamen per scrutinium, neque commouerunt rixam.*
Elysendis vocabatur. erat benè litterata.
Dominium illi datur. moribus erat ornata.

Elisendi successit Isabella Castellani Duacensis filia, ideóque nobili loco nata, quoniam iis temporibus & genere, & opibus Duacenses Castellani admodum pollebant. Isabella 2.

Hanc per ordinem secutæ sunt Agnes, Engleberta, Richildis: de quibus nihil aliud comperio, quàm vel Duacenses patriâ fuisse, vel cognomen à Duaco sortitas, quòd ea tempestate Duacensibus Castellanis adhæsit. Agnes 3. Englebertà 4. Richildis 5.

Post has omnes gubernaculis admota est Maria Beuria, cui parens obtigerat Thomas Insulensis Bailliuus. annis duobus & triginta feliciter munere suo perfuncta est. Maria Beuria 6.

C Istam excepit Mathildis de Cans Reginaldi nobilis viri filia. Mathildis 7.

Ab hac cœtum moderata est Isabella de Hamecicourt, nisi fortè scribendum sit potiùs Hamericourt, vel Hamericicourt, vt ex ea originem Hamericicourtiorum familia, quæ in Belgio vetusta floruit nobilitate, duxerit. Isabella 8.

Translatum deinde ad Sanctam Louchardam domus huius imperium, quæ patre nata fuit Iacobo Louchardo Atrebatensi. Sancta Louchard 9.

Subiuit posteà regendi onus Margareta de Deuniœul, quam Balbus de Deuniœul Duacensis genuerat. Margareta 10.

Huic proxima gubernauit Ioanna Simonis Mouillart Cameracensis filia. Ioanna 11.

Secutæ posteà Catharina de Sanli, & Ioanna Moniere Duacensis. Margarita 12. Ioanna 13.

Impositum deinde humeris Mariæ Gomer moderandi munus. Patrem habuit Thomam Gomer Insulensem, cuius cognominis familia in hoc vsque tempus nobilitatem sui generis propagauit. Annis tantùm duobus ac decem mensibus sacrum sustinuit magistratum. Maria Gomer 14.

D Hanc excepit Mathildis le Poulletier orta Tornaci. Annum ferè vnum rexerat, cùm incognitam ob causam dignitate fuit exuta, & in ordinem redacta. Mathildis la Poulletier 15.

Et suffecta est Maria de S. Albino haud parùm nobili genere nata. Patrem enim habebat S. Albini toparcham, cuius ditioni suberat is S. Albini vicus, qui nunc oppidi Duacensis portio est, ac trans fluuium S. Albini parœciam complectitur. Mathildis de S. Albino 16.

Successit posteà Iacoba Cormorand, cui pater Ioannes, Marqua verò patria in Pabulensi regione. Iacoba 17.

In huius locum substituta est Florentia le Poulletier, Mathildis, quantum apparet, propinqua. Florentia 18.

Hæc vna cum dignitate vitam deponente, in Isabellam Picquette propter eximias animi dotes omnium conuersa sunt virginum vota. Annos quinque ac viginti cùm præfuisset, quòd grandi iam ætate minùs idoneam se gubernationi arbitraretur, sponte cessit magistratu. Isabella 19.

Igitur Ioannæ de Molembais omnium sanctimonialium consensu pedum dein- Ioanna de Molembais 20.

 ceps

ceps oblatum est, quòd non minus ipsa virtus, quàm generis claritudo eam magnopere commendaret. Verùm hæc quinque dumtaxat hebdomadis cœtum moderata fuerat, cùm viuis eam mors eripuit. A

CATHARINA D'AIGREMONT 21. Ita mox admota gubernationi Catharina Aigremontia, cui non minus exacta probè vita, quàm nobile genus splendoris attulerat. Tradunt monasterij tabulæ, spiritualium rerum iuxta & temporalium promouendarum curam diligentem præclaram ipsi apud Deum hominésque laudem comparasse.

MARIA 22. Hanc proximè secuta est Maria au Pouche Templeuuij in Dossemerea prognata. Duos ac viginti annos egregiè magistratum sustinuit. Erga pauperes insigni ducebatur misericordia: ideóque largissimis eos muneribus afficiebat. Ipsa iucundissimè hospites excipere; peccantibus sese patientem ac mansuetam præbere; omnes mira benignitate prosequi. Anno salutis 1458. vitam morbo amisit.

CATHARINA 23. Mariæ suffecta est Catharina du Bus in lucem Cysonij edita: cui mirè ad dignitatem præclarè tuendam ac tolerandos labores patrocinata sunt ingenium virtúsque. Quippe magnum ei Deus animum inseuerat, plurimámque vim prudentiæ & subtilitatis impertiuerat: ipso verò cultu religionis ingens accreuerat cumulus virtutum. B Annos iam septem ac decem sapienter imperauerat, cùm Mariæ Burgundicæ Flandriarum Principis permissu Duacenses situm extra muros monasterium adusque fundamenta destruxere, bellorum formidine impulsi, quemadmodum paullò antè significauimus. Verùm apud eandem Principem adeò prudenter de nouo virginibus suis parando phrontisterio negotium tractauit, vt Campum floridum & Beginagium in vrbe situm vnà cum obnoxiis ei censibus impetrauerit. Quo tandem loco ad idoneam habitationem comparato, ex ea domo, quam intra muros ad tempus incolendam acceperat, cœtum suum illuc deduxit anno post millesimum & quadringentesimum septuagesimo septimo. Quartus ac vigesimus Maij dies illuxerat ipso Pentecostes peruigilio, cùm iis ex ædibus temporaneis ad nouum Parthenonem quatuor ac viginti virgines suppliciter duxit, domino Huberto ex Laudensi Religioso ipsi ac suis à confessionibus, venerabile Christi corpus palam gestante. Superuixit posteà non minus annis nouemdecim, struendísque compluribus ædificiis operam dedit. C

ANTONIA 24. Ad summum posteà gradum euecta fuit Antonia de le Lacherie domo Insulensis. Magnus eam labor exercuit circa promouenda monasterij ædificia. Ab Summo Pontifice diploma impetrauit, quo vetus Abbatia cum noua coalesceret. Priusquàm è viuis abiret, volens se magistratu abdicauit. Vix tamen alterum à curis mensem quieuerat, cùm placidè mors eam abstulit.

IOANNA 25. Per Antoniæ cessionem traditum Ioannæ de le Becque imperium est, cuius munificentiâ vt pleraque alia, ita quod hodiéque templum cernitur, à fundamentis surrexit.

PHILIPPA 26. Hanc Philippa d'Ablain excepit. Eius opera, qui monasterium longo circuitu murus ambit, porrecta secus flumen granaria, impositus Scarpi aquis pons lapideus, ac pleræque aliæ structiones. Anno millesimo quingentesimo & trigesimo octauo vitam exuit. D

ISABELLA 27. Secuta deinde Isabella Denis, à qua nonnulla perfecta sunt ædificia, & aliquis in sacram collatus ædem ornatus.

IAQVELINA 28. In locum huius Iaquelina Boulenger surrogatur, cuius liberalitate mirum in modum auxit sacra templi supellex.

ISABELLA 29. Pedum deinceps tractauit Isabella de Trameri cuius labor in eo præcipuus eluxit, vt sublatis abusibus plerisque, commissum sibi gregem ad illibatæ cultum religionis, studiúmque perfectionis impelleret.

LVDOVICA D'AOVST 30. Summum nunc gerit magistratum D. Ludouica d'Aoust, Eustachij viri nobilis, ac Iumellæ domini filia.

VVASIERA. Proximè Duacum Wasiera cernitur, quà Tornacum Insulámque est iter ad portam Morelliam. Ibi templum ab aliquot sæculis, Deipara virgo exornat, & venerationis ergo maximus hominum concursus. Eiúsque nomine aquis scaturit in ceme- VVasiera.

A terio puteus insignis, cuius laticem ægro pecori potandum præbent rustici, & sanitatem eo concilıant. Quod iam illic templum visitur, collecta ex oblationibus villaticorum hominum pecunia, è durissimo & quadrato saxo eleganter structum ferunt: Olim eodem B. Rictrudis Martianensis Monasterij patrona ad sui venerationem mortales trahebat: omninóque factum eius opera est, ne tota ædes incendio consumeretur, quo tempore Flandris imperabat pius ille Comes Balduinus Insulensis. Non grauabor totum id miraculum ex primo miraculorum D. Rictrudis libro ipsius auctoris (cuius nomen nondum deprehendere potui) verbis è manuscripto codice Martianensis Monasterij lectoribus antiquitatis cupidis proponere. Sic igitur Anonymus ille capite quinto & vigesimo: *Tunc temporis homines de villa, quæ Wasiers nuncupatur, circa ecclesiam, quæ in honore Domini, & B. Rictrudis ibi dedicata est, fæni & segetis suæ massas pro cautela securioris tutelæ collocauerant, vnde se in futurum sustentandos arbitrabantur. Accidit autem vt inimicus homo pro monsterij destructione, in fænum illud, seu domum aliquam (villula enim propè erat) ignem mittere præsumpserit; siue alio quolibet casu factum sit, certum tamen est, quòd euenerit.* B *Qui cùm in segetem & † feniculum desureret, vix à circumstantibus pinna templi conspici poterat, flamma & fumo eorum arcentibus visum. Nemo tamen, qui ad illius defensionem propius accedere posset; quia in collocatione messis annuæ, quàm ibi construxerant, nonnisi semitam quamdam admodum arctam reliquerant, per quam festis diebus cum presbytero suo intrabant Ecclesiam. Omnes autem iacturæ suæ & futuræ mendicitatis obliti, solummodò pro templi adustione, quæ imminebat, querebantur. Communis erat gemitus, & clamor omnium simulis, quatinus B. Rictrudis Monasterium suum de instanti periculo absoluere dignaretur. Interea qui longius aufugerunt, & eò liberius quod fiebat intuebantur, quamdam reuerendi vultus matronam super pinnam templi deambulantem conspiciunt, quæ vestis suæ manicis flammas repercutiens ad inferiora retorquebat: & quò magis illa per subiectam materiem augebantur, eò hæc per superiora liberius discurrens earum † glomos, ne nocerent, potenter deprimebat. Tandem conquieuit ignis, & illa ab oculis intuentium euanuit. Quod factum fuerat,* C *qui viderant, alijs retulerunt: & eorum dictis fides deesse non potuit. Euidens enim erat miraculum, & rei gestæ veritas, cùm furens, & circumstans incendium nec vnam monasterij tegulam consumpsisse inuentum sit.* Hactenus auctor ille, in cuius verbis duo velim animaduerti. Primum est illud nomen *Fæniculum*. Nam ibi non dubito rescribendum *fæni cumulum*. Etenim de fæno anteà fuit sermo, non de fæniculo. Alterum est, aliquoties hîc monasterium nominari. Quippe vllum Waseriæ neque tum, neque aliàs monasterium vel cœnobium extitisse certò constat. Et sanè Gualbertus Martianensis Monachus, cùm de hoc facto narrationem contexit, Ecclesiæ modò mentionem facit. Igitur crediderim, quemadmodum sæpissimè apud Baldericum in Chronico Cameracensi monasterium pro templo Canonicorum etiam sæcularium sumitur, ita hoc loco pro ipsa Ecclesia Waseriensi accipi, ad eam prorsus rationem, qua veteres rerum Francicarum scriptores pro templo & Ecclesia parochiali Moustier vel Monstier dixere: quo etiam modo sæpè adhuc puer Ecclesiam curialem Cameraci Moustier appellari auribus meis percepi. Traxit olim ab hoc loco D gentilitium cognomen nobilis Wasieriorum familia. Cùm Flandriam moderaretur Margareta Guidonis Comitis mater inter Hellinum Wasierium & Duacenses grauis mota est controuersia, & de iustitia contentio, dum flueret annus partæ salutis 1267. eodem ferè tempore floruit Philippus Wasierius Siclíniensis ecclesiæ Præpositus, & Cameracensis Decanus.

In eadem via paullò amplius milliari abest Duaco Rayssium. Magnam is pagus partem vel in siluis latet vel paludi assidet, sparsis ædibus. Pars melior eius parochiæ stat vicus ad pontem, qui Scarpum iungit & Rayssianus tracto ab ipso nomine vocatur. Veteris arx operis istic visitur fluuio imminens. Proximum est D. Leonardi sacellum multo mortalium affluxu nobile, & anathematibus compedum, ferrearum manicarum, boiarum, catenarum, è ferro ceræue tibiarum, subalarium fulcrorum innumeris perceptæ opis indicibus. Cognomentum olim nobili Rayssiorum genti pagus hic indidit, è qua præclaræ virtutibus abbatissæ virginum Maria & Magareta pro-

PVTEVS EIVSDEM VIRGINIS.

OLIM PRI HONORATA B. RICTRVDIS: EIVSQVE PRÆSIDIO TEMPLVM AB INCENDIO PRÆSERVATVM.

† fænum.

† globos.

Rayſſe. Pont à Rayſſe.

RAYSSIVM. PONS RAYSSIANVS. CASTRVM RAYSSIANVM. SACELLVM S. LEONARDI. FAMILIA DE RAYSSE. MARIA DE RAYSSE ABBATISSA. *Aim Marquett.*

MARGARETA DE RAYSSE ABBATISSA. *Monu. Flinens.* AD BERGHENSEM FAMILIAM NVNC SPECTAT RAYSSIVM. EX HAC TOPARCHA DE RAYSSE MORTVVS IN BOHEMIA

A

prodierunt. Mariam Marquettensibus monialibus præfuisse laudabiliter, sacróque se magistratu post Christi natalem anno 1257. exuisse sponte iam anteà ostendimus. Margaretam apud Flinenses Virgines pedum tenuisse, commissúmque sibi cœtum preclarè moderatam nondū expleto Christi anno suprà millesimum & quadringentesimum sexto & trigesimo ad superos euolasse comperio. A plerisque annis ad Berghensem familiam huius pagi dominium transijt: nupérque ex hac domo eius toparcha in Bohemiam bello profectus, & sub regis Hispaniæ signis pro Cæsare Ferdinando alam Equitum ducens, fatis absumptus est, non paruo sui relicto desiderio, propter insignes corporis & animi vires, artémque militarem, quibus egregiè pollebat.

ESTREESVM. BALDVINVS ESTREENSIS REGVLVS.

Estrees.

Et hoc in tractu spectatur Estreesium tam soli bonitate, quàm reguli arce commendabile. Ad familiam Oingniesam à multis retrò sæculis pertinet. Quo præsertim hic pagus sese iactat, is fuit Balduinus Oingniesus, quem Bonus Burgundiæ Dux consiliorum suorum & cubiculi participem fecit, intérque aulæ magistros numeratum Gallo-flandriæ Gubernatorem constituit.

B

VVASTINIA. NONNVLLIS FAMILIA VETERI VVASTINIORVM. NVNC MONTEMORENCYANO NOMINI PARET HIC LOCVS.

VVastinia.

Propiùs Orchiacum Wastinia consistit. Insignem munitámque & turribus assurgentem habet arcem. Quondam floruit ea gens nobilitate, quam Wastiniam ab ea vocauere. Ex hac in curiali templo Wastiniensi tumulum habent Colardus, & Alardus equites torquati, & Wastiniæ reguli, quorum hic anno Domini 1424. vitam finiit: Nomaini autem iacet Ioannes Roupyensis toparcha, quem mors sustulit anno supra millesimum & quadringentesimum octauo & decimo. Ad nobilissimam Montemorencyorum familiam ab annis plusquam centum huius pagi deriuatum est dominium. Etenim Ioannem Montemorencyum eius loci dynastam anno 1521. vita defunctum reperio. Hîc rerum potens est modò ex eadem domo Ioannes Stegrensi & Mourbecano Comitatu præditus.

LANDASTVM. FAMILIA LANDASTENSIS ANTIQVA. EX EA FVLCARDVS ABBAS MARTIANENSIS. *Lib. 2. c. 1.*

Landast.

C

Est in eodem agro Landastum vetustate, solo, arcéque laudabile. Iam tum potens erat ea familia cui cognomen opésque conciliauit, cùm millesimus & centesimus Christi annus volueretur. Quippe tertio pòst anno cùm grauiter Martianense monasterium à quibusdam viris nobilibus vexaretur Alardo Antistite viuis erepto, huius Asceræ Fulchardum ex ea gente progenitum Abbatem sibi legere, vt suorum gentilium ope subnixus aduersariis facilè obsisteret. Ea de re quid scripserit Auctor Anonymus miraculorum D. Rictrudis, hîc propono: *Defunctis itaque memoratis Patribus, qui religionem secum in monasterio illatam verbo & opere aliis docuerant, fratres Abbatem constituunt Fulchardum Hasnoniensem Monachum. Et hic erat de . . . . progenie Landastensium.* Et paucis interiectis: *Qui ad hoc electus est, quòd vir secundum sæculum de magno genere infestantes Ecclesiam liberiùs posset arguere. resistentium quoque contumaciam nunc censura districtionis Ecclesiasticæ, nunc affinium suorum potentia retunderet.* Inter alios qui posteà eius cognominis Landasti rerum potiti fuere, Amalricus equestrem adeptus ordinem claruit, Ioanna Flandris imperante. In hunc diem plerisque viris nobilibus, & opulentis, quos varij dominos pagi colunt, idem adhæret cognomentum gentile.

ET AMALRICVS EQVES AVRATVS.

BEVVRIVM. BEVVRII ANTIQVITAS, ET MONVMENTA. *Cap. 9.*

D

Beuuri.

In eodem tractu Beuurium cernitur. Id modò vicus tantùm est: olim municipij ius habebat; oppidíque speciem. Eius antiquitatem, & monumenta Gualbertus Martianensis monachus in libello, quem Poleticon inscripsit Martianensis monasterij, proposuit. Verùm malitiáne, an leuitate animi quispiam id fecerit, pars verborum eius è codice, quem id asseruat cœnobium, abscissa est. Tantùm igitur quod superest fragmentum hîc accipe . . . . . . *plicia & grandia sub terris inuenta satis euidens ostendunt indicium, licet supernè non appareant ruinæ mœniorum. Inueniuntur quoque in profundo telluris sæpè vrceoli fictiles, scutulæ rubri coloris, fuco vermiculatæ, necnon & ampullæ vitreæ, in quibus aliquantis liquor continetur ita perspicuus, sicut lachryma; in aliquantis verò crematorum cadauerum cineres & ossilula; sed & erroris sui, & superstitionis con . . . .* Hæc liber ille: ex quibus sanè perspicuum est, hunc olim ab Romanis insessum ac cultum fuisse locum. Neque verò hîc silentio transeundum arbitror id, quod idem Gualbertus in eodem libello memoriæ consecrauit his verbis:

Non

A *Non longè autem ab eodem oppido (Beuurio) adiacet Theoderici Mansus, quem putauerunt quidam † regis auditum fuisse in initio rugitus ceruorum, eo quòd idem locus ad hoc videbatur aptissimus, illucque venationis gratia in diebus Autumnalibus concurrere solitus erat rex Theodericus.* Eum enim locum etiam memorat Andreas Martianensis, & miserando Raginfredi, vel Ragānfredi apud Francos Palatio Præfecti exitu nobilem fuisse asserit. En quæ scripsit in Chronico: *De morte huius Ragenfredi sic in quibusdam Chronicis scriptum inuenimus. Carolus Francorum commouens exercitum Chilperici, Ragenfredique desiderans exstinguere contumaciam, bellum aduersum eos iterat: sed auspice Christo stragem occisorum permaximam et reddidit Caroli Ducis strenua industria. Vnde Chilpericus cum suo compari fugatus eodem se tutus est anno. sed sequenti anno Domini D. CC. XXII. capitur ab inuicto Duce Carolo. Ragenfredus verò timore perterritus cupiens se liberari à Caroli manibus, fugam arripuit quam potuit citius: & relinquens aruorum plana, & sui globum exercitus, per loca aquosa, & saltus peruenire contendit munitionis gratia ad quendam vicum, qui dicitur Theoderici Mansus, quod beatæ ac gloriosæ*
B *Rictrudis est fundus. Namque in ipso degisse dicitur loco per prata & vberrimos saltus quondam rex degisse Theodericus. Verum fuga non intenderet, mortis timore haud procul milliarium vnum a villa quæ Martianas dicitur, [illegible] est inuolutus. Verum ignoratur, vtrum ab aliquo eum fugante ibidem loca fuerit [illegible], aut quoquo malo omine lapsus.* Hactenus Andreas; cui libenter subscriberem, si quod vetustius monumentum eius narrationem firmaret. Sed aliorsum nos trahere videntur hæc Appendicis ad Gregorium Turonensem Episcopum verba: *Carolus princeps insecutus * idem Ragansredum: Andegauis ciuitatem obsedit, vastata eadem regione cum plurimis spolijs remeauit.* Nam inde nobis intelligendum relinquitur, ea ciuitate in potestatem redacta, viuum in Caroli manus Ragenfredum venisse, in quem tamen minimè sæuitum reperio. Audiendus hic Sigebertus, qui locum Appendicis explicat, & quæ ipsi desunt, supplet disertè: *Karolus Raginfredum persequens, Andegauis obsidet; iamque captam victo Ra-*
C *ginfredo ad habitandum concedit, & totius regni principatum recipit.* Huic consonant ea, quæ breuiter tradit Robertus Gaguinus. *Sed Rangafredum Andegauiam petentem cum ciuitate in potestatem recepit. Clementia tamen vsus Martellus hostem libertate & ciuitate donauit.* His subscribens Paulus Æmilius eleganter ista proponit: *Romanfredus vndique salutem quærens, Lutetiam, inde Aurelianum, ad postremum Andes, semper premente hoste cùm petiuisset, cetera spe destituente, se fidei Martelli commisit venia, Andibúsque, ne omnino priuatam degeret vitam, donatus. Tantum coacto Franciæ vniuersæ concilio, Magisterium equitum, quod nec consensu gentis nec a iusto rege creatus diceretur, ei abrogatur.* Cùm itaque videamus eo tempore, quo mortuum refert Andreas, Ragenfredum in pace degentem Andegauis (Sigebertus enim quæ modò retuli, anno tribuit septingentesimo & vigesimo secundo, quæ alij ad precedentem annum referunt) qui fieri potuit, vt tunc Carolum reformidans in has se partes fuga receperit Ragenfredus tuendæ vitæ gratia? Nam arbitrari forsitan inter eum Carolúmque inimicitias recruduisse, nouúmque inter eos bellum exarsisse, quo exercitum ipse collegerit, ac
D victus relictis copiis per occulta se loca proripuerit; omninò absonum videtur, cùm nullus veterum scriptorum id opinandi præbeat occasionem, prorsúsque aliquid mouendi præcisa fuerit ei facultas, à quo fuerat ablata palatij præfectura, & cui tantùm vrbs vnica suberat.

† [illegible]

* eundem.

IVXTA BEVRIVM THEODORICI MANSVS.

Lib. 1. cap. 30. Chronici.

Lib. 9.

Lib. 2.

A

Sinum Nobile, & in eo Abbatia Belli loci, Absconsum, & Sclusa.

CAPVT XL.

SINVM CVR NOBILE VOCATVM.

Sin le Noble.

IN Duacensis vrbis conspectu Sinum iacet. Huic cognomen Nobili datum, qua origine causáue, nondum certò didici. Sunt, qui putent ita cognominatum vt à paruo Sino distinguatur, quod in proximo est, appellatúrque vulgò Decyanum hospitale. Magnam partem aquis palustribus solum eius madet, ideóque paucis est locis ad cultum & frumentorum sationem habile. Ab eius extima parte ad fossas vsque Duacenses longus terræ agger vna nocte, vt fertur, effossus compositúsque memoriam ingerit Francorum, quos Duacensis

B

VALLVM SINENSE A QVIBVS OLIM DVCTVM?

oppidi muris imminentes malè ducti per tenebras valli (cum enim aggerem moliebantur, vt retro tuti aduersus defensores vrbis consisterent; factum tamen est diuini numinis prouidentia, vt Wasieriam Duacum esse sibi persuaserint, eíque vallum opposuerint) miraculum ab inferenda vi auertit & clade, quòd eo minimè contra iacula & tormenta tegerentur.

ABBATIA BELLI LOCI, SEV SINENSIS.

Hunc pagum diu Abbatia Virginum ex præscripto S. Augustini viuentium nobilitauit, cui cognomen olim Belli loci situs ipse comparauit, nomen D. Virgo Maria in patronam delecta: & propter S. Aniani quondam pontificis Aurelianensis Reliquias frequens ad eius templum Parthenonis hominum aduersus morbos, ac præsertim febres opem flagitantium concursus. In eo loco laudabilem admodum vitam duxere semper tum virgines, tum antistitæ; ac tantùm id nobis dolendum venit, quòd earum paucissima sint facta litteris ad memoriam commendata. Illarum,

SINENSES ANTISTITÆ.

quæ pedum gessere gubernationi monialium admotæ, præter nomina vix aliquid compertum est. ea tamen de his quæ sunt mihi subministrata, publici nunc omnia iuris faciam.

C

Circa primæ nomen Abbatissæ varia seri video. Sunt, qui velint Odam nuncupatam. Franciscus Barius Prior olim Aquicinensis, Oddonam nominat, eíque Aalidem subiungit, dum in Commentariis de sacrorum Belgij locorum antiquitatibus huius Asceterij antistitas proponit. Omnino mihi adhærendum ei Catalogo videtur, in quem huius Abbatiæ virgines suas ex ordine antistitas retulere. Igitur secundum Indicem earum, Sinenses inter moderatrices primum Aalis occupat locum, tra-

AALIS PRIMA SINENS. ABBAT.

cto eius ordinis argumento iis è marmoribus sepulchrorum, quæ capitulum adhuc ostentat.

ODDA 2.

Eam excepit Odda, quam ferunt anno Domini 1242. magistratum iniuisse.

Hanc per ordinem secutæ sunt Margareta, Iuliana, Heluis, aut Heluina, Maria Maletz, Iuetta de Bronnebrocque (cuius cognominis illis temporibus nonnullos apud Duacenses in vrbana nobilitate censos video) Peronna, vel Petronilla de Lys, Maria le Ioune, vel Iuuenis, Nicasia Beil, Agnes de Liau, Margarita de Bonnebrocque, Maria de France, Ioanna Nedoulle, Idoina, vel Idona Martina, Iolenta, vel Iolandis Ianson, Alissa Turquette, Magdalena de la Vaquerie: quarum omnium præter nomina nihil suppeditat.

D

IOANNA 19.

Imperauit posteà tum genere, tum moribus insignis Ioanna è familia Montemorencyorum exorta.

BONA 20.

Quæ proximè hanc consecuta est Bona de Brousse, & vigesima monialibus præfuit, à patriæ rebellibus & hæreticis multa diu eáque grauia perpessa est incommoda, cùm Belgica intestinis tumultibus agitaretur. Sed quamuis sæpissimè vel Cameracense, vel Bucciniensepræsidium Regi Catholico aduersum vehementer admodum infestaret; nunquam tamen in monasterio diuinum sacrificium, & Catholicæ religionis ac pietatis officia intermitti permisit.

Hac

A Hæc ad ſuperos euocata totius curæ Parthenônis Annæ de Lattre impoſita fuit, quæ patrem habuerat Ioannem multis liberis, iiſque virtute præſtantibus felicem,& incorruptum per annos quadragintáquinque cauſarum in tribunali Gubernatoris Iudicem Duaci. Ea cum paternas virtutes æmularetur, haud parum domeſticæ rei ac diſciplinæ diligentia & prudentia profuit. ANNA DE LATTRE 21.

Hîc modò rerum potitur Adriana Moullart ex ea producta familia, cui magnum lumen attulit Matthæus Moulartius primùm S. Ghiſleni Antiſtes, dein Atrebatium Epiſcopus zelo numinis ardentiſſimus: & in quam multum laboris & ſolicitudinis incumbit. Etenim vitandis in poſterum & periculis hoſtium, graſſantibus bellis, & vicinarum paludum infenſis vaporibus, ſtatutum eſt tam virginum quàm ſuperiorum ſententia, vt Duacum hæc ſacra familia transferretur: eóque iam commodâ ſede multa conſurgunt à fundamentis ædificia, quorum partem, facta iam è Sinenſi loco migratione, Sanctimoniales occupant; pars curæ, temporis, ac pecuniæ plurimum abſumet, priùſquam ſuis fuerit numeris omnibus abſoluta. ADRIANA MOVLLART 22. SINENSE MONASTERIVM NVPER DVACVM TRANSLATVM.

B Abſconſum in edito cliuo, quà Valencenas itur Duaco, prominet (Aſconium pleraque vocant Flandriæ Principum diplomata: nonnulli Auctores Abſconditum. Vetus quidam liber Martianenſis monaſterij calamo ſcriptus alicubi prodit huius vetuſtatem, & nominis originem. Tradit enim eius incolas C. Cæſarem in remotam regionem bello ſecuturos, quæ ſecum aſportare non poterant, humi defodiſſe: quòd ingens illic theſaurus deliteſceret, locum Abſconſi nomen ſortitum. Verùm præſtat ipſius auctoris, quem Gualbertum aliqui Martianẽſes Monachi appellant, verbis hæc proponere: *In eminentiori penè loco Auſtrebatenſis pagi, à longè conſpicabilis poſita eſt villa tempore belli armatorum aduerſæ partis vtrimque quaſi ſpecula quotidiana Aſconium, vel magis Abſconditum, vt fertur, olim nuncupata, huiuſmodi videlicet cauſa. Romanorum exercitus virtutis ſuæ robore Gallias occupauerat, & quædam pars eorum optima quæque & præcipua ſibi eligens incolendo terras gentium poſſidebat. Poſtquam verò Iulio Cæſari ſors obtigiſſet, vt occidentalis orbis plagas Romanæ reipublicæ pugnando atque domando penitus* C *ſubigeret; marinos etiam fines contingens triumphando Oceanum transfretaret, quamuis cum ingenti labore, & diuerſis præliorum certaminibus vniuerſa perdomuit. Cúmque orbe ſubacto, omnibúſque ſuperatis, & ritè compoſitis, vexilla victricia retorquens Romam cum triumpho iam redire decreuiſſet: electam iuuentutem, & ſtrenuam pugnatorum militiam ex omni Gallia cum duodecim legionibus ſuis collegit, & præcipuè propter futuram Theſſalici belli congreſſionem, ad quam anxius toto conamine mentis feſtinare videbatur. Qui verò ex ſupradicto pago in hac expeditione aſsignati ſunt, ex militaribus ſtipendijs ſufficientes copias habentes, domeſticas aut priuatas pecunias in ſupradicta villa terra curauerunt abſcondere, & Abſconditi nomen eidem villæ ſignanter imponere: vt in reditu ſuo in hanc fortaſsè patriam, ſeu ipſi, ſeu poſteri eorum ex ſignificatione nominis recti tramitis linea, ad occulta reconditarum pecuniarum latibula ſine errore valerent attingere. Hæc eſt etymologia nominis, quod Abſcon corrupto modo appellant. Ita eſſe, vt dicimus, quorundam, qui ante nos fuerunt, relatione didicimus, qui etiam hoc ſcriptum ſe inueniſſe fatebantur.* Ita Gualbertus. Ego verò, quamquam minùs placeant eiuſmodi originationes nomi-
D num, nolim tamen his oppidò refragari. Etenim prorſum compertum eſt, vt liber alius aſſerit, Albericum cœnobij Martianenſis Antiſtitem ad annum 1036. ibidem loci ad Deum fuſa prece, ingentes theſauros reperiſſe: eorum vna parte corrupta incendio ædificia monaſterij grauiter inſtauraſſe; altera multum vel aureum, vel argenteum quatuor diuorum corporibus ornatum parauiſſe. ABSCONSVM VEL ABSCONDITVM. Cap. 1 Patinq. ABSCONSI QVANAM ORIGO?

L'Eſcluze. Ex aduerſo Scluſa iacet loco & plano, & multis aquis obnoxio: idque propter munitionibus aduerſus hoſtes aptiſſima eſt. Poſſet aliquis arbitrari Baldericum in Cameracenſi Chronico mentionem eius lib. 3. cap. 70. facere. Sic enim ipſe, poſtquam retulit Imperatoris Henrici copias cis Cameracum à Ioanne Atrebatenſi Aduocato contra Balduinum Inſulenſem Flandriæ Comitem ductas: *Quo facto accinxit ſe rurſus Ioannes ad deducendi negotium, volens, ſi fieri poſſet, aliquo pacto per Clauſulam illam ducere Imperatoris exercitum. Laboranti igitur homini, & quærenti idipſum perficere, porta Clauſulæ illius aperta fuit de media nocte; ſicque Clauſulam illam* SCLVSA. HVIVSNE MENTIONEM FACIAT BALDERICVS?

introiuit

introiuit Imperator facta inimicorum suorum resistere volentium non minima cæde. Verùm eo de loco minimè loqui Baldericum, quæ sequuntur, euidenter arguunt: *Pertransiens autem Clausulam illam, & interfectis à dextris & à sinistris occursantibus sibi, ad Islense castrum peruenit.* Dein quæ præcesserunt, cap. 68. *Hoc viso Imperator Scaldim fluuium paratis pontibus transijt, & terram Balduini † hosti suæ deuastandum distribuit: sicque depopulando eam præda & igni vsque ad ebullientem riuum cum exercitu suo peruenit.* Eum enim locum vtrobique Chronographus designat, qui hodiéque Boullenrieu ab ebullientibus aquis dicitur, Duacum inter Insulámque, non procul Raimbaucourtio, qui transitu difficilis etiam tum temporis munitione claudebatur quam ipse Clausulam nominat, quòd hosti viam in agrum Insulensem præcluderet. Sclusæ mentionem fieri, eámque describi video ab Auctore miraculorum S. Rictrudis nondum in vulgus edito. Hæc enim ipse lib. 2. cap. 15. cùm de Guilelmo Hyprensi, post Caroli Flandriæ Comitis necem agit: *Et conuocatis complicibus suis Castellum quoddam Sclusam nuncupatum, quod à Comitissa Clementia in dotem acceperat, securus intrauit. Turris firma erat: villa nemore, viuarijs, & aquis palustribus circumdata; cuius aditus vna via admodum arcta introeuntibus patebat. Locum hunc ad expugnandos hostium incursus satis aptum* Willelmus *ingressus est.* Vnde colligas licet eum locum iam tum Christi anno 1126. (eo námque Carolus Comes cæsus est Brugis) magni fuisse nominis & momenti. Intra biduum bis capta eius munitio est anno 1486. Insidebant Franci complures ardente bello inter Franciæ regem, & Maximilianum Archiducem, indéque proxima deprædationibus infestabant. Id grauissimum fuit Hellino Dezio fortissimo inter Archiducis milites viro: ideóque non modicam contraxit villaticorum hominum manum, eáque septus per insidias in munitionem euadit, & hoc hostem exuit. Eius rei fama commoti Francorum alij ex vicinis vrbibus magno aduentant numero; & priusquàm Dezio à Belgis posset succurri, tormentis muralibus subactam, permissa rusticis abeundi potestate, flammis corrumpunt.

A

† i. exercitui suo.

IAM OLIM MVNITVM SAT FVIT CASTRVM.

B

ET BELLORVM SENSIT INCOMMODA.

Ioan. Molinet. to 1 Pent. Hist. Austriac. l. 4.

C

Martianæ, & situm ibi loci Monasterium.

CAPVT XLI.

OPPIDI forma, non nomine, sese iactant Martianæ. Varium illis nomen; antiquitas non modica; cœnobium ingens decus; fluminis opportunitas, & siluæ vicinia commodum maximum. Scarpo fluuio, muris lateritiis, monasterij septis hoc municipium clauditur, & aliquot portis distinguitur: vt belli tempore muniri admodum possit, defendíque. Ætate nostra semper huic loco Marchianis nomen: itáque olim vocauit Chronographus Monasterij, cùm situm his verbis descripsit: *Porro Marchianensis locus circumfluentibus aquis, & palustri arundine circumdatur, habétque versus Aquilonem siluam grandem, ad Australem partem fluuium Scarpum, qui labitur ad Orientem, ex cuius vtraque parte adiacent prata herbis palustribus strata.* Nec aliter in Elnonensi Chronico appellari video, cùm de Ionato loquitur: *Quem pridem Marchianis instituerat idem B. Amandus primum Abbatem.* Et omnia ferè summorum pontificum diplomata Marchianense monasterium ideò nominant. Baldericus in Chronico Cameracensi Marcenias nuncupat. Ait enim l. 2. cap. 26. *Apud villam quoque Marcenias virgo Dei gloriosa Rictrudis ex proprijs opibus & prædijs consilio S. Amandi, qui tunc insignis habebatur, monasterium struxit.* A quibusdam Marcennas vel Marcenas indigitari video. Verum olim vsitatius Martianas, vel Marcianas in Vitis sanctorum Ionati, & Hugonis, diuarum Rictrudis & Eusebiæ appellatas reperio. Et plerumque id nomen sic vsurpatum, vt nullam admitteret casuum mutationem. In vita S. Ionati cùm de S. Amando sermo instituitur: *In Martianas quoque monasterio sanctum virum &c.* In vita S. Eusebiæ: *Eligitur itaque locus huic proposito*

Marchenes.

MARTIANENSE MVNICIPIVM

VARIA EIVS NOMINA.

D

A *proposito aptissimus Martianas nomine monasterium super Scarb fluuium situm.* Et Carolus Caluus Imperator in Priuilegio Martianensi monasterio concesso: *Quoniam Sororum & fratrum necessitatibus in cœnobio Marcianas nuncupato.* Loci vetustatem conditum ab ipso pontifice Amando monasterium indicat. Id Benedictini est nominis, & quà templi mole, quà multis aliis ædificiis, & rebus laudem meretur. Nullus in tota regione Gallo-flandrica locus æque sanctorum virorum pedibus olim tritus; & à clarioribus morum puritate, & gubernandi peritia præsulibus insessus. Qui fundans, frequens id cœnobium S. Amandus adiit, coluitque, vel priusquàm Traiectensis Episcopus crearetur, vel postquàm eo relicto pontificatu in Flandriam rediit, & in Elnonensi monasterio senex consedit: vt omninò satis gloriæ ab eo monasterium istud collegisset, etsi nunquam alij sua præsentia sacti ique ornassent, ob eximiam viri claritudinem & sanctitatem, quam nos in tomo de diuis Gallo-flandriæ fusiùs explicabimus. MONASTER MARTIANENSE. QVI HOC VEL FREQVENTAVERINT, VEL ILLVSTRAVERINT. S. AMANDVS.

Neque vero dubium est, quin eodem sese multus contulerit S. Adalbaldus D. Ri-B ctrudis maritus, ad quem Martianensis possessio spectabat, quique struendo monasterio ad D. Amandi petitionem solum attribuit. Haud enim minùs ipse Monachorum consortio & D. Amandi colloquiis gaudebat, quàm regis Franciæ, cuius erat cognatus, & aulicorum frequentia lætabatur. Inerat siquidem illi animus virtutum & cælestium cupidus rerum; quem tum maximè consentaneis ipsi rebus pascebat, cùm intra Monachorum septa delitesceret. Qualis autem vir fuerit S. Adalbaldus, in eius vita docebo. S. ADALBALDVS.

Multos illic hæsit annos B. Ionatus, quem primum cœnobij antistitem S. Amandus constituit. Eum ita breuiter depingit Auctor Chronici Martianensis capite septimo: *In eodem cœnobio primùm Monachis ad seruiendum Deo à B. Amando delegatis pastor vigilantissimus, & procurator interius exteriusque, vir fidelis, & simplex, Ionatus donatus est eis. Qui beati Amandi pontificis discipulorum vnus eius sacra eruditione admodum informatus ad hoc officium idoneus inuentus est.* In Amandino seu Elnonensi Chronico de C ipso hæc leguntur: *Cui à B. Amando ordinatus successor sanctus Ionatus, vir modestissimus, ipsius monasterij monachus, quem pridem Marchianis instituerat idem B. Amandus primum Abbatem. Verum cum Episcopalem curam renunciasset, & limina Apostolorum pro tertia vice, adiunctis sibi sanctis Humberto ac Maricolo, & Nicasio Elnonensi Monacho & discipulo, petere decreuisset, prædicto Ionato Marchianensi Elnonense cœnobium similiter duxit commendandum. Deinde Amando, liminibus Apostolorum visitatis, Elnonensem repetente locum, Marchianas Ionatum repetisse reperimus, vbi post mortem etiam B. Amandi, aliquot lustris regulariter viuens, diuersos vtriusque sexus ad religionem induxit & castitatem. Eius festiuitas agitur Kalendis Augusti.* Hactenus Chronicon illud. Sed longè plura hoc de viro suppeditabimus, cum de ipso in diuis Gallo-flandriæ latiùs agemus. B. IONATVS I. ABB. MART.

Vixit quoque multum tempus in eodem monasterio B. Chrodobaldus, quem ipsi rerum temporalium procuratorem B. Amandus imposuerat, aut Præpositum. Vt hominis præstantiam intelligas, hæc è Gualberti Martianensis Monachi libello D manu exarato accipe: *Quinto loco B. Abbati Ionato vicinum, & iuxta positum sanctum Chrodobaldum celebri memoria æquè dignum, meritis gloriosum, sanctissimi confessoris atque pontificis Amandi Monachum, & Præpositum; percussum tamen à Deo ob contumaciam, iactantiam, atque peruicaciam; sed humiliatum scilicet ab eodem pontifice coniuncta compage membrorum paralysis morbo dissoluta, propter inobedientiæ vitium erga beatum virum commissum, præcipiente magistro, & non obaudiente discipulo charitatis obsequium, per virtutem Domini sanatum atque correptum. Pro cuius merito posteris demonstrando, de eo tale miraculum innotuit in Marcenensi cœnobio. Quandò enim prisco tempore combustum est eiusdem cœnobij templum, tapete eius sarcophago suppositum, prunis ardentibus vndique coopertum, flamma vndique feruente per totum monasterium, sicut ab antiquis patribus relatum est, omninò permansit illæsum. Ad cuius miraculi insigne oculis tam futurorum, quàm præsentium cotidie innouandum, tapetum adhuc reseruatur reconditum, vel potius in reuestiario, vbi superponuntur albæ, cappæ, & cetera ornamenta, exstat appositum.* B. CHRODOBALDVS MARTIANENSIS PRÆPOSITVS VEL PROCVRATOR. IMPOSITVM EIVS TVMVLO TAPETEM INCENDIVM MINIME LÆDIT.

situm. Hactenus Gualbertus breuiter miraculum circa eius corpus ob inobedientiam A à S. Pontifice Amando patratum insinuans, quod fusè Baudemundus apud Surium in vita huius Episcopi tractat cap. quinto & vigesimo, ac Philippus ab Eleemosyna cap. 46. eiusdem vitæ nondum typis subiectæ, in eo tamen omnino corrigendus, quòd Chrodobaldum Elnonensem Præpositum appellet, vt alibi ostendimus.

Insulanus Galloft.

S. Rictrudis I. Abbatissa Martianens.

His, quos enumerauimus, adhuc vitam in terris ducentibus, & religiosa florentibus sanctitate, in hanc domum sidus eximium Deus immisit, beatam Rictrudem S. Adalbaldi viduam. In hac enim magna omnia fuere, seu genus spectes, seu virtutum claritudinem. Patrem habebat Ernoldum è Gothorum gente oriundum & nobilissimum, & latè in Vasconia imperantem. A primis infantiæ annis ita virtutum dulcedinem gustauerat, vt iam tum ea iecerit fundamenta spiritualis ædificij; quod denique perfectissimum struxit agitando sanctissimè vitam. Venerat huc plerumque priusquam mundo nuntium remitteret, vel superstite adhuc marito, vel hoc è viuis sublato, vt suauissimis cum Ionato, & aliis, sermonibus ad vitæ cælestis desiderium incitaretur. At verò postquàm sese Deo prorsus adstringere, omnibúsque rebus exutis, B & earum parte aliqua Martianensi monasterio attributa, pauperem in claustro vitam traducere constituit: tum istuc à beatissimo Patre Amando deducta est, & in aliquam cœnobij partem abdita; vbi reliquum vitæ tempus sumpto religionis habitu, & nobilium cœtum virginum moderans, & præclaris sese virtutibus exornans laudabiliter absumpsit: multísque post mortem illuxit miraculis. Sed nos hæc alibi omnia ex veteribus auctoribus depromere, & oculis legentium proponere satiùs erit, cùm de ipsa beatissima matrona, quàm Martianenses patronam suam agnoscunt, longissimum sermonem instituemus; quàm hic minus eorum magnitudini conuenienter in angustias cogere.

Filiæ S. Rictrudis. S. Eusebia Abb. Hamaticens.

Igitur ad tres huius sanctissimæ mulieris filias transeo, quæ maternis pellectæ virtutibus sancto se velo obnubi passæ sunt, & religiosè vitam duxere intra Martianensis cœnobij septa. Harum vna fuit Eusebia, quæ paucis diebus hic primùm exactis C ad Hamaticense monasterium vbi Gertrudis eius proauia virginibus præerat, sese contulit. Eo loci cùm aliquamdiu vixisset, iámque Gertrude ad superos euocata impositam sibi sacri Parthenonis curam suscepisset, materno compulsa imperio Martianas rediit, isticque tamdiu tempus in præclaro virtutum studio transijt, donec perspecta numinis voluntate rursus Hamagiam petere, illícquè degere permitteretur. De meritis eius, factísque præclaris, & post obitam mortem miraculis, ex veteribus monumentis multa proferemus, dum Gallo-flandriæ diuos in lucem dabimus.

Clotsendis I. Abbatissa Mart.

Altera Rictrudis filia Clotsendis vocabatur. Eam maternus amor, & studium religionis in Martianensi Asceterio retinuit. D. Amandum spiritualem habuit patrem, dum baptismi lauacro tingeretur: vitámque posteà ex eius præceptis exegit purissimè. Profecta in cælos parente Martianensis monasterij onus antistita egregie sustinuit, vt Chronicon eius cœnobij, & Hucbaldus in vita S. Rictrudis memorant.

Adalsendis Religiosa Mart.

Harum sorori nomen fuit Adalsendi, quæ non diu post indutum religionis habitum terras reliquit, vt iidem docent auctores.

S. Maurontus D. Rictrudis filius Martianis in clericum tondetur.

Cap. 18. & 19.

His tribus Virginibus frater earum Maurontus adiungatur. Ab hoc enim pluri- D mum quoque splendoris Martianense monasterium accepit. Priusquam hic nobilissimus iuuenis mundi pompam exuisset, fastúmque pedibus aulicum calcasset, ad matrem huc frequenter aduentabat. Neque verò alibi, quàm hoc in loco Domini Clero per S. Pontificem Amandum ascribi voluit, quemadmodum his verbis Hucbaldus in D. Rictrudis vita memoriæ tradidit: *Rursùmque poscit Amandum medicum morbidarum mentium. Qui Martianis adueniens, lenibus, sibique notis verborum fomentis eam demulcens pristinæ in dominum reddidit alacritati. Acta deinde ab eodem antistite missarum celebritate solemni, cùm & ipse Maurontus astaret, in præsenti, aspicit sæpè dictus antistes apem ter gyrare eiusdem verticem viri. Vir autem Deo plenus intelligens statim quid portenderet huius præsagium signi, aduocato eo hortatur, vt quàm celeriter perficiat opere, quod olim & ille iam cœperat corde, & sibi reuelatum agnouerat Deo auspice. Quod & ipse nequaquam distulit facere. Tum sanctissimus pontifex Amandus eum iuxta morem*

ecclesia-

A *ecclesiasticum benedicens decisa capiti eius coma in clericum totondit.* Quinetiam in Martianensi Asceterio vitam cœpisse monasticam beatum Mauront um ex Vita S. Eusebiæ sororis colligo. Cùm enim illic narratum fuisset D. Rictrudem cum filiabus Martianas religionis gratia ingressam fuisse, hæc subduntur de S. Mauronto: *Ipse quoque tandem adeptus pro voto cupita, abdicato omni sæculari honore, & pompa, à B. Amando insignitur clericali tonsura. In monasterium etiam susceptus conuersorum more, multis, quibus erat posterior ordine, factus est in breui, prior religiosa conuersatione.* Exstat equidem præclarum in templo huius cœnobij laboris eius monumentum ille puteus, quem religiosi exercitij ergò suis ipse manibus effodit, ad præbendum sacris laticem mysterijs. Huius mentionem ita facit Anonymus Auctor miraculorum D. Rictrudis: *A prædecessoribus quoque nostris audiuimus, in crypta eiusdem ecclesiæ B. Mauròntum puteum fodisse. Indignum siquidem iudicabat, vt de aqua, quæ ceteris fratrum vsibus necessaria erat, in sacrificio Domini poneretur, & hæc eadem vasis eius mundandis subseruiret. Vnde aqua putei huius solummodò in hoc ministerium deputata est: & adhuc beati*
B *Mauronti puteus nominatur.* Addit Chronicon sub Simeone Abbate conscriptum, etiam multis opem tulisse haustum inde laticem: cuius hæc verba: *Iuxta sepulchrum eius exstat puteus, quem suis manibus fodisse traditur; & vsque hodie puteus S. Mauronti vocatur. Antiquis temporibus, vt scriptum inuenimus, aqua huius putei infirmis illis, qui morbo scroellarum deturpabantur, salubris fuisse perhibetur. Nam ex eadem aqua bibebant, & ex vlceribus vermes cadebant. Tempore etiam Abbatis Amandi, quidam monachus nomine Folquinus, qui illo tempore scriptor erat satis bonus, infirmitate vnius pedis valde affligebatur: qui fide plenus aquâ huius putei pedem infirmum abluit, & statim conualuit.* Ad vltimum solum hoc monasterium à diuino numine delectum est, in quo beatus Maurontus recipiendum in cælos spiritum exhalaret suauissimè. Sic equidem disertè docet Chronicon Martianense in hæc scribens verba: *Quam administrationem per duodecim annos strenuè complens, in monasterio Martianensi anno ab Incarnatione Domini septingentesimo primo, anno quarto Hildeberti regis filij Theodorici migrauit ad Do-*
C *minum* IIII. *Nonas Maij.* Et mox de corpore in eodem cœnobio terræ mandato subijcit: *Sepultus est autem in eiusdem monasterij crypta, in Orientali parte constructa. Iuxta sepulchrum eius exstitit puteus &c.* Addit verò is, qui vitam eius ex S. Rictrudis vita per Hucbaldum conscripta compilauit: *Quo vero beatus Mausoleo positus quiescit Maurontus, dæmoniaci si illuc fuerint delati, pristinam recipiunt sospitatem suffragijs eius sanati: varijsque languoribus ægroti, incolumes agiliter expediunt domi. Quid maius? Quicumque illuc aduenerint debiles, nullus recesserit flebilis.* Plura qui velit de sanctissimi huius viri laudibus, eum quem de Sanctis Gallo-flandriæ tomum adornauimus, adeat.

IBIDEM RELIGIOSAM INCIPIT VITAM.

AC PVTEVM IN TEMPLO SVIS MANIBVS FODIT.

Lib. 1. c. 27.

CVIVS AQVA MEDELAM QVIBVSDAM ATTVLIT. Cap. 18.

IN EODEM MONASTERIO IDEM VIR SANCTVS MORITVR ET SEPELITVR. Cap. 18.

Ad sanctum Amatum Senonensem Archiepiscopum, & Duacensem Patronum transeo. Hunc enim aliquanto tempore in Martianensi monasterio hæsisse vetera docent monumenta. Primùm enim non obscurè significat Hucbaldus in vita S. Rictrudis, postquàm Hamaticum ad cœnobium ab Mauronto ductus fuisset, Martianas cum S. Eusebia venisse, ibi tam diu vnà constitisse, donec illa veniam impetraret Hamagiam repetendi: Quippe narrat eum noctu frequentissimè cùm ea virgine
D Martianis Hamagiam iter fecisse, transitóque flumine Scarpo, illic in templo maximam noctis partem transiisse psallendo, precandóque. Hæc sunt Hucbaldi verba: *Illa pro dissimulatione relictis ante stratum sandalijs, ad Hamaticum pergeret silentio intempestæ noctis, cum iam superius dicto sanctissimo Episcopo &, Monacho nomine & religiosa conuersatione Amato.* Deinde Andreas Martianensis in Chronico expressè affirmat hunc pontificem aliquamdiu in Martianensi monasterio commoratum: *Qui eius vitam sanctam miraculis plenam conspiciens, eum absoluens à custodia, in monasterio Marchianensi sanctæ matri suæ Rictrudi, & Eusebiæ commendauit, vt eius ædificarentur exemplo, & vita. Post multum verò temporis prece & præcepto beatæ Rictrudis constrictus suscepit fratres regendos in Monasterio beati Mauronti, scilicet Broylo.* Ad extremum idem asserit Chronicon Martianense, in quo hæc scripta reperio: *Beata Rictrudis indignum ferens tantum præsulem scilicet beatum Amatum cum pullulis manere apud Hamaticum, eo ad se vocato Martianis, aliquanto tempore cum ea mansit.* Nunc verò quàm

S. AMATVS ARCHIEP. SENON. IN MARTIAN. MONAST. ALIQVAMDIV EXVL CONSEDIT. Cap. 22.

Lib. 1. c. 25.

Cap. 10.

A

præclaris virtutibus sese ornauerit D. Amatus, quibúsue rebus claritudinem mundo attulerit, non est angustiarum huius loci, vt ex merentur, exponere: ac ideò inter diuos Gallo-flandriæ fusum de ipso sermonem conuenientiùs instituere iudicaui. Igitur iis præsulibus, qui magni nominis, ac etiam sanctitatis Martianensis Abbatiæ gubernacula tractarunt, vt aliquid scriptionis impendamus, ordo postulat. Quidquid enim à beata Clotsende, quam post S. Ionatum, & Beatam Rictrudem hoc Asceterium antistitam habuit, temporis effluxit (id Hucbaldo annos trecentos & decem, Anonymo miraculorum S. Rictrudis Auctori trecentos & viginti duos, Chronico Martianensi trecentos & viginti quatuor complexum est) fœminarum in hoc loco imperium minus ab auctoribus laudatum sibi vendicauit, quarum vnius tantùm, Iudithæ scilicet nomen proditur; quæ nulla re alia laudem merita, quàm S. Ionati corporis ex humo refossi in locum editum leuatione. His itaque per Flandriæ Comitem Balduinum cognomento Barbatum exturbatis monasterio, res omnis rursus ad Monachos reuocata est, iisque Lietuinum, aut Leduuinum antistitem dare placuit. Hic verò quantus fuerit, ex ipsis Martianensium Monachorum scriptis hauriemus, deinde quantum fas erit, eruemus aliunde. Sic igitur de ipso Anonymus miraculorum D. Rictrudis Auctor scriptum reliquit, cùm de Balduino Religiosos in cœnobium inducente loqueretur: *Quærit virum optimum, multorum liberatorem, qui statim per spiritum quem acceperat, ei ostenditur. Hic est autem Lietduinus S. Vedasti Abbas, vir verè sanctus, & tunc temporis singularis sapientiæ & virtutis. Ipse erat lucerna ardens & lucens, & in eo sapientia, & gratia apud Deum & homines: non præesse sed prodesse fidelium multitudini curabat: & in lucem gentium datus, non fumabat de sublimi, sed quammultos doctrina & exemplo suo illuminabat. Religionis formam, & omnium nouissimum se ipsum subditis exhibebat in prælationis officio, verbo & opere suo, non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitans.* Baldericus in Chronico Cameracensi variis locis Leduuini mentionem facit. Cùm de obitu eius scribit, hæc proponit capite nono & quinquagesimo: *Paucis antè transactis diebus, Lietduinus ex laico Monachus, & Abbas Monachorum pòst factus, à sæculo abiens laudabiliter, & ad aliud perueniens, vt speramus, fæliciter, tristes reddidit, quos ad omne bonum instruxit. De quo vt aliquantulum dicam per indoctam Dei sapientiam, stultam ostendit Grammaticorum inflatam doctrinam; dum quidquid sæculi fuit sollicitus cauit, & quæ Dei sunt, fidelis operator adimpleuit.* In Catalogo Antistitum Vedastini apud Atrebates cœnobij hæc leguntur: *Leduinus vir locuples, nobilis, & bellica virtute illustris, veteranus, prioris militiæ pertæsus, tironem se adscribi voluit noua in militia, in arenam descendens monasticam eo feruore animi & constantia, vt rudis noua in palæstra miles veteranos omnes eximia virtute statim superauerit, prorsus vt nec illi iam deessent virtutes ad præsidendum idoneæ. Ducatus deerat: sed eum nostri data occasione tradidere anno virginei partus millesimo decimo octauo.* Et post aliqua: *Nec rerum animi fuit minus studiosus, qui omnem operam impenderit retinendæ, & asserendæ domi disciplinæ.* Quid autem erga monasterium Martianense præstiterit Leduuinus, vel cùm illud regeret, vel cùm Atrebatum ad suos rediit: ex eodem Anonymo miraculorũ S. Rictrudis Auctore accipe: *Nec mora ex præcepto Comitis Sanctimoniales abscedunt, & ille de suis aliquot boni testimonij monachos eligens Marchianas transmittit. Tunc ibi cœnobialis disciplinæ rigor, otium contemplandi, orandi assiduitas innouatur, & de nouo ipsius monasterij fabrica innouatur. Denique infra nouem annos, quibus Marchianensi cœnobio pater ille venerabilis præfuit, res monasterij in bonum statum reuocata sunt, & omnia mutata sunt in melius. Decursis igitur nouem annis, & omnibus ad monasterium pertinentibus benè ordinatis de pace sua sollicitus † omissionem petijt, & totum quod elaborauerat, loci vnius regimine contentus, alteri cessit. Qui etsi Prælati nomen deposuit, affectum tamẽ dilectionis erga fratres & Ecclesiam sibi retinuit. Quibus seipsum, quamdiu vixit, baculum sustentationis, prout poterat, exhibuit, & loci molestias & anxietates, non nisi molestus & anxius audire potuit: Iuuando patris viscera se habere monstrabat: sed alteri cedens dominium, temporalem gloriam quanti penderet, euidenter apparebat.*

Succesorem habuit Leduuinus Albricum, de quo hæc Anonymus Auctor iam citatus: *Vni ergo de filijs suis, Albrico scilicet monacho S. Vedasti hoc onus suscipere iniungit:*

[Margin notes: LEDVVINVS I. ABB. MART. AC SIMVL VEDASTINVS 33. — Lib. 1. c. 19. — QVALIS FVERIT. — QVID PRÆSTITERIT MARTIANENSIS. — Lib. 1. c. 20 ALBRICVS 3. ABBAS MARTIANENSIS. — B — C — D — † missionem.]

A *iungit: & ne excusationes prætendat, illi se coadiutorem fore pollicetur. Suscipit ille, sicut erat spiritu feruens, in omni alacritate mandatum, & maximè quòd tribulationes suas tanti patris auxilio superandas esse non diffideret.* Et post aliqua: *Et cùm iam pro officio suo, strenuè cœpisset agere, hinc inde causæ multiplices, & difficiles ad sustinendum emergere cœperunt. multi siquidem ex ijs quæ numquam possederant se exheredari querebantur: suis eum desiderijs, pro eo quòd nouus esset Abbas, satisfacturum suspicantes.* Ac deinde multis interiectis: *Interea Albricus Abbas suæ prælationis officium prudenter exsequebatur, & erat illi nomen grande foris & intus. Vita eius, fratrum regula; prudentia, ijs qui turbare ecclesiam moliebantur, supplicium. Quod diabolus animaduertens, indoluit: quia nulla fratribus ad ipsum societas, non plusquàm luci ad tenebras. Quid ageret? Fratrum numerus & religio in dies augmentari, & omnis ecclesiæ status prosperabatur. Per suorum violentiam ministrorum, hoc est filiorum* *eius *sæculi, bonum quod arripuerant, auferre non poterat, nec Abbatem ab orationibus sanctis, & rectæ mentis intentione detorquere. Quòd autem ecclesia in medio nationis peruersæ sita erat, legitimè decertans per tribulationes & angustias, magis diuinis aspectibus complacebat. Pro his omnibus humanæ salutis inimicus cum repugnantiam labefactare non posset, alio nocendi genere illos aggreditur. Suggerit vni satellitum suorum, quia multos habet in sæculo, Marchianense cœnobium ignibus solo coæquare, fiduciam habens viros religiosos de loco suo taliter fore deturbandos. Ad concremationem templi, & ædificiorum se accingit, & statim voluntatem sequitur effectus. Fratres tamen locum suum non deseruerunt, nec Abbatis religio pro temporalium amissione aliquod sensit detrimentum. Qui enim prius Iob tentari passus est, vt post examen probatior appareret: in hoc loco diabolum malignitatis suæ dolos insumere denuò permisit, &c.* Addit denique. *Post hæc Abbas annos circiter quinque superuixit, & in recuperandis quæ destructa erant, operam quam potuit, impendit.* Quòd verò ad eos pertinet, quibuscum graue fuit Alberico certamen, ij prorsus ansam ipsi dedere ad Flandriæ Comitem Balduinum Insulensem confugiendi, cúmque Martianensis ecclesiæ aduocatum legendi, vt eius potentia aduersus raptores, aut violentos possessores bona ipsius tueretur: quemadmodum ex eiusdem Comitis diplomate manifestum est, quod nos posteà in medium proferemus, cùm de Aduocatis Gallo-flandriæ disceptabimus libro tertio.

LAVDABILITER GVBERNAT.

Cap. 22.

MVLTA PATITVR, DVM EI NOBILIBVS MONASTERIVM VEXANTIBVS OPPONIT.

*huius.

B

C

An. 1048. Qui succederet Alberico, electus præsertim B. Poppo, primùm Abbas Stabulensis, deinde apud Atrebates Vedastinus. Quàm præclarus is vir fuerit, etsi taceam, omnes facilè percipient, cùm eius laudes factáque fusissimè sint litteris mandata Euerhelmi Abbatis opera, & apud Surium reperiantur. Igitur hîc ea mihi tantùm depromenda, vel quæ Martianensis Auctor Anonymus habet, vel quæ in vita eius ad Martianensem spectant Abbatiam. Apud Anonymum necdum typis subiectum hæc reperi: *Balduinus Comes Flandriarum eius filius, cuius supra meminimus, Atrebatum venerat, & ibi Popponem S. Vedasti Abbatem offendit. Ipsum autem, quia erat ei grande nomen & gratia apud Deum & homines non impar, de Stabulans, vbi multorum numero Monachorum præerat, Comes ad se venire mandauerat. Et audi causam quare. Abbas S. Vedasti obdormierat in Domino, cuius loco istum subrogare pro singulari sapientia religiosi viri & principes terræ à Comite impetrarant. Et hoc factum fuerat eodem anno, & sub ipso multa monasteria irreprehensibiliter procurabantur. Comes verò Marchianensis Ecclesiæ pressuris compatiebatur, quòd in prima eius reædificatione patris sui sollicitudo inuigilasset. Vnde cùm supradictus Abbas pro sapientia & sanctitate omnibus qui nouerant eum, in* † *admirationem haberetur, iubet accersiri eum: nec vt Comes, sed vt deuotus filius blandè leniterque alloquitur. Dei prouidentia & hortatu nostro Abbatiæ huius curam suscipere dignatus es: sed vnum quod adhuc suppliciter postulo, rogo vt audias. Est Marchianis monasterium, quod pater meus Deo auxiliante de imo paupertatis erutum bonis omnibus abundans dereliquit. Diabolus autem graue certamen sibi à fratribus indictum ferre non sustinens, illud posteà ad eorum iniuriam totum igne consumpsit. Nunc ergo precor, vt hoc sub tua constituatur prouidentia: quia de profectu non diffidimus, si talem habeat dispensatorem. Ille verò se tot curis & varijs occupationibus distentum, nec ad omnia posse sufficere causabatur: nec sibi onus iniungendum, quod humeri ferre recusarent. Tandem cùm precantis instantiam declinare nullatenus præualeret, acquieuit vel*

B. POPPO 4. ABBAS MARTIAN. ET 35. S. VEDASTI ATREB.

Lib. 1. miracul. S. Rictrud. c. 13.

DVM BALDVINVS COMES FLANDRIÆ INDVCIT, VT MARTIANENSE MONASTERIVM ADEAT, SIVE QVE CVRAM SVSCIPIAT.

D

† admiratione.

inuitus. Cui Marchianas deducto fratrum gaudens occurrit processio, sicut in vita ipsius scriptum inuenimus. Sed ô fælicitatis humanæ misera conditio! Nulla quidem in terrena dignitate securitas ponenda est, pro eo quod certam præsens vix habet hora fidem. Vnde quisquis te ceteris prælatum attendis, A

—— Quæ nunc tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse puta.

Hic etenim qui tot modò fratribus præerat, statim febre correptus lecto decubuit, & infra mensem quo Marchianas venerat, sortem expleuit conditionis humanæ: Pro cuius morte tota Flandria, & aliæ multæ prouinciæ turbatæ sunt, quia sani consilij virum, & pacis reformatorem amiserant. Hic est ille, qui dum adhuc nouitius esset apud S. Rimaclum in Stabulaus eleemosynarij officium agens die vna leprosum quemdam in domo pauperum hospitandum suscepit. quem de ijs, quæ in manibus habebat, tanquam deuotus famulus satis abundè refecit, & ne quid deesse videretur, sella iuxta ignem apposita eum super induxit. Hyems quippe erat. B *Post hæc dicto completorio cum ad lectum suum pausaturus diuerteret, memor hospitis sui in hunc modum seipsum accusabat: frigus est, ad quod arcendum pauper ille vestes non habet. Quem si hac nocte mori præ nimio algore contingat, nunquid de manu mea ipsius anima requiretur? Sumpto igitur coopertorio suo reuersus est ad illum, & lectulo quem ei strauerat collocatum cooperire non distulit. Et mane facto rediji, quid hospes ageret, cogniturus: & accedens ad eum sub coopertorio suo lepra mundatum inuenit. Quo viso lætus effectus est, impensum tamen opus pietatis noluit fratribus innotescere: sed celari non potuit.* Hucusque Auctor ille Marchianensis. Nunc aliqua è vita S. Popponis ab Euerhelmo conscripta subiungamus. *Præfatus tamen,* inquit, *Marchisus Martianas cœnobium tutelæ ipsius delegauit, & vt in ipso regressionis suæ articulo singula accuraret, mandauit. Quod quidem oneris magis inuitus, quàm spontaneus subijt, locúmque illum tam visitatum, quàm accuratum adijt. Vbi honestè, & cum multa grauitate, monachorum illi occurrit processio, quæ indicio videntibus fuit, quanta sanctitatis eius in illis esset dilectio.* C *Cœpit interea cuncta singula, quæ vsui forent, prouidere, & vt Euangelicus ille dispensator, necessaria sine typho præbere. Sed quia multimoda rerum occasio aliò eum trahebat, nec se solùm ad omnia sufficere videbat, in administrandis his Balduinum, Atrebatensem postea Abbatem, secundum à se promouit. Et iam vltimo exitus eius tempore imminente, ipsóque in cella paulùlum sopori indulgente, omnia phantasticis, immò diabolicis impressâ illusionibus patitur, dæmonémque quasi propè adstantem sibi videre videtur, qui minas viro Dei intentans, illo de loco eum citiùs migraturum adiecit. Cui vir Dei, Deus, inquit, cuius nutu huius loci in me processit administratio, & quandò vult, & quomodò vult, me hinc iubet abscedere. Et mox dæmon impetu dato, ipsum visus est inuadere, grauémque per visum molestiam inijcere. Vnde & phantastica illusione constrictus, versum illum ex centesimo vicesimo tertio psalmo subinserendo exclamauit, Adiutorium nostrum in nomine Domini: eoque clamoris sono tam ipse, quàm qui coram illo obdormierant, expergefacti euigilant; lucernámque quæ ante illum eo quidem noctu tempore lucere solebat, vir Dei exstinctam conspexit, hócque inimicum effecisse, euidenti præteritæ visionis indicio intellexit. Nec mirum esse debet, hæc in virum Dei per somnia dæmonem valuisse, quem nec per somnia aut ænigmata, sed facie ad faciem ipsum verum Deum verúmque hominem scimus tentando* D *petijsse, tum de loco ad locum pro nequitiæ suæ voto deduxisse.* Et nonnullis interpositis: *Signo intereà crucis facto, seruitutisque diuinæ penso, cui relictum noctis impendebat, absoluto, valida febrium vi cœpit fatigari, atque inexhaustis doloribus iam ad vltima vitæ perurgeri. Vnde & Dominum Euerhelmum Altimontensem Abbatem, qui secutus eum illuc vsque fuerat, ceteris vnà cum fratribus euocans, resolutionis suæ diem imminere prædixit: deinde ad visitationem, vnctionémque sui præfatum Abbatem nihilominus admonuit. Adiecit insuper eidem ad pristinum professionis suæ locum Stabulaus se post mortem ab eo deferendum, corpúsque suum à læsione alienum illic dormitionis suæ locum obtenturum: singulas etiam diuertendi mansiones sibi mortuo prauidens, quas, si adviueret, ipse vtique ad simile hospitandi opus esset electurus. Expletis deinde pro se omnibus, cilicium, quod sibi sterni fecit, nudis pedibus adijt, terrámque tam corpore, quàm pectore prono deosculans, se supinum*

S. Poppo ab Religiosis in Monasterium Mart. deducitur. Vix elapso mense a suscepta eius cura in morbum incidit, et ibidem moritur.

A *collocauit: tum responsorium circumstantibus iniungendo, hoc dumtaxat modò inchoauit: Subuenite sancti Dei, occurrite Angeli Domini; quod quidem iniunctum circumstātium caterna fratrum excipit, atque in finem vsque cum subiuncta etiam Litania perfecit. Post cuius expletionem ipse mirum in modum ad se rediens, rursum resedit, initiúmque loquendi ita insuper dedit &c.* subdit verò iis, quæ tunc facienda curauit: *Et hæc dicens, se cilicio recolligi præcepit, vltimúmque loquendi finem dedit: cùm ecce media noctis articulo mirum in modum manus leuat, atque extremum eo, quo poscebat, tempore matutinali expleto officio, spiritum Deo reddit.* Hactenus ea, quibus interfuit, Euerhelmus, qui paullò post etiam memorat, quomodo clam Martianis Leodium, deinde Stabuletum fuerit corpus B. Popponis deportatum. Igitur ex his omninò in mentem nunquam admittas arbitrari, B. Popponem vel Atrebati, vel Stabuleti è terris in cælos migrasse, licet Atrebato Cardinalis Baronius, & Stabuleto Ioannes Molanus videantur eius obitum tribuere. Si námque sic intelligendi, vt in Vadastino Atrebati cœnobio, & in Stabulensi monasterio diem eius obitus, qui fuit Ianuarij quintus & vigesimus

B anni supra millesimum octaui & quadragesimi, ab religiosis coli solitum velint; non autem iis in locis sanctissimum præsulem è viuis abiuisse. Id porrò apud Ioannem Molanum prorsus est corrigendum, quod de Balduino asserit, Martianis eum scilicet à Poppone datum antistitem, priusquam ipse vita defungeretur. Nam in Abbatum Martianensium catalogo nulla vsquam huius Balduini mentio: contrà illic Widonem Monachis Martianensibus post beatum hunc virum præfectum fuisse asseritur. Quod ergo de Balduino iam vidimus ab Euerhelmo memoratum, ita sanè est intelligendum, vt non Abbas fuerit, quemadmodum Euerhelmus Altimontensis antistes à B. Poppone est constitutus; sed tantùm secundariam Martianensis monasterij curam tamdiu sustinuerit, quamdiu in viuis ille constitit. Verùm his omissis ad B. Popponis, quem suorum antistitum numero inserunt Martianenses, successorem orationem conuertamus. BALDVINVM MARTIANENSIBVS ANTISTITEM MINIME DEDIT.

An. 1045. C Is, vt iam diximus Wido, fuit, de quo suprà citatus auctor Anonymus in hunc scribit modum. *His ita se habentibus Wido S. Vedasti Monachus, Marchianis in Abbatem eligitur. Cuius conuersatio & sapientia bonum inter Fratres resperserant odorem. Sapiens siquidem erat in administrandis exterioribus, & ad lucrandas animas seruus in domo Dei satis necessarius. Et hoc ad exprimendam gratiam sibi diuinitus traditam sufficiat, quod diebus suis fabrica monasterij restaurata est, & ipsius ornamenta cum ijs, quæ fratrum vsibus necessaria erant, redintegrata.* Lib. 1. c. 16. WIDO 5. ABBAS MARTIAN. MONASTERIVM INSTAVRAT.

An. 1047. Post Widonem ad huius monasterij supremam potestatem euectus est Alardus, vel Adelardus. Ex citato scriptore hanc eius memoriam reperio: *Post hæc Wido Alardum Abbatem de monasterio S. Vedasti assumptum successorem accepit. Et hic verbo & opere non impar à suprà memoratis viris, nunquam secundantis operis extollebatur euentu. Circa pauperes & afflictos misericors vnum fecisse legitur, quod sub silentio nō est prætereundum. Villa de Sailli igne cōcremata, qui priùs ibi pauperē vitam duxerant, tunc ad inediam redacti sunt. Recurrunt ad Abbatem, pro sui sustentatione aliquid ab eo misericorditer postulantes. Qui vase assumpto, quo beatæ Eusebiæ corpus erat repositum, auro & argento, quo desuper*

D *ornabatur, spoliare non distulit. Et erogans ea suis hominibus, prout singulis opus erat, alienæ mendicitati clementer indulsit. O virum verè misericordem. Pauper sibi, diues fuit pauperibus, in cuius manu dum donum non hæret, probat de crastino se non esse sollicitum.* ADELARDVS 6. ABB. MARTIAN. Lib. 1. c. 18. ORNATVM THECÆ CORPORIS S. EVSEBIÆ LARGITVR IN EGENOS.

An. 1091. In regimine huius monasterij Alardum Richardus excepit. Præter hæc verba citati priùs Anonymi, de ipso nihil inuenio: *Richardus verò tunc Abbas Marchianensis domni Alardi, de quo prædiximus, successor, vir secundum sæculum honorabilis, & secundum Deum timoratus.* Tantùm ad hæc notat Antistitum catalogus, è Tornacensi S. Martini cœnobio hunc assumptum, vt Martianensibus gubernaculis admoueretur. RICHARDVS 7. ABB. MART. Lib. 1. c. 30.

An. 1104. Successit Richardo frater eius Alardus. Dum in sæculo vitam duceret, Cameraci Archidiaconū egit. vbi verò mundi fastum pedibus pressit, in Aquicinctensi monasterio aliquamdiu Monasticen professus est. Cùm placerent eius mores ac religio, Marchianenses eum sibi patrem legere. Nouem tantùm mensibus rexit, vt vetera docent Martianensis ecclesiæ monumenta. ALARDVS 8. ABB. MART.

FVLCHARDVS 9. ABB. MART. AMANDVS 10. ABB. MART.

A

AN. 1115.

Qui secundus post Alardum (qui enim hos inter Fulchardus magistratum tenuit, præter nobile genus nihil memorandum reliquit) sacro donatus est imperio Martianis, Amandus de Castello fuit: priùs Aquicincti vixerat. Auctor miraculorum D. Rictrudis de ipso multa memorat, quorum hic quædam proferre operæpretium duxi. Igitur postquàm miserandum Martianensis monasterij statum descripsit, in quem solutissimi mores Fulchardi (quem post Alardum Religiosi Antistitem sibi ex Hasnoniensi cœnobio flagitauerant) id adducebant in dies deploratiùs: hæc subiungit: *Sub hac dissensione minus, precibusque frequenter alternatis, quatuor tantum Monachi, qui iam Marchianas redierant, Amandum Priorem Aquicinensis ecclesiæ Abbatem constituunt. Assentit Episcopus, quia sana de moribus, & conuersatione illius habebatur opinio. Ille verò resistendo, suam imperitiam, loci & ordinis destructionem opponebat: & ex aduerso Fulchardum & suos, qui rem prosperè agi nequaquam paterentur. Dicebat enim qualibet frustrà niti, neque aliud se fatigando nisi odium quærere, extremæ dementiæ imputandum. Has & alias occasiones ad excusandum satis necessarias prætendebat: sed accedente obedientia, & precibus multorum, tandem onus suscipere coactus est. Supradicto tamen incubatore & suis prohibentibus, non statim Marchianas aduenit: sed Aquicincti vigilijs & orationibus deditus, à Domino Deo consolationis auxilium præstolabatur. Duobus igitur annis in hac Fulchardi temeritate decursis, coram Remensi Archiepiscopo & pluribus viris religiosis, successori suo, & rebus monasterij pacem tenere tandem est pollicitus.* Et non multo pòst, vbi mortem Fulchardi descripsit, ac summam cœnobij paupertatem, hæc subiungit: *Abbas verò in manu Domini remanens inter pericula & sudores ab eo confortatus est. Fratres litteratos & alios sine litteris, de quorum vita & moribus securus erat, apud Aquicinctum eligens, eos sibi coadiutores in domo Domini constituit. Ex his alij foras egressi in procurandis exterioribus operam dabant: alij verò intus contemplationi vacantes, legem & regulam vitæ monachorum seruandam verbo & opere demonstrabant. Domus paulatim cœpit correptionem admittere, recipere disciplinam. Consuetudines prauæ de medio fiunt; confessiones & solemnia sacramentorum ritè celebrantur. Horis canonicis ad psallendum Domino cum summa deuotione occurritur: in vita Abbatis cunctis legentibus, quod esset monasticæ conuersationis institutum. Ipse etenim illos præibat in sanctitate & iustitia coram Deo, multa præter communia instituta singulariter faciens, & ad tam ardua omnes eum imitari non poterant. Dominus igitur loco benedixit, & in breui factus est magnus religione, opibus & personis. Auditum quippe est, & celebri sermone vulgatum, quod Marchianis actibus religionis incumbitur, & in statum bonum foris & intus ecclesia reuocatur. Vnde multi perfectè renuntiantes sæculo, Domino vocante monasterium ingressi sunt. Quas tanquam primitias laboris sui supradictus Abbas in timore Domini educauit laudabiliter, legemque & disciplinam quam eis imponebat, ipse portabat magister & Dominus. Isti sunt, quorum vita fructuosa tam futuris, quam præsentibus fuisse dignoscitur: in contemptu corporum suorum semper ostendentes, quàm paucis minimisque humana natura contenta sit. Isti sunt, qui honestè viuentes res monasterij in maximos extulerunt prouentus tam secundùm Deum, quàm secundùm sæculum viri sapientes.* Hactenus auctor ille spiritalem fructum stylo persecutus, quem in monasterio suo Amandus collegerat. Ad temporalia bona quod pertinet, quàm iis vel comparandis vel retinendis insudauerit idem Antistes, nunc ex iis collige, quæ citatus auctor ita memoriæ tradidit: *Venerabilis igitur Abbas Amandus officium suum diligenter exsequebatur, & à prædecessoribus suis malè dispersa in ius monasterij sui paulatim reuocabat. Quem prauas extirpantem consuetudines quidam sæcularium non diligebant, dum ea, quæ iniustè possederant, reddere cogerentur. Fratres intus religioni vacabant, & ipse foris graues pro eis pugnas sustinebat. Et dum cuncta prosperè, sed cum difficultate maxima geruntur: suggerunt ei Fratres, vt amotis ab officijs suis quibusdam ecclesiæ ministris, loco eorum alios substituat. Nouerant enim quòd singuli eorum ministerium suum hereditario iure sibi defendere præsumerent. Quibus vocatis, mercedem, ait, vestram paratus sum vobis reddere, præmonens vt de cetero vos ad alium Dominum conducendos transferatis. Officijs quippe, quibus præestis nunc, alios præferendos decreui. sed pro diuturno seruitio vestro nobis viuentibus mutua permanebit dilectio. Ad hæc illi stupefacti, peruenit, inquiunt, ad nos heredi-*

Lib. 2. c. 4. PRIOR ERAT AQVICINCTENSIS, DVM ELECTVS EST. DIV ELECTIONI SVÆ RESTITIT.

B

C

VBI RSOIMEN CAPESSIVIT, QVAM RES SPIRITVALES PROMOVERIT.

D

QVOAD TEMPORALIA QVID PRÆSTITERIT. Lib. 2. c. 9.

A *raria succeßione, vt ecclesiæ seruiremus: nequaquam nos exhæredari patiemur. Quod à patribus nostris peruenit ad nos, à nobis dictante iustitia transibit ad filios. Nunquam, inquit Abbas; si partem vestram ratio tueretur, ex aduerso stare præsumerem. Sed quoniam prædecessores meos Ecclesiæ iura diripuisse non ignoro, potuit fieri vt maiora paruipendentes, etiam ab iis quæ nunc defenditis, patres vestros suspendere non curauerint. Dilectio, vel sufferentia fuit, non ad hæreditatem ecclesiæ possidendam consensus: Precor ne humilitati meæ, quæ variis negotiis distrahitur, molesti sitis: quia vobis assentire nequeo, nisi ab alieno abstinentibus &c.* Nam posteà fusè explicat, qui Deus ad preces Amandi virum quendam nobilem cognomento Paganum, miseranda morte affecerit, quod nepotis nonnulla Martianensium bona retinentis causam defendens dira quædam A[illegible]ando, & monasterio fuerit comminatus. Quanti verò hunc antistitem fecerit F[illegible] Comes Carolus, ex his Anonymi verbis cognosce: *Quod cùm Abbas attenderet, [illegible]tius ferre non sustinens ad Carolum Comitem Flandriarum profectus est: vt eius auctoritate potentis inimici superbia retunderetur. Qui venientem intuitus, quia virum religiosum nouerat, & magna in Domino dignum reuerentia; de domo superiori descendens ei humiliter* B *occurrere festinauit. Quo salutatum vt patrem carißimum amplexatus est, aduentus fatigationisque suæ causam prior inquirens. Valde enim compatiebatur senectuti eius, videns, quia ingredi & exire, præ senio & debilitate, amplius facilè non poterat.* Et quibusdam interiectis dum Comitem eum virum nobilem aduersus quem Amandus querelas iure merito deposuerat, acriter reprehendentem inducit: *Qua fiducia ecclesiam Marchianensem, quam per Domini gratiam manu tenendam suscepi, & Abbatem, quem non mediocriter diligo, iam senem inquietare præsumis? Vade hinc in domum tuam, & quiesce de reliquo in omni subiectione, quia si deinceps tale quid in te repertum fuerit, iniuriæ Dei, & nostræ districtus vltor apparebo.* Addit posteà quanto labore illuc Amandus incubuerit, vt Martianis ædificia restitueret, Hamagiæ monasterium omninò destructum in antiquum redderet splendorem; S. Rictrudis corpus argento auróque decoraret. Extant etiam nonnulla Martianis diplomata, quibus idem Comes Carolus Amandi, C eiúsque monasterij patrocinium suscipit ac infensis nobilium & aduocatorum molestationibus sese obiicit.

[illegible] [CAROLVS] FLANDR. COMES CAROLVS.

A n. 1135. Eo tam præclaro Abbate vita defuncto, in Lietbertum omnium suffragia Monachorum regēdi potestatē transtulere. Is tunc Remis in S. Remigij asceterio degebat, dum Martianas ad supremam monasterij dignitatem euocatus est, suísque virtutibus famam exciuerat: vt memorant Monachi Martianenses in Abbatum catalogo Fueritne tamen eo in monasterio religiosam vitam aggressus ac professus, minimè produnt. Apud se potiùs religiosis moribus excultum existimant Aquicinensis cœnobij ascetæ, ac è suo Martianas monasterio deductum, vti cœtum illic moderaretur. Certè cùm Alexander in vita B. Gosuini eos enumerat, qui de asceterio Aquicinctensi in varias vocati sunt Abbatias, ibique summum in Religiosos imperium habuere, hunc Martianensibus præfectum asserit. Eius hæc verba sunt: *Præter hos autem, qui ei iugiter adhærebant, filios Aquicinctensis ecclesiæ auricularios sibi faciebat, & symnistas, quos ad diuersos dominus assumpserat personatus. ex quibus Leonius ecclesiam S. Bertini strennè guber-*D *nabat; Rogerus Montem S. Quintini non segniter obseruabat; Lietbertus Marchianēse regebat cœnobium.* Ita quidem Alexander B. Gosuini in Aquicinēsis monasterij regimine successor. Qui fortassis eum in modum interpretandus est, vt quamuis Lietbertus in cœnobio Aquicinensi Monasticen fuerit professus; ibi tamen non egerit, dū in Martianensem antistitem electus est; verum in S. Remigij Abbatia, quò fuerit euocatus, vt plerique aliò, instaurandæ disciplinæ gratia, quæ plurimum Aquicincti florebat eo tempore. Cum Alexandro sentit miraculorum B. Rictrudis auctor Anonymus. Hoc enim de prçsule agens l. 1. c. 22. Beatique Gosuini & Monachorum Aquicinctensium mentionem faciens inter alia hæc habet: *Licet is, qui reduci mādabatur, eorum monachus esset, & socius.* Quidquid autem ea de re fuerit, vixit sanè Lietbertus multis virtutum luminibus illustris, cúmque sensit cœtus Martianensis vtilē sibi patrē, cōmodúmque. Verùm vbi regiminis annū octauū attigit, tanta eum satias cœpit imperandi, vt sponte pedum & dignitatem abiecerit, vnáque magnas in monasterium turbas inuexerit.

LIETBERTVS II. ABB. MART.

VBI PRIVS FVERIT RELIGIOSVS, QVAM ABBAS LEGERETVR.

Lib. 2. c. 12.

SPONTE DIGNITATEM DEPONIT. Lib. 1. c. 22.

E citato suprà scriptore Anonymo id depromendum censeo. *Cùm ergo Abbas, qui venerabili Amando iam defuncto successerat, onus prælationis attenderet, laborem cœpit abhorrere, & districti examinis futuram timere discussionem. Vnde conuocatis fratribus in Capitulo, Curæ, inquit, pastoralis officium exequi, prout dignum est, nescio. Et videte filioli, quid acturi sitis: quia vlterius non dispensabo. Cui dum responderetur, ne hoc ageret, & ille insciențiæ suæ causam replicaret, paritérque nolentis affectum: surgens in continenti, & coram omnibus lachrymans, arrepta pastorali virga posuit eam super altare B. Rictrudis &c.* Nam posteà fusiùs exponit, Martianenses Monachos cum venia pontificis Atrebatensis Aluisi nouum sibi antistitem nuncupasse, cùm is parum Aluiso placeret, iussos denuò narrat eosdem Martianenses Lietbertum in Abbatem recipere; hos contrà Episcopi voluntati obrogantes ad summum pontificem appellasse; coactos interim ipsos Aluisi sententia sacris abstinere, vnúmque ex tribus quos nominasset, præsulem dicere: electum ab ijs Hugonem in S. Remigij monasterio Remis degentem: vix eum Martianas aduenisse, cùm septimo ab ingressu, & suscepta dignitate die, ab Monachis, qui Romam fuerant profecti litteræ pontificis perferuntur, quibus denique Martianensibus fiebat potestas, quem vellent Prælatum sibi legendi, ac tum hæc subnectit: *Quibus perlectis Abbas supellectilem suam collegit & abijt: quia quæque post appellationem constituta, Sedis Apostolicæ damnabat auctoritas. Qui si stare voluisset, Monachi eo viuente, saluâque Domini Papæ reuerentia, nequaquam alterum elegissent. Erat enim vir sapiens & religiosus, pro sanctitate sua Remis apud B. Remigium in Abbatem paulò pòst assumendus.* Rexere posteà monasterium Odo & Ingrannus ab ipso cœtu Martianensium Monachorum suffragijs lecti, de quibus cùm nihil dicat auctor iam toties à nobis citatus, aliquid erit ab illo, qui vitam B. Hugonis memoriæ mandauit proferendum, quíque tum temporis inter Monachos Martianis agebat. Hic igitur ea memorans, quæ post abdicationem Lietberti Aluisus in Martianenses molitus est: *Hic, inquit, post electionem canonicam viri religiosi, & appellationem factam ad sedem primam pro oppressione, qua opprimebatur ab eo, non† deferens huic ecclesiæ suum intrusit, quem ordinauerat ipse pastorem. Et suscitauit Dominus spiritum Summi Pontificis, qui quidquid Episcopus fecerat, cassans, suam Ecclesiæ, quam habuerat initio, eligendi quem vellet, libertatem restituit. Et septimo post ordinationem suam die pulso incubatore, fratres suæ primæ electioni firmiter inhærentes, dominum Odonem de S. Martino in Campis satis idoneam personam, si non nimis inniteretur prudentiæ suæ, communiter elegerunt, immò potiùs reelegerunt. nam elegerant antè. Qui vix biennio præsidens, natalis soli dulcedine ductus, vt aiunt, suæ, quam legitimè desponsauerat, dedit repudium, & illi alteri, cui mancipatus renuntiauerat, solo regimine nupsit. Nec impunè ferens, quoniam nec longo tempore tenuit, & ne dominaretur, demum valefecit inuitus. Tunc igitur is de quo suprà diximus, Ingrannus eligitur, & annis quatuor suæ prælationis officium strenuè adimpleuit, & nunc quoque in Suessionensi ecclesia feliciter præest.* Hæc ille, qui de Ingranno ista præmiserat, vt videas, & qualis hic fuerit, & quam ob causam tam citò aliò migrauerit: *Interea Suessionensis ecclesia B. Medardi pastore suo de medio facto, qui suscitaret semen defuncti, alterius electionem Domini Papæ imposuit voluntati. Dominabatur in hac Ecclesia Marcianensi tunc temporis vir perhonestus, & matura persona, dudum Prior Corbeiæ Ingrannus nomine. Consilio igitur totius Curiæ habito ante Concilium* (Remense) *eo exuit istam, & illam inuestiuit, magno omnium mœrore, quibus ablatus est, & gaudio, quibus donatus.* Hactenus auctor ille, cui nonnihil Catalogus Antistitum Martianensium pugnare videtur, cùm Odonem è Martianensibus Monachis sumptum indicat, gregíque sacro præfectum. Sed plus ei dandum, quàm huic auctoritatis crediderim, quem certò constat Odoni synchronum fuisse, intérque Martianenses Ascetas vixisse, dum B. Hugonis acta libris posteà mandaret. Quod verò hic de Ingranno tradidit, ad Suessionensem B. Medardi ecclesiam translato, id etiam ab Alexandro in B. Gosuini vita memoriæ consecratum video, cùm de Eugenio Pontifice Maximo post habitum Concilium Remis morante hunc in modum loquitur: *Sollicitabat eum cura Ecclesiæ B. Medardi Suessionensis,*

[Margin notes:]
VNDE POSTEA MVLTA MONASTERIVM TVRBÆ AGITARVNT.

HVGO 12. ABB. MART. DIES TANTVM SEPTEM SEDIT MARTIANIS.

AN. 1140 & 1141.

† forsan differens.

ODO 13. ABB. MART.

NONDVM EXPLETO BIENNIO MARTIANIS DISCEDIT. INGRANNVS 14 ABB. MART.

FVIT PRIVS PRIOR CORBEIENSIS.

DEINDE FACTVS EST ABBAS SVESSIONENSIS.

Lib. 2. c. 17.

quæ

A *quæ pastore destituta, consilium quæritabat, postulabat auxilium, suffragium mendicabat. Ad cathedram eius anhelabant innumeri, expetebant multi dominatum, potestatem quàm plures affectabant: sed multos habebant repulsores, contradictores, repugnatores. His se ingerentibus, repellentibus illis, medium se præbuit, cui mediatio competebat; vt in medio talem produceret, in quem dissidentium partes conuenirent. Quod tamen agere nolens inconsultè, cum Abbate Claræ-vallis suum aduocans Gosuinum, sciscitabatur, quem deberet in tam sublimi solio collocare. Pluribus, vt fieri solet nominatis, in Ingrannium Marchianensem Abbatem inciderunt; & audito testimonio, quod illi perhibuit Gosuinus, in continenti euocatum, & cura Marchianensis ecclesiæ absolutum, Summus illum Pontifex ad regimen ecclesiæ prænominatæ destinauit.* Hoc de Antistite istud quoque vetus scriptúmque manu monumentum inuenio, quod Franciscus Barius nunc Marchianensi, nunc Vedastinæ adscribit historiæ: *Abbate scilicet S. Medardi Ingranno interueniente, qui monachus inibi & Prior extiterat, &* B *ecclesiæ Marchianensi aliquamdiu honestè præfuerat: sed præcepto Domini Papæ Eugenij Tertij ad ecclesiam Suessionensem S. Medardi regendam, vel potiùs restaurandam assumptus est.*

AN. 1184. Igitur Ingranno Suessionem translato Martianenses in Antistitem sibi Hugonem legere, qui domo Tornacensis eximia virtute pollebat, & in cœnobio D. Martini Priorem agebat Tornaci. Ad vitam eius & facta quæ pertinent, non est huius loci omnia sermone persequi: quandoquidem ea prolixè litteris tradidit is religiosus Martianensis, cuius antè meminimus, & qui cum eo familiariter vixit, nósque inter Gallo-flandriæ Sanctos hunc beatum hominem abundè laudemus. Nonnulla tamen quæ ipsius præstantiam asserant, & quod adeptus est à suis nomen beatitudinis tueantur, ex instituti mei ratione adducam necesse est. Dum adhuc teneram duceret ætatem partim Tornaci, partim Remis operam litteris dedit adeò diligenter, vt ad studia impetu magno raperetur: profecítque sanè non mediocriter & scientiis & probis C moribus animum imbuendo. De pueritia eius hunc in modum exacta laudabiliter ista sunt auctoris eius vitæ verba: *Ibi pueritiæ suæ tempus impleuit puer bonus & docilis. Habuit nempe sensum magistrum ingenij, artium repertorem, qui ei innatus facilè introduxit eum in viam prudentiæ. Si quo minus, Spiritum adeptus est bonum, qui sensum illuminat, intellectum sensui administrat: quia spiritus intelligentiæ est, & docet hominem scientiam. His duobus fretus creuit & profecit in bonitatem sapientia apud Deum & homines. Sanè litteras quàm plurimum amabat. Verùm quanquam omnem penè, quæ tunc temporis eius competebat ætati, litteraturam percurreret, studiosiùs tamen inflexit pedem in viam morum. Et legens de singulis in matrice sua meritis, primùm pudor bonus possedit puerum. Nec contentus, cum ingenita verecundia ab ipso pueritiæ tempore vsque ad diem mortis suæ valde diligere cœpit veritatem & mansuetudinem. His assuefactus comitibus viam vadens virtutum, spreta parte sinistra, tenuit eas, nec dimisit, donec introducerent illum in domum matris suæ, & in cubiculum genitricis suæ. Hæ denique illum domi & foris, foro & scholis, pariter comitabantur, puerum informantes, sine quibus ipse nusquam abibat, nec faciebat* D *quidquam, aut loquebatur. Quod faciebat, pium; quod dicebat, verum absque dubio erat. Cum suis coætaneis pueris tam purè se habens in ipso puerili æuo, non magis ministrante natura, quàm gratia magistrante.* Cuius autem talis fuit inter opes maternas, & mundi voluptates pueritia, haud minus præclarum is posuit intra Tornacensia D. Martini claustra tirocinium religionis. Malo id auctoris iam citati verbis, quàm meis percipias. Ea igitur hîc repræsento: *Nunc qualiter in monasterio tirocinatus sit nouus, sed fortissimus cœnobita, scribere ex parte operæ pretium, & imitari, virtutis. Erat amator ordinis sui multum, & sollicitus. Quandò iota vnum, vel apicem vnum etiam de mandatis minimis præteriuit? Tempore lectionis, lectioni libenter operam dabat, & erat valdè memor eorum, quæ legerat, ad faciendum & proferendum ea. Dominus dederat illi bonam memoriam, & linguam eruditam, præcipuè in his, quæ Dei erant, vt nihil requireres, vnde non mox responsum acciperes ab eo. Ceterùm ad solemnia diuinorum tam deuotus & sedulus assistebat, vt ad tres primos quos noueris proculdubiò peruenisset. Psallebat Domino in voce psalmi à primo versu vsque ad vltimum: non tota die & tota nocte cessabat laudare nomen Domini.*

B. HVGO IS. ABB. MART.

NATVS FVIT TORNACI, IBIDEMQVE S. MARTINI MONACHVS EXTITIT, AC PRIOR.

QVALEM EGERIT PVERITIAM.

QVI SE GESSERIT INITIO RELIGIONIS.

In re-

A

In refectione corporis sui nec questuosus, nec curiosus, licet admodum parcus, hinc est, quod pauperem illum victum fratrum anteà insuetum sibi adeò sufficientem habebat, vt matri aliquandò flenti, & quærenti, quomodò tam delicatè nutritus, tam durè viuere posset, veraciter responderit; quòd in austeritate illa, & paupertate delectaretur, sicut in omnibus diuitijs. Et maximè à principio perfecto odio oderat illas singularitates, & abstinentias singulares, in alimentis, vel vestimentis, quæ magis pertinent ad vanitatem, quàm ad vtilitatem. Videat, aiebat, cui me semel commisi, quid de me faciat: de cetero me non debeo intromittere. Et asseuerabat eos, qui priuata præferebant communibus, cui renunciauerant, quasi magistram iterum sequi propriam voluntatem. Huic ipse semper perpes exstitit aduersarius in se & suis. Illa enim est, inquit, quæ naturæ docet non parere, rationi non acquiescere, seniorum non obtemperare consilijs, non obedire magistris. Cùm talem se præstiterit in religionis incunabulis, non difficilè est sanè colligere, qualem sese Hugo, sacris ordinibus initiatus, ad omne virtutis exemplum præbuerit. Quibus decorabatur, virtutum splendor adeò Nouiomensem Abbatem perstrinxit, vt eum sibi ad tempus concedi flagitauerit, eòque facto Subpriore, & totius cura domus onerato, miram viderit domi rerum in melius mutationem. Quæ res omnino perfecit; vt vix expleto anni vnius curriculo Antistes Tornacensis eum inde reuocauerit, suique monasterij Priorem instituerit, totúmque onus familiæ in humeros eius coniecerit. Cùm igitur illic insignem Abbati suo, & fratribus operam impenderet, omniumque sibi amorem virtutibus gestisque conciliaret: ad Martianenses eius nominis fama sic penetrauit, vt desiderium eo fruendi magistro, & patre, cunctos incesserit. Et profectò data est illis in præsulem eum poscendi insignis occasio, cùm Eugenius Pontifex Maximus Inguerrannum ecclesiæ Martianensi ademptum Suessionibus concessit, & Martianensibus, quem cuperent, Abbatem suum nominandi facultatem impertiit. Neque verò tunc ij partibus suis defuere, vt omnia in eum suffragia coniicerent. Id qui factum sit, ex citato iam auctore perdiscas: *Hic Spiritu inuocato Paracleto, qui desolatos consolatur, vir reuerendus, & Deo dignus Domnus Hugo electus est anno verbi incarnati M. C. XLVIII. qui vt præmisimus apud S. Martinum in Tornaco Prioratus functus officio, patris agebat vices, manus dextera, os & lingua, & lumen oculorum eius. Et nisi nobis à Deo fuisset prædestinatus, totus omninò nobis negaretur ab illo, qui ei totum erat. Nullis denique precibus moueri potuit, donec ex ore Apostolici, cui totus obedit mundus, egressum est verbum misericordiæ, nec reuersum est ad se vacuum, sed fecit quod voluit, & datus est nobis in patrem pastor sanctus, plenus Spiritu sancto; & gratia Dei erat in illo. Nec silendum, quod hac ipsa die, qua à nobis electus est, longè positus hoc ipse per spiritum in missa cognouerit, cùm ipsius electionis ipse nesciret diem neque horam. cuius rei cogitatio tota die illum inuitum, cùm, sicut erat miræ humilitatis, vehementer conaretur resistere, & cogitatum huiusmodi tanquam nimis otiosum, & noxium luctaretur elidere. & certans, vnde hoc mihi, aiebat intra semetipsum, vnde tantillo tanta dignatio? Forsitan ab ira, non à misericordia Dei, procedit illud. Et subdebat: forsitan falli possum, & fallit me spiritus meus, spiritus vadens, & non rediens. Quam contentionem in semetipso de mane vsque ad vesperam valde pertæsus, cogitationes suæ torquebant cor suum, & diem durum illi facere. Et cognouit, quia verum est verbum, nec diuinæ vlterius obuiare ausus est voluntati, quam semper sequi multum habebat † manum in omnibus operibus suis.*

QVAM NVNIA OBIVERIT FACTVS SACERDOS.

B

MARTIANENSIS ABBAS ELIGITVR.

C

EIVS ELECTIONIS ABSENS DIVINITVS MONETVR.

D

† *fors.* ad manum.

At enim quem eum ad dignitatis gradum Spiritus sanctus per suffragia monachorum euexit, & præclarum Martianensibus religiosæ vitæ speculum dedit, paullum dispiciamus, qualem suorum oculis subditorum ad ciendam in his virtutem, beatus Hugo sese obtulerit. Placet hoc primùm ex eo repræsentare, qui miracula D. Rictrudis duobus libris complexus est. Hic igitur sanctum hunc antistitem ita depingit: *Tunc temporis Domnus Hugo sanctæ recordationis vir, Marchianensi præerat Monasterio, cuius vitam numquam saltem sinistræ suspicionis respersit opinio. A iuuentute enim sua calentis naturaliter ætatis desudans flammas † restringere, bonus exstitit monachus: postea verò pro vita sua atque meritis Abbas constitutus, nisi cogente infirmitate, de vigore solito nihil aliquando sibi relaxauit. Sobrius, castus, & humilis sicut in subiectione didicerat, in loco superiori permansit: nec vt dominans in subiectos, sed forma factus gregi,*

QVALEM SE PRÆBVERIT ANTISTITEM MARTIANIS.

Lib. 1. c. 26.

† *forf.* restinguere.

omnibus

A *omnibus qui eum nouerant, reuerentiæ fuit & amori. Si quos murmuriosos, & alijs vitijs obnoxios inuenisset, ipsorum se patrem, ipsorum se nouerat esse Abbatem. Sanis verò & religiosis non patrem, sed parem; non Abbatem, sed comitem se exhibebat. In iubendo discretus, in loquendo modestus: de omni re plus fidens orationi, quàm suæ industriæ vel labori:*

Huius erat solidare fidem, mentique mederi,
Virtuti stimulos addere, spémque reis.
Curabátque scelus, non extirpare scelestos:
Atque sibi nullus, omnibus omnis erat.

Maluisset quidem multos habere patres in sui custodiam deputatos, vt tanto securior exiret in pascua, quanto plures sui curam gerere sensisset. Et paucis interpositis: *Postea cùm à discipulis suis ei colloquentibus Pater, Dominus, Abbas, vel magister, aut aliquid huiusmodi vocaretur, & vitam ei optarent diuturnam; asperè, & cum lachrymis eos redarguens aiebat: Ne vocetis me magistrum, vel Abbatem, sed seruum, & infelicem: nec rogetis mi-*
B *hi misero longioris vitæ spatium, sed benè viuere, & feliciter consummari. Hæc est enim gratia ad amicum suum omni præstantior officio: cetera verò quæ desiderantur, opinione quidem bona sunt, & nomen commune habent cum veris, sed boni proprietas in illis non est.* Huc vsque auctor ille. Nunc ea quibus beatum hunc virum describit is, qui vitam eius tradidit litteris, proponamus: *Anno igitur ætatis suæ quadragesimo consecratus Marcianas venit, vbi solemniter receptus suscepit pastoris curam. Et verè opus faciens Euangelistæ, ministerium pastoris impleuit, sanè pascendo socios. Nec ignorans propter hic etiam se duos denarios accepisse à summo pastore, quatinus & infirmos curaret, secundum quod dictum stabulario de saucio, Curam illius habe, omnibus quoque omnia factus est, & pastor, & medicus, vt omnes faceret saluos. Sciens enim quia non præesse venerat, sed prodesse, sic præfuit, vt prodesset; sic præfuit, quasi præesse nesciret, homo mitis, & humilis corde. Nihil de antiqua conuersatione eliquatum est; immò qui illum præfecit multiplica-*
C *uit in anima sua virtutem. Non priorem humilitatem abiecit. quanto sublimior, humilior factus est in omnibus. Non sibi assurgere, non sedere inferiùs patiebatur quemquam. Quocùmque esset, quasi vnus ex nobis erat: prior quidem ordine, sed reputatione posterior. Quocumque ibat, cum suis, tanquam vnus eorum ibat cum eis. in vicis, in curijs indiscretus ab alijs, excepto quod ceteris humilior apparebat: non patrem, sed parem; non magistrum, sed comitem æstimares. Non illas deosculationes manuum, non genuum flexiones, quas multi*
*exhiberi. *pro magno ducunt, facilè sibi † exhibere sinebat. Quòd si contigisset, vt aliquando improuiso id fieret, ex festinatione reprehensionis aduertere posses, quàm humiliter sentiret in anima sua. Æqualis omnibus & magnis & minimis erat: nisi quòd frequenter minores plus possent apud ipsum, familiarius loquerentur, adsciscerentur frequentiùs. Etenim cum simplicibus sermocinatio eius. Quippe nec adulari sciebat, nec diligebat adulatores. Hinc est, quòd nuper, cùm vnus eorum dixisset ei, quòd principes terræ valdè diligerent eum, & dicerent eum esse virum iustum & sanctum; & vehementer increpatum emisisset à se, conuersus ad me: Semper, inquit, huiusmodi odio habui, qui dicunt mihi, Euge, euge.*
D *Falsum scit esse quod dicit, & cur dicit? Nam cùm esset patientissimus, pati nequaquam poterat illos, qui scienter loquerentur mendacium. Irascebatur sed peccato, non peccanti. Nam pro se nunquam, sibi aliquando, cùm & ipse se sensisset peccare. Sanè de damnis exterioribus non facilè mouebatur: non verborum conuicijs, non contumelijs superborum. cum modestia & misericordia, gladium iudicij semper tenebat in manibus suis ad faciendam vindictam in peccantibus, increpationes in peccatis. Nemo vnquam pro quocumque commisso verbum aliquod improperij sibi ab eo dictum audiuit: nemo verbum turpe processisse de labijs eius. Et sicut in capite libri scriptum est, de eo, veritatem & mansuetudinem semper dilexit: semper cum eo creuit misericordia, & de vtero matris suæ egressa est secum. Non erat talis, cui cor tuum committere, quem conscientiæ tuæ conscium facere non auderes. Pater pius, dulcis consiliarius, tristes consolabatur, discordes ad pacem, desperatos ad spem, & ingratos ad gratiam reuocabat. Immò penè patrem se esse oblitus fuerat; matrem crederes. Venenatus morsu serpentis tanquam ad sinum matris ad eum posses confugere, tamquámque à medici pietate salutis medicinam inquirere. credere te totum ei, loqui quasi tecum.*

Nam

Nam pater erat pauperum: nemo ab eo indonatus abibat foris, & intus stipem ab eo congruam reportabant. Ipse manu sua bona data dabat in manibus eorum tam pietate, quàm humilitate: & pro hoc leprosum tangere, se legem soluere non æstimabat. Redeuntem de via chorus puerorum & pauperum sequebatur intrantem. nemo, qui clauderet eis percepturis annonam de manibus eius. In vultu, in habitu, in incessu, & affectu formam religionis habebat, humilitatis præferebat speculum, noxæ scandalum auferebat. Durus priùs dictus est, & crudelis; dudum magister, & nondum pater. Ipsi viderint, quibus, & quare fuerit. Nos matris affectum probauimus; loco magistri, patris experti seueritatem. Et forsitan datum nobis mutauit illum, qui illum dedit, vt impleretur quod scriptum est; de petra, melle saturauit eos. Hactenus ille monachus, qui quæ scripsit, præsens oculis, vel auribus vsurpauit.

TEMPLVM MARTIANENSIS MONASTERII EXSTRVIT. *Lib. 2. c. 16. & 17.*

Verùm his de moribus sanctissimi Abbatis in medium productis, non erit absonum aliquid de Monasterij structura per ipsum promota quidpiam subiicere. Hac enim de re apud scriptorem miraculorum D. Rictrudis reperio: *Hic vir sic conformis ad vnitatem, locum, cui præerat, per Dei gratiam religione decorauit: & Dominus bonis temporalibus foris amplius, intus etiam bonorum fratrum numero cumulauit. Monasterium igitur Marchianense vetus erat, & permodicum à D. constructum Amando: sed quando ædificatum est, satis amplum videbatur, & diebus illis sufficiens. Nunc verò tam fratrum numero, quàm bonis exterioribus ampliatis, angustum erat, nec aliqua compositione acceptum. Quod cùm Abbas iste, de cuius multiplici gratia nihil me dignum dixisse fateor, grauiter ferret, in honorem Domini, & fratrum commodum visum est ei, vt aliud construere deberet. Sed quia legerat, ad euitandam pœnitentiam omnia cum consilio facienda: super hoc vicinos Abbates, & plures religiosos viros consuluit: & omnes vt in nomine Domini opus inciperet, concorditer responderunt. Eorum igitur hortatu & consilio, accito conuentu manu sua primum lapidem in fundamento collocauit: quibusdam tamen obedientiarijs propter imminentem sumptuum quantitatem renuentibus &c.* Et post aliqua: *Quatuor denique annis, quibus ædificando superuixit, quæque in lapidibus & columnarum ornamentis construenda erant, penè consummauit, mirantibus cunctis, quòd structura adeò grandis, & decora, tam breui profecisset.* Ac deinde: *Postremò tale est monasterium quod erexit, vt ab ijs, qui ipsum in carne non viderunt, opus suum intuentibus, anima ipsius benedictione donetur.* Porrò dum audis in huius auctoris verbis monasterium eam vocari fabricam, cui moliendæ multum laboris beatus Hugo impendit, ne tibi subrepat opinio, totum ab eo cœnobij ædificium fuisse constructum. Hîc enim monasterij vocabulo sola ædes sacra intelligitur, eâ quam priùs notaui, acceptione. Etenim Hugo ipse apud eundem auctorem, id quod struebat, oratorium appellat; vitæque auctor idem expressè templum nominat. Neque aliter nuncupat id quod subiicio Hugonis epitaphium.

Epitaph. eius.

Hugo pater Sanctus, humilis, pius, atque benignus
Hoc latet in tumulo, clauditur hoc lapide.
Qui virtute potens, & paupertatis amator
Hoc templum cœpit, quo sua membra iacent.
Morum forma proba, lex vitæ, vita probata,
Virtus & pietas, virtutum mater honestas
Tabet in hoc tumulo, pater almus, vir pius Hugo,
Cui dedit vndena lux Iunij lucida regna.
Terrea lanugo factus iacet hic pater Hugo.
Heu! fons virtutum fit quasi vile lutum.

Verùm tempus est, vt hunc beatum antistitem, de cuius gestis ac laudibus plura in diuis Gallo-flandriæ dabuntur, omittamus, ac si quid de aliis Marchianensibus Archimandritis luce dignum lateat, rimemur & eruamus.

IOANNES 16. ABB. MART. E D. BERTINI DOMO ASCITVS. — AN. 1158.

Qui proximè Hugonem secutus est, Ioannis nomen obtinuit: isque huius nominis primus ad regendum è nobilissima D. Bertini familia euocatus est Martianas. Quantus hic vir fuerit, quódue sit nomen apud suos aliósque ob sapientiam adeptus, alienis placet verbis exponere, de hoc enim ista perelegánter P. Petrus Lanselius

A Societatis Iesu sacerdos in ea, quam scripsit ad S. Dionysij Areopagitæ opera, præfatione: *Qui inter Marchianenses Antistites nomen Ioannis primus tulit, numero decimus sextus, tam recondita fuit sapientia, atque hominum generi fructuosa, vt alterum Mosen eum dicerent: quòd cùm totam viciniam reperisset barbarie horridam atque deformem, leges tulerit salutares, agrestium vitam composuerit, exemplo omnes, & mirifica dicendi vi ad mansuetudinem reuocarit.* Eius tempore cum insigni comitatu venit Martianas Henricus Remensis Archiepiscopus, & B. Rictrudis ossa in nouam transtulit capsam, vt ingens hominum concursus eà tempestate monasterium celebrauerit. Audienda quæ memoriæ mandauit ea de re Anonymus miraculorum D. Rictrudis auctor: *Vasculo igitur cum magno auri & argenti apparatu consummato, Domnus Henricus venerabilis Remorum Archiepiscopus venerat in Flandriam. Hic IV. nonas Augusti anno Verbi Incarnati* M. C. LXIV. *Archiepiscopatus autem sui tertio, ad nos diuertit, & annuens Ioannis Abbatis, & totius ecclesiæ precibus sub eodem die B. Rictrudis reliquias manibus suis de veteri vasculo assumptas in nouum cum tremore & reuerentia collocauit.* B *Aderant Clerici, virorum, ac mulierum infinita multitudo; alij sequentes ipsum vepote virum tantæ dignitatis, & Ludouici regis Francorum germanum fratrem; alij vt illam sacri corporis translationem præsentes intuerentur. Sed & Andreas Atrebatensis Episcopus cum clero suo, & vicinis Abbatibus ad hunc diem festum occurrere festinant: cum quibus celebri Monachorum astante conuentu, per omnia, vt decuit, solemniter & deuotè res acta est.* Paria sunt his ea, quæ Martyrologium ecclesiæ Martianensis repræsentat; vbi facta dicitur translatio *præsentibus Abbatibus Martino S. Vedasti, Fulcone Hasnoniensi,* Waltero *Bergensi, Balduino Yprensi, Henrico S. Quintini Beluacensis.*

LAVDES EIVS.

EO GVBERNANTE, HENRICVS REM. ARCHIEP. S. RICTRVDIS OSSA TRANSTVLIT. *Lib. 2. c. 35.*

An. 1176. Exstincto Ioanne, suffragiis Monachorum Antistes Martianensis electus est Henricus. Eum præclari hominem ingenij fuisse, & regendis animis vehementer idoneum reperio. Duobus tamen dumtaxat curriculis annorum sese totum Martianensibus impendit. C Etenim eo tempore transacto, etiam Vedastinum apud Atrebates monasterium gubernare coactus est; eàque suscepta dignitate post quintum mensem è viuis abiit Romæ. In Catalogo vel Chronico Abbatum Vedastini cœnobij hæc de ipso leguntur. *Henricus Secundus Abbas Marchenensis, siue quod maxima virtute excelleret, siue quòd Martinus id peroptaret, siue quòd nostri peregrinum non aspernarentur, reiectum à Martino pastoris onus accepit in humeros, ætate quidem valentior, sed æquè omnibus insidianti obnoxius morti, quæ nihil non frangit, absumit, abripit. O vanæ spes hominum mortis ignaræ, fortisque futuræ. Henricus duplici ornatur præfectura; Romæ in orbis theatro se videndum præbet; pauculos post menses res omnes caducas nullo in loco pretióue habiturus, cespitéque breui tegendus, ne pareat. Romæ dum inclarescit, extinguitur anno redempti generis humani* 1184. *quinque mensium Abbas Vedastinus. Memorant funeratum in baptisterio Constantini; indéque translatum esse in Cluniacense monasterium.* Hæc ibi, quæ non sine animaduersione sunt prætereunda, quòd longè à Martianensium Chronologia discrepent. Hi námque in tabulis suis D Henricum sibi ereptum memorant anno post millesimum & centesimum octauo & septuagesimo, eodémque tempore datum ipsi successorem. A quibus stet veritas, non video, qua ratione deprehendam.

HENRICVS 17. ABB. MART.

QVI POST BIENNIVM VEDASTINVS ANTISTES RENVNTIATVS EST.

ROMÆ MORITVR.

An. 1178. Igitur ad Ioannem secundum transeo, qui sumptus è Martianensium cœtu Monachorum, Henricum proximè excepit. Apud suos aliósque sapientis hominis, & ob virtutem hominum mentibus moderandis opportuni famam obtinuerat, priusquam sacro magistratu donaretur: & postea orbem nomine suo impleuit. In eius laudem quæ dicit P. Petrus Lanselius anteà citatus, hunc in locum afferenda & trutinanda sunt: *Consecutus est deinde,* inquit, *alter Ioannes circa annum propè millesimum & ducentesimum, qui non tantùm in Belgio notus fuit, sed vsque ad extremas oras terrarum. Nam cùm Romam ad Innocentium summum Pontificem legatus abijsset, prudentiæque suæ lucem, atque inusitatæ modestiæ sparsisset, S. Bernardus ecclesiæ Principi auctor fuit, vt vir tantus præter Marchianensem*

IOANNES 18 ABB. MART.

LAVDES EIVS.

domum, Sueßionense quoque monasterium S. Medardi administrandum susciperet. Ita quidem Lanselius maximum exornans Martianensis cœnobij lumen. Verùm mihi dolet admodum vel ei, vel illi potiùs, qui hæc ipsi è monasterio iam laudato vetusta monumenta subministrauit, nonnulla excidisse scribendo, à quibus veritas longiùs recedit. Nam vt omittam ex tabulis Martianensium Ioannem iniuisse dignitatem anno à partu Virginis supra millesimum & centesimum octauo & septuagesimo: quæ de Beato Bernardo afferuntur, nulla queunt ratione tolerari. Quippe certissimum, & veteribus consignatum est monumentis, D. Bernardum è terris ad cælos euolasse, cùm flueret Christi annus post millesimum & centesimum quinquagesimus tertius. Neque verò toto annorum spatio (decennium id fuit) quo Martianensibus imperauit Ioannes, quisquam maximorum Pontificum Eugenij nomine orbi præfuit. Subiret animum suspicio, quæ sic de Ioanne à Lanselio memorantur, ad Ingrannum esse referenda, cùm is ab Eugenio, cuius tempore adhuc in viuis agebat S. Bernardus, non tamen Romæ, verùm in Gallia Remis, ex Martianensi factus est Abbas Suessionensis: nisi mox idem Pontifex alium iussisset ab Martianensibus antistitem legi, vt anteà perscripsimus. Certè compertum hábeo Franciscum Barium Aquicinctensis monasterij quondam Priorem in Collectaneis suis manuscriptis, quæ de S. Medardi monasterio ab Romano Pontifice Ingranno tradito retulimus, Henrico, cuius antè facta mentio, Martianensis Archimandritæ cœnobij adscribere: vt non sit nouum hac in re peccatum memoriæ, in quod facile est homini multis impedito rebus labi. A B

ANNIS AB INNOCENTIO PONTIFICE CONSILIO S. BERNARDI FVERIT MARTIANENSIBVS PRAEFECTVS.

Nunc autem inter alia, quæ noster hic Ioannes instituit Martianis, hoc vnum repræsentat eius Abbatiæ Martyrologium: *Tertio decimo Kalend. Februarij obijt D. Dagobertus Rex Francorum. Constitutum est autem à D. Ioanne Secundo Abbate, & vniuerso Capitulo, vt dies anniuersarius eius solemniter celebraretur, pro eo quod idem gloriosus Rex, & Nanthildis regina cùm B. Virginem Eusebiam de fonte salutari suscepissent, villam Verniacum, & vinum quod ad vsus nostros de Francia adducitur, regali munificentia contulerunt.* Quod equidem vt nos paullùm remoretur, necesse est; quoniam non leui dignum animaduersione censeo. Primùm sanè Dagoberti muneris & Nanthildis frequentissima est in Codicibus ac diplomatibus Martianensis monasterij mentio. Apud Anonymum D. Rictrudis miraculorum Auctorem hæc leguntur: *Eusebia verò Dagoberti regis, & Nanthildis reginæ manibus de sacro fonte suscepta est: cui possessiones dederunt, & redditus multos in Francia; quæ omnia erant ecclesiæ Marchianensi occulta Dei dispositione profutura.* Quorùm latior explicatio postmodum ita proponitur: *Non longè à Sueßionis ciuitate B. Virgo Eusebia, & eius mater villam habent, cui Vergni vocabulum est. Hanc Dagobertus Francorum rex, & eius vxor Nanthildis memoratæ virgini, eo quòd eam de salutari lauacro suscepissent, regali munificentia contulerunt, suis etiam confirmantes priuilegijs, vt deinceps nulla super hoc terrena potestas ei molesta esse præsumeret. Mater verò post hac in Martianensi monasterio habitu religionis induta, & ipsa cooperante Domini gratia filiam suam secum introduxit: quæ villam hanc cum appendicijs suis, sicut liberam poßidebat, eidem ecclesiæ perpetuò & liberè poßidendam contradidit. Hinc est, quod de loco illo annis singulis Marcianis vinum mittitur; vnde portione aliqua ob missarum celebrationem in parte vna decenter reposita, de reliquo fratribus infirmis, & hospitibus sufficienter, & cum caritate annuatim ministratur.* Quibus litteris bona Martianensis ecclesiæ confirmat Imperator Carolus Caluus, eiusdem ita mentionem facit: *De villa namque Virniaco iubemus tres fieri partes de vino, vnam partem ad opus Senioris, alteram quoque ad vsus Sororum & Fratrum in Martianis consistentium, tertiam quidem ad opus Sororum ac Fratrum in Hamatico degentium.* Plura nihil opus est è ceteris proferre monumentis. Id nunc mecum attende, Anonymo videri datam hanc villam Martianensi tantùm cœnobio: ex Calui diplomate contrà non minùs eam Hamaticensi Phrontisterio, quàm Martianensi, concessam colligi, ob eam vini, quam facit, partitionem. Ceterùm id veritati consonum reor: donatum principio Verniacum C D

CONSTITVTIO DIEI ANNIVERSARIO REGIS DAGOBERTI EXPENDITVR.

Lib. 1. c. 4.

Lib. 1. c. 59.

A Martianensi monasterio, cum D. Rictrudis, eiúsque filia Eusebia in id abdidere se religionis gratiâ, ac vtriusque id munus fuisse, quemadmodum asserit Anonymus: Migrante posteà Hamaticum Eusebia, eius villæ fructuum partem aliquam illuc fuisse deriuatam in regij muneris memoriam; ideóque Carolum vini prouentum dicto modo partitum: adiuncto posteà Martianensi ecclesiæ Hamaticensi monasterio, quod ante tempora citati iam auctoris factum fuerat, ad Martianenses totius villæ fructus reuocatos. Verumenimuerò quid de Dagoberto, & Nanthilde regina sentiendum opinabimur? cósne scilicet è sacro fonte sanctissimam virginem Eusebiam suscepisse, vt iam vidimus memoratum? Equidem hac in re constituenda multum obiici difficultatis animaduerto. Etenim haud leuiter secum pugnant, quæ non modò Martianenses libri ingerunt, verùm etiam auctores ij, à quibus D. Eusebiæ gesta litteris sunt tradita. Quid námque magis oppositum videas, quàm memoriæ mandare, Dagobertum Regem, qui diem extremum obiit anno 644. huic virgini susceptorem obtigisse, candémque sanctimonialem proauia sua B Gertrude in cælos recepta (quam mihi certum est è vita D. Amati Senonensis Archiepiscopi, non infra sexcentesimum & octuagesimum Christi annum è terris abiuisse) Hamaticensis monasterij regimen cepisse, cùm duodecimũ dumtaxat vitæ suæ annum duceret? Tot igitur annorum intercapedo illuc nos omnino adigit, vel vt Eusebiæ Dagobertus & Nanthildis susceptores negentur; vel profectò eidem virgini longè plures anni tribuantur, cùm Hamaticensibus præfecta est sanctimonialibus. Vt illuc rapiatur animus, longa & mirabilis de puellaribus Eusebiæ annis, cùm data est Hamaticensibus moderatrix, à multis auctoribus conscripta historia possit facere: vt contrà huc idem impellatur, plurium scriptorum auctoritas impellit. Verùm de his alibi opportunior tractandi locus dabitur, cum Gallo-flandriæ sanctos illustrabimus. Nunc igitur ad præsules Martianensis ecclesiæ reducatur oratio.

Ex iis, qui post Ioannem pedum tenuere, paucorum video res gestas, ac virtutes monumentis veteribus mandatas; tantúmque aliquorum nomina iniurias tempo- C rum superasse. Igitur de ipsis vel pauca, vel nihil omnino memoranti mihi lector beneuolus veniam impertiet.

Subducto è viuis Ioanne, in Stephanum ad capessendum imperium collata sunt monachorum suffragia, quem Martianis religionem aggressum inuenio. Postquam vndecim fermè annis præfuisset laudabiliter, sponte onus regendi excussit. STEPHANVS 19.

AN. 1199. Suffectus in locum eius posteà est Simon è S. Medardi cœnobio propter virtutem Suessione accitus. Is cuidam Martianensi Religioso ecclesiæ Martianensis Chronicon scribendi occasionem præbuit, vt ipse in prologo eius operis testatur his verbis: SIMON 20

HVIVS OCCASIONE MARTIANENSE CHRONICON SCRIBITVR.

Cùm quadam die in diebus quadragesimæ post lectionem collationis Dominus Abbas Simon huius Marcianensis ecclesiæ Abbas vigesimus, cum quibusdam fratribus, de rebus necessarijs †fortuito. *haberet colloquium, †fortuitu interrogauit, si haberemus Abbatum huius monasterij gesta, vel scriptum catalogum. Cui vnus respondit: Hæc in scriptis non haberi; tamen ex relatione antiquorum, & quibusdam chronicis ac historijs de ecclesiæ prima constructione, de B. Ri-* D *ctrudis aduentu, de Sanctimonialium regimine, de monasterij combustione à Northmannis tunc paganis facta, & inhabitantium interfectione, de sanctimonialium eiectione, & Monachorum restitutione, corde tenus aliqua se scire. Cùmque aliqua inde pro tempore retulisset, Dominus Abbas illi, qui hæc narrabat, mansueta voce dixit: Magis hoc eum scribere debuisse ad vtilitatem filiorum huius ecclesiæ, quàm gesta regum, & bella Imperatorum in Chronicis componere &c.* Nam posteà ostendit, hanc Simonis vocem stimulum sibi ad perscribendum de Martianensibus rebus librum subdidisse. Porrò verbis iam relatis Simonem suauiter Andream Monachum Martianensem perstrinxisse mihi persuadeo, cuius labor in texendo regum Franciæ Chronico desudauit: ac forsitan rectè quoque censuero illum ipsum esse religiosum, cui tunc Simon loquebatur, quique hoc opus composuit. Certè tum temporis eum vixisse vix dubitem; faciléque admittam, eum Atrebatensem Episcopum, cui Chronicon Franciæ regum dedicauit, Petrum illum fuisse, qui cùm præsul Cisterciense monasterium moderaretur,

CVIVS AVCTOR FVISSE VIDETVR ANDREAS MARTIANENSIS.

ad infulas Atrebatenses euocatus est anno ferè post millesimum centesimo & octuagesimo primo. De Simone autem testatum video, vix triennium Martianensibus imperasse. Quidam enim Abbatum catalogus anno 1199. magistratum iniuisse; anno 1202. successorem accepisse memorat. Sunt, qui velint eum se dignitate vltro exuisse. A

Milo 21. Mart. In Simonis locum surrogatus est Milo, quem post vndecimum regiminis mensem imperium abdicasse traditur. An. 1201.

Odo 22. Traditum posteà pedum est Odoni secundo, qui vix biennium sedit. An. 1203.

Nicolaus 23. Ad Nicolaum deinceps traducta est monasterij gubernatio. An. 1205.

Michael 24. Huic successit Michaël. An. 1219.

Ægidius 25. Mart. Cum Aquicinctinsibus Religiosis init pactum. Post hunc gubernaculis admotus est Ægidius huius nominis primus. Hunc cum Aquicinctẽsibus Religiosis Societatem iniuisse has in leges comperio, quæ Martianensi Martyrologio insertæ sunt: *Sciant omnes præsentes & posteri, ad indissolubile vinculum dilectionis & pacis obseruandum inter Ecclesiam Marchianensem & Aquicinctensem, esse statutum vnanimi voluntate, & assensu* Willelmi 13. *Abbatis Aquicinctensis, & Ægidij Abbatis Marchianensis, vt tam in spiritualibus, quàm in temporalibus ita vnum sit inter eos, vt si aliqua querela super hereditatibus earum mota fuerit inter eas, per Abbates, & per alios bonos viros pacis amatores eorundem, si fieri post hæc potest, iudicetur, & terminetur. Et si aliquandò Monachi Aquicinctenses veniunt Marchianeum, faciant quod Abbas & Prior eis iusserit. Similiter & Marchianenses apud Aquicinctum. Et si fortè aliquem de fratribus dictorum locorum de suo loco aliqua occasione exire contigerit, retinebit eum Abbas & Conuentus, ad quem venerit, & ei in necessarijs prouidebit, donec eum restituerit in loco suo; aut discessionis suæ causam iustam esse cognouerit, aut iniustam. Obeuntibus autem Abbatibus vtraque ecclesia faciet tamquam de proprio Abbate, & annotabitur nomen eius in regula. Pro fratribus autem officium & missa cum pulsatione campanarum in Conuentu agetur, tricenarium cum triginta præbendis, & à quolibet sacerdote priuata missa, & ab alijs, qui non sunt sacerdotes 50. psalmi, & ab alijs, qui psalmos nesciunt, Pater noster &c. Annotabitur quoque nomen eius in regula, siue præbenda. Hanc autem concordiam ita statuerunt inter se firmiter obseruari, vt nulla obliuione negligatur, aut occasione aliqua violetur. Et ad maiorem firmitatem fecerunt eam suis libris annotari. Datum anno Domini 1234. feria sexta post Assumptionem gloriosæ virginis Mariæ.* An. 1224. B C

Rabobdus 26. Rexit post Ægidium Rabobdus, vel Rabodo, vel Rawado; tam variè scilicet nomen eius scribitur. An. 1247.

Ægidius 27. Ad regimen subinde assumptus est alter Ægidius, qui vel Duaci vitam hauserat, vel à Duaco induerat cognomen: vt fors è Duacensibus Castellanis prouenerit, quibus id cognomentum adhæsit. An. 1256.

Ægidius 28. Hunc alius excepit Ægidius, quem vltro dignitatem resignasse inuenio. An. 126

Amolricus 29. Admotus est postmodum gubernaculis Amolricus, vel Almoricus. An. 1276.

Petrus 30. Datus huic successor Petrus. An. 1296.

Robertus 31. Hunc proximè secutus est Robertus. An. 1306.

Ioannes 32. Ad Ioannem Tertium, quem de Basseria cognominarunt, delatum deinceps imperium. Constans est Martianis opinio, tanta suos cum luce virtutum domesticos, tanta scientiarum, ac præcipuè Iuris Pontificij lumine externos perfudisse, vt summæ omnibus esset admirationi. Hunc se magistratu sponte nudasse reperio. D An. 1326.

Guido 33. Per Ioannis resignationem Guido cœnobij gubernationem obtinuit. Multum ipsi laboris obuenisse ac molestiæ notauit Franciscus Barius, ob inuasum spoliatumque monasterium Eduardo Anglorum rege Flandrísque Tornacum obsidentibus. Sed quoniam ea calamitas in annum 1340. incidit, ad præcessorem potiùs est reuocanda. In errorem ideò Barius inductus est, quòd in hoc, vt plerisque aliis Abbatibus, extremum magistratus, aut vitæ annum reputet, qui primus regiminis est numerandus secundum Martianensis catalogi chronologiam, cui nos adhæremus. An. 134

Rexit

A Rexit deinde Nicolaus de Hanin. NICOLAVS 34.

An. 1366. An. 1389. Datur huic succeſſor Guilelmus Chriſtien è S. Martini monaſterio aſſumptus, & ſacrarum litterarum ſcientiæ ergò laurea ornatus, vt epitaphium eius oſtentat Martianis. GVILELMVS 35.

An. 1412. Ornatus eſt deinceps Abbatiali dignitate Petrus Baran. PETRVS 36.

An. 1426. Ab hoc pedum obtinuit Adam de Leſcotto, ac poſteà volens magiſtratu ſe abdicauit, & in ſancto reliquum vitæ otio iucundè traduxit. ADAM 37.

An. 1444. Per Adami reſignationem in monaſterij curas ſucceſſit Guilelmus de Sinoble. GVILELMVS 38.

Hunc Franciſcus Barius memorat in commendam, vt vocant, magiſtratum Guilelmo Fillaſtrio Epiſcopo Tornacenſi, & D. Bertini antiſtiti tradidiſſe, aliter ſanè quàm ſentiant Martianenſes Monachi. Etenim, vt hi volunt, ſiue reſignatione Guilelmi Sinoblij, ſiue alio id modo factum fuerit, Ferrico de Clugny (An. 1475.) huius monaſterij cura eſt tradita, qui primùm Canonicus, dein etiam Epiſcopus Tornacenſis inſigni claruit Iuris cognitione, ac denique Romæ creatus eſt Cardinalis. (B) Verùm vix vltra triennium ex hoc aſceterio cenſus Abbatiales obtinuit Ferricus. Etenim anno poſt milleſimum quadringenteſimum & ſeptuageſimum octauum in alterum dignitatis titulum ac redditus tranſtulit, ſolâque fuit penſione contentus. FERRICVS 39.

An. 1478. Igitur tunc Martianenſis Abbatiæ moderationem ſuſcepit Guilelmus Lotin, qui & Monachum & Camerarium agebat in Aquicinctenſi cœnobio. Tradit memoriæ Franciſcus Barius eùm poſt aliquod tempus pactam Epiſcopo Ferrico pecuniam pendere noluiſſe, quòd monaſterium inde nimium grauaretur: ideòque ab officio ſuſpenſum fuiſſe: haud diu tamen poſteà plenam ipſi poteſtatem in Religioſos ac bona monaſterij conceſſam. Cùm itaque libertatem aſſecutus eſſet Guilelmus, ad multas cœnobij ſarciendas ruinas animum adiecit. Hoc in primis de ipſo exſtat Martianis in Martyrologio monumentum. *Omnibus æquè notum pariter & manifeſtum ſit, nec vlla vnquam memoriam deleat obliuio, R. in Chriſto Patrem Guillermum cognomento Lotin, huius monaſterij Marchianenſis Abbatem, quondam Religioſum & Camerarium Aquicinctenſem ſingulari quadam ac præcellenti deuotione ſuccenſum B. Dei Genitricis ſacellum, ſiue templum, antiquis ſtructuris, ac ædificijs demolitum, prorſúſque carioſum, priſtinæ dignitati anno Incarnati Verbi 1497. reſtituiſſe.* (C) Ad hæc continua tenent traditione Martianenſes, multa ipſum, quæ fuerant præceſſorum negligentia, vel prodigalitate diſtracta, tum chartarum inſtrumenta, tum bona recuperaſſe. Quod ei poſitum fuit epitaphium, paucis multa laudis capita comprehendit. Id verò tale eſt. GVILELMVS LOTIN 40. AD MONASTERII INSTAVRATIONEM INCVMBIT.

Tertius hic Abbas Guillelmus nomine Lotin,
Ortu Flandrenſis, relligione nitet.
Excolit, inſtaurat, res, mores, templa, Deúmque.
Bimatu reſidens, quem legit vndecies.
(D) *Luſtra trecenta fluunt, ſed & annus, cùm requieuit,*
Natalis Domini præueniendo diem.

Vbi ternarius numerus ad nomen, non aliò referendus: quòd tertius eius nominis Abbas fuerit.

An. 1501. Habuit ſucceſſorem Guilelmus Iacobum Cœne Brugenſem multa virum virtute præditum & laurea Iuris ornatum, qui totus ad inſtaurãda cœnobij ædificia incubuit. De geſtis eius in Codice Martianenſi hæc reperi: *Vigeſima die Octobris anno Domini 1542. obijt Marchianis Dominus Iacobus Cœne Abbas quadrageſimus, & primus infulatus huius loci, qui præfuit 41. annis, & totam hanc domum inauditis & miris ædificijs innouauit & decorauit; multis ac varijs arcubus & fornicibus, & cælaturis, & ſculpturis, argenteiſque thecis, & vitreis feneſtris: ſed quod omnino ad ſtuporem facit, immenſis ſumptibus, vt alter Moyſes & Salomon in ædificatione templi dici poſſit, nec bona Eccleſiæ* IACOBVS COENE 41. MONASTERIVM INSIGNITER CONDECORAT.

aliquo onere obligauit, sed potius adauxit plus sexcentis libris Flandrensibus annuatim. Demum Coadiutorem sibi & domui multum vtilem asciuit. Dominum Iacobum de Groot. A

RECTENE DICITVR ABBAS QVADRAGESIMVS IN CODICE MARTIANENSI?

Aduerte autem hoc loco ad numerum mentem, & Iacobum quadragesimum Martianensis monasterij antistitem vocari mecum mirare. Nam si omnes ij præsules habeantur, quos Abbatum eius loci catalogus exhibet, ad primum & quadragesimum Iacobus peruenerit. Igitur hic opinor eum, qui Iacobum Abbatem quadragesimum nuncupat, inter Archimandritas Hugonem minimè censuisse, qui Remis aduenit, ac diebus tantùm septem præfuit; quémque videmus ab eo, qui vitam B. Hugonis memoriæ consecrauit, incubatorem, non præsulem nominari; aut certè non ab Ionato, sed à Leduino numerum inire, vt eos tantummodò recenseat, qui post exactas Moniales fuerint Abbates creati: aut denique Ferricum minimè præsulis nomine insigniendum putasse, quod is, vt docuimus, Abbas dumtaxat Commendatarius haberetur.

LAVDES IACOBI.

Vt verò colligas admirabilem Iacobi circa promouendum domus Dei ornatum laborem: nullis vnquam is impendiis pepercit, vt exquisitissimos cuiuscunque artis magistros sibi conciliaret, eorúmque manibus & ingenio ad pulcherrima concinnanda opera vteretur; seu variis vitra historiis ornanda, seu lapides & marmora sculpenda poliendáue, seu tabulæ coloribus elegantissimis figurísue animandæ, seu capsæ statuæue Sanctorum auro argentóque & pretiosis lapidibus ac vnionibus essent decorandæ. Nullúsque dies labebatur, quo non ipsis adstaret, & ad opus suis omnibus numeris absoluendum stimulos suauibus verbis, & promissis adderet. Neque sanè circa domesticos minus operæ pius pastor impendit, vt in antiquum splendorem religiosam disciplinam restitueret, omniúmque animos ad veteris cultum religionis studiúmque virtutum erigeret. Hos eius sanctos ac laudandos labores quæ legentibus ingerant, multa templum eius impensis ornatum proponit, quæ non erit abs re hoc loco simul repræsentare. B

Epitaphia.

Hæc in primis ad parietem in pegmate marmoreo adscripta sunt.

Cænius hic recubat † Brugensi Iacobus ab vrbe,
Conditione Abbas, relligione pius,
Conspicuus vita, celeber studio ædificandi,
Obuia testantur vt monumenta satis.
Lustra octo, & menses bis quinque expleuerat Abbas.
Sic cæptum hic finis rite coronat opus.

† Brugis. C

Eiusdem ad Commonachos.

Discite Commonachi nostro exantlare labores
Exemplo, & cæptam currere ritè viam.
Discite & hinc faciles, quamuis nec ferrea nobis
Fata pepercerunt, soluere lege pari.

In tabula verò marmorea ipsius tumulo imposita hi versus leguntur.

Acta viros ornant; celebrat domus ista Iacobum, D
Instauratorem laudat vbique suum.
Cuius vita fuit tantæ pietatis, vt esset
Inter consortes relligione prior.
Præfuit hic Abbas annis quadraginta, super quos
Iunge decem menses, tempora mortis erunt.
Fine coronetur sancto, qui fine coronam
Omnibus optabat rebus inesse suis.

ENCOMION ALTARIS TABVLÆ APPICTVM.

In altari Sanctorum Iacobi & Stephani elegantissimis coloribus ornatæ tabulæ basis hoc tetrastichon lectoribus obiicit.

Multa licet fatum rapiat, non omnia tollit.

Virtus

A *Ævum non moritur, nec benefacta cadunt.*
Hic, cuius praeclara vides monumenta, viator,
Ædem instauratam, cœnobiúmque nitens,
Munere perfunctus vitæ, pietate fidéque
Vincit, & eximia laude beatus erit.
Felix, cui bene cœpta datum est perfecta videre,
Queis tabulæ eximiæ fulua coronis erunt.

Quod vero aliquoties finis ac coronæ mentionem his in versibus fieri aspicis, ad eius symbolum est referendum, quod his duobus verbis constabat, *Finis coronat:* quóue omnibus publicis operibus suis appicto & se & suos omnes incitabat, vti finis felicis memoriâ id totum seriò ac constanter agerent, quod numinis gratia facere aggrederentur. Ceterum initio administrationis cùm Romam fuisset negotiorum B gratia profectus, adeò Pontifici Iulio secundo placuit, vt sibi suisque successoribus insulas aliáque ornamenta pontificalia impetrauerit.

An. 1542. Exempto viuis Iacobo Cœnio, Iacobus de Groot, quem is sibi Coadiutorem legerat, insulis ornatus est; iisdémque artibus ad religiosam domus disciplinam, & vtilitatem Monachorum aduigilauit: cùm esset ipse religionis cultor eximius, & apprimè virtutum studio inardesceret. Quòd felici polleret ingenio, multus ad hauriendam variæ doctrinæ cognitionem incubuit, adeòque magnam linguæ Græcæ perdiscendæ operam impendit, vt præclara eius scientia floruerit. Quo tempore cœnobium moderabatur, ita vehementer libris affixum studio, vt omnem rerum temporalium curam in Sacellanum suum ac quosdam alios religiosos transcripserit. Eius diligentiæ monumenta sunt appictæ variis libris haud contemnendæ notationes. Ad sacra prophanáue ædificia quod attinet, præcessoris institit vestigiis, multáque vel perfecit, vel inchoauit. Vt in templum aliquem laborem conferret, necesC sitas fecit, cùm imposita eius medio turris de cælo tacta conflagrauit, idque repens incendium omne tectum ædis; ac perfractis ruentium lapidum, lignorum & campanarum pondere fornicibus, pulcherrima monachorum sedilia depastum est. Igitur ea minimè fractus calamitate, & nouum templo tectum superstruxit, & nouis chorum sedilibus exornauit.

Iacobus de Groot 42.

Studiis admodum deditus fuit.

Ædificia monasterii promouit.

Post Iacobum præfuit Arnoldus Gantois, quem aliàs de le Cambe nominant. Eximiis quoque virtutibus hic claruit, magnóque fuit Martianensibus ornamento. An. 1563. De ipso cùm libeat latiùs hic aliquid proponere, iis vtar præsertim verbis, quibus eum Thomas Stapletonus Academiæ Duacensis mandato in funebri oratione depinxit. Igitur de natiuitate, pueritia, studiis, & moribus eius dum scribit, hunc in modum loquitur: *R. in Christo Pater Arnoldus de Ganthois Laude prope Insulas natus parentibus nobilibus, & familia honestissima, ac à tenera ætate monasterio Marchennensi traditus, adultus iam & ad annos pubertatis perueniens habitum & professionem monasticam auidissimè arripuit, sanctè coluit, grauiter & industriè exercuit. Louanium deinde (vbi in* D *cœnobio Canonicorum Regularium S. Martini feliciter institutus est) ac posteà Lutetiam Parisiorum missus ita bonas literas excoluit, eum gustum accepit, & affectum induit, vt non solùm egregiè literatus, & benè doctus sed etiam maximus literarum amator, & disciplinarum admirator euaserit. Rediit enim ad monasterium non tantùm Latinæ linguæ & rei Theologicæ plusquam mediocriter peritus, verùm etiam vtriusque incredibili amore & studio accensus. Quare inter suos sic egit, ita versatus est, ea luce & splendore refulsit: vt seu vitæ innocentiam & sanctimoniam, seu animi virtutes varias, seu ingenij vires præstantes, seu morum comitatem singularem, seu etiam in rebus agendis dexteritatem excellentem consideres, planè sicut Margaritum inter gemmas, inter astra Lucifer, ver inter anni partes, rosa inter flores cæteris omnibus facilè præcelleret, & præluceret: Quo in genere hoc singulare est, & rara laus, quòd prorsus irreprehensibilis vixerit, vtpote qui in Capitulo nunquam reprehendi sit visus. Hinc porrò factum est, vt vacante non ita multo pòst monasterij præfectura, ad eam religiosus, literatus, prudens, & pius monachus tam suorum desiderio,*

Arnoldus Gantois 43.

Natus fuit Laude.

Factus religiosus partim Louanii, partim Parisiis studuit. Qui se gesserit antequam præsul crearetur.

quàm auctoritate regia, singulari etiam Dei prouidentia eueheretur. Huc euectus, & eo dignitatis in loco constitutus, si quos anteà priuatus prudentiæ, pietatis, φιλομυσίας, veræque religionis igniculos ostenderat, eos nunc Abbas factus in flammam ingentem excreuisse; tanta videlicet benefaciendi materia subministrata, demonstrauit. Et post aliqua: *Abbas itaque Marchennensis in florenti quidem ætate, sed temporibus difficillimis constitutus, nihil prius, atque antiquius habuit, quàm vt rem monasticam paterna sollicitudine vel collapsam restauraret, vel conseruatam foueret, ornaret, augeret. In hanc curam cùm omnes suas cogitationes conuerteret, totúsque incumberet, & plurimos abusus magna auctoritate, & absque vlla suorum contradictione remoueret ac tolleret: ecce tibi præter dirutam & conflagratam, necdum reparatam maximam templi partem, noua familiam tempestas diuexauit, noua calamitas & repentina; nisi maxima prudentia, & maturè occursum fuisset, vniuersum monasterium funditus vastauerat &c.* Narrat enim posteà, quod alibi latiùs etiam prosequimur, quomodo hæretici Martianense monasterium aggressi, ingentem ædi sacræ cladem attulerint anno supra millesimum & quingentesimum sexto & sexagesimo: quíque posteà noster antistes in cœnobio suo multa vel instaurauerit vel à fundamentis struxerit ædificia. Qualis autem erga suos religiosos exstiterit, quámque paterno eos animo fouerit, ita sequentibus Thomas verbis exponit: *Sed tanta prudentia, sollicitudine tanta rem domesticam administrauit, nihil vt cuiquam à maximo ad minimum aliquando deesset, nihil etiam superesset. Sic enim ad singula oculatus, attentus, & vigilans erat, vt nihil prorsus, ne micam panis interire sineret, aut ipso inscio dilabi: sic rursum de singulis sollicitus, & suorum amans, sic ad benefaciendum facilis, promptus, effusus, vt quum suos liberaliter in omnibus tractaret, tum verò honestæ cuiusquam petitioni, aut desiderio nihil vnquam denegaret. Est & illa sapientissimi huius Abbatis laus, quòd monachos sibi subditos, atque commissos in vera pietate, sanctáque religione tam diligenter addiscenda, quàm etiam studiosè excolenda admirabili semper labore, opera, industria, vel instituit ipse, concionando, adhortando, monendo, & tardiores quidem increpando, promptiores autem ad talia singulari amore amplectendo, vel ab alijs institui & edoceri fecit.* Quàm verò in alienos quoque munificus & liberalis fuerit, quos indigos opis & necessitatibus oppressos animaduertebat, ab eodem Stapletono sic accipe: *Taceo enim quas in villa sua Marchennensi & frequentes, immò ordinarias, ac statas eleemosynas fecit. Nihil dico, quòd extorres, & afflictos vel sui, vel alterius ordinis monachos aut domi suæ, aut in hoc suo amplissimo Collegio his postremis annis aluit, fouit, conseruauit. Præterea quot pauperes studiosos hoc etiam in loco bonis litteris erudiendos vel omnino pauit, vel subsidijs pecuniarijs liberaliter iuuit. Certè vno in anno plusquam tria millia florenorum hoc solo in genere eum expendisse certissimè intelligo, quin & paullo ante mortem affirmauit, se potiùs vasa sua argentea, & vsque ad vnicam vestem cætera distracturum, quàm vt pauperibus studiosis necessaria deessent. Referre nequeo, quas hoc etiam in loco alendis theologis bursas vel ipse fundauit, vel sua prudentia, exhortatione, auctoritate fundari procurauit. Omitto denique quanta munificentia eos qui in hoc suo collegio non tam sibi, quàm honori & vtilitati Academicæ seruierant, quauis data occasione, & maximè in laurea Theologica promouendos prosecutus fuerit, iuuerit, ornauerit.* Sed qui tanta in pauperes liberalitate floruit, sanè quàm studiosus etiam retinendæ religionis auitæ exstitit. Huius equidem gratia non modò ipse plurimum laborauit, vt Duaci Academia institueretur, ac firmaretur; verùm etiam ibidem amplissimum instituendæ litteris & bonis moribus iuuentutis ergo gymnasium condidit, vt pluribus posteà memorabimus. Et quoties aduersus hæreticos ei certandum fuit, acerrimè id semper exsecutus est. Quæ postrema hîc ex Stapletono lubet proponere, non parum profectò huc faciunt. *Penè, inquit, prætermiseram, quòd prudens hic & magnanimus Abbas in generalibus omnium ordinum comitijs, maximéque Insulensibus illis ita strenuè ac fortiter pro fide Catholica, pro obedientia erga Regem semper dimicauerit, vt huius solius nomen ac vultum hæretici quidem Insulenses quàm maximè reformidarent, & de rebus suis eo præsente nihil boni sperare auderent: Catholici autem eius auctoritate, consilio, fortitudine plurimùm adiuti & ad rem gerendam benè animati fuerint.* Atqui hæc sunt, quæ præcipuè ex Stapletoni oratione hunc in librum adducere decreueram. Iis nunc aliqua breuiter, quæ aliunde didici,

Margin notes: QVALEM SE FACTVS ABBAS PRÆSTITERIT ERGA DOMESTICOS. — QVAM LIBERALITATEM IN EGENOS EXERCVERIT. — PRO FIDE CATHOLICA LABORAT.

Margin letters: A, B, C, D

A didici, apponenda sunt. Iuris Canonici lauream adeptum quidam Arnoldum asse-
runt, eóque plus ad regimen attulisse præsidij & prudentiæ. Vix Lutetia domum
emensis studiorum curriculis reuerterat, & sacro fuerat sacerdotij ordine initiatus;
cùm Iacobus eum Grootius (qui iam de prudenti familiæ, in quam multi Belgæ sub
ipso votis omnium œconomo constituto Parisiis conuenerant, administratione nun-
tios acceperat) sibi sacellanum, vt nuncupant, delegit, vt citra inuidiam eius consiliis
& sapientia multis in rebus vteretur; ac in ipsum præcipuam rei familiaris curam de-
posuit. Hoc onus cùm egregiè magnáque cum laude sustinuisset, insignem sibi Ar-
noldus ad præclarè administrandum totius cœnobij magistratum, domi forísque
gradum struxit, quamuis eius minimè appetens esset. Iam tum enim patefaciebat sin-
gulari benignitate, modestia, humanitate, temperantia, fide & integritate, quàm
multis esset præditus ad regendum necessariis animi dotibus. Postquàm verò sacris
ornatus infulis fuit, circa domesticam disciplinam in melius restituendam, hunc mo-
dum tenuisse reperio. Quos crapulæ vitio fœdari, quos pecuniarum in propriis locu-
B lis habendarum cupidine ab religiosa paupertate longiùs deflectere, quos libertatis
desiderio æstuare cognouerat, horum primò prudenter animos tentare; vbi quos-
dam deprehenderet duræ ceruicis & ingenij præfracti, ne malum latiùs serperet, con-
stringere sapienter; quibus mollior mens erat flectíque facilis, hos ad capessendam
virtutem, & seruanda maiorum placita suauiter inducere. Ita cùm multis ducendæ
meliùs vitæ auctor fuisset, ad quædam tollenda vitia, quibus opprimendis par solus
esse non poterat, Franciscum Richardotium Atrebatensem Episcopum, & Ioan-
nem Lentailleurium Aquicinctensem præsulem adhibuit: quorum fultus auctoritate
multa breui sustulit probis moribus & religiosis institutis aduersantia. Ac in ea re
faciliùs expedienda, ex horum antistitum sententia, cùm senioribus intra monaste-
rium retentis nonnihil veterum priuilegiorum indulsisset, ne foris pessumdarentur:
iuniores ad regularum votorúmque exactam cohortatus est obseruantiam, & quò
voluit, induxit feliciter. Vt omnes subinde in officio pietatis & religionis retineret,
C instructum sacris litteris, & theologicis subtilitatibus imbutum hominem iis præfe-
cit; qui nunc de rebus ad instruendos ritè componendósque animos pertinentibus,
ac de diuinis mysteriis docendo tractaret; nunc ad pietatem & regularum obserua-
tionem è pulpito calidis impelleret hortatibus. Ac ne quis minus diligenter his
aures exercitiis præberet, aderat ipse dicenti docentíque assiduus: & cùm tirones a-
cuendis ingeniis de propositis rebus disputationes instituerent, iis verbis gestúque
animos dabat. Vbi quempiam è domesticis morbus infestabat, tantam eius curam
ipse suscipiebat, vt eum frequenter inuiseret, éque mensa sua delicatiores ad eum ci-
bos mitteret. Si quem in numerum filiorũ reciperet, ab eius parentibus, aut consan-
guineis exigebat nihil capiebátue. Eadem vtebatur pecuniæ vel rerum abstinentia,
cùm aliquis se numini votis obstringeret. Dum quispiam è suis religiosis primum ad
aras sacris operaretur, eius parentes amicósue mensa liberaliter accipere: vt lautas
ipsi epulas instruerent, haudquaquam permittere; vt parcum ac moderatum conui-
uium præberent, ægrè admodum concedere. Quos posito domi tirocinio religionis
D ad studia Duacum mittebat, ad victum, vestes, & scholasticas res necessaria iis om-
nia suppeditare; ne quid à parentibus acciperent, ipsis interdicere.

Adeò diuinorum mysteriorum dulcedine capiebatur, vt singulis ferè diebus, &
missæ sacrificium offerret deuotissimè, & solennem in templo missam, nocturnum-
que officium frequentaret; quamquam multis semper negotiis distringeretur. In
vestibus nihil pretiosum, nihil splendidum patiebatur. Ad tolerantiam ita corpus
exercuerat, vt rarissimè per hyemem ad focum accederet. Quamuis hospites suos
satis exquisitis, & benè conditis epulis tractaret, eósque iucundis sermonibus ad hi-
laritatem induceret; vilioribus tamen ipse cibis sese reficiebat, magnámque duce-
bat sobrietatis rationem. Multam eius dicta factáque synceritatem, multum animi
candorem prodebant. Viliorum æquè ac potentium iniurias hominum tolerabat fa-
cilè. Vbi quempiam ab se sentiebat alienatum, nihil reliqui faciebat, quo vel huma-
nitatis officiis, vel liberalitate suam eum in amicitiam reduceret. In consanguineos

etiam

FVIT IVRIS CANONICI LICENTIATVS.

ADHVC IVVENIS OECONOMVM SE PRÆSTITIT.

CORRIGENDÆ DOMESTICÆ DISCIPLINÆ PRVDENTER DAT OPERAM.

ET SVORVM SVBDITORVM SPIRITVALI ET CORPORALI BONO STVDET.

MORES EIVS, AC VIRTVTES EXPRIMVNTVR.

etiam pressos necessitate nihil è rebus monasterij largiebatur, quamuis in alienos opem rebus afflictis postulantes liberalissimo esset animo, eósque vel sub tectum reciperet, vel muneribus afficeret promptissimè. Verùm iam tempus est, vt ceteros huius celeberrimi Antistites monasterij proponamùs. A

PETRVS MANARE 44.

Igitur euocato in cælos Arnoldo, plurium suffragiis monachorum Petrus Manare imperium obtinuit. Non leuiter is erat litteris aspersus, & non contemnendam Hebraicæ linguæ cognitionem hauserat. Priorem tunc domi agebat, cùm ea dignitate donatus est. Antè Martianensi Collegio præfuerat. In hoc summo magistratu liberalem in omnes, at in nobiles & potentes præsertim animum prodidit: quò sanè non modò eorum sibi amicitiam peperit; verùm etiam à pagis ecclesiæ suæ obnoxiis militum insolentias per eos facilè auertit, ac plurimum sui cauit monasterij rebus. Cœptis à prçcessore Gymnasij ædificiis aulam insignem adiecit. Priusquam annos natus vnum & septuaginta terris subduceretur, diuturno, eóque admodum graui morbo perculsus est, quo se per patientiam ad exitum compararet securiùs. Positæ ad perpetuam eius memoriam tabulæ adscripta hæc verba reperio. An. 1584. B

R. in Christo P. ac Dominus D. Petrus Manare multis hîc egregiè perfunctus muneribus, summo tandem omnium & consensu, & applausu electus fuit in Abbatem anno 1584. Tanta autem cum laude præfuit, vt omnes in sui amorem & admirationem concitauerit.

PETRVS PIERART 45.

Quem Petrus Manareus Priorem monasterij sui creauerat, & cum morbo conflictans successorem sibi dari optauerat Petrus Pierart pedo deinceps ac infulis ornatus est. Eius pietatis ac religionis monumentum sacra ædes pensilem è marmore vario chorum ostentat.

IOANNES DV IONCQVOY 46.

Hoc tempore summum hîc gerit magistratum D. Ioannes du Ioncquoy, quem Duacum & diu cum laude toti Gymnasio Martianensi præesse, & decerpta è studio Theologico laureâ Licentiatum renuntiari perspexit.

Atqui hæc de huius antiquissimi & celeberrimi monasterij Archimandritis sufficiant.

E RELIGIOSIS MARTIANENSIBVS ALIQVOT SCRIPTIS ILLVSTRES. ANDREAS MARTIANENSIS COGNOMINARI SOLITVS, REGVM FRANCIÆ CHRONICON SCRIPSIT.

Iis de Religiosis, qui nomen aliquod apud alios doctrina scriptísque sibi comparauere, pauca nunc subiicienda sunt. Ac primùm vt de Andrea, qui solet Martianensis cognominari, quidpiam suggeramus, eius famæ celebritas postulat. In confesso est apud plerosque tum veteres, tum recentiores auctores, eum Franciæ regum Chronicon quàm diligenter, tam fideliter scripsisse. Hominis ingenuitatem & modestiam hæc operis eius præfatio patefacit, quam de veteri Martianensis ecclesiæ codice tibi repræsento. C

Domino & Patri sanctissimo P. Venerabili Atrebatensis ecclesiæ Episcopo Frater Andreas omnium Sanctorum & vester seruus salutem & gaudium sempiternum. Vestra, Pater Karissime, pia, vt scitis, importunitate prouocatus, & meo promisso constrictus, manum sicut vobis promisi, ad scribendum conuerti. Prædecessores enim nostri Orthodoxi Patres diuinis disciplinis, veteris & nouæ legis imbuti à primordio mundi vsque ad sua tempora descripserunt temporum accidentia. Horum primus Iulius Affricanus; deinde Eusebius Cæsariensis, Iheronymus, Prosper, Orosius, Victor, Isydorus, Beda, Sigebertus, & Anselmus Abbas Monachi Gemblacenses, & quem prætermiseram, Gregorius Turonensis Episcopus, regnis & temporibus ordinauerunt suas quisque historias. Horum ego pauper litteratura sequens vestigia, de Regibus nostræ gentis, scilicet Francorum succinctam, & veritate subnixam, Gregorium Turonensem, & Sigebertum sequens, vestræ parens voluntati scribere historiam proposui. Nec debet displicere litteratis, quod aliquando prodest simplicibus & ydiotis. Nam quosdam historia, alios allegoria, nonnullos verò ædificat moralitas. Nec legenti debent esse onerosa, si aliqua vtilia, quæ historiæ minus congruant, repererit † in terra. Dabo igitur pro posse operam, ne fastidiosa sit lectio: quia nullus, vt credo, delectatur fastidio. Hactenus Andreas, qui per Iulium Africanum eum significat auctorem, qui floruit, vt habet Trithemius anno Domini 220. cuiúsque meminit S. Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, Photius in Bibliotheca, Trithemius in lib. de sciptoribus ecclesiasticis, & Posseuinus noster in sacro apparatu. Opus autem, cuius mentionem facit Andreas quinque libri sunt, quos Iulius Græcè ab initio mundi D

† *forsan* intexta

A ad vsque Christum omnem breuiter historiam complexus scripsit eleganter; dein etiam compendium, quo idem succinctè res proponit, quę iam inde à Christi Natalibus ad Macrinum vsque contigerunt. Cùm autem hic Anselmum Gemblacensem nominet Andreas, nihil autem prodat de monacho, qui Aquicinctēse scripsit Chronici Auctarium inde narrationem auspicatus, vbi desiit Auctarium Affligemense, quod post Anselmi Chronicon & Auctarium Gemblacense fuit compositum, & narrationem anno 1163. abrupit; in ea magis confirmor opinione, qua priùs dixi Chronicon suum eo tempore scripsisse, quo Petrus Atrebatium pontifex fulgebat: quòd illud Auctarium anno 1200. finem capiat. Iam verò inter eos, qui frequenter Andreæ Chronicon laudant, Iacobum Guisianum in primis video, dum Annales Hannoniæ stylo prosequitur; dein Iacobum Meierum iis in libris, quos de Flandricis rebus composuit. Paulus Æmilius his eum verbis historiæ suæ inserit. *Andreas Monachus illud stemma his verbis digerit: Ausbertum ab Orientali Francia Senatorem ex Blitilde Clotarij secundi Regis filia procreasse Arnoldum; ex hoc Arnulphum Ducem natum, qui cum Angisisum Ducem genuisset, Pontifex Mediomatricum sit factus.* AB AVCTORIBVS SANCITATVR. Lib. 1.

B Scripseritne autem præter hoc Chronicon aliquid noster Andreas, non habeo certum: tantùm mihi suspicio, vt anteà proposui, suboritur, eum eius libri auctorem fuisse, qui de Martianensi monasterio tempore Simonis antistitis fuit compositus. AN PRÆTER DICTVM CHRONICON ALIVD SCRIPSERIT?

Floruit verò etiam inter monachos Martianenses Gualbertus, à quo nonnulla prodierunt opuscula. Eum duos de S. Rictrudis admirandis rebus libros concinnasse deprehendo. Alterius eum libri auctorem fuisse sunt qui velint, quod Poleticon Martianensis ecclesiæ inscribitur, résque ad monasterium Martianense pertinentes complectitur. Quibus ego non difficulter assentiar, quòd huius operis stylus alteri sit quàm simillimus. GVALBERTVS. QVID IS COMPOSVERIT.

Duorum aliorum huius Asceterij monachorum pios labores perlegi, nomina nondum erui. Horum alter duobus libris Beatæ Rictrudis miracula mandauit Ioannis eius nominis primi Martianensis antistitis, & B. Gosuini Aquicinctensium Archimandritæ temporibus, vt ex secundo eius operis libro colligitur. Alter huic æqualis tempore B. Hugonis, qui proximè iam nominatum Ioannem in Martianensis monasterij gubernatione pręcessit, vitam litteris tradidit. Ne quis eundem vtriusque operis auctorem putet fuisse, scribendi ratio prorsus dissimilis effecerit. Ceterùm horum omnium auctorum nullus dùm liber lucem aspexit: omnia autem opera membranacei codices in eodem cœnobio exhibent; ex quibus ea decerpsimus quæ variis in locis testimonia protulimus. ANONYMVS AVCTOR MIRACVLORVM S. RICTRVDIS. C ANONYMVS AVCTOR VITÆ B HVGONIS.

Si quis velit Chronicon Martianense, seu librum de Martianensis monasterij origine conscriptum Andreæ laboribus subtrahere, alteriúsque operę tribuere: quintus, ni fallor, erit scriptor inquirendus. Nam vt Gualbertus eius auctor habeatur, vel quispiam aliorum duorum Anonymorum, non facilè vel diuersus color sermonis, vel ætas permiserit.

Verùm ista de rebus obscuris sint satis. Igitur nunc ad eas sermonem clades conuertamus, quæ modò cœnobium, modò municipium grauiter afflixere, oppresserέue. D Nihil in vtroque furoris Normannici turbo integrum reliquit anno post Christum natum octingentesimo & octogesimo. Huius calamitatis cùm mentionē facit Hucbaldus in Præfatione Vitæ S. Rictrudis, hæc breuiter habet: *Quòd hæc, quæ referebant, eadem olim tradita libris fuerint, sed insectatione Northmannicæ depopulationis deperierint.* Eandem paullò latiùs dum tractat miraculorum D. Rictrudis Auctor Anonymus, ita loquitur: *Nunc restat, vt ostendatur qualiter à Normannis Marchianensis ecclesia destructa sit.* Et post multa: *Dirutis quoque monasterijs, quæ super fluuium Scarb sita erant, etiam Marchianense cœnobium, in quo beatæ Rictrudis corpus quiescebat, accolis terræ fugatis, vel interfectis, deletum est. Corpora verò sanctorum, quæ in destruendis ecclesijs recondita fuerant, ad loca tutiora per diuinam prouidentiam salua transportata sunt. In qua destructione deperijt omnis ornatus Marchianensis ecclesiæ, in chartis videlicet, & priuilegijs, & libris, & gestis Sanctorum, & ceteris rebus ad decorem & vsum loci pertinentibus.* QVAS MARTIANA CLADES PASSA SINT, A NORTMANNIS EVERTVNTVR. Lib. 1. c. 17. Cap. 18.

Vestigium

A

Vestigium aliquod huius calamitatis apud Gualbertum in præfatione miraculorum B. Rictrudis expressum video. Sic enim is habet: *Asserunt ea cum nimio & repentino templi incendio Hunnorum infestatione barbarica olim concremata cum ea, quæ tunc temporis adunata pro modo fuerat, bibliotheca.* Hic tamen non rectè Hunnis attribui, animaduertas, quod à cæteris, vt historiæ veritas, & temporum ratio postulant, ad Northmannos refertur. Meminit quoque huius cladis Iacobus Guisianus in Hannoniæ Annalibus, ac refert è libello de Dononiensis monasterij vastatione, Martianensem Abbatiam, ac ceteras flumini Scarpo assidentes à Normannis Condati morantibus fuisse destructas. Huius etiam calamitatis mentio est apud Iacobum Meierum in hæc verba: *Captum combustúmque Tornacum vnà cum Martiniano, Hasnoniensi, Martianensi, Rothornacensi, ceterisque omnibus circumcircà cœnobijs.*

Lib. 14. c. 10.

Lib. 2. Annal Fland.

SVB ALBRICO PRÆSVLE MONASTERIVM INCENDITVR.

Lib. 1.

Albrico Leduuini successore Martianenses monachos flectente, totum ferè monasterium ignibus absumptum est. Anonymus D. Rictrudis Miraculorum auctor in hunc modum id tangit, cum dæmonis artes aduersus hoc monasterium describit: *Suggerit vni satellitum suorum, quia multos habet in sæculo, Marchianense cœnobium ignibus solo coæquare, fiduciam habens viros religiosos de loco suo taliter fore deturbandos. Ad concremationem templi & ædificiorum se accingit, & statim voluntatem sequitur effectus.* Vt enim ex sequentibus patet, totum ferè monasterium flammis deflagrauit. B

IDEM SVB FVLCHARDO IN DESERTVM MVTATVR.

Lib. 2. c. 1.

Ea tempestate, qua Fulchardus Marchianensis ecclesiæ pedum obtinuit, admodum miserabilis eius cœnobij facies fuit, & sub graui admodum id gemuit calamitate. Ex Anonymi S. Rictrudis Miraculorum scriptoris narratione totum hoc depromere, & oculis subiicere placet. Sic igitur is loquitur: *Ordinatus Abbas residuum vitæ suæ non religiosè, sed sæculariter exegit. Monasterij substantiam in prauos vsus expendens multa parentibus suis largitus est, & Domini voluntas non est inquisita. foris & intus dissipauit Christi patrimonium, & ab ecclesia multas alienauit possessiones. In subditis tyrannidem exercuit vt Dominus, nec vt pater aliquando fomenta consolationis adhibuit. Prædecessores sui verbo & opere benè ministrauerant: sed hic exemplo vitæ suæ, & expensis continuus quod ædificauerant destruxit.* Et post pauca: *Et quia humana natura prona est ad peccandum, discipuli in eius conuersatione interitus sui laqueum acceperunt. Inde dissolutio ecclesiasticæ disciplinæ, censuræ eneruatio, totius religionis euacuatio. Fratres pro libitu vagabantur, & quod de ecclesia poterant tollere, singuli proprium nominabant. A sæculi hominibus eos aliquamdiu discreuit habitus; sed rebus deficientibus retrò respicientes canes facti sunt reuersi ad vomitum suum. Grandis aduersitas locum Marchianensem quasi inundatione facta, opprimebat: nec erat, qui errantem proximum reuocaret.* Et quibusdam interiectis: *Locus oratorij paulatim redigebatur in pascua boum: ædificiorum parietes tectis cadentibus ruinám minabantur.* Et verò, vt loci vastitatem facilius capiamus, hæc subinde memorat: *Intereà cùm solemnis omnium Sanctorum dies instaret, Abbas S. Amandi de Monachis suis duos Marchianas transmittit, vt ibi tantæ diei celebritatem cum præcurrenti nocte in psalmis & hymnis, & alijs ad diuinum cultum pertinentibus deuotè transigerent. Nam cùm esset vir bonus, tristabatur, si in hac solemnitate nullum Deo, & Sanctis eius, qui ibi requiescunt, obsequium impenderetur. Illi verò scientes absque alimentis corporalibus se diu non posse subsistere, deferunt secum, quæ ad victum diei vnius sibi forent necessaria. Quod si non egissent, post vigilias & completa mysteria egestas & inopia loci cogeret eos ieiunos reuerti ad propria.* C D

Cap. 3.

HANNONIÆ COMES OPPIDVLVM ET MONASTERIVM IRRVMPIT, ET OMNIA PESSVMDAT.

Tom. 1.

Lib. 12.

Multis posteà reuolutis annorum circulis, cùm hinc Angliæ Rex Eduardus vnà cum Flandris Tornacum obsidione cingerent; inde Francorum Rex Philippus Valesius ad Bouinas in castris consideret: Hannoniæ Comes, eiúsque patruus Ioannes maximam in munitionem, quam Aimericus Verualliús ad portam Martianensem exstruxerat, impressione facta, & nonnullis per fossas cymbis in monasterium euadentibus, ingenti Martianas desolarunt calamitate. Cæsi námque sunt monachorum plerique vnà cum præsidiariis militibus obsistentes: direpta mox omnia, flammísque corrupta. Eam latè cladem memoriæ tradidit Ioannes Froissartus: ita verò breuiter Iacobus Meierus repræsentat: *Simili furore Orchiacum, Landastum, Chella,* AN. 1340.

parua

A *parua oppida, capta, combusta, euersa. Scarpa quoque traiecto Marcianas cum monasterio D. Rictrudis miserandum in modum inuaserunt. Interfectus mox est præfectus Aymericus Veruollus, capti Monachi, Abbatia direpta, & incensa.*

Cùm deinceps anno, supra millesimum & quadringentesimum septuagesimo septimo Franci Tornacum aduersus Flandros & Burgundiones insiderent, horum aliqua manus prædabunda & Marcianas inuasit, & plerisque rebus ablatis, rursus incendio fœdauit.

IDEM POSTEA IACIVNT FRANCI. *Ioan. Cons. l. 4. c. 45. rer. Tornac.*

Cùm volueretur post millesimum & quingentesimum annus sexagesimus, tacta fulmine est ea turris altissima, quę Martianensis monasterij templo imposita multum ei splendoris & ornatus afferebat. Erat ea superstructa Monachorum odeo, eámque ob rem plus cladis attulit. Correptum inde totum ædis tectum, & in cineres redactum. Vi labentium trabium, æríque campani subiectus fornix concidit. Inuasit illico flamma sedes monachorum, quæ singulari artificio compactæ sculptæque Sanctorum Rictrudis & Eusebiæ historias elegantissimè pictas ostentabant supernè, B eásque prorsus absumpsit.

VNA TEMPLI TVRRIS DE CÆLO TANGITVR, ET FORNICEM CASV DEIICIT. *Monu. Monast.*

Sexto pòst anno quàm istic insolentissimè nouis turbulentis Belgij tumultibus hæretici aliunde conuenientes contra Dei ac Sanctorum imagines, aliásque res numini consecratas iniuriam ferro admiserunt, nondum oppido digressi vehementer luerunt, postquam è vicinis locis coeuntes in agmen Catholici cantabundos, & adhuc vino madentes ad internecionem deleuissent: quam nos rem in Annalibus latissimè narrabimus.

IMAGINES IBIDEM ICONOCLASTÆ AGGREDIVNTVR.

Orchiacum vrbs tertia Gallo-flandriæ.

C

CAPVT XLI.



QVÆ tertia vrbs Tripolim Gallo-flandricam constituit, nunc à nobis inuisenda, lustrandáque. Ab vrbe Duacensi quatuor, ab Tornacensi totidem, ab Insulensi quinque distat milliaribus. Quondam magna & opibus pollens ea fuit: nunc quasi nidulus tot inter amplissimas vrbes considet. Orchiacum iam nominant. Orca primùm ei nomen ab alluenti riuulo, cui vrticæ id vocabulum fecere, quas etiam Contra-sigillum vrbis ostentat. Cùm subscribit hoc in loco diplomati cuidam Ludouicus Imperator cognomento Pius, Caroli Magni filius, sic ait: *Orca castro regio.* Orciam quoque vocatam deprehendo, cùm in libris vetustis, & manu exaratis Ecclesiæ Martianensis *Villam Orciensem* legerim. In iisdem Codicibus Orceias dici video. Orcaias quoque Paulus Æmilius, & Papirius Massonus nominant. Ad hanc vrbem Origiacum Ptolemæi trahit Adrianus Scrieckus: sed quàm verè, ipsemet viderit, cum Ptolemæus asserat Atrebatum vrbem fuisse D Origiacum; & quæ nuper de itinere Cæsaris in Neruiis iuxta Goropium diximus, Orchiaci fundum necessariò veteribus Neruiis assignent. Comitatus seu tractus Pabulani iam olim caput fuit, & maiori, quàm tunc Duacum & Insula erant, murorum ambitu: gratámque præbuit Ludouico Pio Imperatori, Guilelmo Dampetræo, eiúsque cõiugi Margaretæ, quam posteà Flandri Comitem agnouerunt, & aliis principibus maximis sedem. Postquàm multæ clades bellorum, & ignis, attriuere, angustis modò clauditur muris. Parochiale templum vnicum habet opere vetusto, sed multorum capax hominum, & ornatu conuenienti instructum præter Capucinos nulli incolunt Religiosi: & his nuperrimè sedes parata: Fori area, & vrbanum Prætorium aliquam vrbi speciem afferunt. Insidens tumulo terræ castrum neque muris cingitur, neque præstat elegantia: ex sola vetustate, sedéque Bailliui, & Tribunali Comitis Flandriæ, cui præsidet Bailliuus, famam accipit. Egenis, qui viam faciunt, tecto recipiendis exiguum prostat Xenodochium à Ioanne de Bocque olim con-

HVIVS VRBIS VARIA NOMINA.

AN ORCHIACVM FVERIT OLIM ORIGIACVM?

QVI PRINCIPES OLIM IBI?

CAPVCINI.

CASTRVM.

XENODOCHIVM.

V ditum.

Svbvrbia.

ditum. Suburbia ædium multitudine vel æquant, vel superant vrbem. Quà Insulam A
itur, cœnobium est Virginibus Franciscanis commodum & elegans, quibus à veste

Grisæ Sororis. Sacellvm D. Virg. Mariæ. Ptochodochivm. Nosocomivm.

Griseis est Sororibus nomen. Quà porta ducit Duacum & Martianas, sacellum visi-
tur Deiparæ matris nomine, vbi febrientes opem tollendo morbo flagitant: dein
ad latus sinistrum elephantiasi laborantibus domicilium pingui reditu præditum.
Quà tenditur Tornacum, extrà viam ad latus dexterum modicè recedit Noso-
comium, cui nomen à proxima, vt creditur, mola, Theonmolino, quòd ea quon-
dam mola Theonis fuerit. Magnum est, elegans, multis ædificiis, aqua, hortis,
censibus instructum. Potissimam eius partem aquâ tumentes ambiunt fossæ. Vi-

Officina Orchiacensia.

guit olim Orchiaci textorum opificium. Horum aliis data potestas densos è lana
pannos conficiendi texendo. Verum quæ prius horum mercatura floruerat, iam
tum anno 1393. concidit, vt fuerit opus alterius modi opificium ciuibus conce-
dere, quemadmodum suo declarat diplomate Carolus rex Franciæ huius nomi-
nis sextus, à quo id beneficium vrbs accepit. Quibusdam aliis data facultas vel
tenues è lana pannos, quibus est Sayis nomen, vel è serico filo villosos, & variis B
floribus elegantes radio percurrendi: idque priuilegium à Cæsare profectum est
anno post millesimum & quingentesimum nono ac vigesimo. Nunc ij ferè so-

Nvndinæ Orchiacenses.

lùm panni conficiuntur, quos holosericum æmulantes trippas appellant. Per du-
plices nundinas magnus hominum ad hanc vrbem fit concursus. Priores postri-
die natalis beatissimæ virginis Mariæ per triduum celebrantur: ad quas insignis
concessa est per dies octo eundi redeundíque libertas. Post Sanctissimæ Trinitatis
festum alias liberè licet frequentare. Et variis rebus emendis vænundandísque
forum bis patet quot hebdomadis secunda sextáque feria.

Qvi Orchiacvm illvstraverint.

Ex iis qui splendorem Orchiacensi vrbi quondam attulere, primus in nostram
venit notitiam Ludouicus Imperator Magni Caroli filius. Hic enim ipse aliquan-
do constitit, & quædam scripsit diplomata. Inter eos principes, qui post eum
vixere, in hunc locum, eiúsque ciues munificus fuit Philippus Elsatius Flandriæ C
Comes. Quid verò ipsis indulserit, in his eius Priuilegij verbis proditur: *Ego
Philippus Flandriæ & Viromandiæ Comes, notum fieri in perpetuum volo, quòd homi-
nibus de Orchies liberè concessi libertatem & legem oppidi Duacensis, & vt nusquam
debeant, iuri stare infra Peulam, nisi infra villam de Orchies. Adhuc etiam vt quicum-
que in villa de Orchies diem vnum & annum vnum sine contradictione & calumnia
manserit, liber sit. Concessi etiam eis, vt liceat in perpetuum furnos, & † cambas facere,* † i. ceruisiarias officinas.
*& etiam molendinaria caballaria, saluo iure meo. Hoc autem factum est assensu illustris
consortis meæ Mathildis Reginæ, ad cuius dotalitium prædicta villa pertinere nosceba-
tur. Vt ergo id ratum inconcussúmque permaneat, tam præsentis scripto paginæ, quàm
mei impressione sigilli munio, & subscriptarum testimonio personarum munire decreui.
S. M. Reginæ † inclitis consortis meæ, S. G. de Messines Præpositi Insulensis, S. Iacobi* † inclitæ.
de Auesnis, & aliorum: Actum Duaci anno 1188. mense Maio. Hunc proximè se-
cutus est Philippus Franciæ rex Augusti cognomento nobilis. Is enim Elsatij
priuilegium anno 1207. confirmauit. Paucis pòst annis Guilelmus Dampetræus
eiúsque coniux Ioannæ Flandriarum principis soror, & præsentia sua Orchiacum D
frequenter ornarunt, & Philippi Comitis litteras suo diplomate roborarunt
mense Iulio, cùm in eadem vrbe considerent anno salutis millesimo ducentesi-
mo & vigesimo quinto. Igitur, ni fallor, ab eo Philippi Comitis priuilegio præter
ea, quæ posteà expressa sunt, ob concessam *oppidi Duacensis libertatem*, ac *legem* in
Orchiacensium vrbem duo fluxere præsertim conciliando splendore. vnum qui-
dem, vt suum sibi Senatum ciues legant Duacensium more; alterum verò, vt
Comes Flandriæ principatum initurus & muros intra ciuibus fidem iuramento
confirmet, eámque ab his sacramentum dicentibus recipiat. Ab eadem vxore
Guilelmi alia nonnulla in hanc vrbem profecta sunt beneficia. Eius ipsa leges, ac
rempublicam constituit Ioannæ sororis exemplo, quæ publicam rem Insulæ & Dua-
ci quadamtenus formauit. Textrinas pannorum erigendi ciuibus veniam concessit,
vnde non leues sibi opes cōpararent. Neque verò passus est Carolus Sextus Franciæ

A rex hoc oppidum suo beneficio destitui. Etenim ipse quoque pannos aliquos texendi veniam impertiit.

Nunc de cladibus vrbis huius vel incendio vel bello illatis, istæc reperio. Anno 1304. Franciæ rex Philippus cognomento Pulcher nactus eam præsidio Flandrorum vacuam, priusquam ad Montem Pabulanum confligeret, obsidio vallauit, paucísque diebus in potestatem redegit: ac paullò pòst Francorum dicta pugna cæsorum sepeliendis cadaueribus delegit. Trigesimo quinto pòst anno maximam oppidi partem incerta de causa ignis absumpsit. Paucis inde mensibus Flandris ad Tornacum in castris considentibus, Hannoniæ Comes magna vi hanc vrbem irrupit: & cùm ciues pretium vitæ pendere iussisset, etiam templo, & domibus flammas iniecit. Postquàm autem variis bellorum incommodis Orchiacum grauiter fuisset afflictatum, etiam fortuitus ignis maximam ei cladem anno 1414. peperit, qua demptis nouemdecim ædibus cetera omnia in cineres redacta sunt. Quæ res occasionem paullò pòst dedit angustioribus vrbem mœnibus claudendi, cùm paucis domibus moliendis ciues vix B sufficerent. Arsit nihilominus iterum anno 1477. è Tornacensi præsidio Francis flammas iniicientibus, postquàm rerum melioribus ædes spoliassent. Et iterum anno 1556. tantum hunc locum vastauit incendium, vt tribus solùm superstantibus ædificiis, etiam Curia Senatus, & sacra ædes consumptæ fuerint. At enim dum hæretici anno 1566. exitium rebus sacris inuehentes hanc vrbem expugnare conarentur, plus in paucis ciuibus animorum & fortitudinis militaris repertum est, quàm vt possent perrumpere inferendis domibus templóque damnis.

CLADES VRBIS ORCHIACENSIS.
Iac. Meier. l.10.
MS. Lib. Duac.
Ioan. Froiss. t.1.
Iac. Meiej. l.12.

Orchiacensis agri Pagi, & monasterium Flinense.

CAPVT XLII.

C Auchy. ORchiacensi Castello tres pagi subiacent Auchiacum, Coutichium, & Flinæ. Auchiaco vetustatem vendicat D. Bertha, quam vetera monumenta Blangiacensem Comitem vocant, ac Sigeri Pontiuiensis Comitis, & S. Adalbaldi Fratris, coniugem faciunt. Ad eam enim huius loci spectauit possessio. Vitam hîc hausit Nicolaus ab Auchy Laudensium monachorum insignis antistes. In catalogo præsulum hæc eius consignata est litteris memoria:

Præficitur post hunc numero crescente dierum
Consilio vir & arte valens Nicolaus ab Auchy.

AVCHIACVM.
NICOLAVS AB AVCHY ABB. LAVDUN.

Vir erat apprimè litterarum & historiarum cognitione imbutus: ideóque ab suis gesta prædecessoribus memoriæ voluit mandari. Coustiche Coutichio famam parit sacellum D. Rochi in villa Comontensi positum, propter ingentem hominum pestilitatis tempore concursum: dein sanctissimæ virginis ædicula pro itinere, quod Orchiaco Duacum ducit. Fuit olim illic Præpositura virginibus Broucburgensis Abbatiæ per donationem Clementiæ Flandrorum Comitis obnoxia.

COVTICHIVM.

D Flines. Flinas, quæ nonnunquam Felinæ, vel Felinium ab auctoribus nominantur, magnificum exornat Cistertiensis ordinis monasterium insidentibus magno numero virginibus. Neque magnitudine & varietate ædificiorum, neque monialium copia, vllum in Belgio eius nominis nobilius. Recti studio & disciplina maximè floret. Ad vitæ commoda faciunt prætersfluens Scarpus amnis, multi solum intersecantes, vel ambientes, & piscibus fœti canales, vicinum nemus, siue pabula præbentium, siue sementibus aptarum, multa terrarum iugera. Inditum huic Parthenoni præclarum nomen Honor B. Mariæ, vt ex litteris Margaretæ Flandriarum Principis, & huius parentis certum est. Quo die huius loci templum est Deo dedicatum, insignis illic visus est hominum tam sacra, quàm prophana dignitate fulgentium conuentus. Monumentum huius rei tabella in eo templo suspensa sic repræsentat: *Anno Domini* M. CC. LXXIX. V. *Kal. Iunij dedicata & consecrata est ecclesia ista in honore beatissimæ & gloriosæ semper Virginis Mariæ à Venerabili Petro Archiepiscopo*

FLINÆ.
MONASTERIVM FLINENSE.
DEDICATIO TEMPLI FLINENSIS MON.

Remensi, qui etiam eodem die altare in choro Monialium in honorem S. & indiuiduæ Trinitatis consecrauit. Fuit etiam præsens in hac dedicatione Venerabilis Philippus Episcopus Tornacensis, qui eodem die octo altaria in hac Ecclesia consecrauit: tria autem altaria, quæ remanserant consecranda, idem Episcopus Tornacensis VI. Kal. Iulij consecrauit. Fuerunt etiam hic multi Abbates præsentes de ordine S. Benedicti, & S. Augustini, & de Ordine Cistertiensi, & Præmonstratensi, & multi alij prælati, religiosi, ac sæculares. Fuerunt etiam hic multi Principes, & maximè digna memoria domina Margareta Flandriæ & Haynoniæ Comitissa, quæ ecclesiam, & monasterium fundauerat & ædificauerat propter salutem animæ suæ, & maiorum suorum, & specialiter propter amorem filiæ suæ Mariæ de Dampetra monialis in loco isto. Fuit etiam præsens Dominus Guido Comes Flandriæ filius dictæ Comitissæ, & Vxor eius Comitissa Namurcensis, & domina Ducissa Brabantiæ eiusdem Comitis filia, & multi alij nobiles. Successit paullò pòst alia non minor, sed funebris, principum & prælatorum frequentia, dum eiusdem Margaretæ corpus in Ecclesiam deferretur, ibíque tumulo imponeretur Guidone filio parentante. Huius memoriam in ea, quam dixi, tabula his verbis inuenio. *Completis his omnibus præscriptis eodem anno decima die mensis Februarij Feria 6, obijt prædicta Margareta Flandriæ & Haynoniæ Comitissa, quæ fundatrix huius monasterij exstiterat, & patrona. Sepulta est autem sexta decima die mensis per Venerabilem Ingrannum Episcopum Cameracensem prædictum in eadem ecclesia.* Vbi cõsidera, ex veteri supputatione annum designari, qui alioquin ex Romana ratione annorum, octuagesimus esse debuit. Vt verò intelligas, quantus tunc illic conuentus fuerit, audi Meierum hæc in annalibus breuiter narrantem: *Eam filij Guido & Balduinus cum omni dignitate Flandriæ & Hannoniæ Felinis magnifico extulere funere.* Et verò multis hunc Parthenonem illustribus & præclaris hominibus placuisse, vel inde colligo, quòd in eius æde complures sepulturam elegerint. Etenim illic è Flandriæ Principibus præter Margaretam humo mandati sunt Guido Flandriæ Comes, eiúsque coniux Mathildis: Gulielmus Dampetræus Margaretæ maritus, & Guidonis pater, Blancha Roberti Bethunæi Flandriæ Comitis vxor, de quibus nos alibi plura. Ex aliis duo in primis illustres Episcopi sepulturam illic nobilem obtinuere vno eodémque marmoreo tecti tumulo. Horum prior est Ioannes Margaretæ iam nominatæ nepos, & Guidonis Flandriæ Comitis filius, quem suprà laudauimus, & Leodiensem Episcopum è viuis abiuisse diximus. Apud Ioannem Hocsemium de ipso hæc leguntur: *Et eodem anno in die Calixti secundo Idus Octobris Ioannes Episcopus apud Anheuè prope Namurcum defungitur, pontificatus sui anno decimo; & eius corpore apud Abbatiam de Flins in Flandria deportato cum patribus suis quiescit.* Alterum Flinenses Guilelmum de Flandria esse arbitrantur; ideóque ex aduerso sepulchri in columna hanc epigraphen locauere: *Guilelmus de Flandria Episcop. Camerac. Domini Episcop. Leodiensis consanguineus.* E contrario Ioannes Baptista Gramayus Flinenses ab vero discedere autumat, omninóque sibi persuadet cum Ioanne sepultum fuisse Guilelmum Iuliacensem Ioannæ Flandrensis filium & Guidonis Comitis nepotem, qui iam Coloniensis pontifex Electus in Pabulano Monte aduersus Francos manus conserens ferro vitam perdidit: eóque se tuetur, quòd Iacobus Meierus eum Flinis sepulturam adeptum scripserit. Verùm vt potiùs cum Flinensibus sentiamus, aliqua nos admodum mouent. Primùm enim qui successit Inguerranno, cuius antè mentionem fecimus, Episcopo Cameracensi, Guilelmus appellatus est, eodémque cum Ioanne vixit tempore. Parúmque obest, quòd ei Demochares Hannonij cognomen tribuat. Iam enim aliquot Flandriæ Comites etiam Hannoniæ dominabantur, & insignia vtriusque Comitatus coniunxerant, vt non minus Hannonij, quàm Flandrenses dici possent. Deinde Iacobus Meierus de Guilelmo Iuliacensi certum nihil affirmat, vt hæc eius verba diligentiùs expendenti clarum euadit: *Galli item nonnulli referunt postridie pugnæ caput Iuliaci inuentũ, hastáque per exercitum circumlatum: sed quidam eius propinqui in Gallia cum Liliatis multis ex Flandria regis factionem secutis, certò affirmabãt, caput illud (quod quidem cominus diligentissimè inspiciebant) non fuisse Iuliaci, sed cuiusdam presbyteri Gandensis, quem ego presbyterum (inquit scriptor qui interfuit) rectè noui, erátque Iuliaco facie non multùm absimilis. Fertur &*

duobus

Margin notes: MARGARITA FLANDRIÆ COMITIS FLINIS SEPVLTA. — *Lib. 9.* — PRINCIPES FLANDRIÆ IN TEMPLO FLINENSI TVMVLATI. *Lib. 3. c. 5.* — IOAN. EPISCOP. LEODIENSIS. *Cap. 17.* — GVILELMVS EPISCOP. CAMER. — *Lib. 10.* — *Lib. 2.*

Section letters in right margin: A, B, C, D

A *duobus pòst mensibus fuisse inuentus rescissa solùm altera manu, sepultúsque cum maioribus apud Felizas: quod tamen corpus rursus multi contendebant, Iuliaci non esse, quemadmodum & Vxor Comitis Hollandiæ corpus quoddam ad se Curtraco delatum pro Ioanne absque pietate filio suo sepelisse dicitur.* Ad extremum quemdam iuxta Ioannem Cameracensium pontificem illatum sepulchro habet Gemblacense Chronicon, cuius hæc verba: *Est monasterium monialium per ordinem Cisterciensem valdè excellenter exstructum prope Duacum, iuxta quem lateraliter ante maximum altare honorificè visitur sepultus quidam Episcopus Cameracensis.*

E magni nominis nobilibus sepulchrum hìc impetrauit Rogerius de Mortaigne. Equestri fulgentem dignitate mors abstulit anno 1276. Adscriptum est ei hoc Epitaphium: ROGERIVS DE MORTAIGNE.

Morte nimis celeri defecit vita Rogeri.
Traditur hic cineri, Christe velis misereri.
B *Militiæ speculum fuit excellente vigore,*
Mortaniæ titulum fama decorans & honore.
Qui regis astra poli, cui debita latria soli,
Tartareæ moli defunctum tradere noli.
† forsan quantum. *Illius cineres monstrant, † quàm fluidæ res.*
Mundo sola feres, quæ pietate feres.

Et hìc quoque sepulturam adepta est Margareta Briennij Comitis filia, è Cypri regibus oriunda, & quondam Theodorici Beueræ Domini coniunx. Hæc sepulchrali eius marmori insculpta sunt carmina: MARGARETA DE BRIENNE.

Hìc Margareta clemens, discreta, quieta.
Beurensis Domina, de Cypri regibus orta.
C *Optima, Catholica, bona relligionis amica,*
Mutans carnalem, mutans in spiritualem,
Se docuit talem, cùm se dedit in Monialem
Anno milleno bis centum septuageno
Quinto, sic numerum complens moriendo dierum
Christus solamen sit ei, pia Virgo leuamen.

Quibus verò antistitis vel magno genere, vel præclara virtute, factísque fulgentibus floruerit hoc monasterium, nunc à nobis obiter dispiciendum est. Ordiar à Maria Dampetræa Margaretæ Flandriarum & Hannoniæ Principis filia, cuius occasione tam nobilem mater Parthenonem condidit. Etenim licet ea in tabulis minimè ceteris Abbatissis adscribatur; Abbatissæ tamen & titulum & officium obtinuit: verùm alia, quàm ceteræ, ratione; vt scilicet quamdiu in viuis ageret, summum ipsa imperium haberet, ac sub ea interim aliæ atque aliæ moniales regerent, quibus etiam potestas esset Abbatialis, ac solæ locum in Catalogo, & obituario, vt vocant, haberent. Sanè tumulus eius è marmore in chori medio superbè assurgens eam ita sculptam repræsentat, vt quamuis pedum in manu non teneat; tamen adscriptum sarcophago epitaphium Abbatissam nuncupet. In hunc modum ipsa sepulchri inscriptio loquitur: ABBATISSÆ FLINENSES. MARIA DAMPETRÆA. D

Heu! de Dampetra iacet hìc veneranda Maria.
Quàm fuit egregia, nescimus condere metra.
Princeps Flandrensis huic mater & Hannoniensis.
Æui sub flore Domini flagrans in amore,
Mirando more floruit bonitatis honore.
Hæc Abbatissa nituit bona, mitis, honesta:

Digna fuit laude, simplex, humilis, sine fraude. A
Huic Deus applaude, nec ei tua gaudia claude.
Anno milleno, tercenteno quoque bino,
Migrauit festo Thomæ Didymi sub honesto.

Inter eas, quas Syllabus Flinensis Antistitas continet, primum occupat locum Ogiua. Haud minus claram virtutibus, quàm genere parentum fuisse comperio. Clareuallensis Antistes ad eam euexit dignitatem, ipsáque fundatrix monasterij Margareta suo electam calculo probauit. Neque horum Ogiua spem fefellit, quæ suis virginibus non magis imperio, quàm exemplo ad comparandas virtutes stimulos fixit.

OGIVA.

Hanc excepit Oda de Maigni & natalium splendore, & virtutibus illustris. Prima religionis rudimenta Marquettæ posuerat, vbi paullùm bonis moribus, & annis adoleuit, iam tum quædam specimina sese prodebant opportuni ad regendum animi. Ergò primis secundum antistitam muneribus admota non modò socias, verùm etiam honoris B. Mariæ Virgines multa perculit admiratione virtutum. Itaque vitam apud has cum morte vix mutauerat Ogiua, cùm animos earum ad electionem nouæ matris incumbentium perstrinxit clarissimus Odæ splendor, & ad eam illicò vota verterunt. Postquàm impetrauere, séque totas ei subdidere, iucunda sanè fuerunt eius imperia. Nullóque ipsa monialibus maiorem dolorem, quàm improuiso post deductam ex suburbano vrbis Orchiesis loco Flinas familiam, discessu attulit. Quærebat scilicet antistitam cœtus Marquettensis Mariæ Rayssiæ tristis abdicatione: & cùm tangeret eum dulcis Odæ recordatio, eius imperia poscebat. Igitur votis in eam omnes ferebantur moniales, solo pulsante metu Principis Margaretæ, quam opinabantur petitioni obrogaturam. Fauit nihilominus desideriis Margareta, quamquam magno Flaniensium virginum amore teneretur; eique fecit optionem hinc eò transmigrandi vel Flinis remanendi. Igitur Oda Marquettam reuersa est, quò primus eam religionis ardor impulerat.

ODA DE MAIGNÍ 2. B

Odæ successit Aleydis la Brune etiam claro genere progenita, & virtutum laudibus insignis. Etsi paruo tempore gubernaculum molita est, non tamen parum ea virginibus suo profuit exemplo, & variis cœnobij conditis officinis. C

ALEYDIS LA BRVNE 3.

Adhibita postmodum curis monasterij Humana, vel Imania, vel Imenia: tot enim nominibus affici video. Quàm claro fuerit loco nata, ex eius fratre Conrado colligitur, qui fuit Vbiorum Coloniæ antistes. Paucis quibus gubernauit annis, non parum res Flinis promouit. Cœptum ab ea est construi templum; & per ipsam ac Margaretam Flandriæ Principem multa virginum iuxta Coloniam à Barbaris interfectarum corpora exornando Flinensi monasterio à Conrado pontifice impetrata sunt. Ad eam enim id referendum, quod vitiosè scriptum fuit ab Iacobo Meiero Margaretæ Comitis gesta memorante his verbis: *Diuisas multis Flandriæ locis reliquias* XI. M. *Virginum ab Hymana antistita cœnobij Salesinensis iuxta Namurcum, eadem sorore Conradi Archiepiscopi Coloniensis acceptas.* Quippe Thomas le Roy S. Martini apud Neruios religiosus iis in Commentariis, quos Gallicè scripsit, cùm de duobus earum virginum corporibus suo donatis monasterio, dum Radulphus Abbas id regeret, aliquid memoriæ commendat, cum iis lipsanis insertum thecæ schedion asserit hunc in modum manu exaratum: *L'an de l'Incarnation* 1261. *indiction cinquiesme, seant le Pape Alexandre, regnant en France Louys le Debonnaire, estant Euesque de Tournay Walter de Croix, Venerable S. Conrad Archeuesque de Colongne aux prieres & instances de Dame Humaine sa sœur pour lors Abbesse du monastere de Felines emprés Douay de l'Ordre de Cisteau, & de Dame Marguerite Comtesse de Flandres & de Haynau, fondatrice dudict monastere de Felines, eslargist, & ennoyast à ladicte Abbaye plusieurs corps des Vnze mille Vierges, desquels ladicte Abbesse Humaine & Comtesse Marguerite en retindrent quelques vns, & donnerent les autres aux eglises voisines à la requeste des Prelats, & recteurs desdictes Eglises.*

HVMANA 4.

Lib. 9. Annal.

D

Post Imaniam sacrum gessit Flinis magistratum Ioanna Waurinia, cuius loco

IOANNA DE VVAVRIN 5.

Ioannes

A Ioannes Baptista Gramayus Ioannam de Tornaco nobis obtrudit: & vetus quidam catalogus Antistitas Flinensis Asceterij complexus, Ioannam de Voirum proponit. In maxima Flinensi aula de Voirin legitur. Cur Wauriniam hic scripserim, ex Marquettensis cœnobij monumentis rationem profero. Hæc enim omnino asserunt Ioannam Wauriniam summo apud Gallo-flandros loco natam, primùm Marquettæ habitum religionis induisse: ac deinde cùm vehementer in studio virtutum profecisset, à Flinensibus Virginibus in matrem postulatam: has cùm rexisset aliquamdiu, ad Marquettensem Parthenonem gubernandi gratia reuocatam, vt nos iam in Marquettensibus Abbatissis exposuimus. Id etiam nostram adiuuat opinionem, quòd in aula Flinensi appicta sint Ioannæ domus Waurinienss insignia. Ceterùm hæc Flinensi templo ingenti & magnifico sanè operi fastigium imposuit, priusquàm Marquettam repeteret.

Ad Ioannam de Auesnis translatum posteà fuit huius domus imperium. Subit animum opinio, eandem prorsus hanc fuisse cum Ioanna Hannonia, quæ Flinensi B præfuit monasterio; cuiúsque tumulo ingens è marmore tabula incumbit, quæ simul eam cum Insignibus Hannoniæ repræsentat, & hanc epigraphen præfert: *Cy gist Dame Iehanne de Haynaut iadis, Abbesse de ceans.* Nam in Syllabo Abbatissarum nullam Ioannæ Hannoniæ mentionem inuenio. Deinde quo tempore Ioanna hæc præfuit, Comitis Hannonis, è cuius erat genere, cognomen Auesnas non Hannoniam ingerebat, quod iam inde à Burchardo de Auesnis priore Margaretæ Flandriarum Principis coniuge in posteros fluxit Hannonia potientes. Ad sarta tecta cœnobij operam diligentem contulit, & Capitularem struxit locum, vbi sepulturam anno 1304. adepta est. IOANNA D'AVESNES 6.

AN. 1309. Post hanc aliæ atque aliæ hoc ordine omnia Flinis administrarunt Margareta de Chasteau Vilain, quæ laudabiliter annos quinque gubernauit. MARGARETA DE CHASTEAV VILAIN 7.

AN. 1314. Gertrudis de la Thieuloye nobili exorta genere, cuius laboribus & curis ingens cœnatio, & membrum dormiterium à fundamentis surrexere. GERTRVDIS DE LA THIEVLOYE 8.

C AN. 1356. Ægidia de Lalain illustri sanguine progenita, cuius memoriam renouat insigni opere structum perfectúmque claustrale peristylium. ÆGIDIA DE LALAIN 9.

AN. 1357. Isabella d'Enghien clarissimi sanguinis virgo, & virtutis admirandæ, vt quam modestia & solitudinis desiderium sponte magistratu exuerint. ISABELLA D'ENGHIEN 10.

AN. 1361. Petronilla de Soissons, vel, vt scriptum in aula Flinensi est, de Blangy, & Catharina de Cortraco valde nobilibus ortæ familiis, quarum regimen maternum in obitu lachrymas, & gemitus virginum exciuit. PETRONILLA DE SOISSONS 11. CATHARINA DE COVRTRAY 12.

AN. 1363. Ægidia de Lalain alteri cognomini familiâ, & virtute gemina. ÆGIDIA DE LALAIN 13.

AN. 1387. Maria d'Oysi parentibus orta nobilissimis, & multa vi prudentiæ ac religionis prædita. MARIA D'OYSI 14.

AN. 1391. Maria de Marcquette, cuius industriâ pleraque noua vetustis adiecta sunt ædificia. MARIA DE MARQVETTE 15.

AN. 1418. Ioanna de Lalain, quæ vix mensibus senis præfuit. IOAN. DE LALAIN 16.

AN. 1419. Margareta de Raysse, cuius imperium propter mansuetudinem, aliásque virtutes, D æquè Deo ac virginibus charum exstitit. ex ea prodierat familia, quæ vico Rayssiæ potiebatur, ab eóque cognomen trahebat. MARGARETA DE RAYSSE 17.

AN. 1436. Catharina de S. Genois prudentissimæ matrisfamilias laudem adepta. Cùm Parthenonis redditus auxisset antiquæ tenax disciplinæ, quietis ergô sponte magistratum posuit. CATHAR. DE S. GENOIS 18.

Maria du Iardin, cuius regimen laude dignum annos decem absumpsit. Spontanea eius abdicatio prædicatur. MARIA DV IARDIN 19.

Maria de Waye, cuius opus is murus, qui posteriorem Parthenonis aream claudit. MARIA DE WAYE 20.

AN. 1507. Ioanna vel de Roubaix, vt è Roubaisiana domo profecta sit, vel de Boubaix, vt est in aula Flinensi, quam aliqui volunt Cameraci natam. Huius industriâ & operâ insignis morum facta est mutatio, & ad veterem cuncta religionem in monasterio reuocata sunt. Maluit priùs pedum resignare, quàm morte concidere. Hoc ei posuit epitaphium Ioannes Trecensis, quem huius loci moniales à confessionibus habuere: IOANNA DE ROVBAIS 21.

A

Mortua quamuis sim, noris me morte renatam.
Viuere post obitum quis mihi posse negat?
Viuo ego in Elysijs nunquam moritura beatis,
Quæ fueram niuei fida magistra gregis.
Seruaui teneras pecudes ex ore luporum,
Iustitiæ & veri cum pietate tenax.
Sic meritis viues, vitijs moriere. Quid ergo?
Téne mori fas est? viuere posse putes.

IAQVELINA DE LALAIN 22.

Hanc secuta est Iaquelina de Lalain ex illustri Lalainorum familia in lucem progressa. Opus eius eximium tot ædificia vel quæ insident antistitæ, vel quibus hospites excipiuntur. Plus ea tamen sibi splendoris comparauit insigni animi demissioné, & singulari erga virgines prouidentia. Singulas domûs officinas inuisebat frequenter, ibi laborantes suauibus ad patientiam verbis incitabat, curásque solatio mulcebat. B Quo maiorem orandi cieret ardorem, elegantibus chori latera oratoriis exornauit, in quę moniales sese recipiant, cùm eas cupido quietiùs in preces incumbendi stimulat. Quamuis eam continuè cancri dolores morsúsque carperent, læto tamen vultu & patienti animo semper eos cruciatus perferebat. Præclarum illud effatū eius, quod iam referam. Morbo laborabat earum quædam Sororum, quas Côuersas vulgò nuncupant. vt malo eius mederetur, is aduocatus est medicus, quem stipendia Parthenoni obnoxium faciebant. Seriùs hic venit, quàm res postulabat: ac tarditatis causam rogatus, respondit, parui ducendum esse, quòd tardiùs pedem in monasterium intulisset, eam enim tantummodò sororculam esse, quam morbus vexabat. Ad hæc commotior Iaquelina, Enimuerò perspectum habeas, æquè mihi curæ & amori esse alicuius Conuersæ ac Dominæ sanitatem: ádeóque imposterū huius tibi domûs aditum interdico. Et sanè difficulter posteà is medicus tam insignis antistitæ gratiam denuò sibi conciliauit. Guilelmus Bugnotte Parthenonis Pater hoc ei condidit epitaphium: C

Præfuit hîc quondam toto venerabilis æuo,
Quæ celebranda venit tempus in omne sequens.
Inclyta progenies Comitum, sata sanguine magno
Heroum, egregia nobilitate micat.
Ast animi virtute fuit præstantior, atque
Ingenio pollens, relligione grauis,
Corporis incessus mores referebat honestos,
Composita indicio verbáque mentis erant.
Pallida mors medio tulit. Est caro vermibus esca;
Hîcque iacent putris corporis exuuiæ.
Libera mens patriam repetit, cælóque beatur,
Sedibus & gaudet spiritus æthereis. D
Est anima Angelicis sociata choris, fidibúsque,
Creditur altisonis promere dulce melos:
Membra petat donec cunctos reparanda per artus.
Duplicibus fiet sic decorata togis.

PHILIPPA DE TORCQ 23.

Philippa de Torcq (aliàs Harpin dixere) cùm esset nobili genere nata, insigníque animo prædita, non absimili affectu in virginum curam ferebatur. Apud Deum valuit vehementer eius religio. Cùm enim absumptis lue quindecim monialibus, cetero gregi admodum timeret; cereolum bonis verbis expiatum per milliaris spatium Parthenoni obduci curauit, ac circum ædem solemniter ceteras virgines procedere: actutum vis omnis exstincta pestilitatis est.

GABRIELA D'ESNE 24.

Hanc excepit Gabriela d'Esne Betencuriæ domini filia, & Michaëlis d'Esne Tor-

A nacensis Episcopi soror. Ingentis eam animi fuisse, tot extremis Belgij motibus toleratæ calamitates asserunt; ac præclara floruisse religione, inducta ex Tridentini Concilij placitis reformatio, & obseruata semper sanctissimè domi disciplina docuit.

Hoc tempore pedum hic obtinet Catharina de Coupigny parentibus genere ac virtute nobilibus nata. CATHARINA DE COVPIGNY 25.

Nunc inter clades, quibus hîc Partheno fuit affectus, ea sanè fuit grauissima, quam à Francis pertulit, dum ij anno partæ salutis 1297. cum Philippo rege ad Insulensem obsidionem venere. Quàm enim fœdè hunc in locum ipsi fuerint grassati, hunc in modum declarat vetus Tornacense Chronicon: *Et Villæ campestres Vndique destructæ, & monasteria depopulata, maximè de Flines: moniales aliquæ Violatæ, & cum confusione ductæ in acie. Vnde Rex & Barones Valdè conturbati, & de Violatoribus capta Vindicta.* CLADES FLINENSIS MONASTERII.

B

Finis huius libri primi.

C



D

GALLO-

A

GALLO-FLANDRIAE LIBER SECVNDVS.

Qui populi, quiúe Principes Gallo-flandriam olim tenuerint, & qui nunc obtineant.

CAPVT I.

B



VOD de ceteris Galliarum partibus, & regionibus quæri assolet, hoc etiam de tractu in quæstionem vocari potest, qui omnium primi mortales insederint. Sed quoniam plerosque scriptorum in varias distrahi opiniones conspicio; eámque opportuniore loco materiam alibi discutiendam arbitror: satis mihi visum fuit, ab iis ordiri, quorum certior cognitio ex Romanis auctoribus hauritur; dein ea subiicere, quibus subinde tradendis memoriæ nostrates præsertim scriptores operam dedere. Itaque quos primùm libri Romanorum huius ditionis incolas nobis proponunt, ij Galli fuerunt. His deinde vel cæsis, vel pulsis regionem obtinuere Germani. Vltra Rhenum hi priùs agitabant. Verùm quia multitudinem indigenarum patrij fines minimè capiebant, huc venere sedes ferro quæsitum. Neruiis nomen erat: idque tractum inde Germanico idiomate Goropius arbitratur, quòd parandis rebus ad vitam necessariis sapientes viderentur. Vult enim eos quasi *Nerwijs* nuncupatos, ex *Ner*, quod *acquisitionem necessariorum* significat, & *Wys*, quod est *sapiens*, composita voce. Contra Scriekus ex *Nerwen*, quod significat *Inferiores*, fluxisse arbitratur; quòd horum quidam ad Scaldis inferiora considerent. De huius populi origine hæc breuiter Cornelius Tacitus: *Treuiri ac Neruij circa affectationem Germanicæ originis etiam vltrò ambitiosi sunt: tanquam per hanc gloriam sanguinis, à similitudine & inertia Gallorum separentur.* Et Strabo: Τρηβίροις δὲ συνεχεῖς Νέρβιοι, καὶ τοῦτο Γερμανικὸν ἔθνος. i. *Treuiris verò contigui sunt Neruij, & hi quoque natio Germanica.* Vt verò ingenium agnoscas, & virtutem horum hominum: agros ij gnauiter colebant: arua sepimentis ita muniebant, vt depactæ arbores tenellæ, & more cancellorum deflexæ, dein rubi & sentes interiecti, tum crebris in latitudinem crescentibus ramis, imperuia redderent, tum foliorum densitate inspectum prohiberent: nihil ipsis bello carius erat; nihil fœdius corporum voluptate: exoticas merces, vinúmque proscripserant, ne quando virtutem deliciæ pessumdarent: sibi asperi, fideles amicis, metuendi hostibus erant. Apud Iulium Cæsarem de ipsis hæc reperio: *Nullum aditum esse ad eos mercatoribus: nihil pati vini, reliquarúmque rerum ad luxuriam pertinentium inferri: quòd his rebus relanguescere animos eorúmque remitti virtutem existimarent: esse homines feros, magnaque virtutis.* Per eorum fines frustrà Cimbri quondam in Galliam Celticam euadere tentauerunt, quando alibi maius armis imperium quærere moliebantur: nullósque ferociores, & vinci pertinaciores expertus est Iulius Cæsar, dum Romana in Belgicam signa intulit. Igitur Neruij cùm magnum terræ tractum inter Atuaticos, Eburones, Treuiros, Atrebates, Morinos, & Oceanum occupassent: extremi ferè fines eorum versus mare fuerunt, quos agros continet Gallo-flandria. Hos inter ac Oceanum partim visebantur

C

D

HIC PRIMVM GALLI HABITARVNT.

DEINDE NERVII.

Tacit. in Ger.

Lib. 1. orig. Antuerp.

In Indic. Geograph.

Lib. de Mor. German.

NERVIORVM MORES.

Lib. 2. de bell. Gall.

Morini;

A Morini; partim clientes Neruiorum, Centrones, Pleumosij, Gorduni, Grudij, Leuaci. Postquàm autem Iulius Cæsar totam armis Galliam concussit: multa Neruiorum millia primùm ad Sabin fluuium, dein haud procul Tornaco, dum suppetias Q. Ciceroni ferre properaret, modò virtute, modò astu cecidit: nouos hæc regio dominos accepit. Hîc enim, vt alibi per Galliam Belgicam, rerum potiti fuere Romani. Istis imperantibus Rhenum Franci transiere, & per Taxandriam effusi pars in fines Treuirorum, pars in Neruiorum ditionem penetrauere profundiùs, & nacti vtrobique magnam locorum vastitatem & solitudinem, ibi sedes fixere, omni ferè cæso ad internecionem populo. Haud diu tamen his licuit in vtraque ditione consistere. Receptis enim Romani animis eos tandem armis aggressi sunt, iisque locis exuêre. Ergo tamdiu Franci intra quietem armorum sese continuerunt, harúmque regionum infestationibus abstinuere: donec Maximianus Imperator eodem reuertendi potestatem iis fecit, ibidémque domicilia constituendi, vt vacuefactas incolis ditiones obtinerent. Id quod breuiter his verbis Panegyricus eidem Maximiano dictus affir-

ROMANI POSTEA HVNC TRACTVM ARMIS SVBIGERE. IN EVNDEM DEINDE FRANCI ADVENERE. SED MOX AB ROMANIS EXPVLSI SVNT.

B mat: *Tuo Maximiane Auguste nutu, Neruiorum & Treuirorum arua iacentia latus, postliminio restitutus, & receptus in leges Francus excoluit.* Itá multum tempus permixti Neruiorum reliquiis Franci sub Romanorum potestate pacificè transierunt, & in vnum corpus coaluere. Verùm extremis propè Imperij Romani Principibus sub nouos iterum dominos hæc regio concessit. Etenim Belgarum plerique Romanum ab ceruicibus iugum excussere occisis vel depulsis eius nominis magistratibus. Cuius rei mentionem cùm facit Zosimus, his nos verbis instruit: *Gerontius* (Constantini Dux erat in Hispania rebellans) *Barbaros in Gallijs ad defectionem contra Constantinum impellit. Quibus cùm Constantinus non restitisset, quòd maior copiarum ipsius pars esset in Hispania: cuncta pro lubitu inuadentes Transrhenani barbari, eò tum incolas insulæ Britanniæ, tum quasdam nationes Gallicas redegerunt, vt ab Imperio Romano deficerent, arbitratúque suo viuerent. Itaque Britanni, & totus ille tractus Armoricus, ceteræque*

POST ALIQVOT ANNOS SEDES IISDEM HIC DATA.

ROMANI EX HAC REGIONE A BELGIS EXPVLSI.

Lib. 6.

C *Galliarum prouinciæ sumptu armis, & quouis adito pro salute sua discrimine, ciuitates suas à barbaris imminentibus liberarunt, eiectis magistratibus Romanis, & sua quadam rep. pro arbitratu constituta. Ita Britanniæ, Celticarúmque gentium defectio facta, quo tempore Constantinus ille regnum vsurpabat, quum ipsius in imperio secordia moti barbari hasce grassationes instituissent.* Hac igitur accepta occasione Francorum Dux Genebaldus cis Rhenum Francos deduxit, & Belgicæ partem ad eum amnem primùm armis corripuit, ibíque posteà in Societatem connubiorum & soli receptus consedit. Id Procopius his verbis proponit, postquam ostendit Arborichos cis Rhenum in Germania Inferiore sedem habuisse: *Erant autem Arborichi Romanorum tunc milites; quos sibi Germani (Franci) cùm obedientes facere & subditos vellent, vt qui finitimi essent, & pristinos vitæ mores penitùs immutassent: eorum agros assiduò populari, & hos copijs vniuersis inuadere. Arborichi verò cùm & virtutem præse, & erga Romanos beneuolentiam ferrent, viros fortes eo in bello se præstiterunt. Cumque his vim inferre Germani (Franci) non possent, societatem vt secum saltem inirent, & mutua inter se facerent connubia, precabantur. Quas non inuiti conditiones Arborichi mox accepere. Erant námque vtrique*

INCVRSIONEM HVC FRANCI FACIVNT.

Trithemius in compend. lib. 1. Annal.

Lib. 1. de bello Goth.

D *Christianæ fidei sectatores. Sic itaque vnum hi coëundo in populum, ad maximam potentiam euasere. Romanorum intereà milites alij, qui in Galliæ extremis erant, custodiæ gratia constituti, cùm neque Romam redire iam possent, nec ad hostes, vt Arianos, concedere vellent; sese cum signis & locum insuper, quem pro Romanis seruabant, Arborichis Germanisque dedidere.* Hactenus Procopius, cuius Arborichi Ioanni Goropio, & P. Ægidio Bucherio, eos complexi sunt populos, vbi Tungri, Eburones, Taxandri olim sedere, & nunc Brabanti habitant cis Rhenum, in ea Belgij parte, quæ veteribus tum Secunda, tum Inferior Germania dicebatur: cuiusque opinionem de Francis & Arborichis Christiana fide illustratis laudatus iam Bucherius meritò refellit; vel quia ex Gregorio Turonensi aliisque certò constat, ante Chlogionis conuersionem Francos idolorum cultu irretitos fuisse; vel quia maximam partem in gentilitias superstitiones relapsi fuerant Arborichi, seu Belgæ Rhenum accolentes, reliquis ferè Arij peste laborantibus. Portò stabilitis per id fœdus inter Arborichos Francis, Regem iis ali-

In Franc. lib.

In disputat. hist. de Episc. Leod.

quem

A

quem vel anno Christi 419. vt habet Trithemius, vel 421. vt asserit Prosper Pythœi, deligere placuit. Fuit is Pharamundus, qui gentem sibi commissam intra fines concessi ab vicinis Rheno populis imperij continuit. Eo vita defuncto nostras in partes incursionem faciendi Francos inuasit desiderium: ac mox hucusque magnum eius nationis agmen incubuit Rege Chlogione Pharamundi successore arma suscitante. Ab his inuasa tunc Atrebatum ditio: prorsúsque animus erat, hunc tractum armis retinere; nisi mox Maiorianus & Aëtius in epulas & choreas nuptiales solutos aggressi, ad Rhenum vsque repulissent, quemadmodum Sidonius Apollinaris cecinit, cuius hi versus è scripto in Maiorani laudem Panegyrico:

—— post tempore paruo,
Pugnastis pariter Francis, quà Clojo patentes
Atrebatum terras peruaserat hîc coëuntes
Claudebant angusta vias, arcúque subactum
** Vicum Helenam, † fluménque simul sub tramite longo*
Arctus suppositis trabibus transmiserat agger:
Illic te posito pugnabat ponte sub ipso
Maiorianus eques. fors ripæ colle propinquo
Barbaricus resonabat hymen, Scythicísque choreis
Nubebat flauo similis noua nupta marito.
Hos ergo, vt perhibent, strauit. crepitabat ad ictus
*Cassis, & * appositis hastarum verbera *thorax*
Arcebat squamis: donec conuersa fugatus
Hostis terga dedit.

Verum ab Aetio et Maioriano hoc caduntur loco vbi nunc vetus Hesdinium.

B

* Hesdinium vetus nunc vocant. † Cácium, vel Canciam.

*oppositis.

Et longe fugantur.

At postea Chlogio Francorum rex hac ditione potitur.

Verùm ea clades in Chlogione maiores posteà spiritus aluit, cùm ad eius memoriam grauiori semper exarsit sese vindicandi cupidine. Exactis enim aliquot annis cùm insignis rursus aliquid præclarè agendi præberetur occasio, has in partes copias adduxit: statímque ab ipso Cameracenses, Neruij, & Morini subacti sunt, captis eorum vrbibus Cameraco, Tornaco, Taruenna; ac cæsis etiam, qui supererant, Romanis. Huius expeditionis ac felicis successus Chlogionis ita meminit Gregorius Turonensis: *Chlogio autem missis exploratoribus ad Vrbem Cameracum, perlustrata omnia ipse secutus Romanos proterit, ciuitatem apprehendit, in qua paucum tempus residens vsque Suminam fluuium occupauit.* Et Aimoïnus: *Rex autem Clodio angustos regni fines dilatare cupiens, exploratores à Disbargo trans Rhenum dirigit: & ipse cum exercitu subsecutus Cameracum ciuitatem obsidens expugnauit & cepit. Carbonariam Siluam ingressus Tornacum Vrbem obtinuit, & quoscumque Romanorum obuios habuit, neci tradidit.* Baldericus quoque litteris eandem Chlogionis victoriam hunc in modum clariùs & veriùs, vt opinor, consignauit: *Clodio autem missis exploratoribus ad Vrbem Cameracum, in qua Romani habitantes iam Christianæ religionis culturam exhibebant, ipse posteà cum grandi exercitu Rhenum transijt, & Carbonarias ingressus, Tornacensem Vrbem obtinuit: exinde vsque ad Cameracensem Vrbem veniens, pauco temporis spatio resedit, Romanósque, quos ibi inuenit, interfecit. exinde vsque Somnam fluuium occupauit.* Et vulgatum Mariani Chronicon anno 438. annotat Clodium præter *Batauos, Tungros, & Menapios,* etiam *Teruanos, Morinos, Ambiones, Cameracenses, Tornacenses, Atrebatenses* in suam armis potestatem traduxisse. Fatis absumpto Chlogione Meroueus regnum Francicum in Belgio stabiliuit. Exinde rursus ij fines, quos nunc Gallo-flandriam nominamus, vt ceteræ circùm regiones, ab nouo rege, nouísque magistratibus iura cepere. In eos etiam qui incolerent, noui homines transgressi. Et pars horum Buccensis Principatus nomen induit, si vera sunt, quæ narrat Oudegherstius: eíque regio de sanguine vir magnus semper impositus, qui regis beneficio possideret. Talis erat ille Regnacharius, qui Cameraco, Tornaco, indéque Oceanum vsque regioni maximæ imperauit Chlodouæo rege: ac posteà Phinartius, quem Lidericus singulari certa-

C

D

Lib. 2. hist. Franc. c. 9.

Lib. 1. c. 5.

Lib. 1. Chron. Camer.

Francorum sedes hic stabilita.

In Annal. Fland.

Qui Francorum Principum in hoc tractu dominati?

A mine coram Chlothario Francorum moderatore è viuis sustulit, vti nos alibi fusius memoramus. Translatis posteà eiusdem Chlotharij donatione (vt quidam Annales Flandriæ tradunt) in Lidericum Buccensi Principatu, ceterisque Phinartij possessionibus; data insuper ei Flādriæ præfectura, in nouā ista regio faciem mutata est. Multæ syluarum, quibus horrebat (huc nāmque pars Arduennici nemoris latè pertinebat id temporis) ferro succisæ, agri exculti, iacta sementis, vrbes conditæ, vel reparatæ. Insulam Lidericus exstruxit, vt iam docuimus. Duacū instaurauere Adalbaldus, & frater eius Erchenoaldus regio genere Francorum exorti, quemadmodum anteà fuit narratum. Ea verò tempestate alius aliam ditionis huius partem hereditario iure tenuit, vel regis Franciæ beneficio. Ad Lidericum Insula pertinuit. Duacum, Martianas, & pleráque alia Erchenoaldi frater Adalbaldus possidebat. Ruscinonēsium, vel Roussillionensium familia multis imperitabat nobilibus locis intra Tornacum & Lisam, dein, vltra hoc flumen Oceanum vsque. Succedentibus posteà temporibus cùm in alios, atque alios præcipua membra deuoluerentur, tandem in Flandriæ Comitem
B cuncta conuenere, vt sub eo corpus integrum coalesceret. E viuis abeunte S. Mauronto ad reges Franciæ Duacū recidisse Andreas Hoyus memoriæ tradidit. Liderici testamento filium eius Baudrisium huius oppidi dominium adiisse volunt Ludouicus Bresinius, & Cornelius Martinus. Sed hi duo quod asserūt, nulla nititur veritate; cùm diu ante S. Mauronti obitum vitam Lidericus amiserit, neque quidquam in hoc oppidum idem iuris acquisiuerit, quod filio suo Mauronto parentes hereditatis partem reliquere. Hoyi sententiæ nonnulla quoque vidētur refragari, quemadmodum paullò pòst videbitur, si saltem arcem, & redditus veteres spectemus. Inter Carolum Martellum & Gerardum Ruscinonensem (qui Caroli sororem matrimonio sibi iunxerat, Hermingardem filiam alteri Liderico vxorem dederat) grauissima de coniugis hereditate exorta controuersia, Martello tādem cum multis Gallo-flandriæ locis Tornacum obuenit cessione Gerardi. Verùm hæc posteà Flandriæ Comitibus vel
C beneficio, vel dotis nomine accesserunt. Balduinus Ferreus Tornacum & obnoxios circum agros à Carolo Caluo Iudithæ coniugis dotem accepit. Datum beneficio clientelari Duacum Andreas Hoyus affirmat: cui tamen Comiti, à quo rege, non aperit. Villam Orciensem, vel Orchiacum & arcem ac reditus Duacenses ex D. Rictrudis, vt apparet, donatione ad cœnobium Martianēse primùm pertinuisse, ex Monumentis Martianensibus colligi potest. dein Broylensibus Religiosis saltem B. Virginis ædem fuisse donatam à S. Mauronto, aliundè arguitur. De Orcia hæc ibi legimus: *Quamuis profectus nobis nullus sit modò, si inter cetera componamus, quod de Orceiis assertione certissima refertur; tamen nihil obstat si præsentium futurorúmque notitiæ insinuamus non solùm quæ veraciter constant, vel quæ ipsi conspexisse potuimus; verùm etiam quæ ab alijs fideli narratione audiuimus. Sunt adhuc hodie longæui temporis personæ non contemnendæ, quæ narrant, & veraciter profitentur, quòd nondum centenarius annorum numerus euolutus est, quandò beatæ famulæ Dei Rictrudis Ecclesia Marcenensis Orceiarum prædium, sicut & cetera supradicta iure legitimo possidebat, nullo resistente, nullo penitus refragante: sed Abbatissa, quæ tunc locum regere videbatur, potens erat tribuere &*
D *auferre, & ad omnes ecclesiasticos vsus eiusdem prædij cuncta secundum nutum suum redigere, & disponere. Nunc verò amissionis huiusce dispendium dolens ecclesia sustinet.* Verùm hæc ita quispiam possit accipere, vt prædia quædam tantùm vrbana hoc in oppido Martianenses possederint. Etenim ante Iudithæ tempora hæc vrbs à Ludouico Pio Imperatore Castrum Regium est nuncupatum, quod ad regem Franciæ possessio eius pertineret. Auctor tamen miraculorum D. Rictrudis totam videtur Martianensibus vrbem Orchiacensem tribuisse, cum *amissionem Orchiensis villæ* deplorat. De Duaco hæc memoriæ consignauit auctor Anonymus qui S. Rictrudis miracula duobus libris complexus est. *Tertia Duaci in honore S. Virginis Mariæ, quæ nunc S. Amati nominatur. Iuxta illam, turrem quoque munitissimam, & miræ altitudinis construxit, quæ in ius proprium B. Rictrudi post mortem viri sui hereditaria successione obuenit. Vnde quia Flandriarum Comites turrem illam possident, prout sibi inuicem succedunt, huius rei causa Marchianensi ecclesiæ conferre quinque solidos annuatim consueuerunt.* Ita

In Annalib. Gallo-fland.
Iacob. Meier in Annal. Fland. Pet. Diuaeus in antiq. Belg. Chron. Mart. Lib. arg. S. Amati.
Monu. Mart.
In Duaco.
In Annal. Fland. mss. In genealog. com. Fland.
Iacob Marc. l. 1. Fland.
Iac. Marchant. l. 1. Fland.
Gualbert. in Polet. Martian. cap. 8.
Lib. 1. c. 1.

Monachus ille, apud quem hæc etiam eiusdem libri caput octauum & decimum proponit: *Superſedeo narrare &c. amiſſionem Orcienſis villæ, Duacenſis reditus.* His conſentiunt ea quæ tradit chronicon Martianenſe capite vigeſimo, vbi turrem Duacenſem D. Rictrudis domum nuncupat. Quid ſi plus olim etiam Duaci poſſedere Martianenſes? Equidem cognitum habeo, in hac vrbe obnoxias iis quaſdam fuiſſe decimas: quibus poſteà cum aliis quàm Sinenſibus tam Waſierianis in eccleſiam Capitulúmque S. Petri Canonicorum per commutationem tranſlatis eiuſdem Eccleſiæ Præpoſitus inter beneficiarios, vel feudatarios Martianenſis monaſterij homines cooptatus eſt in perpetuum, vt infrà videbimus, cùm res huius cœnobij explicabuntur. De templo beatiſſimæ Virginis Mariæ in veteri Amatenſis eccleſiæ monumento veſtigium aliquod eius à S. Mauronto Broylenſibus donati deprehenditur. Sic enim habet Amatenſis eccleſiæ liber argenteus: *Anno 870. Imminente Danorum perſecutione Fratres Domino, & S. Amato apud Meuriuillam ſeruientes, corpus B. Amati patroni ſui Duacum contra ſæuitiam Danorum munitum deportauerunt, & in ſui iuris eccleſia in honore Dei genitricis Mariæ in fundo S. Mauronti ab anteceſſoribus conſtructa poſuerunt.* Vnde nàmque niſi à S. Mauronti donatione ius aliquod illic habuiſſent Broylenſes, quòs ipſe fundauerat, cùm præſertim ædes ea in fundo eius conſiſteret?

Qui verò in dominium Comitis Flandriæ Duacum & Orcia peruenerint, nondum mihi certò conſtat. Ad Franciæ regem Orchiacum pertinuiſſe, priuſquam is Comes fuerit eo potitus, ex diplomate Ludouici Pij Caroli Magni filij & Imperatoris colligo, vbi quod iam diximus, Orca regium caſtrum vocatur. Iacobo Guiſiano, & alteri cuidam Anonymo priùs Hannoniæ Comites Duacum tenuiſſe; ab his in Flandriæ Comitis manus id oppidum veniſſe perplacet. Et quo nobis hoc adſtruant, lepidiorem fortè, quàm veriorem narratiunculam obtrudunt. Eam Anonymi verbis è veteri codice manu exarato lubet in medium producere: *Balduinus*, inquit, *Hannoniæ Comes Arnulphi defuncti frater, pace cum Flandrenſibus inita, filiam (alij neptem) Roberti Friſij, quam necdum viderat, nec de eius deformitate aliquid audierat, in eo pacis conuentu vxorem ſe ducturum promiſit. Vnde Robertus vir aſtutus, ne Balduinus hinc poſſet reſilire, Duacenſe Caſtrum, quod Hannoniæ Comitis proprium erat, atque de eius Comitatu ab antiquo, ſibi obligari fecit acceptis obſidibus, qui caſtrum illud cuſtodirent. Et ſi Comes Hannoniæ à nuptijs iuratis retrocederet, ipſum caſtrum eidem Roberto pro magna pecuniæ ſumma traderet. Contigit autem Balduinum filiam (vel neptem) Roberti vidiſſe: quam viſam nimia turpitudine laborantem ſpreuit, & deſpexit: & à pacto recedens nuptiali duxit Idam in vxorem Lamberti Comitis Louanienſis ſororem: qua de re Duacum Caſtrum in manibus Roberti Friſonis, & ſuorum ſucceſſorum Comitum Flandriæ deuenit: nec Comitibus Hannoniæ per pecuniæ ſolutionem, vel iuſtitiam retrahi potuit. Anno autem Domini 1159. Balduinus, qui animoſus vocabatur, filius Balduini ædificatoris, de conſenſu patris atque prouinciarum Flandriæ & Hannoniæ, accepit in vxorem Margaretam ſororem Philippi Comitis Flandriæ, filij Theodorici Elſatij, & dedit Balduino cum ſorore ſua quingentas libras Arteſienſes perpetuò capiendas ſupra vinagium Bapalmis, quarum † duæ fuerunt taxatæ in ſatisfactionem villæ Duacenſis. Et ſic poſtmodum ſemper Caſtrum & villa Duacenſis, quæ priùs erat de Comitatu Hannoniæ, fuit, & adhuc eſt de Comitatu Flandriæ.* Vt hanc falſitatis narrationem ſuſpiciam, impellere poſſit in primis Baldericus Nouiomenſis & Tornacenſis Epiſcopus in eo; quod Gerardo pontifici Cameracenſe Chronicon inſcripſit. Is enim ſecundo eius operis libro ſatis indicat, priuſquam Robertus Flandriæ Comitatum arriperet, immò vitam agente ipſius parente Balduino Pio, penes Flandriæ Comitem Duacum fuiſſe. Verùm priuſquam eius verba proferam, id mihi agendum exiſtimo, vt quamuis corpus exuerit Baldericus anno Chriſti duodecimo ſupra milleſimum & centeſimum; tamen vt minimum annos ſexaginta quatuor traduxiſſe patefaciam poſt compoſitos priores duos eius operis libros: adeòque nondum erepto viuis Gerardo Cameracenſi pontifice huius nominis primo, ſcriptioni operam nauaſſe. Non ſum equidem neſcius Ioannem Molanum eam aliquandò mentem induiſſe, vt Balderici Chronicon Gerardo Secundo Cameracenſis Eccleſiæ præſuli conſecratum crederet. Verùm ipſi poſteà firmiùs inſediſſe,

Tom. 3. Annal. Han. c. 30.

DVACVM QVANDÒ FVERIT FLANDRIÆ COMITIBVS SVBIECTVM.

† ducētæ.

A sedisse, ad Gerardum eo nomine primum id opus scriptum fuisse, satis aperiunt, quæ posterioribus annis de Canonicis perscripsit, aut quem secundis curis Indiculum Belgij Sanctorum expoliit. Etenim quoties eo de Chronico aliquid in his promit, ferè semper primum Gerardo numerum asserit. Haud aliter facit Boëtius Epo, cùm aliquot eius Chronici locis suas exornat Quæstiones heroicas. Itémque Aubertus Miræus, dum multas istinc eruit origines cœnobiorum. Verùm vt horum destituar testimonio, satis ipse Baldericus id firmauerit. Eò siquidem intendit initio libri secundi, his dum verbis vtitur: *De gestis Episcoporum prout memoria occurrerit, dicto, & de diuersis eorum actibus, quantum ariditas ingenioli patitur, vsque ad postremitatem domni Gerardi Episcopi, qui nunc est, pertractato, primus liber finem expostulat. Secundus verò ab ipso domno Episcopo incipiat, videtur ordo exigere. Sed eo ad tempus relicto, de monasterijs, quæ infra ditionem Episcopij sunt, facta interim ordinis interruptione, decreuimus differere.* Hæc scilicet post descriptam Erluini Cameracensis Episcopi mortem, déque subrogando ipsi Gerardo, cuius posteà vitam sit litteris traditurus libro tertio, patefactam Cæsaris voluntatem eloquitur. Ex his igitur verbis duo conficio, vnum quidem eum pontificem Gerardum, cuius incitatione Chronicon scripsit Baldericus, huius nominis primum fuisse. cùm anteà nullus ita nuncupatus reperiatur Cameracensis & Atrebatensis Episcopus. Alterum verò, etiam ipso vitam agente, secundum huius operis librum à Balderico conscriptum: quoniam disertè asserit, inter viuos eum agitasse, dum quæ diximus præfatur ad secundi libri molitionem accinctus. Neque si se res aliter habuisset, facilè credi potest, inter alia quæ libro secundo siue templa, siue monasteria memorat, nullam facturum mentionem D. Andreæ sanctique Sepulchri cœnobiorum, dein S. Crucis ecclesiæ: cùm hæc omnia paullò pòst pars in Nouo Castro, pars Cameraci condita fuerint: quæ, si tardiùs ad Gerardum Secundum scripsisset, absque oscitationis & negligentiæ nota omittere non poterat; cùm præsertim frater eius Elboldus S. Crucis templum Cameraci exstruxerit, itemque frater alter Ellebardus eidem ecclesiæ sua concesserit sacerdotia. His igitur eum in modum stabilitis, in eam prorsus opinionem venio, diu ante Roberti Frisonis imperium paruisse Duacum Comitibus Flandris: quoniam satis constat, ereptam Gerardo vitam, dum quadragesimus nonus & millesimus salutis annus verteretur, quo tempore vehementer florebat Flandria Balduini Insulensis moderatione. Et verò maximè mouet alius Balderici locus, quem antè promissum de secundo Chronici libro hîc profero. *Præterea*, inquit, *etiam apud Castellum Duacum monasterium est Canonicorum, vbi corpora Sanctorum iacent Morantij atque videlicet Amati. Sciendum est autem, quòd ante constitutionem huius castelli, vsus telonei, quod nunc pro immurentis Flandrensium Comitis potentia, in ipso castello mutato pristino ritu sumitur, apud Lambras villam S. Mariæ Dei genitricis soluebatur.* Equidem nisi me fallit opinio, his Baldericus verbis asserit, ea tempestate ab Lambris portorij partem Duacum fuisse traductam, quoniam id oppidum potentissimus Flandriæ Comes occupabat circumductis ad defensionem muris & mœnibus: vnde propter impendia quasi iure visus sit eò portorij partem Lambris auertere. Sanè cùm Insulæ Balduinus Frisonis pater diploma conscriberet, quo diui Petri ecclesiæ quamplurimas possessiones transmittebat, Walterus Duacensis oppidi Castellanus inter alios ei subscripsit. quod quidem sicut opinor, nunquam fecisset, si non eius, sed Comitis Hannoniæ paruisset imperio. Deinde is Martianensis Monachus, qui de rebus sui monasterij, & D. Rictrudis miraculis perscripsit tempore Balduini Frisij nepotis, innuere videtur, non adeò nuper Flandriæ Comites id oppidum obtinuisse, cùm de turri seu arce inquit: *Vnde quia Flandriarum Comites turrem illam possident, prout sibi inuicem succedunt, huius rei causa Marchianensi ecclesiæ conferre quinque solidos annuatim consueuerunt.* Verùm si longiùs historicas narrationes arcessamus, etiam diu ante Balduini Pij tempora Duacum tenuisse Flandriæ Comites reperiemus. De Iacobi Meieri libris duos insignes eò locos producere statui, quibus refragari sit nefas, cùm diligenter hic omnia veterum monumenta excusserit. Igitur dum laudat Arnulphum Flandriæ Comitem cognomento Vetulum, qui cessit è viuis grandi natu ad sexagesimum quartum supra nongen-

Lib. 1. c. 17.
Lib. 1. c. 17. & 33.
B
C
Cap. 11.
D

Lib. 2. Annal. tesimum Christi annum, ita loquitur: *Grauis illi fuit cum Francis de Flandriarum finibus contentio, qui nihil æquè studebant, ac Flandris, quatenus valebant, præcidere alas, eorúmque fines reddere arctiores. Atrebatum, Duacum, Hanas ablata ab illis recuperauit.* Ecce quanto tempore ante Frisonem Robertum Comiti Flandro Duacum subditur. Paullò (Ibid.) post eius de nepote Arnulpho Iuniore Balduini Tertij filio narraturus hæc subiicit: *Eo mortuo* (Arnulpho scilicet vetulo) *facilè Francorum armis ob immaturam nouelli Principis ætatem in Flandriam patuit irruptio. Lotharius rex statim Atrebatum, Duacum, Hanas cum alijs plerisque locis inuasit.* Et ab Lothario circumuentum copiis, captumque tandem Duacum de Flandris etiam asserit Oudegherstius. (Cap. 10. Annal. Fland.) Quid quòd etiam nonnullis placeat gliscentibus inter Hugonem Andegauensem & Heribertum Veromanduum discordiis Duacum nunc ereptum, nunc redditum fuisse Arnulpho, vel Arnoldo Flandriæ Comiti, priusquam secundus & quadragesimus post nongentesimum annus iniuerit? quemadmodum anteà in Duacensis vrbis cladibus ostensum est. (Lib. 1. c. 45.) Et verò, vt superiora quoque tempora reuoluamus, non obscurè colligi possit etiam viuo Carolo Caluo Francorum rege ad Flandriæ Comitem Duacum spectasse. Cùm enim is Carolus agitari cuperet Episcoporum & Principum sententiis, num S. Amati corpus Fratrésque Broylenses post euitatam Normannorum tempestatem Duaci, quò confugerant, retinerentur, in eo nobilis oppido conuentus est habitus, cui cum rege Comes Flandriæ, non Hannoniæ, suffragij ferendi gratia interfuit, (Lib. 1. c. 18.) quemadmodum antè fuit narratum. Haud iuerim tamen inficias, grauem posteà inter Hannonios, & Flandros Comites quæstionem de Duaco subortam, eámque frequenter discussam fuisse. De hac enim non semel Iacobus Meierus quoque mentionem ingerit. In Conuentu Leodiensi (vbi Cæsar Henricus eius nominis Quartus præsidebat) quid actum sit dum paucis aperit, hæc inter alia memorat: (Lib. 4.) *Composita item quædam controuersia inter Robertum & Balduinum Montensem de Duaco, Robertúsque Duacum retinuit.* Et quinto pòst anno cùm ea quæstio recrudesceret, *Duacum*, inquit, *Augusti permissu Flandrus retinuit.* Ac ne postmodum aliqua rursus controuersia (Lib. 6.) vtrumque Comitem in arma propelleret, Duacum cedente Hannonio Flandrici omnino iuris factum est, vt idem asserit.

Verùm huius controuersiæ originem non aliam ex Meiero colligere possum, quàm Balduini Hannoniæ Comitis dolorem, quo vehementer incensus admodum querebatur, ereptam fratri sibíque Flandriam ab Roberto Frisone patruo: ideóque non modò Duacum, sed totam vtique Flandriam de Roberto Frisonis filio per Cæsarem repetebat. (Cap. 55.) Nolim tamen istic conquiescere, cùm liceat ex Oudegherstio rei totius & seriem, & veritatem adipisci. Is enim cùm de conciliatis Roberto Frisio & Balduino Hannoniensi opera Theoduini Leodiensium Episcopi (cuius nuper potestati Richildis Balduini mater artibus fœmineis Hannoniam subiecerat impetrando faciliùs aduersus Robertum auxilio) in Annalibus Flandricis edisserit, quasdam pacis eius leges commemorat, quas è Gallico idiomate, quo scripsit, latinè traductas hîc propono: *Inter alia,* inquit, *decretum fuit, vti Robertus Frisius sibi posterísque omnibus Flandriæ Comitatum obtineret: ex eo solum Balduinus, eiúsque posteri Duacum & obnoxios eius nomini agros, censúsque caperent. Richildi & Balduino certam pecuniæ summam statutis temporibus idem Frisius penderet. Igitur Balduinus suo & heredum nomine omni mox sese adeundi Flandriam iure exuit. Sancitum insuper fuit, vti Balduinus neptem Frisonis matrimonio sibi iungeret: eam si ducere nollet, in violati fœderis pœnas Duaco mulctaretur, quod vnicum ipsi oppidum ex sperato Flandriæ Comitatu supererat.* Et post pauca, vbi breuiter enarrauit, despectam fuisse Frisij neptem, speratísque nuptiis prohibitam, à Balduino ad Flandriæ Comites Duacum rursus auersum asserit.

Erepto viuis Philippo Elsatio Flandrorum Comite florentissimo, quam duxerat vxorem Lusitanici & regij sanguinis Mathildem aliquamdiu tres vrbes Galloflandricæ dominam habuere. Verùm quoniam dotis eas nomine possidebat, ipsa post septem annorum ac viginti vsum fructum defuncta, suos ad heredes, & (Meier. Marchant. alij.) Flandriæ Comites postliminio redierunt, vt tradunt Annales Flandrici. Ab eo tempore vsque ad regnum Philippi cognomento Pulchri penes hos Principes

A ita fuit imperium Gallo-flandriæ: vt quamuis interdum Insulam & Duacum armis ceperit Francorum rex Philippus Augustus, & aliquamdiu tenuerit; nihil tamen is circa dominium & gubernationem immutauerit. Tunc enim Flandriam pinguissimum Europæ Comitatum neque mores, neque iura, neque regimen, neque possessio diuidebant. Quamuis enim Teutonico idiomate quidam, alij Gallico vterentur: vnius tamen corporis populus erat, eadem vtrisque vel instituta, vel consuetudines, vel comitia, vel dominus. Verùm postquàm Pulcher omnes huius pulcherrimi & nobilissimi tractus locos in suam nunc armis, nunc astu potestatem pertraxit: tum denique malis artibus & dolis Enguerranni Mariginij tantum ea prouincia vulnus accepit, vti pulcherrimum eius membrum principio amputaretur, dein solo ferè vocabulo Flandriæ rursus coalesceret. Ea res hunc in modum accidit, vt veteres nouique produnt auctores. Guido Flandriæ Comes cum Roberto Bethunæo filio, & multa nobilitate Flandrica dolo circumuenti, per summam iniuriam à Pulchro rege in custodia tenebantur. Neque vllus erat modus eos eximendi, nisi

GALLO-FLANDRIA QVANDO A COMITATV FLANDRIÆ DIVVLSA.

Iacob. Meyer. Iac. Marchant. Petr Oudegh. Florent. Vanderhar. alij.

B grandis persolueretur Franco pecunia. Interim ad Insulam hærente Pulchro, vrbémque magno exercitu obsidente, ingens Flandrorum copia derepentè apparuit nocturnum Francis exitium parabunda. Gnarus eorum ferociæ Philippus rex ad pacem animum vertit consilio magis eas vires Flandriæ soluendi, quàm pactis standi conditionibus. Iis ergo legibus pax conciliata, vt è custodia captiui mitterentur; totam Guido Flandriam reciperet; in mulctam regi pecunia solueretur, quam intra quadringenta Turonensium librarum millia octo pecuniarij arbitri constituerent; donec ea summa Pulchro penderetur; Insulam, Duacum, Orchiam, & obnoxios his vrbibus agros pagósque in pignus is acciperet. Verùm priusquam è vinculis abiret, mortuo Compendij Guidone Comite, & dimisso Flandrorum exercitu, omni metu rex solutus scriptis ad Insulam pacis conditionibus stare noluit, & grauiora multò, quàm priùs, onera Flandris imperauit. Retentus cum alijs est captiuis in

C Francia Robertus Guidonis filius & heres: iussa dependi annuatim nummûm Turonensium millia viginti: eadem regi oppida ditióque intereà temporis oppignerarentur, indictum est. His & alijs legibus, quamquam iniquæ viderentur, libertatis & patriæ cupido Robertum parere compulit, haud refragantibus Flandris, quos Principis & nobilitatis recipiendæ desiderium incesserat. Igitur receptis cum Roberto proceribus, vti mox dimidium imperati census annui persolueretur, summa Flandri diligentia laborarunt. Eò sexcenta Turonensium librarum millia Pulchro sunt repræsentata. Donec pro decem alijs millibus annuis pecunia numeraretur, in pignus eidem Gallo-flandriam cessit Robertus, pactis tamen legibus, repræsentatâ ceterâ summâ sibi suísque repetendi. Sed Longeuillæ Comes Enguerrannus Marignius omnium regis consiliorum particeps, eiúsque animum miris & commentis & consilijs quolibet versans, eò Robertum induxit, vti potestati reliqua decem millia redimendi sponte renuntiaret; totum id negotium regis fidei, & munificentiæ committeret: interim ipse dena regi millia ne penderet; ea retineret sibi omnia: sanctéque insuper promisit, apud regem se facturum, vti liberè, nulla in posterum

D imperata pecunia, vrbes eas, & ditionem ipsi restitueret. Verùm neque fidem Marignius exsoluit, neque Gallo-flandriâ cessit Philippus ea Marignij fraude, quasi iure, subnixus. Igitur, quamuis Roberto & Flandris repugnantibus, iis oppidis potitus est Pulcher; ibi per suos iura dixit; qui gubernaret, virum imposuit; omnia prorsus moliri cœpit, quasi nunquam restituendi legibus obnoxius imperium isthîc haberet. Ita tres vrbes, oppida minora quatuor, pagi quam plurimi ab cetero Comitatu Flandriæ fraudulenter abscissa, & per annos propè sexaginta disiuncta, quamdiu reges Franciæ tenuerunt. Vti membrum istud corpori suo restitueret, post alios Flandriæ Principes multis laboribus Comes Ludouicus Maleanus perfecit, cùm ea lege Margaretam filiam suam vnicam, & omnium heredem ditionum Philippo Burgundiæ Duci (qui propter defensum parentem, & virtutem bellicam Audacis cognomentum sibi pepererat) per nuptias coniungeret. Verùm tametsi ob id matrimonium hęc ditio Flandriæ Comitatui rursus annectatur, & cum ea vnum Comitatus

QVOMODO, ET QVANDO EADEM FLANDRIA COMITATVI RVRSVS ADIVNCTA.

tatus & prouinciæ corpus efficiat: eam tamen multa quadantenus distinguunt, quibus obnoxiam Franci fecerant, Ordines nimirum, census, iurisdictio, comitia, Gubernator: quæ omnia seorsim obtinet, vti posteà latiùs explicabitur. Ceterùm hac tempestate totus Gallo-flandriæ tractus Comiti Flandriæ adeò subiectus est, vt non modò supremum in eum obtineat imperium, & ab nullo ipsum principe clientelæ beneficio vendicet sibi, ex quo Carolus Quintus Imperatorum fortissimus, in libertatem ab rege Francorum Francisco Primo asseruit: sed ipsa etiam tripolis, pagi quidam, multa loca iuráque in peculium ei dominicum cesserint: in alia pecuniam ad subsidium vel ordinarium, vel extra ordinem petendi capiendíque iure polleat. Cetera verò siue oppida, siue pagi castráque nullos Principum, Nobilium, Antistitum, ecclesiasticorum, ac ciuium dominos agnoscunt, iisque diuitias ingentes comparant: vt immane sit dicere, quantum tribuat opum hæc regio vel priuatis locorum possessoribus, vel Comiti Flandrorum, siue suam cogat ipse pecuniam, siue Comitiis ordinum concessam accipiat.

Qui viri fide Christiana præstantes hunc terræ tractum, qui modò Gallo-flandria, excoluerint.

CAPVT II.



QVAMVIS falsorum numinum religionem & cultum tardè huius regionis incolæ exuerint, vt maximè diuorum Amandi Eligiíque temporibus seriò in animos Christi legem admiserint: tamen plerósque insignes Christiana religione, moribus, & mirandis facinoribus viros ad eorum mentes veri numinis doctrina percolendas incubuisse clarum est. Eos ego nunc conabor ex vetustatis occulta caligine in lucem producere, quantum vel arguendo verosimilia eruent, vel certa proferent monumenta scriptorum.

AN HIC OLIM S. NAZARIVS? *Vide Iac. Guis. lib. 6. Annal. Hannon. Lessab in Hannon. Ioan Molan. in natal. SS Belgij 26. Iulij. Vide Breuiar. Rom. 26. Iulij. & Pet. de Natal. in vita S. Nazar.*

Credi posset, D. Nazarium in Galliam ab Italia profectum primam iecisse diuini verbi sementem his in partibus. Eum enim comperio Neronis ętate peragrata multo maxima Galliæ parte in Belgicam Secundam descendisse: ac postquàm apud Treuiros Christum prædicasset, etiam apud Neruios vero Deo mortales adiungere conatum: in oppido Gimella frequentem fuisse: ibi quosdam imbuisse Christianis legibus ciues: ibi Celsum puerum (quem posteà Martyrij consortem habuit) ab matre hilariter ipsi oblatum, vti res fidei Christianæ perdoctum sacra tingeret aqua. Et quo faciliùs arbitremur hæc loca Nazarium petiuisse, placet quibusdam Cimellam id oppidum fuisse, quod modò Chimayum dicimus in Hannonia situm haud procul finibus Francorum. Ego nihil ausim asserere, malímque horum fidem, quàm meam periclitari; cùm præsertim iuxta Niciam in Gallia Cimellam vrbem fuisse olim reperiamus.

Vide Molan d. l. AN HIC S. PRISCVS MARTYR CHRISTVM PRÆDICAVERIT?

Illud vero similius posset videri, B. Priscum Martyrem & in vrbe Tornacensi, & in Neruiorum circà regione Christianæ semina doctrinæ iecisse. Scribit enim Cæsar Baronius anno Christi 175. ob Christi fidem eum virum sanctissimum Tornaci martyrio illustratum. Quibus id verbis asseuerat hîc præpono: *Tornaci S. Priscus vrgente persecutione* (Aureliani scilicet) *passus est: cuius abscissum caput cùm Christianus quidam pietatis ergò surripiens aufugisset, apud Antisiodorum captus, ibidem & ipse martyrium subijt, vbi & alij plures eadem martyrij corona decorati sunt.* Verùm id omnino mihi persuadeo, nunquam Baronio in mentem venisse, vt de Tornaco nostro Scaldi fluuio assidente loqueretur: cùm id nimium distet Antisiodoro. Et sanè est, qui putet, vel Tornus, vel Tonnerre (vrbes sunt in Burgundiæ Ducatu) Tornaci nomine significatum hoc loco. Veréne tamen id dici queat, non leuiter ambigo, quandoquidem alij Tornus Tinurtium à Spartiano & Antonino, Tonnerre Tro-

Pless. in assect. Pontif. S. Piat.

noderum

A modernum ab Antonino latinis vocibus efferri arbitrantur. Deinde multum habet affinitatis modicus ille amnis qui non procul Antisiodoro exortus Augustodunum proximè in alium labitur fluuium; & Tornay nuncupatur, cum latina voce Tornaco; vt iusta detur occasio B. Priscum ad eum amnem martyrio decoratum fuisse, opinandi. Ac denique cùm idem Baronius iis, quæ produximus in medium, hæc subiiciat: *Quorum memoria illustratur natali die in antiquis martyrologys 7. Kal. Iunij*, omnino videtur innuere, non de aliis se loqui, quàm de iis, quos tum Ado & Vsuardus, tum ipse his verbis proponunt, in martyrologiis Maij vigesimo sexto die: *In territorio Antisiodorensi Passio S. Prisci cum ingenti multitudine Christi fidelium.* Igitur hac in re nihil ausim statuere, cùm potius è nostratibus historiis videatur contrarium colligi. Nam apud Abbatem Ægidium le Muisis in Chronico sic lego. *Anno trecentesimo venit S. Piatus à Roma prædicando fidem vsque ad ciuitatem Tornacensem, quæ tunc temporis gentilis erat.* Ideóque dictum ab Iacobo Meiero in Annalibus Flandriæ: *Tornacum, vti ego accepi, primum Christi nomen atque euangelium attulerunt viri religiosissimi Piaton, cuius memini, & Chrysolius.* Et à Petro Diuæo in libello de antiquitatibus Belgij: *Neruij imperante Diocletiano primùm Christi fidem agnouere docentibus Piatone, Chrysolio.* Lib. 1. Cap. 5.

B

Non diu post ereptam Prisco martyri fortissimo vitam Christianæ veritatis lumen huc illatum certò constat. In eam enim opinionem prorsus venio ab D. Piatone & S. Chrysolio aditos eam ob causam Neruios, vt sacris mentes eorum Christianæ legis mysteriis imbuerent, cùm salutis annus ducentesimus & octogesimus sextus, aut summum ducentesimus & nonagesimus septimus verteretur, quemadmodum in disquisitionibus ad S. Piatonis vitam fusè doceo. Natus fuerat beneuenti nobilissima Italiæ vrbe S. Piaton parentibus & copiosissimis, & Christianis virtutibus clarissimis, Patre matréque Armeniorum regibus progenitus Archiepiscopum in Armenia egerat Chrysolius. Cùm vterque Romam venisset, quo tempore sæuissimam in Christianos per Italiam & Orientales regiones Diocletianus & Maximianus tyrannidem exercerent, in Galliam cum S. Quintino, & aliis eos misit Romanus Pontifex, vt vitata Principum persecutione, Celtas Belgásque ad Christi fidem pertraherent, vbi needum initiatos Christianis legibus homines tyrannorum sæuitia torquebat. Apud Carnutes, alibíque in Gallia Celtica primum quasi per iter laborauere. Postquam inde huc spe fructus maioris illiciente penetrarunt (illic enim tum Carnutes, tum alij plerique populi sacris erant Christi legibus instructi, ac tantùm ferè in officio retineri debebant; contrà in Belgio, & præsertim hoc in tractu, cuncti gentilium ritibus tenebantur obstricti, & summis animorum tenebris horrebant:) Tornaci Piaton sedem posuit, intra Scaldim & Lisam agros Chrysolius obiuit. Neque parum votis & laboribus vtriusque initio respondit euentus, cùm plerique mortalium ad Christi legem eorum adhortationibus incitati mentes conuerterent. Ad multa millia intra muros Tornacenses tinctorum baptismo numerum creuisse scribitur: & quò cœtus Christianorum ad peragenda vel participanda mysteria conueniret, erectum dicatúmque à S. Piatone qui primus Tornacensium Episcopus habetur, B. Virginis nomine sacellum. Manabat interim quoque labor eius in vicinos circùm locos, ibique multos vero numini homines adiungebat. At Chrysolius Cominium, Vrelenghehemum, aliósque tractus eius, quem modò Gallo-flandriam dicimus, pagos feliciter adibat: ibi non paucos ab erroribus incolas reuocabat, & sanctis tingebat mysterijs exploso falsorum numinum cultu. Tenuit eos tamdiu sacrum id studium animos erudiendi, & diuinis legibus efformandi, donec etiam in Gallias persecutionis turbo incubuit, misso ad Christianos crudeliter torquendos Galliarum præside Rictio Varo. Hoc enim aduersus Belgas primùm Treuiris, dein alibi grauissimis tormentorum generibus sæuiente, interrupta fuere nostrorum diuorum studia. Quippe maleuoli homines vtrumque atrocissimis odijs insectantes è medio tollere aggressi sunt Principum iussu. Sed visus est Deus etiam horum letho exitúque felici plerósque mortales ad se pertrahere. Cùm enim Siclinium caput aut verticem verius, ferro resectum diuus Piaton

S. PIATON ET S. CHRYSOLIVS IN NERVIIS CHRISTI VINEAM IMPRIMIS EXCOLVERVNT.

Vita & martyrium S. Piatonis MSS.

Martyr. S. Chrysoly. MS.

C

D

manibus deferret, multique ad id miraculum obstupescerent; deinde, dum eius corpus à Christianis linteo inuoluitur, & ad sepulturam componitur, tanta suauissimi odoris fragrantia erumperet diuinitus, vt ea perfusi mirum in modum exhilarescerent: pellectos vtroque miraculo Belgas ad quinque millia desiderium incessit Christi legem capessendi. Et plerosque subegit Cominij Chrysolius, cùm desectum lictoris ferro verticem illuc portauit, vitámque ad aram concidens posuit. Tunc enim plurimorum vel intuentium, vel audientium animos ita rei nouitas perculit, vt à falsæ religionis erroribus, ad veritatem Christianæ fidei sese auocauerint. A

LABORARVNT HÎC ETIAM DILIGENTER S. EVBERTVS.
Ioan. Mian. Ioan Cousin & alij ex tradit.

His duobos martyribus, & Neruiorum cultoribus socium quidam addunt Eubertum Episcopum, cuius sacrum corpus Insulæ seruatur & colitur, cúmque volunt in laboris & lucrandi animas studij partem venisse. Sitne verò sicca morte sublatus, an pro Christo sanguinem fuderit, incertum est: quamuis Insulenses & Siclinienses Canonici illud malint, in eo, quod ipsi persoluunt, officio. Successisse S. Piatoni in curam pastoralem vel Episcopalem Neruiorum nulla produnt vetustatis monumenta: quamquam procliuè sit asserere. B

B. EVGENIVS
Vita S. Piaton. Iac. Guisian.

Et B. Eugenium vnà cum S. Piatone Tornacum venisse, illic alibique vnà diligenter ad salutem Neruiorum incubuisse, reperio. Verùm de his omnibus quæ breuiter dixi, longè fusiùs in Gallo-flandriæ diuis explicabo, ad quos beneuolum lectorem remitto, vt non priùs de ipsis censeat, quàm pleniùs inde veritatem perceperit.

SVPERIOR.
Acta Con. Sard.
Acta Con. Col.

Exactis deinde aliquot annorum curriculis, Superiorem Neruiorum Episcopum (qui Sardicense Concilium vnà cum alijs pontificibus quamplurimis celebrauit Constantini Magni liberis Imperium agitantibus; posteà Synodum Coloniensem adiit) in huius ditionis cultum venisse mihi persuadeo. Cùm enim Tornaci potiùs degeret, quàm Bauaci, quietis iam rebus facilè fuit ei vicina frequentiùs obire loca ibique sacris mysterijs hominum mentes initiare, ipso præsertim officio stimulante: quoniam eius potestati subiiciebantur. C

S. MARTINVS.

Quibusdam argumento est Phanopinense monasterium, has in partes diuum venisse Martinum propagandæ Christi doctrinæ gratia. Volunt enim ei pago in quo id situm est, inde nomen Phanopino inditum, quòd illic iuxta phanum consecratam superstitionibus pinum euerterit, cùm hæc loca concionabundus, & idolis exitium minitans obiret. Mihi quidem satis lubricum est arbitrari hunc etiam Belgicæ tractum à diuo Martino sacris per viam legibus excultum, quem iuuenis & miles frequentauerat. Nec enim minorem hîc, quàm alibi, famam obtinet. Verùm Phanopinensi pago ab deiecta pinu, & diruto phano vocabulum fluxisse, non æquè concesserim, ob ea quæ superius exposui, nisi velint hoc sentientes concedere, aliud ab eo facinus hîc fecisse Martinum. Quibus afferatur hunc sanctum pontificem his in Neruiorum locis quibusdam indigenis ad Christum pertrahendis operam dedisse, hæc in Chronico Tornacensi & veteri manuscripto reperi: *Erat tunc in introitu eiusdem ciuitatis* (Tornaci) *ad plagam meridianam mons eminentissimus, sylua opertus, arbustis pomiferis diuersi generis consitus, vbi sit segnis animus recreabatur, ac si partem amœnitatis paradisi se occupasse gratularetur. In hoc dicebatur antiquitus B. Martinus corpore consedisse, prædicationis gratiâ Gallias perlustrante, mortuúmque ibi suscitasse, & innumeris infirmis multa sanitatum beneficia præstitisse, per quæ non modicam turbam gentilium ad cultum diuinum conuerterit.* D

Lib. 1. c. 16.

AN NERVIOS NOSTRATES S. VICTRICIVS EXCOLVERIT PRÆDICANDO?
In Notis ad Fortunatum.

De S. Victricio Rothomagensi pontifice quid sentiam, ísne scilicet hanc regionem, & alia pleraque loca Neruiorum gnauus excoluerit, erit mihi eloqui difficile. Nolanus antistes Paulinus in ea, quam scripsit ad ipsum, epistola satis apertè profitetur, in Neruios verbi diuini semen iecisse, cùm his eum verbis alloquitur: *Tamen in remotissimo Neruici littoris tractu, quem tenui ante hac spiritu fides veritatis afflauerat, te potissimum in vas electionis excerpsit.* Verùm Christophorus Brouuerus è nostra Societate sacerdos magnam iniicit nobis ea de re dubitandi rationem, cùm trahit in controuersiam eum Paulini locum, ac in eam it totus sententiam, haud ibi

legendum

A legendum esse, *Littus Neruicum*, sed *Ebruicum*. Induxit eum scilicet dux quidam politiorum litteris humanioribus virorum, vbi de littoris Saxonici limitibus Aremorico, & Neruicano disputat, ac spreto Neruicano, Ebruicanum reponit. Ea res vt intelligatur, paullò altiùs erit repetenda. Ex dispositione Prouinciarum Imperij Romani certò constat in ea Galliæ ora, quæ Magnæ obiacet Britanniæ, vndique tunditur Oceani, latè quondam protensum fuisse littus Saxonicum. Ab Scaldis ostiis vsque ad ora Garumnæ quidam procurrisse autumant: ad Garumnam ab Sequana nonnulli. In duos sectum limites idem littus ex Notitia Prouinciarum Imperij liquidò deprehenditur, quibus Duces duo custodiæ causa præessent, quos Limitaneos vocabant. Eorum limitum, seu tractuum vni Aremotico, vel Armorico, alteri Neruicano inditum nomen, eadem asserit Notitia. Quibus placet inter Sequanam & Garumnam eos limites constringi, de Neruicano Ebruicanum faciunt, quoniam Neruios inde reiiciunt, ac Ebroicorum illic ciuitatem sanè nobilem ex Æthico & Vrbio Sequestro Aremoricis vicinam reperiunt. Nam ab nostris Neruiis Limiti
B Neruicano vocabulum facere, id ipsis absonum videtur, propter nimiam inter Neruios nostros, & Aremoricos intercapedinem locorum. At illi, quorum ea sententia est, Limitem Neruicanum ab Scaldi nostro Sequanam vltra procurrisse, haud patiuntur aliud vocabulum substitui: verùm eo Flandriam, Picardiam, Normanniam, & Britanniæ partem nomine complectuntur, & hunc tractum Armorico extima sui parte contiguum faciunt. Ad Neruicum nomen retinendum multa ipsis momenta suppeditant. Primùm ipsa Romani Imperij Notitia id vocabulum exhibet, quíque ex ea proferunt viri docti Onufrius, & Lazius, cùm de ducibus Limitaneis agunt, in nullam trahunt controuersiam. Deinde quod fatetur Brouuerus, Acta S. Quintini, Crispiniani & Macræ Rictiouarum Neruico littori præficiunt. Ipse tandem Paulinus id nomen apertè ingerit, quem satis constat, vt aliarum rerum, ita Romanorum, & Imperij diuisionis scientissimum fuisse. Adeò verò procurrisse Limitem Neruicanum, eorũdem Martyrum Acta vehementer arguunt; quoniam Ri-
C ctiouarus, aut Rictius Varus ei Præfectus modò Ambiani, modò Augustæ Viromanduorum (nunc S. Quintini vocant vrbem) modò Suessione ius & carnificinam exercuit. Vt igitur quod sentio tandem aperiam, non ausim temerè vel *Neruici* nomen in *Ebruici* mutare; vel Limitem Neruicanum in eas angustias compingere. Vnde tamen potissimum is tractus Neruici, vel Neruicani vocabulum induerit, etiam suspensus hæreo. In eam Abrahamum Ortelium opinionem descendere video, vt Neruij ad Sequanam siti nomen ei fecerint; quòd eos ibi Græca Ptolemæi exemplaria constituant, pro quibus Latina *Subanectos* exhibent. Contrà Petrus Diuæus in eam procliuior sententiam videtur, vt ab nostris hæc appellatio Neruiis profluxerit. Fuit scilicet apud Romanos celeberrimum huius populi nomen, eiusque fines Oceanum propiùs aspexere: & quos præsertim clientes plurimos habebat, secundum Oceani littora porrigebantur. Ego quamquam nihil velim certum arbitrari, magis tamen illuc propendeo, vt Neruij nostrates ei Limiti nomen indiderint, & hîc S. Victricius in excolendos Neruiorum animos incubuerit. Quod enim
D S. Paulinus ait, *In remotissimo littoris Neruici tractu*, proculdubio id veriùs de nostro littore tractúque, quàm de vicino Sequanæ, accipiemus: quandoquidem longiùs ab Nolana ciuitate, vbi Antistitem Paulinus agebat, nostra hæc distat regio. Neque multum me mouet illud, quod idem asserit paullò pòst, Rothomagum eius facinoribus magnis inclaruisse; ideóque famam eius positos procul locos penetrare. Nam non eò hæc dicit, vt ostendat, quoniam tractum Neruicanum excoluit, magnam inde Rothomago gloriam & nomen venisse: verùm vbi Neruios longè dissitos Christi legibus informauit, Rothomagensem populum, qui præerat, adeò gnauiter excoluisse, vt præ ceteris facinoribus eo & sibi, & ciuibus suis insignem vtique famam comparauerit. Et verò vt aliud nihil haberemus ad nostræ stabilimen sententiæ, quàm quod idem pontifex Molanus de Morinis à B. Victricio ad Deum adductis memorat; equidem satis ad refellendam aliorum opinionem nobis suppeteret. Etenim si detur annuntiatum ab hoc præclaro Confessore Morinis Christum:

nihil

In epist. Scal.

In Thes. Geog.

In lib. de Antiq. Belg.

nihil omnino est, cur non etiam concedatur, ab eodem imbutos Christi legibus fuisse Neruios Belgarum. Vti námque certum est non parum ab Morinis dissitam regionem insedisse vel Neruios illos Rothomago proximos, vel Ebruicanos: ità prorsus perspectum est Morinorum finibus contiguos fuisse quos in Belgica nostra Neruios agnoscimus. Quippe ab his solo flumine Lisa illius populi extremos limites disiunctos fuisse comperio. Neque parum huic fauent sententiæ Morinensis fines diœceseos, qui priusquam noui Episcopatus in Belgio crearentur, secundum Lisam Warnestunum vsque porrigebantur, vt iam tum ostendit Ioannes de Collemedio, cùm B. Ioannis Morinorum Episcopi vitam conscriberet vndecimi sæculi principio. Et pondus aliquod huic opinioni adiicit ea scribendi consuetudo tum Anselmi Gemblacensis, tum aliorum quorumdam Germanicæ Historiæ auctorum, qua Comitem Flandriæ, Morinorum Comitem nuncupant propterea, quod Morinorum fines magnam occuparent Flandriæ partem. Igitur cùm traductis ad Christum S. Victricij operâ Morinis, etiam Neruios eius labore mox Christi legibus instructos D. Paulinus memoret: quis veriùs putet illos ab eo intelligendos, qui tam remotè ab Morinis habitabant, quàm nostrates Neruios, ad quos è Morinis, traiecto tantùm flumine facilis erat transitio?

S. ELEVTHERIVS, EPISCOP. TORNAC. MVLTVM HIC LABORAVIT. *S. Eleutherij vita.*

Factus posteà Tornacensium pontifex S. Eleutherius ad culturam animorum vehementer exarsit. Priusquam liberè posset Tornaci mortales Christo adiungere, sedem exul Blandinij multos annos habuit secundo ab vrbe Tornacensi lapide. Vt nusquam aliò pedem extulerit, toto exilij tempore, saltem in eo pago ad multorum salutem excurrere potuit eius industria. Et quoniam eius loci pars nòn minima intra fines Insulensis nominis censetur, etiam tum temporis aliquam huius regionis partem excoluisse dici potest. Verùm posteà quietis iam rebus, labor eius longè plura terrarum spatia corripuit: vt non minùs hìc quàm Tornaci (vbi ciues propè omnes ab idolis ad Christùm conuertit) Apostolum se gesserit, quamuis impari forsitan fructu. En quæ de ipso incertus auctor tradidit in eius Vita ex variis monumentis compilata, & Tornaci in Achiuo Episcopi seruata: *Eodem tempore cùm filiam Tribuni resuscitasset, omnésque Paganos cuiuslibet generis ad fidem conuertisset, & in oppidis & vicinis locis Flandrensium æquanimiter laboraret.* (*Cap. 11.*)

AC POSTERVM S. MEDARDVS EPISCOP. NOVIOMENS. ET TORNAC. *In vit. S. Med. cap. 19.*

Subrogatus in S. Eleutherij locum B. Medardus his in partibus multum laboris & industriæ consumpsit vellendis è multorum animis erroribus: cùm multi adhuc ea tempestate vel idola tuerentur, vel infecissent hęresi mentem. Apud Fortunatum de præclaro eius labore studióque animas hominum per totam Flandriam sana doctrina, & probis moribus instruendi, hoc præstans habetur testimonium: *Sanctus pontifex Medardus ferocem illam Flandrensium gentem suæ Noviomensi ecclesiæ associauit, & per quindecim annorum spatium, licet aliquo itineris interuallo remoti essent, ad diuinum eos cultum informare indesinenter elaborauit.*

DEINDE S. AMANDVS EPISCOP. TRAIECT. ET APOST. FLAND. *Vita S. Amandi per Baudemund. & Philipp.*

Sed beatum Amandum præcipuus ardor impulit mortalium animos istic adiuuandi. Tanta locorum intercapedine ab vltima propè Aquitania multis afferendæ salutis desiderium huc traxit. Multum initio laboris ei fuit, parum fructus & solatij, ad capessenda fidei mysteria omnibus ferè Paganis aures & animos obstruentibus. Neque priùs feliciter ac secundùm mentis cupidinem ei studium & industria successit, quàm Alloynum Bauonem insigni genere virum ab aulico & laxo viuendi modo ad virtutis cultum & pœnitudinem traduxit: dein Tornaci suspenso de furca & strangulato latroni precibus ad Deum fusis vitam reddidit. Ab eo scilicet tempore his facinoribus multorum animi vehementer admodum perculsi fuere, vt ab omnibus ad eum partibus ingentes fierent concursus hominum impietatem & prauos mores exuere cupientium, quò tandem, eo iuuante, diuinis legibus, & artibus bonis erudirentur. Frequens illi fuit cum Liderico Flandriæ Præfecto & Saltuario congressus. Agrum Pabulensem plurimus obibat. ibi Adalbaldum Ducem, eiúsque coniugem Rictrudem modò Martianis, modò Duaci, nunc alibi multis ad virtutis studium incitabat monitis. Præclara exstant eius laborum monumenta, quæ tot insignia struxit, vel erigi curauit intra fines Flandricos monasteria. Ab eo scili-

cet

A cet originem duxere Bauonicum & Blandiniense Gandaui; haud procul inde ad Scaldim Troncinienſe; in cognomine ipſi oppido Elnonenſe; & Scarpum iuxta Martianicum; D. Hermetis Rotornaci, & Broylenſe. Ac tantus ei denique fuit expetentium culturam eius animorum prouentus, vt meritò primos inter Apoſtolos Flandriæ cenſeatur.

S. ELIGIVS NOVIOMENS. ET TORNAC. EPISCOP.
S. Audoen. in eius vita.

Proximus ei floruit tum ætate, tum laborum in his partibus toleratorum magnitudine, diuus Eligius. Is B. Aichario vita perfuncto ad Nouiomenſem & Tornacenſem Epiſcopatum prouectus eſt, cùm S. Amandus apud Flandros piis animorum curis inſiſteret: ſtatímque facilè cognouit ſuam præcipuè Flandris operam eſſe neceſſariam. Quamuis enim S. Amandus multum illic operæ collocaſſet, ac tum etiam impenderet percolendis Chriſti legibus animis: nihilominus tamen plurimos vel pietatis, vel doctrinæ Chriſtianæ odiis ardere ſentiebat, omnémque animi cultum reſpuere. Igitur Nouiomenſibus relictis, huc magno zelo ſuccenſus à vitiis & erroribus aliquos reuocandi, viam arripuit. Primum impendit Tornacenſibus laborem.
B Aditum mox Siclinium, & Cominium; obita deinde alia Gallo-flandriæ loca ipſi parentia. Circa Sueuos vicina Cortraco tenentes prauis erroribus exuendos gnauiter laboratum. Poſtquàm Viſcera Flandriæ penetrauit; Gandauum, Antuerpiam, ad Friſones indefeſſus ſe contulit. Quæ de ipſius laboribus & ardore conſcripſit Audoënus Rothomagenſis Archiepiſcopus, ea verbis eius hoc loco proponere libet: *Multum, inquit, prætereà in Flandris laborauit; iugi inſtantia Andouerpes decertauit; multos erroribus implicitos Sueuos conuertit. Fana aliquot prophana Chriſti clypeo protectus, Apoſtolica auctoritate deſtruxit: idololatriam quoque diuerſi generis vbicumque comperit, funditus euertit. Inter hæc autem cùm ſobriam ſemper religioſis moribus teneret diſciplinam frequenter ab ingrato & perfido populo laceſſitus, & penè vſque ad contumeliam prouocatus, nullatenus à cœpta doctrina retardatus eſt, ſed magis etiam lenis, patiens, humilis & mitis, pro eis Dominum deprecabatur. Cúmque circumquaque rura luſtraret, inenarrabili ſub-*
C *tilitate deſides barbarorum animos, & minùs de ſe ſollicitos ſolerti ſanè ſtudio verbis blandis nitebatur ſtimulare, atque ad amorem ſupernæ patriæ accendere, prædicans infeſtis pacem, ferocibus lenitatem, docens eos pariter debere ad eccleſiam conuenire, monaſteria conſtruere, atque in bonis actibus Deo ſedulè ſeruire. Ad quas eius exhortationes ita plerique barbari mutati ſunt, vt ſubitò in arido & ſqualenti agro viderentur fœcunda ſeges & vberrima meſſis exiſtere. Videres complures ad pœnitentiam currere, opes pauperibus elargiri, libertate famulbam donare, aliáque plurima bonorum operum ſtudia ſectari.* Quæ verò monumenta hic reliquerit B. pontifex, paucis perſtringam. Sancti Saluatoris ædem Brugis ligneam conſtruxit. Cortraci templum D. Martini Deo dedicauit. Martinianum condidit Tornaci monaſterium. Siclinij ſacrum D. Piatonis corpus humo eruit, idémque argento & auro plurimo decorauit: Ad honorem eiuſdem martyris veteri ſacello diruto templum ingens ſtruere aggreſſus eſt: qui diuinum illic officium peragerent, Canonicos inſtituit: iiſdem opportunos ad vitam honeſtè ducendam tribuit cenſus. Magnum etiam Cominij diuo Chryſolio impendit obſequium, eius oſſa conquirendo, eáque argentea decorando capſa.

Lib. 1. c. 8 vit. S. Elig.

Iac. Meier lib. 1. Chron. Herim. MS.
Audoen in vita eius.
Cler. Seclin. in vita S. Piat. MS.
Martyr. S. Chryſol. MS.

S. MOMMOLENVS TORNAC. EPISCOP.
Ioan. Iperius in Chron. Bertin.
Breuiar. Audom.
Commutatio S. Amandi MS.
Breuiar. Audom.

D Datus eſt poſteà Tornacenſibus & Nouiomenſibus pontifex Mommolenus magno vir incenſus deſiderio ſacris plurimos homines myſteriis initiandi. Senſerant eum Morini gnauam priùs operam dediſſe perducendis ad Chriſtum mortalibus. Quò ſanè faciliùs in eam opinionem venio, noſtris etiam Gallo-flandris Tornaco vicinis laborem plurimum impendiſſe. Hic enim, quàm Nouiomi frequentiùs egiſſe comperio, & cùm morti propinquus teſtamentum Elnone conderet diuus Amandus, ei cum aliis præſulibus adfuiſſe. Ad eius laudem hæc olim canebant Audomarenſes Canonici: *In eius* (S. Eligij) *loco Mommolenus ob inſignem vitæ ſanctimoniam Epiſcopus conſtituitur. In quo gradu verbum diuinum in corda credentium ſeminans, animarum corporúmque languores curans, captiuos redimens, viduarum inopúmque præ omnibus curam gerens, commiſſam ſibi Eccleſiam viginti & ſex annorum ſpatio ritè gubernauit.*

S. AMATVS SENONENSIS ARCHIEP.

Paullò pòſt Senonum pontificem Amatum, Theodorici regis imperio vrgente

huc

huc traduxit exulem B. Maurontus S. Rictrudis Martianensium antistitæ, & S. Adalbaldi viduæ filius. Frequens is cùm esset modò Hamatici Scarpum vltra, modò cis eundem fluuium Martianis: vti laborem adhibuit Monialibus vtrobique bonis moribus percolendis; ità par est credere vicinis etiam populis ad cultum animarum operam dedisse. Impositus posteà fuit Broylensi monasterio, quod idem Maurontus ad Lisam in pago, cui nunc Meruillæ, olim Meuriuillæ, & priùs, vt quibusdam videtur, Minoriaco nomen, condidit. Illic antistes eius cœnobij dum ageret, multus in viciniam excurrebat, vti verbis ad virtutem animos incenderet. Duarum modò leucarum spatio ab Gallo-flandriæ nostræ finibus stat is locus: ideóque breuis erat in huius pagos regionis ad habendam concionem festinanti via. A

Vita S. Amati, vita S. Rictrud. & S. Mauronti MSS.

AN HIS IN PARTIBVS S. VVILLIBRORDVS LABORAVERIT? *Cap. 8.*

Veneritne S. Willibrordus Frisonum Apostolus has in partes, haud satis ausim asserere. Vitam eius describens Alcuinus in Borealem regni Francorum partem à Pipino Caroli Martelli patre missum ostendit, vti gnauiter in cultum animorum incumberet, istic multis ad salutem auxilio fuisse. Hæc sunt Alcuini verba: *Qui cum cum summa honoris magnificentia receptum, cum sua potestatis iussione in opus euangelij direxit, maximè tamen in Borealibus regni sui partibus, quò eatenus ob raritatem doctorum, & duritiam habitatorum fidei flamma minus relucebat. Eo vir Dei instantiùs illis in regionibus semina vitæ sparserat, quo plus necessarium antiquam ignorantiæ famem depellere perspexerat. Qualem diuina gratia adiuuante illis incolis fructum fecisset, testes sunt vsque hodie populi per ciuitates, per vicos & castella, quos ad veritatis agnitionem, & ad vnius omnipotentis Dei cultum pia admonitione perduxerat. Testes quoque ecclesiæ quas per loca singula construxerat; testes & Deo famulantium congregationes, quas aliquibus adunauit in locis.* Hucusque Alcuinus per Boreales regni partes haud dubiè regiones eas, quas Flandriam, Hollandiam, Brabantiam, Zelandiam, Cliuiam vocamus aliásque eis Frisiam iis coniunctas complexus. Cùm huius Episcopi labores enumerat Ioannes Molanus, Occidentalem Franciam, seu Flandriam, asserit ab eo insigni cultu subactam. Sed vbi locos Flandriæ curis eius excultos recenset, Hulstenses, Bierulietanos, Axellanos, Hasnenses præsertim eius concionibus ad Christi fidem conuersos, ideóque Vltraiectensi quondam Ecclesiæ tributos affirmat; de ceteris Flandriæ populis tacet omnino. B C

VEROSIMILE EST HIC S. VRSMARVM INCOLAS CONCIONIBVS INFORMASSE. *Vita S. Vrsmar.*

Cap. 2. Annal. Fland.

Non abest à verò Beatum Vrsmarum Laubiensem Antistitem aliquam intra Gallo-flandriæ nostræ fines operam conuertendis ad Deum incolis collocasse. Cùm enim pontificijs decoribus fuisset ornatus, vt vitam variis in locis Apostolicam duceret, multísque Belgarum salutis auctor existeret: adeò per Flandriam in hominum procuranda conuersione desudauit, vt non immeritò Flandrorum ab Ioanne Molano, & aliis quibusdam Apostolus nominetur. Et quod præsertim iis in partibus eius ditionis laborauerit, quæ Tornacensi suberant Episcopo, data est ansa Petro Oudegherstio sentiendi, Tornacensem eum & Nouiomēsem fuisse pontificem: quamquam id pugnet veritati.

ACCENTIENDVM IDEM VIDETVR DE ELISEO TORNAC. EPISCOPO. DE S. SALVIO DVBITATVR.

Eliseus Tornacensium & Nouiomensium Episcopus magna vir pietate & zelo præditus, haud dubiè hunc tractum rebus sacris intentus obiit: quem vlteriùs progressum comperio, & Gandaui Beatum Gerulphum puerum, qui posteà martyr in cælos abiit; sacro ad militiam Christianam illeuisse chrismate. D

In Annal. Han.

De S. Saluio Engolismensi Episcopo, qui iuxta Valencenas colitur, nihil certi habeo. Tantùm id scribitur, ex Aquitania in Galliam Belgicam venisse; postquàm Valencenis populum adhortationibus incendisset, iuxta Condatum paucis milliaribus à Gallo-flandriæ finibus dissitum, ab Winegardo fœdè spoliatum rebus sacris & vita. Quia tamen Iacobus Guisianus hæc enarrans Genardum Winegardi patrem multa priùs de virtutibus eius asserit habuisse comperta, magna mihi suboritur occasio cogitandi in variis ipsum Belgij locis Apostolicam priùs exercuisse potestatem.

LABORAVIT HIC GEDERICVS. *Iac. Meyerus l. 3.*

Roberti Frisij Flandriæ Comitis temporibus, cùm Flandriæ cuncta grauissimis arderent odiis, & tumultibus variis concuterentur: totam Gedericus Blandiniensis Monachus eam ditionem peragrauit; hîc multos concionibus, alloquiis, &

minis

A [illegible] ad pacem & [illegible] [illegible].

Eadem [illegible] Arnulphus in Flandria [illegible] Gregorio [illegible] Papa Romano [illegible] est. [illegible] Gregorius [illegible] Comitem Robertum [illegible] in plerisque viris vel ecclesiasticâ dignitate [illegible] vel genere nobiles [illegible] exuere. [illegible] cum litteris [illegible] Quas litteras cum ad [illegible] Arnulphus [illegible], ducis nouerat ingentis animi virum, & [illegible] virtutis [illegible] vt [illegible] eos ad Comitem perduceret, [illegible] Ad hunc ergo cum venisset Arnulphus, porrectis [illegible] conspectum iis viris, quos secum pertraxerat, adeo Comitem [illegible] periculo, vt pacem [illegible] composuerit iis, quos hostium [illegible] Eandem cum magna [illegible]

B [illegible] impulsus est, vt omnem per- [illegible] vbique cuncta ingentibus odiis flagra- rent, [illegible] vrbes, oppida, vici, familiæ variis [illegible] omnes ad pacem & amicitiam perdu- [illegible] opus aggrediens numinis patrocinium virtutisque [illegible] contra quibus pacis odium & [illegible] Dei vindicta compressit.

Paucos post annos [illegible] nominis primus anti- [illegible] Martianensi monasterio lo- [illegible] ingressus est, adeoque tum legibus [illegible], tum piis adhortatio- [illegible] animos hominum prudenter tractaret, vt melius ad honestam vitæ rationem [illegible].

Neque parum profuit Gallo-flandris D. Bernardi Clareuallensis Abbatis ad- C [illegible] Theodorico Flandris imperante has in partes venisse, ac Flandriam [illegible] his variis in locis multos [illegible] [illegible] studium iniecisse virtutis; quosdam etiam ad capessendum [illegible] monachorum viuendi genus stimulasse. Quin sane [illegible] D. Bernardum primum iecisse fundamenta Laudensis Abba- [illegible].

[illegible] Flandriæ principe in viuis agente, B. Zeghenis, [illegible] Ordinis lumen, Insulæ [illegible] splenduit, [illegible] omnes [illegible] Et [illegible] & humanarum præceptis [illegible] Insulensis D. Dominici [illegible] Insulam venit [illegible] suis populum ad virtutis [illegible] [illegible].

[illegible] Gallo-flandriæ [illegible] quoque potest Thomas
D [illegible] Carmelitani Ordinis [illegible]. Is enim qui tempore [illegible] Burgundiæ Dux Philippus [illegible] Redemptionis [illegible] et alias plerasque Belgij [illegible] vbique ani- [illegible] In hac regione [illegible] In [illegible] [illegible] tam docta [illegible] [illegible] [illegible] D. [illegible] Insulam [illegible] Hic [illegible] Philippo [illegible] [illegible]

cingebatur.

I O A N N E S [illegible] [illegible]

I O A N N E S A B B A S M A R T I A N. [illegible] Mart. Abbat. [illegible]

S. B E R N A R D V S A B B. C L A R E V A L L E N S I S. [illegible]

B. Z E G H E N V S [illegible]

S. V I N C E N T I V S F E R R E R I V S [illegible]

T H O M A S C O N E C T E [illegible]

cingebatur, longe plura numerata sunt millia. Et quò plus moueret attentionem & castimoniæ, ab [illegible] sensu fune distinguebat. Tum temporis Insulæ vigebat vestium, [illegible] & ludorum generis omnis luxus maximus. Igitur cum videret mulierum capita [illegible] ornatibus assurgere, in id genus vani cultus [illegible] sæpe verbis insurgebat: ipsos etiam pueros adhortabatur, vt [illegible] ornatus & [illegible] turres illas de mulierum capitibus deijcerent, seu plebeiæ, seu nobiles essent. Et factum denique est, vt nulla fœminarum eo [illegible] cultu videndas, cum eius conciones frequentarent. Multi [illegible] animaduertentes plerósque ludos grauibus ab eo verbis incessi chartas lusorias, [illegible], aleas, & scachos ad eum detulere, vt omnia palam in foro [illegible]rentur. Insula Tornacum profectus sex ibi diebus pari fructu [illegible] verba fecit. Duacum inde reuertens per iter Orchiacum ad [illegible] impulit. Duaci cum esset rursus, ad morum correctionem suis [illegible] citauit. Nusquam metu auditorum tangebatur [illegible] generis essent, aut dignitatis, eos liberrime corripiebat: antistites, ac principes eodem [illegible] plebeis erant quę peccauerant, ea palàm perstringebat.

Quibus olim Episcopis subiecta fuerit Gallo flandria, & qui nunc ei præsint Pontifices.

CAPVT III.

QVANDO FLANDRIA CœPERIT EPISCOPO TORNACENSI SVBIICI. *Lib. 2. an 879.* [illegible] CHRISTI ANNO POST OCTINGENTESIMVM SEPTVAGESIMVM [illegible] AN [illegible] *Lib. 5 c. 17 Tom. 10 an. 878.* [illegible]

SI quibusdam auscultemus, priusquam octingentesimus & septuagesimus nonus Christi annus iniretur, Flandria pontificum nulli adscripta fuit: quoniam eo demum anno Ioannes Octauus Papa Romanus Nouiomensi Episcopo subiecerit, qui simul Tornacensem moderabatur ecclesiam. Lubet hic proferre Iacobi Meieri verba, quibus id asserit: *Coacta*, inquit, *Synodo ab Ioanne* [illegible] *in* [illegible] *acta, Flandria, qui tum primum (*[illegible]*) ad* [illegible] *cultum reuenerant, Episcopus* [illegible] *Flandri vnà cum Tornacensibus Nouiomagensi* [illegible]. Verum multa mihi [illegible] occasionem [illegible] Primò [illegible] Aimoinum & Cardinalem Baronium eius Trecensis Concilij fragmentum nullam ingerunt [illegible] mentionem. Deinde quorumdam Flandriæ Chronicorum narratione compertio, iam tum [illegible] Flandriæ Saluatij temporibus Wazennis (pago Insulæ proximo) sedem aliquam & palatium Episcopi Tornacensis fuisse. Eidem pontifici [illegible] datam ab rege Franciæ Chilperico amplam circa res temporales in Flandria iurisdictionem, [illegible] memorat ipse Meierus his verbis: *Soluitur* [illegible] *Tornacum,* [illegible] *Chilpericus* [illegible] *libertatem amissas recuperat ciuitates; donat Episcopo Chrasmaro fiscum regium,* [illegible] *in Tornaco, cum temporaria quadam iurisdictione in Flandris.* [illegible] hinc videri, [illegible], qui [illegible] regiis beneficio [illegible] intra muros Tornacenses [illegible] ibique aduersus fratrem Sigebertum [illegible] potestatem in Flandros ecclesiasticam habuisse, haud facile [illegible] crederemus [illegible] abûdaret, [illegible] animarum [illegible] Sed hæc omnia vt deferemus, videor tamen ex vita S. Eligij [illegible] in Flandros Nouiomensem & Tornacensem Episcopum [illegible] dicatum fuisse. Hæc sunt enim Audoëni de ipsum Nouiomensem & Tornacensem [illegible] verba: [illegible]

Lib. 6.

Lib. 2. c. 1.

est metropolis, Vrbs Tornacensis, quæ quondam regalis fuit ciuitas, Nouiomensis, & Flandrensis, Gandensis, atque Corturiacensis. Ob hoc autem vel maximè eum his locis dederunt pastorem, quòd eius regionis incolæ magna adhuc ex parte gentilitatis errore detinerentur. Quid clarius afferri queat, non video. Neque sanè obscuriùs de S. Medardo, qui præcesserat, loquitur Fortunatus: *Sanctus*, inquit, *pontifex Medardus ferocem illam Flandrensium gentem suæ Nouiomensi ecclesiæ associauit & per quindecim annorum spatium, licet aliquo itineris interuallo remoti essent, ad diuinum eos cultum informare indesinenter elaborauit.* (Cap. 19. vit. S. Medar.) Haud enim per Flandrensium gentem Tornacenses modò intelligit Fortunatus (quos eo tempore Flandrorum finibus comprehensos negat Meierus; quoniam ex verbis iam relatis Audoëni arbitratur ea tempestate adeò Flandros exiguis limitibus arctatos fuisse, Flandrensis pagi nomine, vt à pago Tornacensi, & Menapisco diuersi, præter Oostburgum, Aldenburgum, Torholtum, Brugensium agrum, indéque totam maris oram Gessoriacum vsque nihil comprehenderent) verùm populos omnes, quos posteà Audoënus enumerat, Flandrenses,
B Gandenses, & Corteriacenses, tum eos, qui Tornacum inter & Lisam agebant, dein eos, qui trans eum fluuium Menapiscum incolebant. Nunc autem si S. Acharium aspiciamus, nonne clarissimum nobis erit, iam tum pontifici Tornacensi Gandenses, aliósque Flandros fuisse subiectos; cùm is & veniam S. Amando dederit Gandauensibus ac vicinis populis Christum annunciandi; & facultatem ab Rege Francorum per litteras impetrauerit, obstruentes sacris concionibus aures, & baptismum respuentes minis terrendi cogendíque? Hæc qui doceant, non modò Boudemundum, & Philippum ab eleemosyna Sancti res Amandi memoriæ mandantes reperio: verùm etiam vnum alterumúe Blandiniensis monasterij Chronicon. Ad sanctum etiam Eleutherium si progrediamur, non erit equidem difficile deprehendere, iam tum Episcopo Tornacensi Flandros paruisse: cùm antè viderimus eum *in oppidis, & vicinis locis Flandrensium*, pertrahendis ad Christum mentibus hominum, laborasse. Et verò persuasum habeo, inter circumscriptos huius diœceseos fi-
C nes etiam tunc Flandros, aut, si nondum id nomen inualuerat, eos populos, qui regionem eam, quæ posteà hoc induit vocabulum, ea parte coluerunt, quæ priusquàm nouos in pontificatus Hispaniarum Regis Philippi Secundi rogatu Pontifex Maximus Belgium diuideret, Tornacensi suberat antistiti, comprehensos fuisse; vel cùm S. Remigius Theodorum Tornacensibus Episcopum dedit; vel cùm S. Piatus ad eundem populum, Romani Pontificis voluntate, à S. Dionysio Parisiensi Episcopo, per quem fuerat consecratus, tum vt Apostolus, tum vt pastor mitteretur. Quod enim anteà vidimus, S. Piatonis, vt par est credere (caput námque is fuit huius ad Neruios missionis) hortatu, beatus Chrysolius eam potissimè partem Gallo flandriæ concionibus subegit Insulam iuxta, cui Tornacensis Pontifex imperat. Quod de Tornacensi Episcopo disputamus, idem quoque suo iure Pontifex Atrebatensis queat sibi vendicare: vt iam inde vel à S. Vedasti temporibus, vel ab æuo S. Diogenis eam repetat potestatem, quam in partem habet Gallo flandriæ.

Verùm quidquid hac de re fuerit, id saltem omnino certum est: quemadmodum (QVIBVS NVNC EPISCOPIS PAREAT GALLOFLANDRIA.)
D olim multa Morinenses, & Cameracenses Episcopi in Flandria Teutonica tenuerunt; ità quosdam alios præter Episcopum Tornacensem in Gallo-flandria partes aliquas habuisse, itémque nunc aliquas retinere. Cameracensi Archiepiscopo paret, præsertim quidquid vltra Scaldim in ea Castellaniæ Insulensis regiuncula iacet, quã vocant Transscaldiam. Atrebatensis Episcopus Duacum, Armenteriam, Basseam, Martianas, Felinas, & pleró[s]que Insulensis & Duacensis Castellaniæ pagos retinet. Suberat olim Martianensis Abbatia & parochia Tornacensi Episcopo, contra D. Amandi oppidum Atrebatensi, magno vtriusque loci & pontificis incommodo: ideóque tandem ipsi præsules permutauere, dum infulis Nouiomensibus ornaretur Gislebertus, qui vitam finiit post Christi natales septingentesimo & octuagesimo secundo. (Chron. Elnon. Iac. Guysian.) Ad Tornacensium pontificem ista potissimè spectant, Insula, Orchiacum, Lannoya, Cominium & multò maxima Insulensis agri portio: tum quidam Duacensis Castellaniæ pagi. Quæ sunt huius diœceseos, in sex Decarchias; Helchi-

nienſem ſcilicet Flandrorum, Cortracenam, Helchinienſem Gallorum, Tornacenſem, Inſulenſem, Siclinianam diuiduntur. Olim quinque tantùm numerabantur, & quæ nunc Siclinienſi ſunt tributa, ad Inſulenſem pertinebant. Hæc eſt autem in ſingulos decanatus hoc tempore partitio. Helchinienſi Flandrorum pagus ſubeſt vnicus Dottignia. Cortracenſi parent Cominium, Busbeca, & Halewinum. Helchinienſis Gallorum pagos circiter tredecim comprehendit, & Lannoyam oppidum. Ad Tornacenſem pertinent Orchiacum, & nobiles aliquot pagi tum Inſulenſis, tum Duacenſis nominis, ac denique Orchienſis vnicus. Siclinienſis ſupra triginta tum vicos, tum pagos numerat Inſulenſis Caſtellaniæ, quorum caput eſt Siclinium. Inſulenſem, ipſum oppidum Inſula, & quinquaginta circiter parœciæ campeſtres nobilitant.

A

De Religione Catholica huius regionis.

B

CAPVT IV.



IGITVR hunc in modum diuiſa & Epiſcopis ſubiecta, dein tot hominum illuſtrium laboribus exculta regione Gallo-flandrica: id modò videndum eſt, quàm altè religionem Catholicam, & pietatem animis imbiberint eius incolæ; quàm fideliter hac eas tempeſtate retineant; quæ præclara fecerint opera earum ſtimulis incitati; quibus eas modis hodiéque patefaciant. Equidem mihi memoria repetenti tot lapſa retrò ſæcula iam inde à fundata his in partibus religione Chriſtiana, omnino multa ſuccurrunt inſignia fidei, religionis, & charitatis monumenta, quibus ſuam Gallo-flandri famam celebrauerint. Vt initium ſumam ab lege Chriſtiana, & doctrina Catholica ſemel ſuſcepta, non vereor arbitrari, paucos in ea retinenda pares eis populos poſſe reperiri. Etenim priuſquam inſani tumultus vltima rebellione Belgicas omnes prouincias aut quaterent, aut peſſumdarent: nullæ tranſuerſos egerunt damnatæ falſitatis, & erroris opiniones. ac ſi quandò ſuborti fuerint, qui praui dogmatis hauſtu tum ſuos tum alienos inficerent animos, acerrimis eos odiis inſectatos ſemper fuiſſe comperio. Et damnatos capitis nonnullos partim Inſulæ, partim Duaci, partim alibi lego, quibus hæreſeos venena mentem abalienauerant. In argenteo eccleſiæ D. Amati nomine Duaci conſecratæ libro iſtud ſcriptum eſt monumentum: *Hoc die combuſti fuerunt apud Duacum decem hæretici extra portam Oliueti, in via leproſorum, quæ iter dirigit apud Lambres, præſentibus venerabili Dei gratia Archiepiſcopo Remenſi, Aſſone Epiſcopo Atrebatenſi, Godefrido Epiſcopo Ambian. Waltero Epiſcopo Tornac. & Fratre Roberto Ordinis Prædicatorum tunc temporis habente poteſtatem à Domino Papa capiendi hæreticos de conſenſu Epiſcoporum prædictorum, & præſente Ioanna Comitiſſa Flandriæ, & Hannoniæ, ab Incarnat. Domini M. CC. trigeſimo quarto, ſecunda die menſis Maij, Dominica die.* Cùm iuxta idem oppidum ad portam Morelliam octodecim circiter deprehenſi fuiſſent tum viri tum fœminæ variis è locis ad villam ibi ſitam profecti, quibus ex alia prouincia homo peſtilens grauiſſimos contra Catholicam fidem errores legendo & colloquendo inſerebat: eos omnes Duacenſis Magiſtratus in vincula extemplò coniecit anno ſalutiferi partus quadringenteſimo & vigeſimo ſupra milleſimum. Et pars ipſorum in Atrebatenſi ciuitate, pars Duaci flammis abſumpti ſunt; ceteri vel carceris, vel alterius generis pœna in multos annos caſtigati, M. Petro Flouris è Dominicana familia quæſitore ac vindice, horum exemplo ceteros è theatro publico verbis grauiſſimis à bibendis hæreſeon peſtibus auertente. Neque verò diu potuit Inſulæ conſiſtere Alphonſus quidam Luſitanus, qui fœdiſſimis imbutus hæreſeon dogmatibus huc venerat ciuium animos infectum. Cùm enim mentem nollet erroribus exuere, publico ignis ſupplicio tempeſtiuè ſublatus eſt, priuſquam aliquos corrumperet, anno poſt Chriſti natalem milleſimo quadringenteſimo & quinquageſimo nono. Et deprehenſis ibidem

CATHOLICA RELIGIO SEMPER A GALLO-FLANDRIS FIDELITER CONSERVATA.

HÆRETICI IN GALLO-FLANDRIA SÆPE SVPPLICIO AFFECTI.

Regiſt. Senat. Duacenſ.

Iacob. du Clercq lib. Commentar. 2.

C

D

A deni senis hominibus, quos suis Turlupini erroribus infecerant, iniectæ sunt manus à senatu: cúmque publicè in pegma productos, suas vt hæreses deponerent, sacrísque fidei Catholicæ dogmatibus adhærescerent, Inquisitor fidei per concionem grauiter adhortaretur; qui vnicus id facere abnuit in cineres flammis redactus est sexto post Alphonsum anno. Luítque præterito sæculo in eadem vrbe praua publico igne dogmata vir quidam & sacerdotio, & religioso habitu insignitus, ne quem iis pessumdaret. Flammísque absumptus est Duaci sacerdos & parochus eiusdem criminis particeps. ac nulli parsum in hoc terræ tractu audio, quem hæreseos contagio fœdè infecerat, priusquam aliquo Pacificationis Gandẽsis capite tam laudabilis ardor id graue crimen puniendi opprimeretur: passímque ideò fuit iactatum vocibus hæreticorum, Insulam esse Sectariorum sartaginem, ac propreteà ipsis euitandam. Et tunc noxæ fuit cuidam homini externo, præsentibus aliis comminari, hostias se sacras correpturum fracturúmque, experiundi gratia per iocum, vtrum ex iis deflueret sanguis. capitis enim supplicio ea vox plexa protinus. Neque verò cordi fuerunt vnquam Gallo-flandris quæ variis in Gallia & Italia lectis Pontificibus Maximis etiam Belgium agitauere schismata: vt mallent auri plurimum pendere, quàm schismaticos sequi, & Pseudopapis adhærescere. Sensit quondam id Philippus Audax Dux Burgundiæ & Flandriæ Comes, acerrimus Clementis aduersus Papam Vrbanum propugnator, cùm totam suas in partes Flandriam frustrà pertrahere niteretur, eóque grauissimas intenderet minas. *Iacob. du Clerc lib. 5.*

B (marginal letter beside: "lo-flandris quæ variis in Gallia…")

Quæ sinistrà hunc populum famâ perculerint, media præsertim exacti postremò sæculi tempora credi possint, quibus plerosque rebelles hæresis & rabies in Catholica dogmata, résque sacras ferro & odiis armauerant. Haud enim possumus inficiari, multa tum sæpè id genus homines grauissima in Gallo-flandriam facinora designasse; multa etiam istic vel rapinis, vel cædibus, vel incendiis hausisse: in Monasteria quædam templáque ferro & furore grassatos: in Laudensi, Markettano, Cysoniensi, C & Martianensi cœnobio dirutas ab eis fractásque sacras imagines & statuas; templa ferro violata, & iniuriis lacessitum in his numen; variam horum cœnobiorum direptam supellectilem; neque mitiùs in alios quosdam ab iis locos actum. Subit etiam in memoriam pulsos ab nonnullis Duaco nostræ Societatis homines frustrà Senatu renitente: in patentibus etiam campis quosdam pestilentiæ cathedras conscendisse; suis inde circumfusam multitudinem erroribus aspersisse: non paucos ex vrbibus, oppidis & pagis ad eos euolasse, fama eloquentiæ, & promissæ libertatis eliciente. Verum hæc omnia parum mihi videntur eò facere, vt Gallo-flandris graue crimen hæreseos impingatur. Primùm enim aliunde tota pestis errorum in hanc fuit inuecta regionem. Inter primos ea indigenas contingere ac inficere contendit Matthæus Lannoyus domo Gallus, Caluini pessimi magistri discipulus (quem tamen posteà errores conuersum euomuisse comperio) tùm Christianus Quenoillerius lini textor, & Ioannes Walleus antè vitam plectendis torquendísque funibus agitare consuetus. Sed quidquid ij laboribus improbis, malísque technis & offuciis transuersum agere sunt moliti, parum equidem iis ex voto successit. Nihil vnquam Insu- *PER MOTVS BELGICOS, NE GALLO-FLANDRIA POTIRENTVR HÆRETICI, EGREGIE LABORATVM EST.*
D læ, Duaci, Orchiaci, Basseæ, Lannoyæ technis horum vel aliorum prauæ mentis hominum ad tollenda Catholica dogmata, & inserendos palam errores impetrari potuit: quamquam multarum Belgicarum vrbium peruersi proceres modò litteris, modò subdolis machinationibus eodem conniterentur. Si qui nouis rebus occultè studuerint, paucorum id profectò scelus fuit. Igitur iis in vrbibus & oppidis, neque publicè conciones ab hæreticis vnquam habitæ; neque has occultis conuentibus celebrari siuere magistratus. Nihil ibidem contra mores Catholicos petulantiùs factum: nihil in Sanctorum imagines, piásque statuas designatum atrociùs. adeò gubernator & Senatores aduigilabant. Qui tradunt Insulæ quosdam è vulgo cum tuditibus, aliísque ferramentis ad S. Saluatoris ædem conuolasse piis imaginibus & tabulis sacris minabundos, ex aduerso mulieres stetisse, & fœdo procul scelere vesanos arcuisse vocibus, minis, clauibus, manuum iniectione: quantum laudis fœminis attribuunt, tantum inurunt viris dedecoris. Haud enim parum infamiæ Senatus &

ciuium probi eo facinore contraxiſſent, ſi plus audaciæ mulieres oſtendiſſent repri- A
mendo conatus; quàm illi non præuertendo, diligentiæ. Rem igitur omnem ea
prorſus opinione detergenda, ex Commentariis manuſcriptis Balduini Crucij viri
nobilis, & toparchæ de Waiembourg qui ſæpiſſimè Magiſtratum Inſulæ geſſit de-
promptam, vti ſe habuit, breuiter exponendam arbitror. Paullò pòſt celebrata ædis
S. Saluatoris encænia cùm Margareta Deſtailleurs intra templum illud in preces
incumberet, animaduertit quemdam nomine Geruaſium, fixis ſacram tabulam, vel
ſtatuam, oculis intueri. Quòd is rerum nouarum & hæreſeos ſuſpiceretur, ea mox
arbitrata eſt, ipſum in imaginem ſtatuamúe dirum aliquid moliri. Ergo muliebribus
iris, & zelo pietatis incenſa vehementer exclamat: adeſſe virum ſcilicet impium,
qui ſcelus in ſacra diuorum ſimulacra meditetur. Ad eam protinus Margaretæ vo-
cem multæ vndique mulieres accurrunt, nihilóque ſegnius viri confluunt. Ità ſep-
tus hominum corona derepentè Geruaſius inuaditur, indéque longa via per vrbem
cum minis, & ſannis, ac verberibus quoque, ad Gubernatorem deducitur. Illic ab
omnibus in ſanctas imagines deſignati arceſſitur facinoris. Dimiſſa Gubernator ea B
turba rem maturius agitat: multis Geruaſium quæſtionibus laceſſit: cuncta explo-
rat diligenter. Cum nihil eorum deprehendit, quorum cauſa hic accuſabatur; ne
quid turbarum vulgus exciret, ſi palam abſolueret, occultis eum viis dimittit. Ità
res ea cum zelo fidei orthodoxæ à mulieribus cœpta fuit, & prudenter à Guberna-
tore ſopita, ingenti ſcilicet vrbis gloria, in qua ne quidem aduerſus res ſanctas oculo
quidpiam impium deſignare licuit.

Verum vt cœpta proſequamur, potuit aliquandò plures, quàm Senatui placeret,
vel cæca libido res nouas audiendi, vel in vitia pronus ardor, & promiſſa ex animi
ſententia viuendi licentia, extra muros ad conuentus & conciones hæreticorum
pellicere: ceterum iis neque domi quies conceſſa, neque publicè fides vlla ſecurè vi-
tam traducendi. Alio nolim vti teſtimonio, quàm illorum, qui de variis vrbibus,
vel oppidis Belgicis ea lue corruptis, ad Senatum Inſulenſem quiritando ſcripſere:
Parum nempe id ſibi placere, quod ex agris miſſa concione domum reuertentes C
malè tractarentur: à quibuſdam viri pugnis impeterentur, variis agerentur fœminę
ludibriis: in eorum ipſe domos quæſitores immitteret qui omnia ſcrutarentur.
Verùm ad eas Magiſtratus litteras neque quidquam pietatis, & diligentiæ remiſit,
neque tacuit. Ita præſertim quibuſdam eorum reſpondit: Priuſquam ſuis de ciuibus
querantur, cohibenda ipſorum fœda flagitia, deteſtabilem ipſorum & ſacrilegam
ſæuitiem eſſe comprimendam. nota eſſe ſcilicet, quæ grauiſſima in Catholicos fa-
cinora perpetrauerint. nondum talia in eos Inſulenſes occepiſſe; vbi fecerint, lau-
dandos fore, non probris inceſſendos.

Igitur cùm nihil peruerſis hominibus Inſulenſis Gubernator & Magiſtratus con-
cederent: etiam in eos, qui ſiniſtrum aliquid molirentur, exarſere grauiter. Et com-
perti proditionis aliqui tum ciues, tum alij capitis damnati ſunt, vitámque ſuppli-
cio perdidere. Ita cùm Inſulæ cuncta ex voto Catholicorum ſuccederent, fœdus
aliquando Duaci tumultus exortus eſt, quo pleróſque ciuium patriæ libertas, & cœ-
cus furor armauit. Ab iis videlicet, qui ferè populi fæx erant, coactus eſt Senatus D
in Societatis Ieſu Religioſos, & pleróſque tum nobiles viros externos, qui ſe ſua-
que in vrbem nuper receperant, tum ciues catholicos, edictum componere & pro-
mulgare, vti priùs vrbe decederent, quàm pomeridiana eius diei hora quarta inſo-
nuiſſet. At ipſi moræ omnis impatientes, cùm ferro & rabie armati, domum Socie-
tatis Ieſu ante id tempus inuolaſſent; illic cuncta more latronum diripuere, om-
néſque Socios exceptis duobus, per ſummam iniuriam extra portas vrbis egère
omnium rerum egenos, & quò tenderent ingruentibus tenebris ignaros. Ceterùm
is motus intra dies paucos adeò ſedatus eſt: vt neque quidquam præter metum paſ-
ſa ſit religio Catholica, neque turbulentis hominibus abſque vitæ periculo agere
licuerit. Nuſquam intra muros ab hæreticis habita concio; ſacta omnia intacta
manſere. Et priſtinam adeptus libertatem Senatus noſtros vrbi ſocios & Collegio
reſtituit: de factioſis multos exilio perculit: Et erat quoque capite plexurus, niſi

A prius neci fuga subduxisset. Interim Orchiaci, Lannoyæ, & Basseæ omnia semper
euenere feliciter. ibique Catholica religio sarta tecta floruit. Frustráque fuit cona-
tus hæreticorum, qui viam sibi armis in Orchiacensem vrbem, & oppidum Lan-
noyanum struere contendebant.

At plerisque vel oppidis, vel pagis illata clades est; non paucis hæresi corruptis *In Gallo-Flandria cæsi sunt aliquotics hæretici.*
hominibus modò colloquiis, & concionibus in animorum perniciem incumbenti-
bus; modò in sacra ædificia, & pias imagines ferro sæuientibus. Magno tamen
vtrisque stetit ea praui dogmatis prurigo, & ferri rabies. Vt eos omittam, quos
vel furca, vel gladius, & ignis publica magistratuum auctoritate sustulit: aliquas hîc
multorum strages breuiter exponam, quos agentes hostilia variis in locis peremere
ferro partim rustici, partim milites. Inter primos ij cladem sensere, quos è Flandria
transmisso Lisa fluuio per Laleuuam in Castellaniam Insulensem aduersus sacra
sæuiendi furor pertraxerat. Postquàm hi sacrilegis manibus Armenteriæ, Fournis,
in Laudensi monasterio sacra cimelia diripuissent; imagines, statuas, altaria fœdissi-
B mè contaminassent; ecclesiasticos libros dilacerassent; multas in Deum sanctósque
vomuissent blasphemias: Siclinium versus iter rapuere, vt consimilia illic perpetra-
rent. Verùm eos Siclinienses, Gondecuriani & Waurinienses arreptis, quæ fors ob-
tulerat, armis, solo duce auitæ religionis amore, cùm essent assecuti; adeò vehe-
menter omnes impetu facto pressere, vt pars in paludes deiecti, pars in fluuio demer-
si, pars interempti gladio vitam amiserint, pauci quæsiuerint fuga salutem.

Posteà quidam ex aliis profecti prouinciis cùm per insidias Orchiacum capere
tentassent, ísque ipsis conatus malignè cessisset, Martianas adiuere. ibi nobile Mo-
nasterium Benedictini nominis sub vesperum inuadunt, & diripiunt, grauéque bel-
lum in Christi ac diuorum statuas & imagines aggrediuntur. Verùm eius loci Mo-
nachus quidam (Petrum Manarre vocabant) syluarum ad cœnobium spectantium
curam gerens, duabus eos rebus insigniter circumuenit. Primùm enim præbito af-
fatim vino ipsos per diem noctémque oppidò madefecit, vt cladi opportuniores
C redderet. Dein occultè nuntios in varia loca dimisit, qui vel milites, vel rusticos in
cœdem ipsorum excirent. Adfuere mox hinc Robertus Longueuallius Zittardij
dominus, inde Bailliuus Aquicinctini cœnobij Ferricus Guyonius cum aliquot mi-
litibus ingentem rusticorum copiam trahentes; adeóque vino & rapinis onustos na-
cti sunt, vt internecione omnes deleuerint. Noua nihilominus die subsecuto sese
manus pessimorum hominum in easdem partes effudit. Bouuignium, Flinas, Aqui-
cinctum maxima spe iam deuorauerant vel parum animo reputantes, quæ socios
pridie clades oppresserat; vel ab ea plus audaciæ & furoris capientes. At rustici co-
gnito eorum aduentu in magnum celeriter agmen coiuerunt, iísque aliquot viri
militares arma vírésque iunxere. Nec difficile ipsis fuit eam colluuiem sacrilegam
ferro perdere, quam Deus in manifestam scelerum punitionem huc pertraxerat. I-
gitur omnes ita deleti sunt, vt Duacensis agri cultores in posterum quieti religionem
Catholicam, vt anteà semper fecerant, gnauiter percolerent.

In alio Insulensis Castellaniæ tractu cùm Marquettanam Abbatiam delati aliun-
D de Gueusij (hæreticos ita nominabant) violenter inuasissent; ibi s[illegible]um in res sa-
cras bellum exorsi per summam iniuriam corrupissent omnia; in aliis etiam pago-
rum templis statuas & imagines violassent: tum denique magnum indigenas eo-
rum odium incendit. Igitur audente Cornelio (qui de fabro ferrario hæreticorum
concionator & dux euaserat) haud procul Insula Marquam Bareulhij copias dedu-
cere, vehemens atque iustus Insulensem militem furor inuasit; statímque is duce Gu-
bernatore Rasseghemij Barone, cum aliquot nobilibus portis egressus, hostes adeò
cecidit, vt fusi fugatique Quesnoyam ad Deullam fluuium sese receperint. Auctis
illic copiis, quadringentos circiter viros armis instructos Waterloum Cornelius
pertraxit. Verùm ibi parum iis esse tutis licuit. Nam mox Insula cum nobilibus ali-
quot, & vrbis præsidio progressus Gubernator Baro Rasseghemius illic assequitur;
partim eos cædit, partim in fugam conficit. Et cùm plerique templum eius pagi oc-
cupatent, ibique sese tueri contenderent, iniectis portæ tectóque flammis id exarsit:

aliquot eo absumpti sunt incendio; ceteri noctu vix euasere. Haud multò pòst iuxta Lannoyam alias copias idem Cornelius aliíque duces hæreticorum contraxere, multíque ad eos ex Tornacesio & aliunde confluxere magno ardentes desiderio facinus atrox audendi: digressus autem Insula Rasseghemius cum equitibus centum pedestri vrbis præsidio, & supra bis mille rusticis, eos adoriri parabat. Verùm maioribus copiis Toparcha Noircarmius imminentis Rasseghemij prorsus ignarus, in sacrilegum hostem adeò repens & vehemens incubuit, Lannoyam inter & Lisium, vt mille quingentos ceciderit, ceteros in fugam egerit, captis eorum signis quindecim. A

Igitur tot cladibus hostilium copiarum is ardor Gallo-flandriam infestandi extinctus est eo tempore: quíque posteà rursus, dum Ordines ab rege dissentiunt, nouis hanc regionem damnis motus affecit, & per hæreticos Insulam Duacum, Cominium, & alia loca pessundare instititit, ita denique est oppressus, vt nullum ferè iam eius exstet malorum vestigium. Itaque populus iis persunctus periculis & laboribus, antiquo more, déque legibus Catholicæ religionis, vitam agitare porrò perrexit alacriùs. Instaurata sensim omnia sunt, quæ furor hæreticus in Monasteriis & templis ferro & igni corruperat. Quæ mentem sani dogmatis certam & piis lætam officiis afferunt, ea omnes ardentiùs capessiuere. Id verò vt manifestiùs cognoscatur, libet proximis aliquot capitibus quædam producere insignis argumenta religionis, quæ iam inde à principio Ecclesiæ Catholicos produnt, & quibus à multis retrò sæculis nobilitati sunt Gallo-flandri. B

Qua pietate erga Deum, quo cultu erga res sacras insignes se præstent Gallo-flandri. C

CAPVT V.

IGITVR quantus ardor pietatis, & cultus in Deum, résque sacras Gallo-flandros impellat, primo est loco significandum: quoniam inter alias Catholici populi notas is admodum censetur. Quibus hunc prodi videam, multa prorsus inuenio. Ab ipsa diuinorum celebritate mysteriorum exordiar. Itaque cùm dies vel Domino, vel Deiparæ matri, sanctísque sacer illuxerit, siue Missæ sacrificium peragatur, siue preces vespertinæ & laudes occinantur: semper ingens templa populus frequentat, ibíque Deum & Sanctos ardentibus votis & obsequiis prosequitur, multísque precibus in auxilium deuocat. Eorum, qui sordes animorum eluant pœnitudinis Sacramento, dein sese reficiant sacrosancto Christi corpore, in vrbibus præsertim & oppidis, ac plerísque pagis nobilioribus insignis semper numerus iisdem diebus visitur. Et quo maior subeat eius rei admiratio, etiam feriatis lucibus ad ea multi mysteria, & mentium purgamenta vltrò conuolant. Dum sacerdos sacris carminibus aquam & salem expiat, iísque commixtis lustrat adstantes, scelus arbitrantur illinc abesse, & minimè aspersione contingi: ideóque densis agminibus eo tempore templa penetrant; & se tutos existimant, vbi fuerint aspersi. Eius etiam sacri laticis, semper aliquid domi elegantibus in vasis diligenter asseruant fascinationibus, & hostium timoribus abstergendis. Vbi de doctrina Christiana, boníSque moribus ab Ecclesiastis è sacro pulpito disseritur; frequenti semper eos corona circumueniunt, & attentè dicentium verba excipiunt: vt quibusdam sit voluptati tribus vno die aures præbuisse. In ciuibus non adeò demiror vel hodiernam vel veterem frequentiam: & si multa sæpè millia numerentur, aut censa fuerint. In rusticis quod stuporem faciat nunc enarrabo. Cœptus est nuper ab vno de nostræ Societatis hominibus ager Insulensis eum in modum sacris laboribus excoli, vt parandis ad peccatorum pœnitudinem animis, per aliquod tempus continenter diebus D

FESTORVM OBSERVATIO APVD GALLO-FLANDROS.

SACRAMENTORVM POENITENTIÆ ET EVCHARISTIÆ FREQVENTATIO.

AQVÆ LVSTRALIS ET VERBI DIVINI CVPIDITAS.

singulis

A singulis tum prophanis tum sacris quater ad populum dicat. ad horam manè quartam primò pulpitum ascendat; vltimo vesperi sub horam itidem quartam. vti celebrent templum, etiam è vicinis plurimi locis & pagis excientur. ergò dum piis multitudinem verbis vel erudit, vel accendit sacerdos, ita frequenti concione circumuenitur, vt nihil ferè vacuum in templo appareat. eos mortales neque noctis tenebræ, neque salebræ viarum, neque nimbi, neque frigus absterrent; non familia, non opera, non paupertas domi retinent, cùm hora manè quarta imminet. adeóque relictis omnibus rebus ardenter domo euolant, vt priusquam concionator verba faciat, angustiæ templi quosdam excludant.

PRECES PVBLICÆ ET RES PIACVLARES APVD EOSDEM QVANTI FIANT.

Cùm variis supplicia & orationes locis indicuntur, vel pacandi numinis causa, & auertendis cladibus, vel agendis, propter accepta beneficia, immortali Deo gratiis: frequens semper populus in preces & laudes incumbit. Et mirè capitur gens nostra piacularibus rebus, ac peccatorum & pœnarum indulgẽtiis, quas impertit Romanus Pontifex. ideóque agnos cereos, cruces, numismata, imagines eiusdem summi ecclesiæ moderatoris concessione expiandi vim animis afferentes enixè semper cuncti
B expetunt. Et quoties inedia, precibus, animorum expurgatione, sacrosancti Christi corporis pastu demerenda est criminum & suppliciorum his debitorum remissio: hæc ardenter omnia complectuntur: vt multa frequenter in vrbibus, oppidis, & pagis etiam millia hominum apud sacerdotes eò deponant animi sordes, & sanctissima sese Eucharistia reficiant. Id peculiare de pagis, & vicis pronuper accepi: cùm Societatis Iesu sacerdotes ad promerendas id genus animorum expiationes peccata confitentibus variis in locis aures darent, etiam per summas hyemis, itinerum, cæli, & noctis iniurias hora tertia matutina ex ædibus ad templa concurrisse, ibique nondum patentibus ianuis cum multa sub dio patientia sacerdotem præstolatos.

PROCESSIONES QVAM AB IISDEM CVPIDE OBEANTVR.

Quoties verò supplici ritu à Clero, & Religiosis, cum crucibus, labaris, & cantu procedentibus, vrbes, oppida, pagi, & agri obeuntur impetrandi cælitus rei cuiuspiam gratia, aut habendis post acceptum diuinitus auxilium numini gratiis:
C ingens quoque semper hominum multitudo comitatur; quorum alij pompam præcedunt. alij ponè sequuntur, multâ omnes precę Deum obsecrantes. Neque per hyemem imbres, & viarum difficultates, neque per æstatem solis ardor tam pio comitatu multos arcent. Et quia frequentes eiusmodi Supplicationes annuæ recurrunt vel ipsa itineris longitudine, vel pompa, vel pietate obeuntium præcipuæ: lubet hîc aliquas earum recensere, ipsarúmque institutionis causas, quantum licebit, proponere. Quas rustici suscipiunt instituto veteri, minus pompæ, fatigationis plurimum habent: & tamen ab iis libenter ac iucundè peraguntur. Per æstatem circa festum Pentecostes iis solenne est pagorum suorum fines eo ritu circumire, tanta itineris interdum protensione, vt leucarum quidam quatuor, alij quinque, aut etiam sex spatium eo circuitu complectantur, ne quem pagi limitem non lustrent. Et hoc sacrum iter ieiuno corpore maximam partem conficiunt impetrandis à Deo terræ fructibus. Ipso Sanctissimæ Trinitatis festo recurrente omnibus decanatus Sicliniensis Curionibus ab olim necessitas incumbit ad Sicliniense templum è pagis tri-
D ginta plebẽ cum cruce sacrísque labaris suppliciter deducendi. Eodem ritu quõdam Insulensis Decarchiæ Parochi quatuor & quinquaginta Parochiarum populum ad eandem ædem deducere obligabantur sexto die Hebdomadis, qua Spiritus Sancti aduentus colitur. quamquam earum quædam quatuor, aut quinque leucis inde disterminentur. Sic enim apud Franciscum Pietinum in Chronico Phanopinensis monasterij scriptum reperio, vbi sermo est de Anselmo Tornacensi Episcopo: *Cuius Episcopatus anno secundo, Domini autem anno* 1147. *Siclinianæ illæ Supplicationes multò celeberrimæ ex Decarchijs Insulensi & Sicliniensi constitutæ sunt; in quibus* 84. *Curiæ parochiales numerantur. Insulanæ quidem Decarchiæ* 54. *Siclinianæ verò* 30. *quarum Parochi vnà cum plebe prælatis cruce & vexillis sacris quotannis Siclinium petunt, ex Insulensi quidem Decarchia feria sexta post Pentecostem, ex Sicliniana verò die festo Trinitatis, quibus diebus eas habere placuit. Exstant de ea re à Summis Pontificibus priuilegia.* Ita Pietinus, qui supremum diem obiit post natum Seruatorem anno supra millesimum & quin-

HARVM ALIQVÆ PROPONVNTVR, EARVMQVE CAVSÆ ERVVNTVR.

SVPPLICATIONES, QVAS CRVCES NOMINANT.

SICLINIANÆ PROCESSIONES.

gentesimum

gentesimum quinquagesimo sexto. Quod verò præcipuum his de Supplicationibus datum est à Sede Apostolica priuilegium, id à Clemente Tertio Pontifice Maximo est profectum, è cuius bulla Siclinienſis ecclesiæ bona confirmante hæc sunt verba: *Visitationis insuper ecclesiarum omnium ad Insulanum Decanatum spectantium, quæ fiunt ad ecclesiam vestram in honore S. Piati Martyris sexta feria Pentecostes, sicut à quadraginta retrò annis noscitur obseruatum, eidem ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus.* Quia verò dum hæc Clemens scriberet, vnicam octoginta quatuor Curiæ Decarchiam conficiebant, neutiquam debes mirari, quòd Insulensis tantùm Decanatûs, & non simul Siclinienſis meminerit Pontifex: ea námque diuisio postmodum facta, quæ detractas Insulensi parœcias triginta Siclinienſi Decanatui attribuit. Id quod his verbis Siclinienses Canonici ad marginem Bullæ Clementis adscripsere: *Hodie diuisus est vnus Decanatus, quia habemus Decanatum Christianitatis Siclinienſem: & sic parochiæ vtriusque Decanatus tenentur Ecclesiam Siclinienſem visitare.* Harum autem Supplicationum rationem si cupias agnoscere, eam verbo Clemens Pontifex indicat, cùm scribit ad honorem S. Piatonis institutas. Non leuiter mouit scilicet maiores nostros insigne per beatum hunc Martyrem acceptum Euangelij, & fidei Christianæ beneficium, vt quem primum norant suæ regionis Apostolum, in grati eum animi signum agminatim adirent, corámque supplices colerent. Quod verò his temporibus Insulensis vrbis Curiones suas Siclinium parœcias non deducant suppliciter, ac solùm dicto die sua ritu solenni templa obeant: non id remissum in S. Piatonem cultum arguit; verùm ex indulto profectum est, quo Guilbertus Ogniesus Tornacensis Episcopus ad Christi annum 1566. potestatem iis fecit, ob infestos fidei hostes, quorum furore templa fuerant variis locis violata, intra vrbem remanendi, ibíque Sancto Martyri tutiùs sacris supplicationibus obsequendi. Etenim quoties recurrente annis singulis S. Piatonis festo, nouemdialia sacra huic Martyri dedicata solenniter peraguntur: admirabilis prorsus est Insulensium religionis gratiâ, Siclinium ad reliquias eius euntium concursus.

AMBVRBALIS SVPPLICATIO INSVLENSIS.

At enim his omissis eas nunc dispiciamus, quas in vrbibus oppidísque agendis diuino numini gratiis Supplicationes publicas ineunt ciues, quarum non minor tunc pietas, quàm pompa cernitur. Ab Insulensi vrbe ducemus initium, eáque tantùm promemus, quæ speciale aliquid prodent. Igitur ipsa die Dominica octauam venerabilis Sacramenti celebritatem intercurrente, Amburbalis Insulæ Processio quotannis instituitur. Ab temporibus Margaretæ Flandrorum Principis, eiúsque filij maioris natu Guidonis, huius principium arcessitur. Ad eam Clerus omnis, Religiosorum familiæ, Magistratus, sodalitia peregrinorum, opificum collegia, hetæriæ ciuium bellicæ armis varij generis fulgentes conueniunt. Cuiusque sodalitatis imagines, & labara, omnia Diuorum vel corpora, vel magni nominis lipsana, &, cuius causa decreta Supplicatio, Diuæ virginis theca auro & argento rutilans gestantur. A Sancti Petri templo totam intermeat vrbem ea pompa: dein muros extra secundùm fossas lipsanothecæ deferuntur, supremo vrbis Bailliuo eiúsque apparitoribus in equis comitantibus, & præcedente, vel subsequente innumera propè hominum multitudine. Is posteà ritus ab Diui Petri æde digrediendi, & vrbem obeundi suppliciter octo dies à plerisque mortalibus tum Insulensibus tum extraneis celebratur. Et quò plures ad eum pelliciantur, totis nouem diebus peccatorum, & pœnarum indulgentia iis conceditur, qui conscientia ritè purgata præfinitum sacræ viæ spatium orando conficiunt: iísque licet de Principum Margaretæ & Guidonis priuilegio vrbem ingredi, & cum ceteris obeundo supplicare, quos aliàs vel crimina, vel debita muris arcent; nisi fortè fuerint exilio damnati, criminum causa. Vt verò tum ratio institutæ huius processionis omnibus constet, tum etiam priuilegia ipsius gratia concessa melius agnoscantur: placet è veteri Gallico idiomate in Latinum translatas nominatorum Comitum litteras hoc loco legentium oculis proponere.

CVR FVERIT INSTITVTA SVPPLICATIO INSVLENSIS.

Nos Margareta Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, & Guido filius Flandriæ Comes, & Namurci Marchio, omnibus notum facimus, Nos ad honorem Domini nostri Iesu Chri-

sti,

A [illegible] Virginis Mariæ [illegible] ad [illegible] Ecclesiæ [illegible] quam [illegible] Insula Supplicationem [illegible] per ea loca [illegible] quo D [illegible] insignibus miraculis [illegible] in prædicto D. Petri templo decorata, Dominica [illegible] SS. [illegible] perrigatur in per- [illegible] Et quoniam [illegible] plurimæ funduntur, [illegible] ad honorem Domini nostri [illegible] tam viris, quam [illegible] Virginem [illegible]

B [illegible] iam [illegible] confessa est, & in [illegible] publica [illegible] itaque [illegible] D. [illegible] nominum [illegible] & Spiritum [illegible] Decani & Capituli D. Petri Insulensis, in libris [illegible] In cuius rei testimonium & confirmationem [illegible]

[illegible] Comitibus [illegible] Senatus Insulensis [illegible] & Scabini [illegible]

C [illegible] habemus [illegible] Igitur ad maiorem eorum quæ [illegible] firmitatem [illegible] fuerunt anno Incarnationis Domini nostri [illegible] Februario. Quo verò commodius ad dicatam ei [illegible] aliunde peregrini aduenirent eorundem Margare- [illegible] anno sequenti concessum, indultum fuit, vt libertas Insu- [illegible] ad [illegible] inchoaret. Ad peccatorum au- [illegible] quod attinet, quo tempore Margareta Gandique litteras iam [illegible] quàm [illegible] quadraginta dierum, quas [illegible] Apostolicæ Sedis Legatus, dum ageret Ande- [illegible] templum D. Petri [illegible] & venerabunde preces [illegible] S. Crucis in Ierusalem [illegible] Cardinalis [illegible]

D [illegible] Sedis Apostolicæ Legatus [illegible]

[illegible]

iniunctis de pœnitentiis singulis diebus misericorditer in Domino perpetuò relaxamus. A

POSTEA EUGENIUS 4 PAPA.

Biennio post Eugenius Pontifex Romanus eius nominis Quartus non paulo largior visus est. En quæ suo diplomate apud S. Laurentium in Damaso Romæ conscripto concessit 15. Kalendas Octobris anno 1433. *Cum itaque sicut accepimus in ecclesia S. Petri Insulensis, Tornacensis diocæsis quædam Capella sub honore & [illegible] eiusdem B. Mariæ fundata existat, ad quam dilectus filius, Nobilis vir Philippus Dux Burgundiæ [illegible] partium Dominus temporalis singularis deuotionis specialem gerit affectum, & in qua ob reuerentiam cuiusdam solennis Processionis, quæ inibi in Dominica festiuitatem eiusdem S. Trinitatis immediate sequenti celebratur, & alijs octo immediate sequentibus diebus copiosa Christiani populi confluit multitudo: nos igitur ipsam Sanctissimam Trinitatem pia & fideli deuotione amplectentes, ipsamque, ac eandem Virginem, quæ orat pro populo, intercedit pro Clero, & pro deuoto fœmineo sexu, à cunctis Christi fidelibus summo studio venerari affectantes, nec non cupientes, ecclesiam prædictam tam processionaliter, quàm alias, Dominica & alijs diebus huiusmodi à fidelibus ipsis pijs orationibus deuotè annuatim visitari, & in suis structuris & ædificijs reparari, ac in statu prospero conseruari; utque fideles ipsi eo deuotius confluant ad eandem, ac pro reparatione & conseruatione huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc maiori indulgentiarum munere sperauerint se suffultos: de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ecclesiam eandem Dominica & alijs diebus prædictis processionaliter, vel alias, deuotè visitauerint, ac ad reparationem, & conseruationem dictæ ecclesiæ eiusque fabricam caritatis subsidia erogauerint, Dominica videlicet septem annos, & totidem quadragenas; singulis verò alijs diebus prædictis, quibus processioni interfuerint, aut visitauerint, & contribuerint, ut præfertur, centum dies de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer perpetuis temporibus relaxamus.* B

ET CLEMENS 8. PONTIFEX ROMANUS.

Ætate nostra longè liberalius pontificia vsus est potestate Clemens Octauus itidem Romanorum Pontifex. Cum enim priuilegijs & Confraternitatem D. Virginis Cancellatæ, & Supplicationem Deiparæ matris gratia institutam prosequitur, hæc diplomati suo inserit: *Necnon tam ipsis nunc, & pro tempore Confratribus, quam alijs utriusque sexus Christi fidelibus similiter pœnitentibus & confessis ac sacra communione refectis, qui ecclesiam seu Capellam dictæ confraternitatis Dominica infra octauam Sanctissimi Corporis Christi à primis vesperis, usque ad occasum solis eiusdem diei singulis annis deuotè visitauerint, aut processionem à Confraternitate eadie fieri solitam in [illegible] [illegible] parte [illegible], & [illegible] Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quod Confratres prædicti [illegible] plenariam semel omnium peccatorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus; quod alias verò non Confratres decem annos, & totidem quadragenas [illegible], seu alias quomodolibet debitis pœnitentijs, in forma ecclesiæ [illegible].* Ita Clemens qui sub finem diplomatis, concessas Confratribus indulgentias in perpetuum producit, alijs donatas decennio definit. Igitur ita [illegible] Gallo-flandriæ populi quanta religione quotannis Supplicationem [illegible] [illegible], nunquam satis ex vero dixerim. Quo die pompa procedit, ab hora quarta matutina, totam ferè viam à viris capita nudis, à mulieribus partem nudos pedes [illegible] videas; magno vbique silentio incedere; precatorios manibus globulos [illegible], & numen vnà magnamque matrem precari aspicias. Eo denique [illegible] [illegible] non tanta copia, sequentibus octonis diebus supplices passim commeare [illegible]. D

PROCESSIO PEREGRINORUM HIEROSOLYMITANORUM INSULÆ.

Cum verò dies [illegible] Exaltatæ Crucis Dominicæ redierit, aliam Insula videt supplicantium seriem. Eorum hæc gratia celebratur, quos per [illegible] [illegible] & mariam turbulenta magnus ardor impulit religionis [illegible] petere Solymæ [illegible] [illegible], visendis illic instrumentis & monumentis nostræ salutis. Nono [illegible] [illegible] ex D. Mauritij templo prodit ea Supplicatio peractis illic [illegible] [illegible] [illegible]. Præcedunt agmine longo Patres Capucini. Sequuntur puellæ Sibyllarum habitu, quæ Christi patientis instrumenta præferunt. Has [illegible]

rorati

A ronica ſuccedit cruentatam in flammeo Chriſti faciem oſtentans. Dein ipſi peregrini magno numero capita detecti, palmæ ramum manu geſtantes, pietate & modeſtia conſpicui procedunt. Intra ſingulos pueri byſſina ferunt vexilla, vbi præcipua redemptionis humanæ myſteria elegantibus depicta coloribus patent. Ponè ſunt aliqui ſacerdotes. Igitur hi omnes ea proceſſione Mauritiano de templo digreſſi vrbis mœnia conſcendunt, totúmque ipſorum ambitus ſpatium conficiunt. fixas illic ſtationes adeunt ſeptem, quæ Dominicæ Paſſionis è candido lapide ſculpta eleganter myſteria repræſentant: ſacra interim turba ſacerdotum occinente, & innumera ſubſequente ciuium multitudine. Huius inſtituti ritus ratio duplex propoſita. Primum enim eo comparatæ nobis à Chriſto ſalutis beneficium recolitur; deinde ob felicem itum reditumque peregrini grates numini perſoluunt.

Et quotannis iſtic primo die Octobris Dominico ad maiorem Sodalitatis Virginei Roſarij claritudinem à Patribus Dominicanis ſolenni Supplicatio pompa poſt meri- B diem inſtituitur per principes vrbis plateas, multis quà pueris, quà puellis vario ſchemate, & ornatu prodeuntibus, ac Deiparæ matri, eiúſque Roſarij myſteriis magnificè obſequentibus. Incedunt primò virgines, quæ ſingula ſingulæ oſtentant D. Virginis ſymbola, quorum memoriam ingerunt deprompta ſacris è litteris Litaniæ. Subſequuntur Sibyllæ, quarum carmina Chriſti matrem, ipſúmque collaudant. Subinde viſuntur veteris teſtamenti matronæ, omnes, quæ ſuis, ceu figuris, expreſſere ſanctiſſimam Virginem factis, & virtutibus. Dein alij atque alij perſonati pueri ac puellæ omnia Roſarij Virginei myſteria repræſentant, ſingulorum ſcenis aliquo in vibranti byſſinoque vexillo prætudente ſymbolo. Ea præcedunt, quæ Virgini matri voluptatem fecere. ſubſequuntur ea, quæ magnis eiuſdem animum agitauere doloribus tertio parent loco, quæ ſummam ipſi gloriam conciliant. Pone ſubeunt cum diuo Dominico præcipui eiuſdē Ordinis Sancti. Et mox Ioannes Auſtriacus in equo ſublimis, & Turcos in vinculis tenens conſpicitur. Agmen claudunt ipſi Patres S. C Dominici aſſeclæ, & geſtatum ſub vmbella Chriſti corpus. Populi ſuppliciter procedentis magna retrò vis incumbit. Ad magnificentiam igitur & religionem hic nihil deſideres. Non ipſa modò pompa, verùm etiam parietes nihil non ſplendidum præbent. Æquè ſpectantis & incedentis populi relucet pietas. Si tam ſpecioſæ quæras proceſſionis occaſionem, vnà cum Virginalis Roſarij veneratione grates ad inſtitutionem eius concurrere. Vt enim B. Virginis ope obtenta fuit a Ioanne Auſtriaco de Turcis ad Lepantum naualis victoria, quam Pius V. Pontifex è Dominicana familia in ſummum eccleſiæ Præſidem aſcitus præſignificauerat: ità prorſus conſentaneum videtur, vt pro tanto beneficio inſignes Deo grates cùm prælúdente gratiis & laudibus ſanctiſſimæ Virginis pompa, referantur.

Processio Virginei Rosarii Insulæ.

Minus habet magnificentiæ, at non minus religionis, & grati erga Deum animi, quam ſingulis annis menſe Maio Clerus omnis, Religioſorum familiæ, & Senatus vniuerſus Proceſsionem adornant geſtato publicè Euchariſtiæ ſacramento. Etenim vt in ea nihil ad pompam vel deferatur, vel procedat: certè memoriam ingerit illius D ingentis beneficij, quo Belgij rebellibus erepta eſt diuinitus facultas Inſulam Regi Catholico per occultas quorumdam molitiones eripiendi: ac prorſus eò inſtituitur, vt palàm ideò numini grates ab omnibus Inſulenſibus habeantur.

Processio in actionem gratiarum pro seruata vrbe Insulensi.

Qui proximus eſt poſt decimum ſextum Iunij Dominicus dies, is Duaci ſolemnem exhibet Supplicationem. Cum vtroque Collegio Canonicorum, & Parochialibus ſacerdotibus omnes ſacri Ordines, vniuerſus vrbis magiſtratus, & cum ſuis Rector Vniuerſitatis ad eam prodeunt præcedentibus opificum claſſibus, peregrinorum ſodalitiis, & bellicis ſocietatibus. Diui Mauronti, S. Amati, & aliorum cælitum corpora, dein præcipua vtriuſquè Canonicorum eccleſiæ lipſana, decenter & ordine ſuo geſtantur. Ab diui Amati templo præfulgentibus crucibus, ſacris vexillis expanſis, multiſque luminaribus accenſis benè manè per mediam vrbem ad Deiparæ Matris ædem procedit ſupplex id agmen, multo vel prægrediente, vel ſubſequente populo tam vrbano, quàm extraneo: ibique decantata muſicè miſſa, conſcenſis mœ-

Ambvrbalis supplicatio Dvacensis.

nibus per totum vrbis ambitum diuorum Reliquias aut defert aut comitatur. Cùm ad ſingulas peruentum eſt portas, illic paullum quieti conceditur, donec aliqua Clerus in gratiarum actionem cecinerit. Ea ſcilicet tota proceſſio eum in finem ad Chriſti annum milleſimum quadringenteſimum & ſeptuageſimum nonum inſtitui cœpta, vt quotannis grates numini publicè perſoluerentur, ob ſeruatam ope D. Mauronti vrbem, cùm per inſidias Galli noctu inuadere molirentur, Maximiliano Archiduce, & Maria Flandris & Arteſiis imperantibus. A

Quod pendet in Amatenſi templo iuxta D. Mauronti ſacellum in tabella ſcriptum huius hiſtoriæ monumentum placet hîc oculis lectorum ſubiicere, quamquam Gallicis iiſque veteribus rythmis conſtet:

Vne puiſſante armee de Francois
Deuant Douay s'embucha vne fois
Dedans les bleds, le cuidant deſrober. B
Mais S. Morant de ſon & franc chois
L'en preſerua. car on voulut tirer
Vn coup d'engien, qui les fiſt retirer
Deuers Arras: & laiſſerent pour vray
Ces deux buches aſſés pres de Douay,
Auſsi ces pieds de chieures, que vous véz.
Et fut ce faict, ſi vous ne le ſcauez,
Mil quatre cens ſoixante dix & neuf,
Qui ſembla lors aux habitans bien nœuf,
Vn Merquedy de Iuing le ſeixiſme. C
Dont pour louer Dieu de ce bon regime,
Et S. Morant, d'vne proceſsion,
Le peuple en fait par deuotion
Sur les creteaux vne fois l'an portant
Pluſieurs ioyaux, & ſon S. corps portant
Que au predict iour nous fit tel ſubſide
Contre Francois, qui cuiderent entrer
En la porte par vn cheual ſans bride,
Qui fut commis pour le guet abuſer.
Mais les Francois ayans tous à muſer
S'enfuirent. A Dieu en ſoit la glore
Et au bon Sainct, que nous deuons loër,
Iournellement, car c'eſt noſtre adiutore. D

SECVNDA IN EODEM OPPIDO PROCESSIO SOLENNIS. *Lib. 2. Ligni Vitæ 6. Ianuar.*

Alia quoque pia Proceſſione Duacenſes tam religionis ſtudium, quàm grati & memoriam accepti beneficij recolentis animi obſequium oſtentant ipſo trium Regum die. Huius cauſam ita prodit Arnoldus Wionius apud Duacenos patre vrbis Procuratore genitus. *Apud Duacum Flandriæ Commemoratio S. Mauronti Abbatis eiuſdem ciuitatis Patroni, quòd hac die eius meritis, & præſentia liberati ſint Duacenſes à traditione Gaſparis Colinæi ſummi Gallorum Ammiralij, anno Domini 1556. Cùm enim ille hac nocte, in qua præcipuè populus Flandricus ex antiqua conſuetudine merò indulgere ſolet, vrbem capere moliretur, quòd omnes ebrios, ac ſopori deditos ſe inuenturum putaret, apparuit S. Mauronius in ſomnis cuſtodi eccleſiæ S. Amati (in qua ſacrum eius corpus quieſcit) ei que, vt Matutini ſignum daret, vſque tertiò præcepit: quòd cum facere recuſaret, horam Matutini nondum adueniſſe aſſerens, ab eo coactus tandem perfecit. Et cùm Matu-*

A *tinum pulsare se crederet, campanæ ipsæ non Matutini, sed armorum signa dabant: quarum sonitu populus excitatus, ad mœnia cum festinatione armatus properans, ipsum Sanctum veste Monachali fulgidâ, liliis aureis resperfa (sic enim depingitur) indutum, dextrâque regale sceptrum tenentem, ac mœnia circumeuntem, claris oculis viderunt; eúmque donec populus excitaretur, vrbem suam defendisse apertissimè cognouerunt. Cuius beneficij gratia a S. P. Q. Duacensi hac die Processiones solemnes institutæ sunt, in quibus venerandæ eius reliquiæ in capsa argentea reconditæ, maxima cum populi frequentia & deuotione, ab ecclesiæ Canonicis reuerenter deportantur.* Hactenus Arnoldus, causam huius ritus seruatæ per S. Maurontum vrbis beneficio adscribens: Cuius quoque ad fidem huius miraculi firmandam hæc sunt in Notis verba de Processionibus: *His in comitatu patris mei Amati Wion, vrbis illius Procuratoris generalis, qui primus omnium, vt mihi pluries retulit, mœnia armatus conscendit, visionémque hanc mirabilem videre prior meruit, interfuisse, Reuerendissimúmque Dominum D. Franciscum Richardotum illius, & Atrebatensis ciuitatis Episcopum, summæ doctrinæ virum (qui Concilio Tridentino maxima sua cum laude* B *adfuit) rem gestam populo pandentem proprijs auribus sæpiùs audisse me recolo.*

Et gratam aduersus Deum mentem alia in eodem oppido prodit Supplicatio. Etenim festis Paschalibus publicè procedit cum Vniuersitate & Magistratibus, & Religiosis Clerus omnis, vti gratias rerum opifici & gubernatori habeat, qui per diem Cœnæ Dominicæ imminentem vrbi cladem auertit, cùm Fidei hostes, regiíque, cæca molitione quorumdam ingruerent, & tantùm non in potestatem eam redigerent, anno partæ salutis supra millesimum & quingentesimum septuagesimo nono.

ALIA SVPPLICATIO DVACENSIS OBSERVATVM OPPIDVM.

Tam solemnem supplicandi publicè ritum non omittunt Cominienses. Suam hi pompam ducunt secunda Iulij Dominica die. Ad eam cum Canonicis & Curionibus & Senatu ciues armorum societatibus adstricti, opifices, quíque peregrinationes obiuere, conueniunt. Institutionis huius causam aliam nescio, quàm acceptorum olim à S. Chrysolio beneficiorum memoriæ professionem.

ANNIVERSARIA PROCESSIO COMINIENSIS.

Neque verò sua deest solemnis Processio Bassensibus. In primum diem Domi- C nicum Iulij ea incidit. Ad primum & quinquagesimum post millesimum & quingentesimum annum institui cœpit, cùm Romanus Pontifex Iulius Tertius oppido concessit venerabilis Christi corporis Sacramenti Sodalitium. Eam præsertim Clerus, Senatores, opificum collegia, peregrinorum hetæriæ, & bellicæ societates constituunt. Pro loci modulo ad splendorem & pietatem nihil desideres, accepti beneficij memoria vehementer ad vtrumque animos ciuium impellente.

SOLENNIS PROCESSIO BASSEÆ.

Et singulis annis, ipso die sanctissimi Sacramenti celebritati consecrato, Amburbalem habet Supplicationem Armenteria, eámque omni, qua potest, condecorat pompa & ornatu, Clero, Capuccinis, opificum classibus, & eorum, qui peregrinationes obierunt, sodalitatibus aggregatis, ac fulgentibus in armis oppidanorum collegiis militaribus. Eius originem à Confraternitate Sacrosancti Christi corporis fluxisse mihi persuadeo: tum vt omni Eucharistiam honore prosequerentur; tum vt etiam id beneficium publica pompa testarentur Armenteriani, quod Martinus apud Atrebates D. Vedasti Archimandrita & Cardinalis S. Eusebiæ Atrebatensis Episco- D pi Vicarius generalis impertiuerat; cùm flagitante Maria Villæa, Fiennarum & Armenteriæ domina, venerabilis Sacramenti Sodalitium ipsis concessit.

ANNVA SVPPLICANDI POMPA ARMENTERIÆ.

Secunda mensis Maij Dominica die suam quoque pompam Supplicationis adornat Lannoya, in quam Clerus, Cruciferi, Senatus, & militaria Collegia variis armis fulgentia conueniunt, postquàm in Arcis sacello peractum est solemniter Missæ sacrificium. Ab ipso Ioanne Lannoyo huius oppidi conditore Processionis eius originem arcessunt Lannoyani: eóque asserunt institutam, vt S. Virginis Mariæ laudibus & gloriæ obsecundetur, ac deinde per eam cuncta Lannoyæ felicia impetrentur diuinitus.

ANNIVERSARIA LANNOYÆ SVPPLICATIO.

Ceterorum locorum vel supplicandi publicè ritus proponere, vel rationes, curiis vtantur, indagare, non duco necessarium esse: cùm ex iis, quæ in medium protulimus clarissimum euadat, neque Gallo-flandros obliuione accepta cælitus beneficia obterere, neque publicas eosdem preces aut remissè, aut minùs decenter capessere.

A

Qualia sint apud Gallo-flandros templa; quis eorum ornatus; quis olim ijs dedicandis honor tributus; quo nunc apparatu eorum dedicationis anniuersarius dies colatur Insulæ.

CAPVT VI.

NVNC verò quoniam satis constat, dicata æterno numini templa frequenter sacris in paginis Dei donum nuncupari; eorúmque cultum aliquo pietatis & religionis officio comprehendi: locus hîc requirit, vt paullùm etiam memoremus, quo studio Gallo-flandri sacras ædes percolant, ornéntque. B

STRVCTVRA TEMPLORVM GALLO-FLANDRIÆ.

ÆRA CAMPANA SACRARVM ÆDIVM.

Igitur id imprimis hac ferè tota regione maiores curauere, vt quoties templa conderentur, ea nec parua, nec malè composita essent: firma, sublimis, elegans omnibus ferè turris adiiceretur, vel naui, vel pronao incumbens: in ea fusæ ad harmoniam ex ære Campano tres, aut quatuor, vt minimùm, insignis nolæ magnitudinis penderent: his ad numerum pulsatis sacros ad cœtus mysteriáque omnis populus exciretur. Haud scio, vtrum alibi maiores, & soni gratioris, passim habeant pagi cam panas; vtrùm alibi ad numerum & symphoniam eæ iucundiùs impellantur. Quæ turres templorum Duaci & Insulæ assurgunt, multò maiori nolarum numero gaudent. Vastiores aliis in vrbibus quasdam reperiri facilè concedo: aut plures, aut magis aptas numeris omnibus harmonicè ciendis videri, non æquè admiserim. Equidem Insulæ in omnibus siue D. Petri, siue Parochiarum turribus varij generis campanæ pendent ad musicum aptæ concentum, quibus periti cantus homines quidlibet suauissimè modulantur, stimulandis ad pietatem animis. Intra templa pagorum, pro modo & C

CVLTVS TEMPLORVM IN HOC TRACTV.

DEDICATIONES TEMPLORVM GALLO-FLANDRIÆ OLIM CVM INSIGNI APPARATV PERAGEBANTVR.

HVIVS MAGNIFICENTIÆ ORIGO QVÆ VIDEATVR.

opibus locorum, satis omnia decenti rident ornatu. In vrbibus, oppidis quibusdam, & monasteriis extra vrbes iacentibus, nihil ad cultum desideres, siue sacram supellectilem, siue tabulas & imagines, siue tapetum varios textus aspicias. Quod præcipuam mihi admirationem iniicit, circa templorum encænia, & horum annuam celebritatem proditur. Etenim non semel animaduerti, cùm noua Deo templa dedicarentur, id quibusdam in locis huius regionis summa prorsus pompa & apparatu, præsentibúsque viris maximis, factum fuisse. Huius rei originem, nisi fallit me opinio, ad præclarum illum Flandriæ & Neruiorum Apostolum, & sanctissimum pontificem Amandum, reuocandam arbitror. Is enim cùm Elnonensis monasterij ædem, quam ædificari curauerat, dedicari optaret magnificè: è florentibus illa tempestate vel Episcopis, vel cœnobiorum antistitibus non paucos aduocauit. Id à Chronico cœnobij Elnonensis, vel Amandini doceor, cuius hæc verba: *Idem B. Amandus sub Vitaliano Papa, post multiplices atque felices certaminum cursus, sciens sibi imminere obitus sui diem, ad dedicandam ecclesiam Apostolorum Petri & Pauli, quam construxerat, conuocatis Episcopis in Elnone, sanctis Reolo Remensi Archiepiscopo, Mommoleno Nouiomensi, & Vindiciano Cameracensi; Abbatibus etiam Sanctis Bertino Sithiensi, Adelberto S. Bauonis, & Ioanne Blandiniensi &c.* Et verò apparet non sine pompa Martianensis ecclesiam Abbatiæ per ipsum numini consecratam fuisse. Hæc enim ea de re in D

Cap. 6.

Chronico Martianensi leguntur: *Ad Orientalem Marcianensis villæ partem cœnobio ritè composito, & à duobus venerabilibus Episcopis, Autberto videlicet & Amando, † monasterio in honore Apostolorum Petri & Pauli sexto Kalendas Nouembris solenniter dedicato, nobilis matrona Rictrudis voti compos &c.* Vnde non leuis suspicio mihi suboritur, eius dedicationis cærimoniis B. Rictrudem vnà cum multis principibus viris & matronis, ac liberis quoque, interfuisse: cùm ad eam posteà recipiendam is locus aptaretur. Verùm quidquid de S. Amando fuerit, posset aliquis non immeritò arbitrari, B. Euerardum Comitem, & Cysoniensis monasterij conditorem, haud parum

† i. templo

studij

A studij ad condecorandas Ecclesiarum dedicationes contulisse. Prorsus enim mihi compertum est ad condendas ornandásque basilicas eum incubuisse diligenter; vt his docent verbis Cysonienses: *Ecclesias ac monasteria per diuersa eorumdem terræ loca fabricauit: & eas ministris, atque diuinis cultibus studiosissimè perornauit.* Et deinde: *Insuper Vir Dei memorabilis Eurardus per diuersa loca regni Francorum sibi subiecta, quæ sibi vel patrimonio cesserant, vel donationibus prouenerant, basilicas Christi fundauit, reliquiisque Sanctorum Dei, quas vbicunque inuenire potuit, solertissimè decorauit, bonisque suis temporalibus abundantissimè cumulauit.* Igitur nihil fuerit ab vero alienum, qui tantum operæ & pecuniæ struendis templorum molibus impenderit, eum quoque plurimum laborasse, vt cum magnificentia & pompa illa Deo ædificia dedicarentur. Et quoniam præsertim Cysonij ædem præclaro labore molitus est, vbi cum plurimis aliis Sanctorum lipsanis Diui Callisti corpus conseruaretur, ac multa veneratione coleretur: omnino credi potest, nihil studij omisisse, vt illa secundum eam, qua florebat maximè, religionem, quàm celeberrimè & magnificentissimè consecraretur. Quia tamen nullum video, qui litteris id mandauerit, ad eos

B transeo, quorum hoc in genere præclarissima viderunt exempla Gallo-flandri.

In offic. & in Translat. S. Callisti MS.

Igitur Insulæ D. Petri templum dedicari Deo cùm cuperet Balduinus Flandriæ Comes cognomento Pius, & Insulensis: quò celebrior dedicationis pompa & ornatior esset, omnes suæ ditionis sacros antistites euocauit, & cum ornatu congruente, omnia diuorum corpora ipsos Insulam afferre iussit: consentanea tum Sanctorum corporibus, tum præsulibus ea deportantibus hospitia præparauit. Ad diem itaque dictam Audomaropoli huc delata diuorum Audomari & Bertini corpora; D. Vedasti, Atrebato; S. Winoci, Bergis; D. Donatiani Brugis; S. Bauonis, Gandauo; beatorum Amati & Mauronti, Duaco; SS. Piatonis & Euberti, Siclinio; diuarum Rictrudis & Eusebiæ, Martianis; S. Euerardi, Cysonio; & alia quædam aliunde conuenientibus insigni Comitatu eorum locorum præsulibus. Qui nouam ædem

DEDICATIO ÆDIS S. PETRI INSVLÆ QVAM APPARATISSIMA.

Ioan. Iper in Chron. Bertin. Iacob. Meier. l. 3.

C ecclesiastico ritu consecrarent, electi præsertim tres Episcopi Balduinus, Drogo, & Guido, quorum ille Nouiomensibus & Tornacensibus præerat, hic Ambianos moderabatur, medius Morinis erat præfectus. Aderant his Archidiaconi Varmundus Cameracensis, Varnerus Taruanensis, Fulchardus Nouiomensis. Inter Principes, qui plurimi festum id frequentabant, agmen ducebant Francorum rex Philippus, Flandriæ Comes celebritatis auctor, eiúsque filius natu maior Balduinus Montensis. Certè nunquam alias plus diuorum, plus antistitum, & Principum eodem Insula tempore intra muros comprehendit. Et magna tunc enituit Comes liberalitate. Ea siquidem ædificia, & fundi, quæ cuique ad hospitandum obtigerant, iis donata sunt præsulibus, qui sacra huc detulerant diuorum corpora. Et superant etiam his temporibus, quæ tantam Comitis beneficentiam obliuione deteri non permittant, seu domus, seu fundi, intra muros extráue, Bertiniensium, Bauonensium, Donatianorum, & Sicliniensium Ecclesiis obnoxia. Qui tanta templum dedicari pompa fecerit, ante Balduini nostri tempora nondum reperi: vt plurimum ipsi debeant Insulenses, quibus hoc etiam modo velificari voluit, dum apud eos præcipuum pie-

Ioan. Iperius & Meier. cit. Florent. Vander-haer. lib. 2. de Cast. Insul.

D tatis officium exhibuit, vnde Pij cognomen iure traxerit. Quamplurimos posteà Principes idem institutum arripuisse, à quibusdam scribitur.

Inter primos patrem secutus est triennio pòst Balduinus Montensis, Flandrorum pollens imperio, qui multum paternæ Religionis Insulæ priùs hauserat. Hasnoniensis monasterij instauratio, & stabilitus illic Benedictini Ordinis Cœtus inter alia eius opera memorantur. Ergo, quam struxerat, ad culmen templi mole perducta, qui dedicarent tres Episcopos acciuit, Lietbertum Cameracensem, Ratbodum Nouiomensem, Rainerum Aurelianensem. Qui verò pompam celebrarent, euocati vndique cœnobiorum antistites. Ad quindecim hos venisse comperio. Iussa etiam deferri ex subiectis ei Comiti ditionibus Diuorum Diuarúmque corpora. Vti apud Thomellnm reperio, vltra quatuor & viginti ea fuere. Et iuuat omnium nomina vnam in seriem conferre, dein vnde fuerint asportata, quantum licebit, locos indicare. Ergo diuum Piatonem misit Siclinium; Eubertum Insula; Rictrudem, &

Thomellus in lib. MS. Hasn. Iacob. Meier. l. 3 Annal. Fland.

 Eusebiam

Eusebiam Martianæ; Amatum Duacense oppidum; Eurardum Cysoniense monasterium. Allatus est Valentianis S. Saluius; Condato Innocentes; Brugis Donatianus; Atrebato Vedastus; ab Elnonensi cœnobio Amandus; è Cellensi Monasterio S. Ghislenus; Comes Hannoniæ Vincentius eiúsque coniux Waldetrudis Montibus; Dononio Ingenfredis & Regina; Haspris Hugo & Aicadrus. Wandregisilum & Bauonem attulere Gandenses; Bertinum Audomareni; Bergenses Winocum; Landelinum Crispinienses. Auxere numerum Marcellus Papa, & nobiles duo Martyres Petrus & Marcellinus, quorum corporibus in eum diem Comes auro gemmísque fulgentem parauerat thecam. Igitur ea Sanctorum copia, & ingens tam sacrorum hominum, quàm Flandricæ & Hannonicæ nobilitatis frequentia, eam templi dedicationem celeberrimam fecere. A

Verùm Insulæ Theodoricus Elsatius, qui posteà Flandris imperauit, eundem religionis spiritum perbiberit, vti primùm in Flandriæ Comitem receptus est, non ausim dicere: at certò Pij & Montensis postmodum vestigiis institit. Etenim postquàm incendio conflagrasset, restitutam in pristinum nitorem diui apud Bergas Wicinoci ecclesiam dedicari oportebat. Quò itaque plus ad eam celebritatis afferret, non modò cum multis nobilibus viris adesse Theodorico placuit: verùm etiam tres Episcopos ei rei nauare; aliqua Sanctorum corpora eò deferri; quosdam assistere præsules, mandauit. Ad hanc iussionem tres ædem pontifices dedicarunt Milo Morinensis, Simon Nouiomensis, & Atrebatium Aluisus. Ad pompam illuc deportata diuorum Audomari, Maximi, Bertini, Erkembodonis, & Folquini corpora. Episcopis adfuerunt Archidiaconi quinque Hugo & Robertus Atrebatenses, Simon Ambianẽsis, Philippus Taruanẽsis, Hugo Nouiomensis. Inter Abbates illic eminebant Simon Bertinicus, Arnulphus Aldemburgensis, Theodoricus Capellæ. E præpositis aderant Gerardus Audomarensis, Balduinus Furnensis, & Casletensis, Isaac Formosellanus, Manasses Waltenensis, Albertus Euersamensis, & Loënsis Ægidius. B

Iac. Meier. l. 5 Annal. anno 1143.

Verùm vt narrationem intra fines Gallo-flandriæ reducamus, Flinas nos euocat Margareta Flandriæ Princeps. Quod ea templum monasterij à se conditi perfecerat, non minori pompa consecrare studuit, quàm maiores olim tum Insulæ (vbi plurimam egit ætatem pietatis operibus intenta) tum alibi curauerant. Eò Petrus Remensis Archiepiscopus, & Philippus Tornacensis pontifex acciti. Templum Petrus dedicauit, octo altaria Philippus. Interfuere celebritatis gratia plurimi variorum ordinum Abbates, & antistites alij. Neque verò Principes magni defuere. Præ cæteris illic emicabant Margareta Flandriæ Comes, Guido filius eius natu maximus, huiúsque coniux Namurcensis Comitissa, Brabantiæ Ducis vxor, Margaretæ filia. Religiosorum, & nobilium, quos eodem religionis ardor traxerat, haud facilè numerus colligi potest, quemadmodum antè ostendimus. C

DEDICATIO ECCLESIÆ FLINENSIS MONASTERII ORNATISSIMA. *Mon. Flinens.*

Lib. 1. c. 42.

Quod ergo tot Principum operâ templis impensum est pietatis officium, quo tempore Deo dedicabantur, id per Gallo-flandriam in posteros ita manauit, vt quoties annuatim recurrit encœniorum celebritas, omni templa veneratione cultúque prosequantur. Nolo hîc omnium & vrbium & oppidorum singula persequi. De solis Insulensibus Parœciis illa quæ vidi frequenter, proferam. Igitur quando per æstatem earum singulæ suis temporibus ad celebrandum dedicationis festum exornantur, labor, impensæ, ornamentorum varietas singula perpendentem ingenti stupore obruunt. Ædituos præsertim tangit ea cura. Duos tresue menses ante celebritatem magnus eos labor, & sedulitas exercent, vti multa comminiscantur, & perficiant, quibus alios superare contendant, ipso stimulante pietatis ardore. Nihilo plùs sumptibus, quàm labori parcitur, vt omnia votis respondeant. Quæ nequeunt in vrbe consequi, magno aliunde impendio petunt. Eo itaque die, qui solennis est annuo dedicati templi festo, nullus est in eo locus, vel angulus, qui non insigni rideat ornatu. Altaria multis tum argenteis, tum inauratis crucibus, vasis, imaginibus, candelabris cumulantur. Parietes omnes & columnæ ab summo ad imum omnimodo peripetasmate nunc beluato, nunc personato; nunc stirpibus, & variis implexè figuris exornato, vestiuntur. Multi cancellatim funes à parietibus & D

ANNIVERSARIA ENCOENIORVM CELEBRITAS PER GALLO-FLANDRIAM, AC PRÆSERTIM INSVLÆ.

columnis

A columnis supernè protenduntur, vnde multiplici modo sectæ, pictæúe imagines, figuræ, & corollæ byssinæ dependeant, In turribus æra campana noctu interdiuque suauissimè ad numerum pulsantur. Intra templum nunc assa voce, nunc modulantibus etiam vel organis, vel omnis generis musicalibus instrumentis diuina mysteria peraguntur, & habentur æterno numini laudes. Adeo semel hausta fideliter, maiores quotidie pietas & religio in animis Gallo-flandrorum vires exerit.

Multas Gallo-flandri Religionis impulsu, Deóque & Sanctis tum venerandis, tum implorandis peregrinationes ineunt.

CAPVT VII.

B NEQVE verò paruum est insignis argumentum religionis, quòd varia Gallo-flandri obeant loca, in quibus vel sacra templa, vel numinis & Sanctorum præsentior opitulatio venerationem cient: cùm à Catholicis præsertim peregrinationes pietatis ergô suscipiantur. Et si rem istam attentiùs dispiciamus; haud facilè toto Belgio populum reperiemus, cui plus voluptatis afferat insignium religione locorum peragratio. Etenim quidquid peregrinationibus celebratur intra fines patrios; quidquid extra propinquum, vel remotum, à piis hominibus aditur: id præcipuo Gallo-flandri ardore expetunt, & frequentant. Certe Insulensibus ea, quæ proxima vrbi sunt sacra loca, vel intra muros consistunt, quotidianum ferè præbent religionis exercitium, & ab ipsis frequentissimè teruntur. Et multis eorum quasi peregrinationum tyrocinia, quæ suis claudit limitibus hæc ditio. Sensim posteà in longinquas etiam regiones abituriunt, impellente potissimùm insita mentibus pietatis vehementia, & non ea excurrendi prurigine, qua nonnulli pueri & iuuenes accensi haud meritò grauem pientissimis ciuibus suis vagandi labem apud plerasque gentes aspergunt. Et quoniam certum est, mentem æternam huic nationi tantum iniicere sacros adeundi locos ardorem: etiam mihi visum est hoc capite in vnam omnia seriem colligere, quibus in hoc tractu terrarum Deus eius obsequi studiis videtur. Sunt enim hic multæ prorsus ædiculæ, multáque templa, vel quæ rerum omnium moderator variis insigniuit prodigiis, vel quæ cultu Sanctorum, & miris adipiscuntur famam & gloriam curationibus, ac beneficiis ad tollendam mortalium multimodam necessitatem collatis; ideóque aduenarum peregrinationibus celebrantur.

GALLO-FLANDRI, AC PRÆSERTIM INSVLENSES, PEREGRINATIONVM CVPIENTISSIMI.

MVLTA LOCA IN GALLO-FLANDRIA PEREGRINORVM ADVENTV FREQVENTANTVR.

Principem hîc locum obtineat id sacellum in Amatensi templo Duaci, vbi sacrosancta Hostia plusquam trecētos annos propter insigne miraculum seruata & visitur & colitur à magna populi frequentia. Tam insignis & stupendæ historiam rei hunc in modum nobis repræsentat Thomas Cantipratanus, qui non modò ea vixit ætate, qua contigit, verùm etiam eius partem oculis vsurpauit. Sic igitur is loquitur: *Oppidum Duacense amplum & magnum est inter Cameracum à dextris viæ, & Atrebatum nobilissimas ciuitates. Hic in ecclesia Canonicorum S. Amati Episcopi quum sacerdos in Paschâ communicato populo, Corpus Christi super nudam terram stupidus inuenisset, & flexis genibus eleuare tentasset, mox per se in aëra subleuatum, panniculo, quo consecratos digitos sacerdos detergere solet, inhæsit. Clamans ergo presbyter Canonicos vocat: accurrunt illi: spectant in panno Corpus viuificum, in specie faciei venustissimi pueri. Et mox conuocato populo ad spectaculum præsentatur, & indifferenter nulli tanta cœlitus visio denegatur. Hæc cùm audissem fama vulgante, veni in oppidum, quod prædixi. Accessi ad Decanum dictæ ecclesiæ, cui optimè notus eram. Petij videre miraculum, annuens ille præcepit, vt fieret. Aperta est theca, concurrit populus, móxque vt pyxis reuoluitur, clamant omnes: Ecce conspicio Saluatorem. Stabam ego attonitus, nihil videns, nisi tantum speciem panis albissimi. nihil quidem conscius mihi, quare sacrosanctum Corpus cum cæteris non viderem. Nec*

C, D — AN. 1254.

TEMPLVM AMATENSE DVACI, OB MIRACVLOSAM EVCHARISTIAM.

Lib. 2. Ap. c. 40. n. 2.

Eusebiam Martianæ; Amatum Duacense oppidum; Eurardum Cysoniense mona- A
sterium. Allatus est Valentianis S. Saluius; Condato Innocentes; Brugis Donatia-
nus; Atrebato Vedastus; ab Elnonensi cœnobio Amandus; è Cellensi Monaste-
rio S. Ghislenus; Comes Hannoniæ Vincentius eiúsque coniux Waldetrudis Mon-
tibus; Donomio Ingenfredis & Regina; Haspris Hugo & Aicadrus. Wandregisilum
& Bauonem attulere Gandenses; Bertinum Audomareni; Bergenses Winocum;
Landelinum Crispinienses. Auxere numerum Marcellus Papa, & nobiles duo
Martyres Petrus & Marcellinus, quorum corporibus in eum diem Comes auro
gemmisque fulgentem parauerat thecam. Igitur ea Sanctorum copia, & ingens tam
sacrorum hominum, quàm Flandricæ & Hannonicæ nobilitatis frequentia, eam
templi dedicationem celeberrimam fecere.

Vtrùm Insulæ Theodoricus Elsatius, qui posteà Flandris imperauit, eundem
religionis spiritum perbiberit, vti primùm in Flandriæ Comitem receptus est, non
Iac. Meier. l. 5 Annal. anno 1133. ausim dicere: at certò Pij & Montensis postmodum vestigiis institit. Etenim post-
quàm incendio conflagrasset, restitutam in pristinum nitorem diui apud Bergas B
Wicinoci ecclesiam dedicari oportebat. Quò itaque plus ad eam celebritatis affer-
ret, non modò cum multis nobilibus viris adesse Theodorico placuit: verùm etiam
tres Episcopos ei rei nauare; aliqua Sanctorum corpora eò deferri; quosdam assiste-
re præsules, mandauit. Ad hanc iussionem tres ædem pontifices dedicarunt Milo
Morinensis, Simon Nouiomensis, & Atrebatium Aluisus. Ad pompam illuc depor-
tata diuorum Audomari, Maximi, Bertini, Erkembodonis, & Folquini corpora. Epi-
scopis adfuerunt Archidiaconi quinque Hugo & Robertus Atrebatenses, Simon
Ambianẽsis, Philippus Taruanẽsis, Hugo Nouiomensis. Inter Abbates illic emine-
bant Simon Bertinicus, Arnulphus Aldemburgensis, Theodoricus Capellæ. E præ-
positis aderant Gerardus Audomarensis, Balduinus Furnensis, & Casletensis, Isaac
Formosellanus, Manasses Waltenensis, Albertus Euersamensis, & Loënsis Ægidius.

DEDICATIO ECCLESIÆ FLINENSIS MONASTERII ORNATISSIMA. Mon. Flinens.

Verùm vt narrationem intra fines Gallo-flandriæ reducamus, Flinas nos euocat
Margareta Flandriæ Princeps. Quod ea templum monasterij à se conditi perfece- C
rat, non minori pompa consecrare studuit, quàm maiores olim tum Insulæ (vbi
plurimam egit ætatem pietatis operibus intenta) tum alibi curauerant. Eò Petrus
Remensis Archiepiscopus, & Philippus Tornacensis pontifex acciti. Templum
Petrus dedicauit, octo altaria Philippus. Interfuere celebritatis gratia plurimi va-
riorum ordinum Abbates, & antistites alij. Neque verò Principes magni defuere.
Præ cæteris illic emicabant Margareta Flandriæ Comes, Guido filius eius natu ma-
ximus, huiúsque coniux Namurcensis Comitissa, Brabantiæ Ducis vxor, Marga-
retæ filia. Religiosorum, & nobilium, quos eodem religionis ardor traxerat,
Lib. 1. c. 41. haud facilè numerus colligi potest, quemadmodum antè ostendimus.

ANNIVERSARIA ENCOENIORVM CELEBRITAS PER GALLO-FLANDRIAM, AC PRÆSERTIM INSVLÆ.

Quod ergo tot Principum operâ templis impensum est pietatis officium, quo
tempore Deo dedicabantur, id per Gallo-flandriam in posteros ita manauit, vt quo-
ties annuatim recurrit encœniorum celebritas, omni templa veneratione cultúque
prosequantur. Nolo hîc omnium & vrbium & oppidorum singula persequi. De so-
lis Insulensibus Parœciis illa quæ vidi frequenter, proferam. Igitur quando per æ- D
statem earum singulæ suis temporibus ad celebrandum dedicationis festum exor-
nantur, labor, impensæ, ornamentorum varietas singula perpendentem ingenti
stupore obruunt. Æditu os præsertim tangit ea cura. Duos tréíue menses ante cele-
britatem magnus eos labor, & sedulitas exercent, vti multa comminiscantur, &
perficiant, quibus alios superare contendant, ipso stimulante pietatis ardore. Ni-
hilo plùs sumptibus, quàm labori parcitur, vt omnia votis respondeant. Quæ ne-
queunt in vrbe consequi, magno aliunde impendio petunt. Eo itaque die, qui so-
lennis est annuo dedicati templi festo, nullus est in eo locus, vel angulus, qui non
insigni rideat ornatu. Altaria multis tum argenteis, tum inauratis crucibus, vasis,
imaginibus, candelabris cumulantur. Parietes omnes & columnæ ab summo ad
imum omnimodo peripetasmate nunc beluato, nunc personato; nunc stirpibus, &
variis implexè figuris exornato, vestiuntur. Multi cancellatim funes à parietibus &
columnis

A columnis supernè protenduntur, vnde multiplici modo sectæ, pictæúe imagines, figuræ, & corollæ byssinæ dependeant. In turribus æra campana noctu interdiúque suauissimè ad numerum pulsantur. Intra templum nunc assa voce, nunc modulantibus etiam vel organis, vel omnis generis musicalibus instrumentis diuina mysteria peraguntur, & habentur æterno numini laudes. Adeò semel hausta fideliter, maiores quotidie pietas & religio in animis Gallo-flandrorum vires exerit.

Multas Gallo-flandri Religionis impulsu, Deóque & Sanctis tum venerandis, tum implorandis peregrinationes ineunt.

CAPVT VII.

B NEQVE verò paruum est insignis argumentum religionis, quòd varia Gallo-flandri obeant loca, in quibus vel sacra templa, vel numinis & Sanctorum præsentior opitulatio venerationem cient: cùm à Catholicis præsertim peregrinationes pietatis ergò suscipiantur. Et si rem istam attentiùs dispiciamus; haud facilè toto Belgio populum reperiemus, cui plus voluptatis afferat insignium religione locorum peragratio. Etenim quidquid peregrinationibus celebratur intra fines patrios; quidquid extra propinquum, vel remotum, à piis hominibus aditur: id præcipuo Gallo-flandri ardore expetunt, & frequentant. Certe Insulensibus ea, quæ proxima vrbi sunt sacra loca, vel intra muros consistunt, quotidianum ferè præbent religionis exercitium, & ab ipsis frequentissimè teruntur. Et multis eorum quasi peregrinationum tyrocinia, quæ suis claudit limitibus hæc ditio. Sensim posteà in longinquas etiam regiones abituriunt, impellente potissimùm in- [GALLO-FLANDRI, AC PRÆSERTIM INSVLENSES, PEREGRINATIONVM CVPIENTISSIMI.]
C sita mentibus pietatis vehementia, & non ea excurrendi prurigine, qua nonnulli pueri & iuuenes accensi haud meritò grauem pientissimis ciuibus suis vagandi labem apud plerasque gentes aspergunt. Et quoniam certum est, mentem æternam huic nationi tantum iniicere sacros adeundi locos ardorem: etiam mihi visum est hoc capite in vnam omnia seriem colligere, quibus in hoc tractu terrarum Deus eius obsequi studiis videtur. Sunt enim hìc multæ prorsus ædiculæ, multáque templa, vel quæ rerum omnium moderator variis insigniuit prodigiis, vel quæ cultu Sanctorum, & miris adipiscuntur famam & gloriam curationibus, ac beneficiis ad tollendam mortalium multimodam necessitatem collatis; idcóque aduenarum peregrinationibus celebrantur. [MVLTA LOCA IN GALLO-FLANDRIA PEREGRINORVM ADVENTV, FREQVENTANTVR.]

Principem hìc locum obtineat id sacellum in Amatensi templo Duaci, vbi sacrosancta Hostia plusquam trecētos annos propter insigne miraculum seruata & visitur & colitur à magna populi frequentia. Tam insignis & stupendæ historiam rei hunc in modum nobis repræsentat Thomas Cantipratanus, qui non modò ea vixit ætate, qua contigit, verùm etiam eius partem oculis vsurpauit. Sic igitur is loquitur: [TEMPLVM AMATENSE DVACI, OB MIRACVLOSAM EVCHARISTIAM.]
D
An. 1254. *Oppidum Duacense amplum & magnum est inter Cameracum à dextris viæ, & Atrebatum nobilissimas ciuitates. Hìc in ecclesia Canonicorum S. Amati Episcopi quum sacerdos in Paschâ communicato populo, Corpus Christi super nudam terram stupidus inuenisset, & flexis genibus eleuare tentasset, mox per se in aëra subleuatum, panniculo, quo consecratos digitos sacerdos detergere solet, inhæsit. Clamans ergo presbyter Canonicos vocat: accurrunt illi: spectant in panno Corpus viuificum, in specie faciei venustissimi pueri. Et mox conuocato populo ad spectaculum præsentatur, & indifferenter nulli tanta cœlitus visio denegatur. Hæc cùm audissem fama vulgante, veni in oppidum, quod prædixi. Accessi ad Decanum dictæ ecclesiæ, cui optimè notus eram. Petij videre miraculum, annuens ille præcepit, vt fieret. Aperta est theca, concurrit populus, móxque vt pyxis reuoluitur, clamant omnes: Ecce conspicio Saluatorem. Stabam ego attonitus, nihil videns, nisi tantum speciem panis albissimi. nihil quidem conscius mihi, quare sacrosanctum Corpus cum cæteris non viderem. Nec* [*Lib. 2. Ap. c. 40. n. 2.*]

diu mecum ista voluebam, cùm ecce vidi faciem in mensuram ætatis plenitudinis Christi, spineam habentem in capite coronam, & duas guttas sanguinis de fronte, ex vtraque parte nasi per faciem descendentes. Mox igitur genibus flexis, cum lachrymis adoraui. Surgens autem nec coronam in capite, nec sanguinem vidi, sed faciem hominis super omnem effigiem honoratam, conuersam ad dexteram, ita vt vix dexter oculus videri posset. Nasus erat admodum longus, directus valde, supercilia arcuata, oculos simplicissimos, & dimissos habebat: cæsariem longam super humeros descendentem; barbam intonsam, & sub mento cu natam, exterminatámque sub rictu iucundissimi oris, ex vtraque parte menti nudas propè à pilis habebat vallículas, vt in iuuenibus apparere solet, qui à puero barbam nutrierunt. frontem latam, macilentas genas, & collum longum, cum capite parum inflexum. Hoc schema, hic decor benignissimæ faciei. Eam autem diuersi diuersimodè sub vnius horæ spatio videre solebant: alij in Cruce extensum; alij quasi ad iudicium venientem; plerique, & hoc magna ex parte, sub pueri forma viderunt. Hactenus Thomas indubitatæ vir fidei. Porrò quotannis huius celeberrima miraculi memoria insigni tum festo, tum populi frequentia renouatur quarta post Christi Resurrectionem feria: statísque per annum diebus, dum suppliciter proceditur, ea defertur hostia. B

Nunc autem quò plus auctoritatis huic à Deo Duacensibus concesso prodigio comparetur, à quibusdam animaduersum est, aliis quoque locis persimilia diuinitus euenisse. E Societatis Iesu Theologis Antonius Vasconcellius dum res Lusitaniæ scribendo persequitur, Scalabitanum huic propè par miraculum proponit: habétque illic inter alia: *Nostra ætate frequentissimum esse Scalabitanum sacrarium, propter multiplices rerum formas & figuras, quæ videntibus se passim offerunt, cùm bis singulis annis illuc confluentibus proponitur. Alij enim Christum in crucem actum, alij Iesum puerum in molli parentis amplexu, alij alia obtuentur, prout cælestis numinis fert voluntas.* Et refert in fastis Belgicis Aubertus Miræus, haud absimilia Herquenrodæ (vicus est agri Leodicensis non procul Hasselensi oppido) in monialium Cisterciensis Ordinis monasterio conspici.

Die 16. Iunij.

SACELLVM D. VIRGINIS CANCELLATÆ INSVLÆ.

Sanctissima virgo Christi mater duobus in locis Insulæ ab olim colitur, & multò celebratur hominum affluxu. Horum vnus sacellum est in diui Petri templo, vbi vetus & elegans Dei parentis statua conspicitur, cui propter cancellos ferreos antiquitus obductos Cancellatæ factum est nomen. Ab annis plusquam trecentis & quinquaginta huic loco & sacræ statuæ venerationem exciuere patrata per Virginum Reginam præclara in homines miracula. Quòd igitur ab eo tempore non rara in pleróśque tum Insulenses tum alios fluxerint beneficia, quibus vel spiritus maligni è corporibus humanis exturbarentur, vel morborum varia curarentur genera: non modò is locus per eos dies, quibus Amburbalis Insulæ Processio celebratur, & de quibus anteà memorauimus, à plurimis mortalibus frequentatur: verùm etiam quot hebdomadis, sabbato præsertim, multos orandi gratia subeuntes excipit. C

ÆDICVLA CEREI MARIANI INSVLÆ.

Alter eidem magnæ Matri famam concilians, in medio fori, è regione Prætorij Vrbani, locus ædiculam sibi vendicat. Ibi Cereus ex distillatione Atrebatensis concretus asseruatur, quem non tantum Insulenses quotidie matutino tempore, ac vesperi frequentes adeunt: sed etiam externi quoque certis temporibus inuisunt, vtque productum ab diua misericordiæ monumentum venerantur; exstinguendísque malignis ardoribus, & febribus, eum laticem auidè bibunt, in quem sacerdos pio ritu eo de Cereo guttas infundit. D

SACELLVM B. VIRGINIS CONSOLATRICIS IN SVBVRBIO INS.

In huius vrbis Barrensi suburbio ad flumen, in ipso ferè portu, quem nouum ad distinctionem Vrbani nuncupant, conspicitur Sacellum eiusdem Mariæ virginis nomine, statua, & beneficiis famigerabile. Ab situ vocant Ædiculam Duhau, propter impensam quibusdam in necessitate postulantibus opem, etiam datum est ei loco Dominæ Consolationis cognomentum. Anno ferè supra millesimum & quingentesimum quinto eius condendi oratorij præbita est occasio Ioanni Haucronij Toparchæ, viro nobili, equestrique ordine conspicuo. Is enim cùm grauissima in mari tempestate correptus præsentissimum naufragij discrimen adire se perspiceret: vix

beatæ

A beatæ Virginis opem implorauit, cùm de repentè placati sunt fluctus, inductáque cæli quiete sublatum omne est periculum. Igitur domum reuersus nihil prius habuit, quàm vt suæ sospitatrici ædiculam strueret: vbi non modò grates ei rependeret orando frequenter; verùm etiam ad cultum eius alios induceret. Et sanè respondit eius votis felix euentus. Adeò siquidem is locus Insulensium aliorúmque tritus est concursu, vt necessitas fuerit nuper iniecta, longè capacius & speciosius sacellum ædificandi, recipiendis frequentibus peregrinis, quos impensa cælitus beneficia, & Deiparæ matris cultus illuc pertrahit.

In suburbana Fiuiensis Prioratus æde à plurimis annis venerationem obtinuit eiusdem sanctissimæ Virginis imago: eóque plus hominum ad sui cultum pertrahit, quòd multis eam miraculis numen illustrauerit. Adeunt præsertim feria sexta cuiúsque hebdomadis hoc templum illi, vel quos febrium ardor infestat, vel qui febrientium nomine opem postulant: vt affectam recuperent valetudinem. IMAGO S. VIRGINIS MARIÆ IN FIVIENSI TEMPLO.

B Esquermiæ non procul eodem Insulensi oppido altera visitur ædes antiquitate, Christi parentis icone, & multis ab eadem profluentibus auxiliis famam sibi comparans. Ante quadringentos annos sacellum id conditum reperio, & D. Virginis ergô peregrinationibus celebratum. Guillelmus enim S. Petri Insulensis Præpositus dum scriberet anno salutis 1222. hæc mandauit litteris: *Guillelmus diuina miseratione Præpositus Insulensis, omnibus præsentes litteras inspecturis in Domino salutem. Cùm capella de Eskermes ad denominationem nostram pertinens, in honore B. Mariæ dedicata sit, & ex antiqua fidelium deuotione celebris habeatur, Nos ad promouendum in eodem loco cultum Virginis gloriosæ, de assensu Capituli nostri duximus ordinandum, vt nulli de cetero ipsius Capellæ beneficium conferatur, nisi presbytero iam promoto, vel personæ tali, quæ in primo possit ac debeat in presbyterum promoueri: ita tamen, quòd de redditibus eiusdē capellaniæ nihil omnino percipiat, donec ibidem seruiat in officio sacerdotis. Capellanus autem ad minus ter in septimana in dicto loco diuina tenebitur celebrare, & in sabbatu, & in diebus solemnibus vesperas decantabit, & interposito iuramento firmare debebit, quòd ipse in persona propria capellam deseruiet memoratam.* ESQVERMIENSIS ÆDICVLA B. CHRISTI PARENTIS.

C Et referunt quædam scripta manu & vetusta monumenta, id opus fuisse Balduini Flandriæ Comitis, qui non potuit priùs sanguinis fluxum, quo diu fuerat per dissenteriam vehementer afflictatus, medicinis cohibere, quàm Virginis Mariæ Esquermię coli cœptę subsidium flagitauerit. Quod certè si verum est, vt minimum ad Balduinum, qui Constantinopoli factus est Imperator, id referre oportet. Hic enim Flandriæ Comitatum iniit post Christi natales anno millesimo centesimo, & nonagesimo quarto; neque quisquam eius nominis postmodum Flandris imperauit. Quamquam fortassis & meliùs, & veriùs ad superiorem aliquem Flandriæ Comitum eam molitionem reiiciemus. Quippe annorum viginti octo spatium, quod inter Balduini iam nominati Flandriæ Comitis inaugurationem, & scriptas Guilelmi Præpositi litteras defluxit, parum profectò faciat, vt id sacellum ab antiqua fidelium deuotione celebratum dicatur. Ceterùm & capax est is locus, & ipso nitore ad sui visitationem homines inuitat, multóque plus pellicit propositis iis ad parietes in tabellis, quæ variis temporibus culta hîc D cælorum regina postulantibus beneficia impendit.

His propè diebus ab altera Insulæ parte, ad Marquettensis monasterij portam, noua structa est Deiparæ matris ædicula. Illic priùs in angusto muri fornice, & ferreis concluso cancellis, sacra stabat huius sanctissimæ Virginis imago, vt aliquam in animis prætereuntium religionem excitaret. Factum est igitur, vt elapsis proximè annis nonnullorum vel ad hanc iconem orantium, vel eius venerationem animo voluentium, ac subsidium flagitantium preces clementissima Christi parēs exaudiuerit, & tollendis nonnullis corporum malis opem præbuerit. Ab eo tempore & maior ei loco accessit veneratio, & circum imaginem Domina Margareta du Chastel huius Parthenonis Abbatissa sacellulum erexit, elegantérque decorauit: déque alio & laxiori & ornatiori condendo curas amplectitur. Quòd is locus Obici proximus sit, qui monasterium petentibus ad ingressum opponitur, ab eo cognomentum accepit, vt ipsam etiam imaginem D. Virginis Obicis appellent vulgò. B. VIRGO OBICIS IVXTA MARQVETTENSEM ABBATIAM.

Et

Lavdensis Sacellum Deiparæ Virginis.

Et primo ab vrbe Insulensi lapide, in Laudensi pago non adeò nuper conditum fuit eidem Virgini oratorium. Eius exstruendi occasionem dedit fixa in proximo ad arborem Deiparæ matris statua; quæ miris virtutem suam rebus anno Christi supra millesimum & quingentesimum octogesimo primo prodidit: ac primùm famam sibi peperit absterfa protinus apoplexia, quæ Ioannis à Bosco ciuis Insulani corpus inuaserat. Igitur cùm huius curationis gratia non Insulæ modò, verùm etiam circumquaque passim vulgaretur: multos ea permouit, vt malis & morbis suis ab eadem virgine opitulationem ardenter flagitarent. Et plerique mox variis in rebus cæleste subsidium sensere. Ac nunc hic à prædonum vinculis & custodiis liberatus, grauem ille à corpore suo ęgritudinem depelli gauisus est, nunc alius aliud ex animi sententia obtinuit. Vnde breui factum est, vt ea propter beneficia, tam liberalis iconi Virginis Gratiæ cognomen inderetur: ac Tornacensis Episcopus ex donariis, quæ iam tunc plurima colligebantur, perelegans sacellum, vbi statua Deiparæ seruaretur, & populus eam coleret, exstrui iusserit, idque sacro ritu consecrauerit. Ergò diditâ latiùs & miraculorum, quæ multa in dies patrabantur diuinitus per misericordiæ matrem, & conditæ recenter ædiculæ famâ: longè maior factus est hominum è toto Belgio, ac vicinis prouinciis concursus; vt nullus tunc clarioribus locus peregrinationibus floruerit. Neque verò his temporibus, quæ Aspricollensis & Foyanæ imaginum beatæ Virginis rebus admirandis mundum implent, & frequentissimos ad eas cient peregrinos, vel hîc gratia eiusdem cæli reginæ, vel pietas mortalium consenuit. Etenim dies nullus elabitur, quo non ædiculam multi celebrent: & frequenter innumerus illic populus opem precibus implorat, vel propter impetrata beneficia grates rependit.

Fovrnensis statva D. Virginis Mariæ.

Duobus inde milliaribus, quà Bethuniam Insula tenditur, etiam Fournis eadem virgo Clementissima celebritatem obtinuit. Claret enim non vulgaribus miraculis eius statua, quæ iam inde à plurimis annis in templo curiali visitur. Quo præsertim tempore illustrem sese admirandis facinoribus illic pręstare cœperit Deipara mater, nondum certò comperi. Id vnum saltem deprendi ante annos octoginta, mulierem Illyæ natam, ac totius corporis paralysi perculsam, cùm scipionibus innixa Fournas se cum summo labore (duos enim dies ac noctem vnam conficiendo leucæ vnius spatio, quantum inter vtrumque pagum interest, impendit) contulisset: implorata Virginis Virginum ope integram corporis sanitatem recepisse, ac suspensis in templo subalaribus fulcris, vegetam domum abiuisse. Obseruatum est duplicis pręcipuè generis homines beneficium ibi cęlitus percepisse antiquitus, ac modò etiam impetrare. Quibus enim vel neruorum solutione, vel humorum malignitate prærepta est incedendi facultas, plerumque aut votis nuncupatis eum locum adeundi, aut fusis ante imaginem precibus, corporis firmitas, & ingrediendi potestas redditur. Id quod olim adeò frequens fuit, antequam hæretici anno 1566. huc inuolassent, vt templi parietes multis scipionibus & fulcris post adeptam sanitatem suspensis prætexerentur. Qui mirum à sanctissima Virgine subsidium secundo loco sentiunt; ij sunt, qui priùs exstincti fuerint vel quàm ab vtero fundantur materno, vel quam sacro latice tingantur. Horum enim multi tantisper vitam recipiunt, donec eos quis vnda baptismatis abluat: & interdum quidam ad multos vitam annos producunt. Has igitur ob res aliásque Fournas frequentissimus ad Dei matrem hominum fit concursus.

Sacellvm B. Virginis Linselliæ.

Colitur etiam impensè Christi parens duabus ab Insula leucis Ortum versus in parochiali templo Linselliæ. Eò quondam populum pertrahere cœperunt, quæ multa cælitus virginis eius auxilio fluxere miracula. Ad eam præsertim ædem concurritur, vbi cælum imbres denegat, impetranda opportunis temporibus pluuia.

Ædicvla B. Virginis Cancellata Dvaci.

Neque verò deest Duaci vel cultus eiusdem sanctissimæ Virginis, vel monumentum virtutis ab ea manantis, & religionem ciuium aduenarúmque permouentis. Assidet D. Petri templo sacellum, vbi præcipua veneratione celebratur eius statua, quæ multis sese prodigiis & signis colendam probauit. Nomen ei primùm Cancellatæ, à cancellis ferreis, quibus inserta parietis fornici claudebatur. Anno post

millesimum

A millesimum & quingentesimum trigesimo & secundo eius se vis exeruit: primúmque mirabilem experti sunt pueri circum ludentes, & ciues quidam ad eam precibus indulgentes sub vesperum. Visa est enim illis petulantioribus sanctissima Christi parens filiolum ab vno in aliud brachium transferre, & manu minas ipsis intentare: statímque iis domum præ timore ad parentes recurrentibus, &, quæ viderant, trepidè exponentibus, per totam vrbem rumor dispersus est miraculi, ingénsque hominum ad imaginem multitudo concurrit. Et verò sequentibus aliquot diebus adeò frequentes in ægros ac debiles inde fluxere opitulationes, vt intra breue tempus multis incessus claudis fuerit restitutus, multi luminibus capti visum receperint, alij aliis fuerint gratiis donati. Igitur collecta ex muneribus & anathematibus pecunia, cum sacellum ad id loci, vbi statua consistebat, fuisset ædificatum, ibíque sacrosancta mysteria peragi cœpta: tunc in dies maiori frequentia ex variis Belgij partibus habitu quoque sunt aduenarum conuentus. indéque ad hoc vsque tempus & pietas & religio precantium floruere.

Sacellvlvm alivd Deiparæ Matris in eadem vrbe.

B In eadem vrbe iuxta minus macellum aliam eiusdem Virginis statuam ædicula vetus admodum ostentat in platea des Wes, multis olim signis & miraculis cognitam, & multo nunc etiam cultu celebrem. Iam tum vigebat eius fama, cùm Iulius Secundus sacrum totius mundi gubernaculum teneret. Etenim eo in viuis agente annum circiter millesimum quingentesimum & duodecimum Indulgentias iis Cardinales duodecim concessere, qui locum hunc venerationis gratia visitarent, eique pecuniam aliquam impertirentur.

VVassirianvm templvm S. Mariæ cvltv clarvm.

Non caret Wasieria, proximus Duaco vicus frequenti hominum peregrinatione, qui Mariam cælitum reginam venerabundi templum eius adeunt. Ab antiquo celebris locus is fuit, & minimè diuinis caret beneficiis, quæ per virginem sanctissimam ad preces supplicantium Deus largitur. Fama constans est, è donariis totum id templum surrexisse, quod nunc è quadrato & firmo saxo cum insigni turri conspicitur. Ad hanc ædem fit concursus quærendo humanorum morborum remedio. Ad puteum in cœmeterio aquis scatentem villatici homines confugiunt, vbi malo quopiam pecus tentari deprehendunt, eiúsque potu sanitatem impetrant.

Ædicvla gavdiosæ Virginis Dvacvm ivxta.

C In templi huius conspectu ad viam publicam, quæ Duaco Tornacum & Insulam ducit, adiacet leprosariç domui sacellum eidem Virgini consecratum. Quod inde gaudium tristes expetant, ac sępenumerò impetrent, ædicula Gaudiosç (si liceat ita loqui) Virginis appellatur. Huc pręsertim ab iis conceditur, qui febribus exstinguendis opem flagitant.

Domvncvla Dei Matris ivxta Orchiacvm.

Visitur quoque in Orchiacensi suburbio materiatum sacellum, vbi iam diu Christipara virgo indulgentem iis se prębet, qui febribus ęstuantes ab ipsa remedium postulant.

Sancti, qvi per Gallo-flandriam colvntvr.

Ad diuos diuásque transeo, quibus etiam suus hac in regione cultus adhibetur, quíque variis homines beneficiis ad ea pertrahunt loca, vbi se benignos & fauentes opem implorantibus præbent; quorum saltem hîc precipuos lubet enumerare, ac quibus singuli locis opem pręstent, exponere.

S. Ioannes Baptista in Abbat. Marq. invocatvr.

D In Marquettensi Parthenone venerationem obtinet is beatus Ioannes, quem Christus paranymphum habuit, multíque cùm ipsum illic supplices coluere, ab eo se morbo liberos sentiunt, qui vulgò Sancti Ioannis nominatur. Eiusdem cultu celebre sacellum est in S. Catharinæ templo Insulç; tum propter eos, qui dicto malo agitantur grauiter in membris corporis; tum propter mulieres grauidas quæ partionem pręstolantes innoxium & secundum fœtus exitum precibus flagitant.

VVambrecisivm S. Matthæi cvltv celebre.

Sanctus Matthęus Apostolorum & Euangelistarum vnus multos mortales ad sui cultum Insula & aliunde Wambrecisium pellicit antiquæ peregrinationis instituto.

D. Cornelivs Engeloi et Hemi colitvr.

Diui Cornelij Papę Romani & martyris veneratio Engeloum & Hemum à plérisque iam sęculis exornat, quàm plurimis vtroque peregrinis viam facientibus. Hemum præsertim ex Tornacesio & Hannonia, venerandi & auxilium petendi causa, multi confluunt. Engeloum pręter Insulanos & Duacenses, Artesiani, &

Flandri

Flandri celebrant. Vtrobique præcipuè illi morbo remedium à sancto Pontifice precibus & oblatione expetitur, qui S. Cornelij passim appellatur, & à septem Cardinalibus Romanis in eo diplomate, quo visitantibus Hemensem ecclesiam huius Martyris gratia Indulgentias concedunt, *Maculata* nuncupatur; quóue correpti incidunt, & humo alliduntur corpore vehementer afflictato. Quod frequentissimum sanctissimo viro munus offertur, gallus est gallinaceus, per quem variè exploratur, ísne S. Cornelij morbo laboret, pro quo & peregrinatio suscipitur, & fit oblatio. Qui Hemum adeunt, ægri pectori Gallum applicant, eiúsque taciturnitate, & quiete morbum deprehendunt. Engeloum petentes, recepta iam olim cerimonia pullum gallinaceum in humerum statuæ diui mittunt, indéque sibi certò persuadent cum *Maculata* vexari, pro quo remedium postulatur, si quietus illic consideat, neque in cantum erumpat. Si cui minus placeant eiusmodi explorationes, haud equidem rectè fecerit, si protinus damnet; cum ex longa ætate sint corroboratæ, ipsis tolerantibus Episcopis: & in his plerumque rebus multa Deus operetur, vel per quandam ipsarum vim occultam à natura insitam, vel per quoddam diuinæ suæ potentię institutum, vt etiam eò se præstet mirabilem. Verùm ea de vtraque cerimonia nos alibi latiùs, & subtiliùs aliquid inquiremus. Ad Engeloum quod attinet, etiam illic multi ruptis ramicibus, & variis herniæ speciebus remedium obtinent, S. Cornelij meritis adiuuantibus: cui rei fidem conciliant varij modi cingula è tholo pendentia.

In tom. de Sanctis Gallo-fland.

S. CALLISTVS CYSONII ET LAMBERSARTI HONORATVR.

S. Callisto item Romano Pontifici & Martyri cultus ac veneratio Cysonij & Lambersarti Insulam iuxta impenditur. Iam inde à temporibus Sancti Euerardi Cysoniensis Monasterij conditoris, & Ludouici Pij Imperatoris Caroli Magni filij ob contractas cum Gisla nuptias generi, profluxit ea religio, postquàm is ab vrbe Roma tam præclari hominis corpus, eius, qui tunc sacro mundum imperio regebat, venia Cysonium detulit, & in ea, quàm condiderat, æde collocauit. Quibus id probem, hæc sunt ex opusculo de S. Callisti corporis translatione verba: *Postquam itaque omnes finitimi populi, atque infirmorum diuersorum cateruæ Sanctum Dei Martyrem Callistum suas in partes aduenisse cognouerunt, & signa quæ per eum Dominus in via positum fecerat, audierunt: cœperunt sacrum locum, vbi requieuerat, studiosius visitare, ac suis muneribus, prout quisque poterat, prono animo cumulare: quatenus diuina eos pietas, quæ in famulo suo miraculis radiabat, eius meritis & orationibus ab omnibus noxijs eriperet, ac reddita corporum sanitate corroboraret, vt lætius atque securius Domino deseruire præualerent.* Et quamuis non multò pòst eiusdem S. Euerardi obitum, tam eximius S. Callisti corporis thesaurus fuerit Remos translatus vltima Rodulphi Cysoniensis Abbatis, vel Præpositi, ac D. Euerardi filij voluntate; ibíque nostra etiam ætate custodiatur: hæsit nihilominus semper quidam Gallo-flandrorum animis erga sanctissimum hunc pontificem affectus, & cum Cysonij colendi quoddam desiderium: ideóque creberrima eò fit quotannis hominum accessio. Quandò verò cœperit Lambersartum eiusdem martyris cultus populum deducere, non licet mihi arbitrari; quod nulla viderim monumenta. Saltem id certùm est, hunc vicùm frequentissimè adiri, vel vt Sancto vota soluantur, vel vt aliquod ab ipso variis malis obtineatur remedium.

S. PIATON SICLINII VENERATIONEM OBTINET.

Siclinium ingens vis hominum frequentat exciente magno S. Piatonis Martyris, Neruiorúmque Apostoli nomine, dein ea, qua pollet is, exstinguendi febres, alios morbos curandi, & humanis è corporibus dæmonia exterminandi potestate. A Christi natiuitate anno circiter trecentesimo tertio, statim post mandatum ibidem loci tumulo corpus, hunc martyrem colendi religio Siclinienses, aliósque populos accendit: tantúmque abest, vt tanta temporum intercapedine is affectus deferbuerit, vt potiùs in dies capere vires videatur, multo semper affluxu peregrinorum eius ecclesiam, tum votis sese liberandi, tum poscendi quidpiam gratia, celebrante. Non enim illic solùm sacra eius ossa conquiescunt: verùm etiam iam inde ab eius tumulatione perpetuam fons ad eius sepulchrum aquam propinat, cuius haustu salutifero varij corporum humanorum morbi sedantur.

Magnam

A Magnam Insulæ venerationem obtinet in æde Societatis Iesu sanctus Victor martyr, ab vrbe Roma nuper huc delatus Claudij Aquauiuę Societatis eiusdem Generalis Præpositi munere, cùm is vellet templum ab Insulensi Senatu conditum, eius sociique corporibus ornare. Quamuis autem pręcipua tum indigenę, tum aduenæ frequentia celebrēt, cùm solenniter eius festum mense Ianuario per dies octonos agitur: tamen quotidie multi quà votis, quà precibus, quà luminaribus eum sibi conciliant; vti vel morbis, vel aliis malis remedium percipiant. Et sanè plerique graues per eum cordis palpitationes sedari, aut tibiarum ægritudines abstergi, vel alia suis è corporibus noxia exigi sensere, vt pendentia è tholo argentea sigilla, & anathemata demonstrant. S. VICTOR IN ÆDE SOCIETATIS IESV COLITVR INSVLÆ.

Et Duaci deuectus etiam Româ Terentianus æquè nobilis ac Victor, martyr, eiusdémque Claudij dono Societatis Iesu Collegio donatus magnum sui cultum commouet, frequénsque eum populi multitudo visitat, quibusdam admirandis rebus, quas in ægros patrauit, allicientibus. S. TERENTIANVS DVACI

B S. Vincentius, qui nobili loco apud Hispanos Oscæ natus, passione sua mortéque fortiter pro Christi fide obita, Valentiam sub Daciano præside illustrauit, Insulæ, in S. Mauritij parochiali templo; Duaci, in templo Dominicanorum; Armenteriæ, in æde curiali; & Marquæ, non exigua religione colitur. Armenteriam eius cultu inuexere Brugenses Hispani, cùm propter eam, quam illic habebant, lanarum Hispanicarum negotiationem, aliquid ossium eius ecclesiæ donauerunt, dum vrbs illa plurimum mercimoniis Ibericis efflorescerct. Eius præcipuè subsidium in eodem oppido & Duaci precibus ęgrientiū, oris vultusúe malo depellendo, exposcitur. S. VINCENTIVS INSVLÆ, ARMENTERIAE, MARQVAE, DVACI.

Diuum Christophorum qui grauia pro Christo supplicia pertulit, frequenter in templo monasterij Phanopinensis, & Lannoyanę arcis sacello multi venerantur. S. CHRISTOPHORVS PHANOPINI ET LANNOYAE.

Non caret cultu suo S. Blasius Sebastenorum Episcopus & martyr, Armenteriæ. Illic enim tum à ciuibus, tum à peregrinis frequenter inuisitur, & detergendo vultus tumore precibus incessitur. Idem in Flinensi Parthenone à plerisque gutturis C morbo laborantibus colitur. S. BLASIVS ARMENTERIAE.

Anstaini diuus Laurentius non raro celebratur hominum affluxu, vel propter insigne nomen, quod in crate ferrea vstulatus sibi comparauit; vel propter fluentia diuinitus, meritis eius ac precibus, beneficia. Et ab eo famam illic adeptus est haud procul templo fonticulus, vnde plurimi bibunt opitulationem malis quęrentes. S LAVRENTIVS ANSTAINI.

Duacum multos pellicit in Amatensi templo diuum Mauronturn, sanctorum Adalbaldi & Rictrudis filium (qui Franciæ regis cognatus & Cancellarius, Broylense monasterium, condidit, Abbásque moderatus est) venerandi, orandique desiderium, & de huius fonte aquam plurimi potant iucundè, quòd iuxtim scaturiat variis ægritudinibus propellendis opportuna. S MAVRONTIVS DVACI.

Sanctus Chrysolius, qui prius in Armenia, vbi parentibus regio decore conspicuis ortus fuerat, Archiepiscopali fulsit dignitate, ac posteà cum S. Piatone in Galliam descendens, Gallo-flandris Christianæ fidei lumine illustrandis operam impendit, Vrelenghehemum, & Cominium ad sui cultum non paucos attrahit. Vt D Vrelenghehemum peregrinatio instituatur, præter templum eò loci constructum, vbi grauiter suppliciis pro Christo affectus fuit; & loci patrocinium; fons etiam inde a tempore eius martyrij lymphis abundans, efficit. Multis enim eius sese aqua proluentibus valetudinis beneficium accedit, exstincto pręcipuè febrium æstu. Quæ Cominium peregrinos inuitarent, olim fuere corpus eius martyris, & structa per ipsum ædicula, & frequentissimæ morborum curationes: nunc saltem aliquid reliquiarum eius, & veterum recordatio facinorum eodem prouocant. S. CHRISOLIVS VRELENGHEHEMI ET COMINII.

Hactenus intra Sini nobilis fines in Belliloci monasterio S. Anianus Aurelianensis Episcopus plurima cultus fuit hominum peregrinatione, qui variis ægritudinibus corporis, ac præsertim febribus abigendis opem flagitarunt. Nunc eius Parthenonis Virginibus in oppidum Duacense nuper translatis, eòdem huius diui veneratio migrauit, cuius Reliquiarum, ab ijsdem sanctimonialibus seruatarum, vi reddita multis ægrientibus est sanitas. Floruit is Attilæ temporibus. IN BELLILOCI PARTHENONE S. ANIANVS

S. AMANDVS MERIGNIÆ.

In templo Merigniensis parœciæ S. Amandus insignis Flandriæ Apostolus non paucos è vicinis pellicit locis, ad implorandum eius variis in malis subsidium. A

S. APOLLONIA FOVRMELLIS.

Fourmellas multi adeunt S. Apolloniam virginem & martyrem colendi gratia, ac sedandis dentium doloribus eius auxilium flagitant.

S. AGATHA INSVLÆ.

Insulæ S. Vitalis, seu Castrense sacellum à fœminis celebratur, maximè ob sanctæ Agathæ cultum, quam comprimendis curandísque vberum doloribus implorant.

B. ARNVLPHVS CYSONII.

Beati Arnulphi (quem militia clarum in Domini odium efferati viri crudeliter vita spoliauere, quòd eo in angustiis deprehenso, ac fugere iusso, tantisper ipsorum impetum retardasset, donec salutem fugiendo consequeretur) viget cultus Cysonij eo in monasterij templo, vbi quondam illius corpus fuit asseruatum. Frequentissimis olim cœtibus hominum hunc locum floruisse, qui venerandi ac demerendi sibi martyrem gratia conueniebant, testis est hymnus in eius laudem iamdiu compositus, è quo hi versus deprompti:

B

Lorum quod supplicio
Fuit, est remedio,
Si quis collum doleat:
Hoc si circumtulerit,
Et non hæsitauerit,
Quod mox dolor abeat.
Omnis plebs Cysonij
Martyris egregij
Gaudet de præsentia.
Nam si quis cum febribus
Huc venit & precibus,
Sentit beneficia. C
Concurrente populo
Multa Dei famulo
Dabantur donaria.
Huc sæpe recurrere
Se, non sine munere,
Vouet plebis copia.
Quosdam, vt meminimus,
Huc venire vidimus
Cum filis argenteis,
Quæ collo circumferunt
Et sancto sic offerunt, D
Factis quasi laqueis.

Igitur olim, vt vides, inter munera, quæ peregrini sancto dabant Arnulpho, fila quędam argentea cernebantur in laquei modum composita; quòd is loco fuisset ab impiis hominibus ex arbore suspensus & strangulatus fœdissimè; quo etiam istic conseruato plerique ad colli morbos depellendos vtebantur, dum ceruici gulæque obducerent. At hæc aliquandò fuere, priusquam hęretici anno 1566. huius sancti viri reliquias omnes disperderent. Manet nihilominus Gallo-flandris insita quædam ipsum erga veneratio, cuius causa frequenter etiam his temporibus Cysoniense templum adeunt.

S. ELIGIVS DVACI.

Duacum multi adueniunt ad colendum Nouiomensem & Tornacensem Episcopum sanctum Eligium, ob tudites illos duos in ædicula S. Magdalenes conser-

uatos,

A uatos, quibus fama est eundem virum thecas sanctorum effinxisse: vt per eos sanitatem equis impetrent.

Flinense monasterium illustre multâ reddit peregrinatione S. Hubertus Aquitaniæ Ducis filius, & Leodiensis vrbis parens ac pontifex. Huc enim plurimi mortales confluunt cum precabundi, vt aduersus canum rabiem tuti consistant. Et si quem fortè efferatus canis momorderit, hîc remedium nanciscitur, postquàm ex veteri præscripto ritus omnes sibi propositos expleuerit. Non erit opinor curioso lectori labor meus ingratus, si quæ solent in hoc Parthenone circa curandos obseruari, proponam è Quæstionibus Hubertinis P. Ioannis Roberti è Societate nostra Theologi Doctoris, eiusdémque ad ea obseruationes indidem producam abstergenda superstitionis opinione, quæ pleró̈sque circa hæc minùs attentos, vel indoctos, occupat. *Igitur Flinis, inquit, ista obseruanda iubentur.* S. HVBERTVS FLINIS.

I. PEREGRINO CLAVVS NOVVS, QVI S. HVBERTI RELIQVIAS TETIGERIT, DATOR. EO CLAVO, E VVLNERE MORSV FACTO, SI VVLNVS EST, NOVEM DEINCEPS DIEBVS, TANTILLVM SANGVINIS ELICITO. IPSVM DEINDE VVLNVS AQVA PROFLVENTE ABLVITO. ELAPSO NONO DIE, CLAVVM EO, VBI A NEMINE REPERIRI QVEAT, ABIICITO.

B

Solent chirurgi vulneris os latiùs diducere, vt mixta sanguini sanies faciliùs ex alto euocetur. Quod proinde hîc quoque rectè præcipitur. Sed cur id faciendum clauo? cur nouo? cur abijciendo? Hæc qui legunt, vel audiunt, ægrè se tenent (sæpiùs audiui) quin superstitionem clament. Sed ostendamus non esse. Cùm acutulo ferro diducendus vulneris hiatus sit; clauus aptus ad hoc futurus visus est, & paratu facilis. Quamquam liceat & acum & graphium appellare; quippe cui caput desit. De ijs loquor, qui vulgò Flinis dantur: quos plures vidi. Nouum esse oportet, ne rubigo, aut alioqui sordes aliquæ vulneri obsint. Postquàm vsus sis, cauetur, ne à quoquam clauus inueniatur; ne vulneris videlicet virus, quod clauo adhæsisse credibile est, infelici inuentori, nec opinanti, perniciem afferat. Vide, quàm facilè depellitur turpis illa de superstitione accusatio. Restat illud caput, de vulnere aqua profluente abluendo. Consule iterum chirurgos, & ab ijs disce, vulnus contracto circa extremitates calore, profluâ lympha rectè refrigerari: quò faciliùs cicatrice obducatur.

C

II. SOLEMNIBVS NOVEM DIEBVS, NEQVE INDVSIVM, NEQVE LODICES MVTATO. PECTINE, ET SPECVLO ABSTINETO. PORCINAM CARNEM NE EDITO: NEQVE PANEM, NISI DIE VNO ANTIQVIOREM. AROMATA, PISCES NON SQVAMATOS, ALLIA, CEPAS, PORRA, ET QVIDQVID GRAVEM ANHELITVM CREAT, PROCVL HABETO. SOLVS E SVO SIBI VASCVLO BIBITO. SOLVS, SI FIERI POTEST, CVBATO. CHOREIS ABSTINETO, ALIÍSQVE ID GENVS RECREATIONIBVS. DE CVIVSVIS ANIMANTIS CAPITE NE GVSTATO. *Resumamus singula.*

NEQVE INDVSIVM, NEQVE LODICES MVTATO. *Prodest plurimùm, hoc affectu imminente, sudores elicere. At lintea dum actu frigida adhibentur, potiùs repellunt, & erumpentes impediunt: quo nihil peius esse potest. Itaque præstat retinere, quibus antè vtebaris: nam potius vapores è malè affecto corpore educunt.*

D

PECTINE, ET SPECVLO ABSTINETO. *De pectine in Andainensi formula satis dictum est.* Eorum verborum hæc pars: *Nam & ad pœnitentiam pertinere potest, incultum & neglectum capillum gestitare: & medicorum pueri docent, pectine humores commoueri, neque tamen satis dissipari: ac sic facilè venenatos vapores ad cerebrum attrahi.* Pergit autem hîc Doctor noster; *Speculum verò ideò non inspiciendum, quòd illud hominum genus vultuosum esse solet, & aspectu toruo, ac turbato. Porrò hoc ipsum videre, perniciosum est; quòd iam antè miserè affecti, miseriam suam grauiùs apprehendant.*

PORCINAM NE EDITO. *De porcina antiqua & salsa potissimum hoc intellige: quæ atram bilem auget: & vbi corpus iam corruptum reperit, grauiùs afficit; quandoque etiam lepram, furorem, rabiem vel affert, vel auget.*

NEQVE PANEM, NISI VNO DIE ANTIQVIOREM. *Panis recens crustam habet duriorem, quæ Salernitana schola teste,*

—— *choleram progignit adustam.*

AROMATIS ABSTINETO. *Ab hac mente Matthiolus, nobilis medicus, cauet, ne matronæ & puellæ catellis suis, quos in delicijs habent, iuscula cum aromatis sorbenda præbeant: quòd inde propensiùs in rabiem agantur.*

PISCIBUS NON SQUAMATIS. *Vide formulam Andainensem.* Ea sic habet: *Pisces, si quos ederit, squamati sunto, vt carpiones, haleces, aliique.* Ac ibi notatur: *Squamæ enim in piscibus, argumento sunt, minus humidos esse & viscosos. ac proinde minus habere, quod hominis sanguinem corrumpere queat, & rabiem promouere.* Ad Flinas redeamus.

ALLIIS, CAEPIS, PORRIS. *Biliosos Galenus his omnibus aliísque acrimoniam habentibus, abstinere iubet.*

OMNIBUS, QUAE GRAVIOREM ANHELITUM CREANT. *Nam hæc etiam in corporibus sanis facilè animi defectiones, & cerebri perturbationes pariunt: præsertim si vapor anhelitus per nares ad cerebrum deferatur.*

SOLUS BIBITO, SOLUS CUBATO. *Idem præcipitur in Andaïno.* Vbi de solitario cubitu hæ rationes: *Ne quid immunditiæ animus ex corporis alieni contagione contrahat; quòd ipsius ægri corpus variè lædi alterius propinquitate possit, siue anhelitu, siue impacto à dormiente pede, manu, cubito, &c.* Deinde, quod *alterum spectat, qui cum ægro eodem lecto vteretur: Facilè accideret, vt vel praui humoris, qui in ægro fuerit, reliquiæ eum afficerent: vel sola huius imaginatio læderet.* Quæ omnia etiam, vt æger solus ex eodem bibat vasculo, persuadent. quòd facilè per poculi communicationem non minus malè habens, quàm sanus lædi queat potu intra viscera recepto.

CHOREIS ABSTINETO. *Ad Christianam pœnitentiam hoc spectat, & modestiam, eo tempore meritò maximè commendandam. Adde, quòd ex gyris illis, & flexibus corporis, procliue est, oriri vertigines, plus satis perniciosas.*

DE CAPITE NE GUSTATO. *Capitis partes præcipuæ sunt cerebrum, & cerebellum: de quibus hæc præceptio maximè intelligenda. Causam è Galeno petere licet, qui docet, ista pituitoso, & crasso succo abundare, excrementa generare, nauseam excitare. Atque ità facilè hæc in stomacho putrescunt.* Hactenus ex P. Ioanne Robetti ea quæ circa peregrinos ad rabiem auertendam in Flinensi monasterio præscribuntur, vt nos hæc ab omni superstitionis suspicione liberata videamus.

S. Quintinus in eodem Parthen. et Insulæ.

In eiusdem monasterij templo insigni cultu S. Quintinus martyr nobilis, à quo Veromanduorum Augusta D. Quintini nomen accepit, celebratur ab iis, quos præcipuè tumor vultus infestat. Habet quoque is Sanctus suum Insulæ cultum in S. Saluatoris æde parochiali. Idem multò plus venerationis in Marquettensi monasterio impetrat: quò duplicis generis homines obtinendæ sanitatis gratiâ deducuntur. Hîc enim, vel qui prouectioris sunt ætatis, & tumore corporis laborant; vel qui puerorum exsuccos languore artus vix trahunt opem deposcunt, ac sæpissimè obtinent: ea tamen differentia, vt qui sunt intra pueriles annos languido corpore, per dies precum nouemdiales aut curentur, aut mortem oppetant.

Et in Abbat. Marq colitur.

S. Lupus Chereni.

Cherenum multi adueniunt diuo Lupo Trecensi Episcopo pelliciente, cuius ibi vetus est cultus. Opem eius præcipuè sentiunt puelluli, quos languor inuasit membrorum.

S. Thomas Cantuariensis Bellocampi et Radinghemi.

Venerationem habet Bellocampi & Radinghehemi S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, qui pro libertate Ecclesiæ sanguinem fudit in Anglia. Ad sedandos febrium æstus præsertim eius auxilium precibus exposcitur. Estque Bellocampi multis remedio, quod illic vasculum in pateræ modum è tenuissimo & læuissimo, ignoti tamen generis, ligno tornatum illius hac transeuntis munus & monumentum seruatur, dum ex eo quidpiam cum religione & fiducia bibunt.

S. Leonardus Rayssii.

Intra parochiæ Rayssianæ fines ad viam publicam, quà Duaco Tornacum & Insulam est iter, sacellum D. Leonardi apud Gallos summo loco nati, verùm spretis mundi deliciis, vitam asperam & saluti hominum intentam secuti, cernitur, aditúrque frequentissimè. Ibi manicæ ferreæ, compedes, fulcra, multáque id genus anathemata vario sunt argumento plurimæ opis per eum mortalibus allatæ.

S. Conaïdus Insulæ.

Intra muros Insulenses in Nosocomio S. Ioannis Baptistæ, quod Ganthoisum frequen-

A frequentius appellatur; celebris est S. Conaidus in Anglia ortus; quem Armorici, seu Britanni, præclarum Abbatem venerati sunt, & Franci S. Mein nominant. Ab eo petitur illius scabiei sanitas, quam medici psoram vocant, vulgus eius diui morbum.

Arquinghehemi ad Lisam, S. Ghislenus Abbas, qui profectus è Græcia in Hannoniam venit, ibique Cellam condidit, vbi nunc Monasterium Benedictini ordinis ab ipso nomen induit, multo peregrinos fauore excipit, & impetratis frequẽter, quæ supplices orando flagitant, domum lætos remittit.

S. Ghislenus Arquinghehemi.

S. Fiacrius in Hybernia ex nobili genitus prosapia, verùm Christi amore posthabitis facultatibus paternis, eremiticam in Francia vitam complexus, tam Duaci apud Dominicanos & Basseæ, quàm Arquinghehemi & Radinghehemi studiis ardẽtibus peregrinorum colitur. Et hic quidem Basseæ, præsertim erga puerulos sese beneficum præstat, cùm parentes iis imbellibus incedendi facultatem & tibiarum firmitudinem deposcunt: Duaci verò eos adiuuat, quorum manus infestus ardor excruciat.

S. Fiacrius Duaci, Basseæ, Arquinghehemi, Radinghehemi.

B

Beatus Rochus (quem parentes in Monte Pessulano, vel Agathopoli genuere, eiúsque vrbis dominum hereditario iure fecere; ac peregrinandi, & aliis opitulandi desiderium in voluntariam impulit paupertatem) intra muros Insulenses in æde S. Stephani, in villa Comontensi, & in vico Pontis Wendinij ab innumera celebratur peregrinorum multitudine. Præcipuum adeundi studium, quo tempore pestilitas grassatur, vti luem à corporibus auertat. Et animaduersum est nuper in illa villa, è tot millibus, qui sua in sancti Sodalitium nomina dedissent, paucissimos peste contactos interiisse, ardentibus in Gallo-flandria lue pestifera vrbibus pagisque.

S. Rochus in villa Comontensi, et Ponte VVendinio.

Ad beatam Rictrudem Ducis Adalbaldi viduam & Martianensis Monasterij fundatricem, patronam, & antistitam, non paruus fit hominum concursus Martianas & Roncinium. Martianis eius corpus & sepulchrum magnam ciet peregrinis venerationem, vbi maximè aduersus febres, parturientium dolores, ac fœmineos morbos auxilium poscitur, impetratúrque. Hęmorrhoidum causa Roncinium vno lapide distans Insula petitur, vt eadem harum fluorem & dolorem comprimat.

S. Rictrudis Martianis et Roncinii.

C

Lommij templum celebre est sanctæ virginis Itisbergæ Pipini regis Francorum filiæ, & Caroli Magni sororis, cultu frequenti. ad detergendam præcipuè corporum vitiliginem vis eius imploratur.

S. Itisberga Lommii.

B. Christianus sacerdos & Confessor in S. Albini templo Duaci venerationem obtinet. A mulieribus aduersum partus dolores, ab aliis contra febrium æstus præsidium eius & opitulatio expetitur.

Insignis quotidie mortalium multitudo Societatis Iesu templum ingreditur S. Ignatij de Loyola eiusdem Societatis conditoris, venerandi, orandique gratia, Insulæ. Cœpit ea religio per vernum anni 1622. ieiunium, postquàm vnius è capillis eius contactu Ozias miles ob incurabilem morbum depositus, integram derepentè sanitatem hac in vrbe recuperàuit. Ingens subinde ad hunc diuum colendi orandique ardorem facta est accessio, vbi iam eius in cælos relati laudibus & gloriæ publica solennique pompa in eadem æde ab Sociis nauatum est, ac pleræque diuinitus insignes obtentę per ipsius implorationem sunt ægrorum curationes corporum. Nullus enim dies ab eo tempore dilabitur, quo non multi tum ciues, tum exteri confluant opem sibi aliísue flagitabundi; ad aras votiua per sacerdotes sacrificia peragi curent; è cera virginę cereos offerant; aquam de ipso sanctarum diui reliquiarum immersione, & sacro carmine expiatam in potum ægrotorum, & affecti membri ablutionem deposcant; inclusos argenteis capsellis capillos, aliáue eius lipsana simili metallo & crystallo decorata in morbidorum lecto affixorum leuamen ad tempus concedi postulent.

S. Ignatius de Loyola Insulæ.

D

Verùm tametsi hæc omnia, & alia permulta domi obtineant Gallo-flandri, eáque frequenter visitent, & magno colant religionis ardore: iuuat tamen etiam aliò pietatem porrigere, & quod peregrinando percolant, suos vltra fines quærere. Nihil

Varialoca, quæ tum in Belgio, tum extra Belgium, Gallo-flandri peregrinantes adeunt.

igitur intra limites Belgicarum prouinciarum vel Christi vel D. Virginis Mariæ, vel cælitum aliorum præclaro cultu, & rebus admirandis nobile continetur, quod non adeant sæpenumerò Gallo-flandri, vt votis & precibus incessant ibi numen diuosque, suáque offerant dona. Sed maior quoque vis eorum religionis est, quàm vt latis Belgij terminis constringatur. In Gallias, Italiam, Hispanias, & Syriam multus ardor sacra colendi per varias itinerum asperitates plurimos pertrahit. Quibusdam in Gallia Belgio vicina dulce est S. Veronicæ velum, aut D. Virginem Mariam, cui nomen à lætitia inditum, venerari. Quosdam in Lotharingiam diui Nicolai cultus Barium pellicit: aliòs iuuat in Burgundia S. Claudium honore prosequi. Penetratis Alpium iugis, & cōtemptis niuium periculis non paucos ædes Lauretana voluptate afficit. Alios etiam vltrà cupido protrudit, vt Romam orbis & Christianæ religionis caput, dein longiùs Barium sancti sedem Nicolai adeant. Trans montes Pyrenæos per aspera regionum in Galleciam S. Iacobi desiderium non paucos abripit, quosdam quoque ad Montem Serratum Deiparæ Virginis amor. Et nonnullis neque itineris longitudo, neque grauitas impendiorum, neque maris asperitas & periculum, neque aliud quidpiam formidabile ardorem extinguunt vel Ierusalem, vel ad Sinæ montem proficiscendi. Quàm multos tam varias regiones pietatis ergô celebrandi desideria domo extrahant, facilè à quouis colligi potest, dum omnes peregrinorum Sodalitates in publicis processionibus, aut festis Patronorum sese palàm longa serie videndos ostentant. Vt saltem Insulensis vrbis numerus cogitatione possit iniri, de solis iis, quos sacra loca in Syriam pertraxere, non minùs quàm triginta semper videri assero, quamuis ea sit minima omnium Societas: alia Sodalitia longè pluribus florere, vt fidem aliqua superent. Et ne quis arbitretur, de vulgo tantum hos peregrinorum Gallo-flandriæ cuneos prodire: placet aliquos tum viros, tum fœminas producere, quos etiam nobilissimos pietas ex hac ditione in remotissimas regiones abduxerit.

Principes ac nobiles viri, qui è Gallo-flandria longas peregrinationes obiere. S. Euerardus Dux et Comes. *Cyson. mon. MSS.*

Ab D. Euerardo Cysoniensis monasterij conditore, & hoc in Belgio Comite, initium ducam. Is cum esset Caroli Calui sororius, & Ludouici Pij Imperatoris gener, hinc Romam iter arripuit, vt sacros ibi locos veneraretur, indéque Sanctorum lipsana domum reportaret, quibus exstructo à se templo fama & veneratio glisceret.

Adela Flandriæ Comitissa. *Chron. Fland. MS. Iacob. Meier l. 3. Pet Oudegherst. c. 43.*

Adela Balduini cognomento Insulensis Flandriæ Comitis vxor, & Roberti Francorum regis filia, postquàm diu Insulæ vitam agitasset, ibique animum multa imbuisset religione, sublato fatis marito, eodem æstu correpta est pietatis, & lectica Romam iter intendit: eáque res Alexandrum, qui tum Romæ Pontificem agebat, tanta perfudit voluptate, cùm ipsam suscepit, vt neque lachrymis temperarit; neque quidquam eius postulatis obrogauerit. Præclarum eius peregrinationis est testimonium, quod his verbis Chronicon vetus Flandriæ proponit: *Cùm iret Romam Adela, in lectica duobus equis portabatur tecta, ne vel à pluuia & vento vexaretur, vel impediretur à meditatione.* Itémque hoc in eius epitaphio:

Hæc viduata viro sacra limina visitat Vrbis;
Vestit vbi summus vestibus hanc viduæ
Præsul Romanus, à quo benedicta recedens,
Ad Mesinas rediit. ——

Robertus Frisius Flandriæ Comes. *Iac. Meier. l. 3. Oudegh. c. 54.*

Burchardus Cominiensis. *Iac. Meier l. 3.* Girardus Buccensis. *Iac. Meier l. 3. Lib. 2. de Castell. Insul.*

Huius Principis fœminæ filius natu minor Robertus cognomento Frisius (quem ni fallor, in auras Gallo-flandria exceperat, & Insulæ mater educauerat) magno comitatu in Syriam profectus est, ibique Hierosolymas orabundus perlustrauit, deinde Sinam Arabiæ montem adiit diuæ Catharinæ sepulchrum veneraturus. Inter Roberti comites emicuere Burchardus & Gerardus. Burchardum Cominiensem appellat Iacobus Meierus, quòd ipse nobili Cominensium familia exortus oppido Cominiensi ad Lisam in Flandria Gallica imperitaret. Gerardum Buccensem nominat Oudegherstius, eúmque Insulensi castro præficit. Apud Meierum Insulanus is dicitur, ideóque Florentius Vanderharius Castellanum Insulensem fuisse autumat: sed vtrùm rectè, nos posteà videbimus.

E veteri

A E veteri & pernobili domo Roubaisiana, duos comperio pietatis ergo peregrinandi cupidos. Eorum vnus fuit Ioannes equestri Velleris aurei dignitate præillustris, quem Burgundiæ & Brabantiæ Dux Philippus consiliis arcanis & cubiculo suo admouerat. Quæ terras & maria peragrando venerabundus adiit, hæc præsertim, vtriusque Apostolorum Principis limina, diui Iacobi templum in Gallecia, Christi Saluatoris nostri sepulchrum in Palęstina, in monte Sinensi diuæ Catharinæ tumulus. IOANNES ROVBAISIVS. *Epitaph. eius.*

Alter Petrus dicebatur, cuius fidem & prudentiam experti fuere Duces Burgundiæ Philippus & Carolus, dein Romanorum Rex Maximilianus, cùm suis eum consiliis & cubiculis adhibuissent. Is annum integrum variis peregrinationibus impendit, secúmque magnis sumptibus viros decem per varia terrarum & maris pericula deduxit, vti sacra Romæ, in Cypro, Hierosolymis loca & nobilem S. Virginis Catharinæ sepulchro montem supplicabundus inuiseret. Priusquam Hierosolymis abiret, illic equestri balteo cingi voluit. PETRVS ROVBAISIVS. *Epitaph. eius.*

B Et hæc vestigia pietatis quidam ex illustri familia Lannoyana progeniti auidè presserunt. In his eminet Hugo aurei Velleris eques, & toparcha Santensis, quem Francorum rex Carolus Sextus, Ioannes & Philippus Duces Burgundiæ, magnis rebus admotum multis decoribus auxere, suúmque læta suscepit Gubernatorem Gallo-flandria. Eum aliquoties in Hispaniam & Italiam iter fecisse comperio, vti Duces Apostolorum, & S. Iacobum multo acclinis honore prosequeretur: Ierusalem anno ætatis vigesimo intendisse: illic equestri donatum dignitate. HVGO LANNOYVS. *Epitaph. eius.*

Eum secutus est Philippus Santarum & Willeruallis dynasta, quem etiam Hierosolymis sacra loca suppliciter obeuntem equestri cingulo præditum inuenio. PHILIPPVS LANNOYVS. *Epitaph. eius.*

Ex aliis in Gallo-flandria viris nobilibus, iter quoque Hierosolymitanum Iacobus de la Douue Sainghinij apud Melanthoisos dominus ardenter suscepit: verùm in via è viuis subtractus est. En quod eius epitaphium Sainghiniensis ecclesia repræsentat rythmis Gallicis conscriptum: IACOBVS DE LA DOVVE. *Epitaph. eius.*

C

L'an mil quatre cens quatre vings.
Quatre en Iuillet
En Cypre sur le sainct chemins
De Ierusalem lieu parfait,
Jacques de la Douue d'honneur
Dit de la nauf eglise, Seigneur
De Sainghin, rendit son esprit,
Priez Dieu le createur.
Que son ame en ait bon prouffit.

Ioannes de Cuinghem Hemi Lommíque regulus minimè ab eadem religione fuit alienus, cùm Ierusalem profectus ad capessendam equestrem dignitatem ibi-
D dem gladio fuerit accinctus. IOANNES DE CVINGHEM. *Epitaph. eius.*

Et Bertrando de la Brocquiere insita fuit sacra peregrinandi cupido, quem Burgundiæ Ducis Consiliarium Hierosolymam pietas hinc pertraxit. BERTRANDVS DE LA BROCQVIERE.

Neque defuit è familia Thieullainorum, quæ nobilis est Insulæ, qui vestigiis aliorum insisteret. Etenim Gerardus pari ardore correptus ad Christi sepulchrum supplicabundus abiit. Et si noua quærantur exempla, inter eos qui vel modò vitam Insulæ degunt, vel ibidem in auras prodiere, plerósque vel nobiles, vel opulentos conspicere licet, quos in varia loca, sed pręsertim Hierosolymas supplicandi desiderium impulit. GERARDVS DE LA THIEVLLAINE.

A

Quas habeant Gallo-flandri sacras Reliquias, & quo cultu eas venerentur.

CAPVT VIII.



AGNATVM est sanctarum peregrinationum religioni sacrorum quoque lipsanorum ardens studium: miniméque hæc duo seiungi debent ab illo, qui verum se Christianum profitetur. Cùm igitur prolixè Gallo-flandros peregrinationum perquàm studiosos esse viderimus; omnino hic locus postulat, vt etiam paullò latius explicemus sacra monumenta, sanctásque Reliquias, quibus olim Deus, Diuique ditionem Gallo-flandricam ornarint; & oculis quoque subiiciamus, quo cultu & veneratione hæc omnia Gallo-flandri vel olim affecerint, vel nunc prosequantur. Etenim tametsi neque tam multis, neque tam præclaris sese B iactet ista regio sanctorum corporibus, aliísque sacris lipsanis, quàm pleræque ditiones aliæ: id tamen ex vero mihi licet asserere, paucis hunc populum cedere studio venerandi, colendique. Vt autem hîc aliquem seruemus ordinem: placet primùm siue Christi, siue Deiparæ matris, siue sanctorum lipsana, & monumenta proponere; vtque aptiùs ea omnia describamus, vrbes priùs, dein oppida & pagos inuisere, ac singula rimari, quæ propter excellentiam & magnitudinem plus laudis merentur: ceteris quæ parua sunt, vel minus nominis habent, relictis.

INSVLENSES RELIQVIÆ. IN TEMPLO S. PETRI. CRVX E LIGNO CRVCIS CHRISTI.

Vt igitur ab Insula exordiamur, inter præcipua ædis Canonicorum S. Petri ornamenta, prorsus ea censenda, quæ de sanctissima Christi Cruce frusta obtinet. Hæc enim admirationem videntibus mouent partim ipsa magnitudine sua, partim ornatu. Ex iis Crux duplex efformata, vno stipite recto, lignis duobus transuersis. Stipitis altitudo vltra palmum maiorem, & pedali mensuræ propior; paullò minor pollice eius crassities; ligna transuersim posita æqualiter lata, superiùs inferiori C breuius: vt omnia Patriarchæ crucem referant. Id nobile monumentum tabula exhibet interiùs auro tecta, exterius argento: multis ad ornatum & splendorem insertis & collucentibus gemmis. Opus donúmque Byzantinum creditur. Quæ altrinsecus pendent ex auro nummus & tabella, Græcis characteribus fidem operi adstruunt. Tabellæ facies vna Christum in crucem suffixum ostentat cum hac inscriptione: Η ϹΤΑΥΡΩϹΙϹ: altera frons eundem è sepulchro surgentem porrigit, cum hac epigraphe: Η ΑΝΑϹΤΑϹΙϹ.

FRAGMENTVM SEPVLCHRI SALVATORIS NOSTRI IBIDEM.

Quæ basis argentea pulcherrimam ex eodem metallo S. Ioannis Euangelistæ statuam sustinet, satis magnum continet è Christi sepulchro fragmentum. Id totum munus est nobilis viri Ioannis de Carnin Decani quondam & Canonici huius ecclesiæ.

DE CRINIBVS ET LACTE B. VIRGINIS IBIDEM.

A diua Virgine Maria duo monumenta hoc templum exhibet, è crinibus eius aliquid scilicet, lactísque per miraculum donati pauxillum. Lac conseruat argenteus, & auro illitus columbæ pullus, quem pulchri operis argenteus, auróque per- D fusus Angelus ostentat. Intra orbiculum aureum capilli gyrantur. Id vtrumque lipsanum magna insuper & elegans capsa concludit, cuius materies argentum auro inductum, opus sanè vetustum, ars insignis, plerisque ambientibus factis affabrè statuis. Id præcipuum est in amburbali processione, quam Margareta Flandriæ Princeps instituit, pompæ ferculum.

CORPVS S. EVBERTI, IBIDEM.

Plura diuorum lipsana eandem ædem illustrant. In argentea theca totum D. Euberti pontificis & Confessoris, qui tractus huius populis ad fidem Christianam conuertendis aliquam cum S. Piatone & D. Chrysolio impendisse perhibetur operam, ab annis plusquam quingētis huc delatum, honorificè corpus, cōtinetur. Eiusdē viri caput separatim exhibet prostans humeris tenus ex argento effigies. Has exuuias Insulensibus prouenisse ferunt, cum delatæ ad huius templi, quo de agimus dedicationem fuissent augendæ pompæ gratia. Priùs enim Siclinij seruabantur: incer-

túmque

A tùmque est, an Balduini Pij Flandriæ Comitis, quem S. Petri Canonici fundatorem agnoſcunt, flagitatione Inſulenſibus ab Sitlinienſibus Canonicis ſint donatæ; an verò potiùs eas Inſulenſes his ægrè ferentibus retinuerint.

Inſunt ibidem capſæ holoſerico tectæ multa Colonienſium virginum oſſa. Ossa Coloniensivm virginvm.

Pendet ad pedem argenteæ D. Petri Apoſtoli ſtatuæ dimidium annuli eius ſancti catenæ detracti. Qui volunt febris ardorem exſtinguere, laticem bibunt, cui ſacrum id ferrum fuit immerſum. Annvlvs dimidiatvs Catenæ S. Petri.

Eiuſdem ſancti Apoſtoli pars non modica argento eleganter decorata oſtenditur. Pars e corpore S. Petri.

Affabrè factum & veteri cælo deformatum ex argento caput inſignem cranij partem eius S. Concordiæ includit, quæ S. Hyppolytum martyrem nutriuit, itemque capillos aliquos eiuſdem. E cranio et capillis S. Concordiæ.

Os maius cubitale, vel vlnam S. Donatiani quondam Remorum Archiepiſcopi, *cuius pignora*, vt inquit Flodoardus, *maritimas in partes Epiſcopi Nouiomagenſis, vel* B *Tornacenſis perlata, vario ſignorum memorantur ſplendore decorata* (id accidit anno ferè octingenteſimo & ſexageſimo tertio, cùm id corpus Franciæ rex Caluus, Eboque Remenſis pontifex pignus pacis Balduino Ferreo tradidere) iámque Brugis in templo Cathedrali coluntur, præbet videndum argento tectum, inſigníque formatum arte brachium. A M. Ludouico Domeſſent huius eccleſiæ Theſaurario & Canonico venit olim id munus. Os cvbitale S. Donatiani. L. 1. c. 5. hiſt. Remenſ.

Os minus cubiti, ſiue vlnam minorem S. Macarij aliud ex argento phylacterium pereleganter opere nouo elaboratum aſſeruat. Fuit is Antiochenus Patriarcha. Sed cùm incognitus in Belgium veniſſet, ac plerúmque tempus agitaſſet Gandaui, oborta ingenti peſtilitate, quæ maximam Flandriæ partem depaſta eſt, ibidem lue contactus obiit in monaſterio D. Bauonis, ſuáque morte peſtem exſtinxit anno ferè milleſimo & duodecimo. Creditum id pignus ab Inſulenſi Balduino Eccleſiæ D. Petri donatum, poſtquàm id Gandaui obtinuiſſet, cùm noua D. Bauonis ædes de- C dicaretur, ac S. Macarij corpus ab humo leuatum propalàm venerandum Balduinus Nouiomenſis & Tornacenſis Epiſcopus proponeret. De Rogerio Inſulenſi Caſtellano ſcriptum inuenio, in litteris V. Decani, & Capituli S. Petri Inſulenſis anni 1230. menſe Iunio datis; *Fecit quoque Philacteriam fieri ad Brachium S. Donatiani, & decorauit Brachium S. Macarij, & dedit nobis duas philacterias, ſcrinium ſcilicet deauratum, in quod diuerſorum ſanctorum reliquiæ ſunt repoſitæ, & quandam imaginem Crucifixi.* Os cvbitale S. Macarii.

Eſt in Baſi S. Ioannis Baptiſtæ ex argento pulcherrimè elaborati, pars aliqua non modica eiuſdem Saluatoris noſtri Paranymphi, vtrúmque dedit Ioannes de Ripa Canonicus Inſulenſis anno 1464. Aliqvid e corpore S. Ioannis Baptistæ.

Viſitur etiam in eadem eccleſia non leue fruſtum pellis D. Bartholomæi Apoſtoli, quod argento exornauit, donauítque Ioannes Bawet eius Canonicus, qui magnam olim Bethuniæ operam impendit, eruendo & componendo eiuſdem Apoſtoli brachio, dum illic inter Canonicos degeret. E pelle S. Bartholomæi pars.

D Secundum ædem ſancti Petri multis ſanctorum lipſanis gaudet Societatis Ieſu templum. Hic in primis corpus S. Victoris Romani martyris, quòd è Priſcillæ cœmeterio effoſſum fuit, in elegantiſſima capſa (quàm auro argentóque variè decoratam, & ab inſigni manu variis ex argento Chriſti, D. Virginis, S. Victoris, & duodecim Apoſtolorum ſigillis ferè palmaribus exornatam, dein multiplici emblemate, & Corinthio columnarum ordine, ac Zophoris, triglyphis, aliíſque rebus fulgentem Senatus Inſulenſis donauit) populo ſpectandum, colendúmque proponitur. Eiuſdem caput efformata brachiorum tenus virilis magnitudinis effigies argentea incluſum conſeruat, quæ pulcherrimæ baſi impoſita, & duas inter prominens pyramides, mirè ſpectantes tum pignoris præſtantia, tum operis elegantia tenet, afficitque. Templi Societatis Iesv lipsana. Corpvs S. Victoris martyris. Eivsdem capvt.

Eſt ibidem vnius S. Victoris ſociorum, itidem martyris, ex eodem eductum cœmeterio corpus. Id altera continet theca paullò minor, at minimè ſuis ex auro, Socii S. Victoris corpvs.

argen-

argentóque, decoribus inferior; Senatus Insulensis munus alterum. A

Capita 4 martyr. Thebæorum.

Seruantur etiam istîc quatuor è consortibus martyrij S. Mauritij capita totidem imposita præstantibus artificio, & ab humeris extantibus simulacris argenteis.

Capita 4. virginum Coloniensium.

Quatuor quoque visuntur earum virginum capita, quæ cum sancta Vrsula pro tuenda virginitate ad Rhenum vitam ferro telísque Barbarorum posuere.

De velo B. Virginis Mariæ.

Ibidem è velo sanctissimæ virginis Mariæ aliquid habetur. Icon argentea pueruli Iesu, quam altero brachio sculpta ex eodem metallo mater sustinet, intra crystallum spectantibus videndum porrigit.

De maxilla S. Pauli Apost.

E maxilla S. Pauli Apostoli quidpiam ostentat Angelus argenteus, præstantis opus cælatoris.

De S. Petri Apost. corpore.

Ex eodem metallo Angelus alter, alteriúsque labor artificis è S. Petri Apostolorum coryphei corpore aliquid honorandum exhibet.

Capsæ quatuor variorum sanctorum ossa continentes.

Et quatuor hîc capuli partim holoserico dibapho, partim altero panno byssino candenti vestiti, & variis ex auro figuris opere Phrygio exornati, multiplices claudunt Reliquias: quarum aliç sunt D. Andreæ Apostoli, & S. Catharinæ virginis & martyris; aliæ Thebæorum & Treuirensium martyrum; ex vndecim virginibus aliæ. B

Ossa et capilli S. Ignatii de Loyola.

Visitur hîc quoque perelegans, ac supra communem hominum magnitudinem ab vmbilico exstans, & sacerdotali schemate ornata, S. Ignatij de Loyola Societatis Iesu fundatoris & patriarchæ effigies. Ea tota constat argento peritissimi artificis manu elaborato faberrimè, & basi eodem metallo auróque coruscanti admodum decorè innititur. Hic tam præclarus ornatus capillos, aliásque ex ossibus eiusdem sancti Reliquias continet.

Cereus Marianus in fori ædicula.

In ædicula pro Senatorum Curia surgente, vnus asseruatur Cereus Marianus, è stillatis ex Atrebatensi guttis compositus.

De Christi Cruce in æde S. Steph.

In curiali templo S. Stephani, è S. Christi Cruce pars non leuis auro argentoque pereleganter ornata spectatur.

Ossa Thebæor. in templo S. Maur.

Ædes Mauritiana nonnulla è sancti Mauritij Sociorum corporibus ossa capulo inclusa conseruat. C

Varia sanctorum ossa in æde S. Catharinæ.

Parochia S. Catharinæ insignem magnámque thecam ostentat, in qua satis notabiles S. Catharinæ virg. & mart. S. Andreæ Apostoli, S. Mercurij martyris, à quo cçsus est Iulianus apostata, S. Mariæ Magdalenes, S. Iacobi Apostoli, S. Viti martyris, S. Iustini Philosophi & martyris, S. Barbarç virg. & martyr. S. Aldegondis virg. & martyr. Sociorum S. Mauritij, partes ossium conditç sunt.

Patres Franciscani tribus è numero S. Vrsulæ Sociarum capitibus, multis Thebæorum & Treuirensium martyrum ossibus, S. Quirini osse cubitali, ac brachiali S. Formosæ, vno S. Apolloniç dente pollent.

SS. Vitalis, Catharinæ, et Agathæ in Castri æde.

S. Vitalis, seu Castri sacellum in pereleganti capsa partem capitis S. Vitalis martyris, de brachio S. Catharinæ Alexandrinæ, ac de S. Agathæ virginis & martyris costa non paruas portiones continet.

DVACENSIS VRBIS LIPSANA.

In templo S. Amati.

Sed nunc tempus est, vt Duacum inuisamus, & quæ sunt ibi sacra monumenta, vel lipsana inspiciamus. Qui locus hac in vrbe his maximè floret, ipsa est D. Amati pontificis ædes. D

Miraculosa Eucharistia.

Hæc namque primùm habet Sacrosanctam Eucharistiam insigni ostento Christi varia specie nunc pueri, nunc viri, modò irati, modò ridentis, quondam in ea videndum se prçbentis cognitam, vt anteà ostendimus.

Res variæ Christi vsu, vel tactu nobiles.

Multa sunt etiam ibidem quç vel vsu, vel contactu Christi Domini nostri viuentis, patientísque, vel mortui, sanctitudinem induere.

B. Virginis Reliquiæ variæ.

De B. Virginis Mariæ vestibus, velo, lacte per miraculum ab vberibus profuso, & capillis nonnihil etiam illic seruatur.

S. Annæ pes.

D. Annæ Christi auiæ pes eodem in loco visitur.

S. Amati corpus.

E diuis aliis hæc prçcipuam ibidem famam obtinent. S. Amati Senonensis Archiepiscopi, & posteà in Belgio iuxta Lisam Abbatis Broylensis ac Duacensis vrbis patroni, totum ferè corpus, & caput auro argentóque separatim decorata.

S. Mau-

A S. Mauronti diuæ Riƈtrudis ex S. Adalbaldo filij, éque Franciæ Cancellario Broylenſis monaſterij, quod fundauit, antiſtitis, & ſecundi Duacenſium patroni, oſſa propè omnia eleganter auro & argento exornata. S. MAVRONTI CORPVS.

B. Oneſimi Sueſſionenſis Epiſcopi ſeptimi ac Confeſſoris corpus integrum, ſimilibus metallis refulgens. S. ONESIMI CORPVS.

S. Gurdinelli Confeſſoris membra, ſuo etiam ornatu decora. S. GVRDINELLI CORPVS.

E capite S. Clementis Papæ & martyris pars notabilis, aliáque de cranio S. Monicæ D. Auguſtini matris. DE CAPITE S. CLEMENTIS ET S. MONICÆ.

Vnius Innocentium caput, & brachium. BRACHIVM ET CAPVT VNIVS INNOC.

Brachium S. Adalbaldi Ducis, martyris, & Duacenſis olim vrbis Domini. BRACHIVM S. ADALBALDI, EIVSQVE AVIÆ.

Brachium D. Gertrudis, S. Adalbaldi auiæ.

Brachium S. Stephani Patriarchę Conſtantinopolitani, vnà cum manu arida, carne conteƈtum. BRACHIVM S. STEPHANI EPISCOP.

Inſignis pars brachij S. Apoſtoli Iacobi, D. Blaſij Epiſcopi & martyris, S. Gre-
B gorij Papæ Romani. E BRACHIIS SS. IACOBI, BLASII, GREGOR.

D. Amati planeta & pedum.

S. Mariæ Ægyptiacæ velum.

S. Eliſabeth Hungaricæ culter.

Et viſuntur ibidem minutiora ſanƈtorum Apoſtolorum, Martyrum & Confeſſorum ac Virginum magni nominis lipſana, quę partim Arnulphus Flandriæ Comes è S. Amandi templo ſumpta, partim Robertus Gondecurius apud Gallo-flandros nobili loco natus allata Conſtantinopoli donarunt.

In eadem vrbe Canonici D. Petri nonnihil S. Mariæ virginei laƈtis ad baſim argenteę eiuſdem ſtatuæ proponunt; & duodecim Apoſtolorum in compoſita ex argēto theca reliquias. Iidem habent è ſociis S. Mauritij caput vnum, itémque alterum è millibus vndecim virginum Colonienſium: quæ formatę ex argento effigies con-
C tinent de brachio S. Margaretæ virginis & martyris, & S. Eligij partem aliquam. RELIQVIÆ ECCLES. S. PETRI.

Collegium Societatis Ieſu S. Terentianum, & vnum è ſociis eius martyres Romanos, éque Priſcillę cœmeterio erutos poſſidet, ac nonnulla è virginibus S. Vrſulæ comitibus capita oſſáque oſtentat. LIPSANA COLLEGII SOCIET. IESV. SS. TERENTIANI ET SOCII EIVS CORPORA. VRSVLANARVM VIRGINVM VARIA OSSA ET CAPITA.

Eſt in Xenodochio S. Iacobi eius diui Lupi caput, qui Trecenſem Eccleſiam Epiſcopus rexit. De quo in veteri ſcriptóque monumento hæc legi: *S. Lupi Epiſcopi, & Confeſſoris, qui caducum morbum habentibus, & ipſum requirentibus integram ſanitatem præſtare ſolet.* CAPVT S. LVPI IN XENODOCH. S. IACOBI.

Ibidem pars ſuperior cranij S. Lucę Euangeliſtarum vnius conſpicitur.

In ſacello D. Magdalenes duo ſeruantur mallei, quibus olim S. Eligius dum ſacrorum thecas lipſanorum adornaret, vſus fuiſſe perhibetur. MALLEI S. ELIGII IN SACELLO S. MAGD.

In ædicula Curiæ Senatorum cereus vnus conſpicitur, è guttis Mariani cerei, quem Atrebatenſes è cælis obtinuere, concretus. CEREVS MARIANVS IN SACELLO CVRIÆ SENATORVM.

In Abbatia B. Virginis Belli loci, è Chriſti corona ſpinam vnam, duos S. Ioannis Baptiſtę dentes ac fruſtum eius capitis, aliquid de capite & brachio S. Aniani
D Aurelianenſis Epiſcopi habent ſanƈtimoniales. Ibidem de S. Auguſtini, S. Andreę, S. Laurentij, S. Sebaſtiani, aliorúmque multorum ſanƈtorum ac ſanƈtarum Reliquiis, in aliquot vaſculis nonnihil ſeruatur. Viſuntur ibidem lipſana S. Vrſulę, S. Andoonti Archiepiſcopi, & Sacellani S. Vrſulę, S. Honoratę, & multarum aliarum virginum & martyrum Colonienſium. LIPSANA ABBAT. BELLI LOCI. SPINA E CHRISTI CORONA. DENTES ET OS S. IOAN. DE S. ANIANO.

In S. Albini templo B. Chriſtiani corpus capútque ſeparatis in thecis ſeruantur.

In Martianenſi monaſterio non pauca diuorū diuarúmque corpora conquieſcūt. MARTIANENSES RELIQVIÆ.

Primas illic partes obtinet S. Riƈtrudis in Vaſconia Ernoldo & Lichia parentibus nata; quę primúm S. Adalbaldi Ducis coniux floruit; deinde hoc martyrij palmam adepto, in eo ſe monaſterio condidit, quod S. Amandi conſilio cenſibus donauerat; & ſacris virginibus laudabiliter multos annos pręfuit. In pulcherrima ſiquidem & admodum pretioſa corpus eius capſa continetur. CORPVS S. RICTRVDIS.

Poſt eam oſſa filię ipſius Euſebię, quam Hamaticenſes Moniales Antiſtitam habuere, CORPVS S. EVSEBIÆ

A

buere, in altera theca paris pretij, & fabertimè laborata, sunt composita.

In aliis duabus haud parum elegantibus capulis horum corpora custodiuntur;

CORPVS S. IONATI.

S. Ionati, qui primus ex sententia S. Amandi cœnobium Martianense moderatus est;

CORPVS S. MERCVRII

S. Mercurij inter martyres nominati;

CORPVS S. GERTRVDIS.

S. Gertrudis D. Adalbaldi auię, Rigomari viduę, Hamaticensis Parthenonis fundatricis, & Abbatissæ;

CORPVS S. CLOTSENDIS.

S. Clotsendis virginis, quę post matrem Rictrudem Martianensibus fuit sanctimonialibus præfecta;

CORPVS S. ADALSENDIS.

S. Adalsendis etiam virginis, & D. Clotsendis sororis,

CORPVS S. CORDVLÆ.

S. Cordulę virginitate & martyrio illustris, quę sociarum S. Vrsulę vltimò cęsa è terris in cælos abiit,

CORPORA SS. FELICIT. ET VICTORINÆ.

Sanctarum Felicitatis & Victorinę, quibus virginitatis palma obtigit,

S. PROCOPII BRACHIVM ET MANVS.

Ibidem loci ostenduntur altera manus S. Procopij excellentissimi martyris, & iunctum ipsi brachium;

B

ECRANIO S. STEPHANI PROTOMART.

Magna pars cranij D. Stephani martyrum primi,

OS S. LAVRENTII

Os cubitale S. Laurentij, quem tyrannus in craticula ferrea iussit assari;

CRANIVM S. LONGINI.

Cranium S. Longini Martyris, qui lancea Christi latus aperuit;

SACRA ORNAMENTA S. THOMAE CANTVAR.

Crux, casula, tunicellæ quibus olim vsus est. S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, dum sacris mysteriis operaretur,

VARIORVM SANCTORVM OSSA.

Et quædam S. Bartholomęi Apostoli, D. Theodori martyris, S. Catharinæ virginis & martyris, S. Mauronti Abbatis, cuius antè meminimus, partes notabiles.

DIVERSÆ S. THOMÆ CANTVAR. RELIQVIÆ

Nolim curiosum lectorem monumentis aliquot veteribus carere, ex quibus de Reliquiis nonnullis aliis Martianensis ecclesię cognitionem hauriat. Hoc primum est: *Anno Domini* M.CC.XXXIIII. *Vir venerabilis Magister Ioannes Prior Cantuariensis misit nobis per litteras suas testimoniales, Reliquias istas, prolatas de sacrario Cantuariensis ecclesiæ. De ossibus S. Thomæ martyris. Item alia particula de ossibus, & de Cuculla eiusdem, alia particula de substantia corporis eius, de capillis ipsius, de casula, de dalmatica, & staminea eius; de alba, & cilicio ipsius, inuentis in sepulchro suo. Item de linteaminibus, quibus corpus martyrizatum, extersum fuit post ablutionem. Item iunctura B. Blasij martyris; item de ossibus aliorum sanctorum, quæ sine titulo nobis concessa sunt. Item os de capite S.* * *Trisonij martyris, quod eidem Priori allatum fuit de Roma.*

C

* forsan, Chrysogoni vel

RELIQVIÆ VARIÆ, QVAS AVREA CRVX MARTIAN. CONTINET.

Alterum sic habet: *In nostra Cruce aurea repositæ sunt istæ reliquiæ; in superiore, de capillis Domini, de Camisia matris Domini, & S. Laurentio Martyre: in inferiori parte, de S. Catharina virgine, de B. Anastasia, de Syndone munda: in dextra parte, de capillis Abrahæ, & ariete, quem sacrificauit, & de B. Thoma Apostolo, & B.* † *Gregorio martyre: in sinistra parte, de spongia Domini, de B. Ioseph Episcopo & martyre, & de B. Romano martyre: in medio, de ligno Domini, de spongia Domini, de Capillis B. Mariæ, & B. Blasio martyre.*

* forsan, Georgio.

Tertium tale est; quamuis scabrum & vitiosum.

D

Milleno glomere * *quadringento comitante,*
Inque nono decimo, Maij lucentéque terno,
† *Conditur in plana Crucis aráque nudáque plana.*
*A** Io. *professo Pinchon, quam dedicat ipse*
Ecclesiæ pastor Martinus, & Atrebatensis
Lumine viceno Martis regnantéque primo.
† *Roborat hanc diuus Cruor, hanc Abrahaque capillus,*
Ossáque mitrati Ioseph, *nec nónque* Piati,
Blandi, Romani, *Clementis,* Chrysogoníque,
Ast de virginibus † *duodenis millibus,* * *vnde,*
Ipséque Procopius; *horum benè nomina scimus*

Martinus scilicet Poranus Episc. Atrebat. cui suberat ecclesia Mart.

* *quadringeno*
i. An. 1419 die 3. Maij
† i. constituitur ara S. Crucis.
*. Ioanne.
i. 21. Martij
† i. in hac altari collocantur ea, quæ sequuntur Reliquiæ
† vndenis
* *inde.*

A In ecclesia Canonicorum Siclinij sancta Piatonis Neruiorum Apostoli, martyrisque eximij ossa insignis capulus argenteus continet,& venerationem iis excitat. Corpus S. Piatonis Siclinii.

Cysoniensis Abbatiæ Canonici Regulares S. Euerardum Ducem Foroiuliensem, ac Comitem, suúmque fundatorem conseruant, cuius caput formata ex argento effigies, ossa reliqua theca bysso eleganter ornata, complectuntur. iidémque nuper S. Callisti Papæ Romani & martyris insignem Remis partem recepere, cuius olim corpus integrum ab S. Euerardo cum plurimis aliis diuorum lipsanis acceperant. Et in hoc cœnobio S. Apollinaris Episcopi Rauenatis & martyris caput; dein pars non leuis S. Monicæ corporis, conspiciuntur. Corpus S. Evrardi Cysonii. Pars Corporis S. Callisti ibid.

Habet Phanopinense monasterium Cruces duas insignes, argento, auro, & gemmis ornatas, quibus inserta sunt è Saluatoris nostri Cruce frusta minimè contemnendæ magnitudinis: quarum vetustior Andreæ Mondet quondam Abbatis, recentior D. Adriani Bauwins ibidem nunc præsulis opus est. D. Cruce Christi Phanopini.

Eodem in loco brachij S. Matthæi Apostoli pars notabilis,& S.Floræ, vnius S. B Vrsulæ sociarum caput visuntur. Item brach. S. Matth et cap. S. Flo.

In vno Flinensi Monasterio numerantur ex vndecim millibus S. Vrsulæ sociarum octoginta virginum capita, quæ iam diximus ab Conrado Coloniensi Archiepiscopo ad Humanam sororem loci huius antistitā missa;& earumdem ossa plurima. Flinensis Reliquiæ. 80. Capita virginum Vrsulanar.

Ibidem auro & argento rutilat S. caput Honorati. Itémque pes S. Theodori ob martyrium palma nobilis. Cap. S. Honor. Pes S. Theodor.

Et duo magnum monumenta cultum merentur, quorum alterum cœnobio donauit Francorum rex diuus Ludouicus, alterum Margareta Flandriæ princeps, & ipsius parēs monasterij. Illud sanctuarium quoddam est tabellę modo compositum, & auro tectum argentóque: vbi medium effigies Christi post resurrectionem sese beatæ Magdalenæ manifestantis obtinet; circumquaque varia sunt inclusa diuorum Bartholomęi, Nicasij, Laurentij, Ioannis Chrysostomi, & sanctarum Magdalenæ, Catharinæ, Barbaræ, Margaretæ lipsana; ac denique præcipuam merentur C venerationem insigne salutiferæ Crucis fragmentum, & sanctissimæ virginis Mariæ capilli. Quod Margaretæ munus est, costam B. Elisabeth, dentem & aliquid de capite S. Ioannis Baptistæ, costam S. Nicolai, & aliquas sanctorum Apostolorum Petri, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Barnabæ, & Stephani martyrum primicerij reliqnias ostentat.

Et illic est aliud eiusdem principis fœminæ donum crux argento & auro renidens, cui multa sunt inserta variorum cælitum ossa.

Dein argentea columbæ effigies non paruam eius ligni, in quo Saluator noster pependit, portionem; tum etiam de Christi sanguine, tunica, sepulchro, mensa, spongia, sudario, veste, lancea, capillis,& corona quidpiam includit.

Ac denique sacrum magníque pretij toreuma multiplices conseruat quorundam Apostolorum, martyrúmque ac virginum magni nominis reliquias. Dein alia ex argento capsa S. Huberti Leodiensium Episcopi digitalem articulum ostentat, cui iam is ornatus anno Christi supra millesimum & quadringentesimum quadragesi- D mo accessit.

Marquettensis Abbatiæ virgines multa in primis Coloniensium virginum ossa possident duobus capulis eleganter ornatis inclusa.

Aliquot eædem è spinis sacrę Christi Coronæ ostentant; itémque S. Ioannis Baptistæ & S. Apollonię dentes, & è S. Andreę Apostoli cruce efformatam cruciculam auro, lapillis pretiosis, argentóque cuncta insigniter conspicua.

Sed nunc tempus est, vt ad cultum & ardorem venerandi, quo semper Gallo-flandri sacra monumenta, diuorum corpora, & Reliquias sunt prosecuti, sermonem conferamus. Eum ego quatuor in rebus præsertim admiror. Harum primam varius præbet ornatus auri, gemmarum, argenti, quibus illa tegentes capsæ vel nunc rutilant, vel olim fulsere; vt plerisque famam vel pretium, vel artis præstantia conciliauerit. Visus est quondam diuus Eligius, Nouiomensium & Tornacensium Episcopus, ad hanc cultus partem huic populo præiuisse, cum repertis sanctorum Sacrarum reliquiarum ornatus apud Gallo-flandros. Huius origo a S. Eligio.

Piatonis & Chrysolij corporibus, insignes auro & argẽto thecas suis ipse manibus miro parauit artificio, in quas ea magnificè reconderet. De S. Piatonis sacris exuuiis ita breuiter Audoënus: *Corpus denique, sicut martyrem decuit, accuratè composuit, atque mausoleum desuper eleganter fabricauit.* Quæ paullò latiùs sic explicat Clerus Siclitiensis, dum res eius viri sanctissimi scribendo persequitur: *Tumuli autem eius faciem idem sanctus pontifex auro & argento, gemmisque ac lapidibus pretiosis mirificè manu propria exornauit: Vt ostenderet ex cultu sepulchri, quantus esset apud Deum in curia cæli.* Apud eundem Audoënum hæc leguntur alibi: *Inter alia bonorum operum insignia, multas sanctorum ex auro, argento, atque gemmis fabricauit thecas, siue tumbas: puta Germani, Parisiensis Episcopi, Seuerini Abbatis Agaunensis, Piatonis presbyteri & martyris.* De sancto autem Chrysolio ab eodem sancto pontifice culto ornatóque, ita meminit ecclesiæ Cominiensis officium: *Beatissimus Christi Confessor, ac patrator Eligius, Nouiomensis ecclesiæ pastor strenuissimus audita B. Chrysolij vita, eiúsque venerando triumpho: iussit eiusdem martyris corpusculum post multos annos à terra leuari, & in argentea capsa venerabiliter honorificéque collocari.* Atqui hæc de sacris S. Eligij laboribus diuos ornandi gratia in Gallo-flandria susceptis, qui sanè pulcherrimum essent genti nostræ monumentum eius tam nobilis & sancti artificis, nisi iamdiu aduersa templorum eripuissent.

Lib. 1. c. 7. vit. S. Elig.

Lib. 1. c. 32.

S. ELIGIVM IMITATI SVNT S. EVERARDVS COMES.

Flod. l. 4. c. 4.

Huius pontificis vestigia multi posteà presserunt. Inter primos emicuit Ludouici Pij Cæsaris gener Euerardus Cysonij cultor præcipuus, ibique pulcherrimi cœnobij parens. Quod enim diui Callisti corpus ab Italia deportauerat, id ornatissima theca contexit. Haud diu tamen vel eo corpore, vel decore nostratibus perfrui datum, quòd Rodulphus Euerardi filius vtrumque Cysonio deuehi Remos iusserit.

ALBERICVS ABBAS MARTIAN.

Lib. vet. Mart.

Ex Martianensis monasterij Abbatibus Albericum in primis comperio, cuius operâ diua Rictrudis, S. Maurontus, S. Eusebia, & beatus Ionatus decorati sunt insignibus capsis. Cùm enim Absconsi (pagus est in Gallo-flandria Martianensibus monachis obnoxius) refossa humo ingentes ipse thesauros eruisset: non modò inde diruta cœnobij ędificia in pristinum nitorem restituit; verùm etiam ea diuorum diuarúmque corpora multo texit auri & argenti decore.

AMANDVS ABBAS MARTIAN.

Lib. 2. Mirac. S. Rictrud.

Post eum Amandus, ex Aquicinctensi Priore nonus Martianensium antistes, eodem cultûs ardore succensus, alterum diuæ Rictrudi capulum auro & argento rutilantem adornauit.

IOANNES BERTINIC. ABB. MARTIAN.

Lib. 2. Mirac. S. Rictrud.

Non multò pòst, Ioanne Bertinico pedum ibidem obtinente, data est occasio magnæ cuidam pietatis homini multum auri & argenti, in eiusdem beatę Rictrudis ornatum tribuendi. Cùm enim eius, quàm Amandus parauerat, capsæ tum aurea, tum argentea detracta fuissent ornamenta, is tantum occultè subministrauit, quantum vtriusque metalli sufficeret exornandæ rursus alteri thecæ, quam Ioannes fieri curauit.

IACOBVS COENIVS ABB. MART.

Verùm labores omnium & impendia multis partibus superauit Iacobi Cœnij primi & quadragesimi eiusdem monasterij Abbatis industria & liberalitas. Duæ scilicet etiam hoc ęui sanctarum Rictrudis & Eusebiæ corpora capsæ contegunt, binum eius opus. Nihil præstantius eo in genere quæri potest. Protuberant circumquaque vario cæli artificio malleique spirantes diuarum historiæ. Dein emblemata, columellę, coronides, & reliquus ornatus ad summa pertingunt artis & ingenij. Quo plus inesset pretij & elegantiæ: aurum argento quinies affusum: & insertæ magni splendoris & nominis gemmæ. Et quatuor ibidem auro & argento refulgent capita, partim eiusdem opus, partim aliorum, quæ viuis persimilia sanctorum Stephani protomartyris, Longini, Luciæ, & Rictrudis ossa continent.

CANONICI AMATENSES DVACI.

CANONICI S. PETRI DVACI.

Thomellus.

Non defuit olim studium Canonicis Duacensibus varium lipsanis ornatum afferendi. Apud Amatenses micant auro & argento diuorũ Amati & Mauronti corpora: itémque sanctorum aliorum reliquiæ. In ecclesia D. Petri, quas misit Princeps Flandriæ Margareta, quásque alij donarunt, sacrorum partes corporum vario rutilant ornatu metallóque.

Quem olim Hasnonienses Ascetæ solo ferè à Gallo-flandris Scarpo flumine

seiuncti,

A defuncti, gemmis & auro splendentem habuere sanctorum martyrum Petri & Marcellini capulum, oriundus Insula Balduinus Montensis Flandriæ & Hannoniæ Comes, confici pulcherrimè celarique mandauerat. *Balduinus Montensis Fland. Comes.*

Si vetera Insulæ nouáque opera spectemus, nihil non etiam hoc in genere nobis intra S. Petri basilicam, ædémque Societatis Iesu, & alia templa, præclarum obiicietur, quemadmodum ea testantur abundè, quorum antè mentionem fecimus, vt non sit necesse quidquam vltra producere. *Canonici S. Petri Insulæ. Senatus Insul.*

Nunc verò quod secundo loco Gallo-flandris ex cultu lipsanorum laudem asserit, circa eorum translationem conspicitur. Etenim seu vetera gentis huius facta excutiam, seu recentia considerem, non exigua mihi suppetunt eius religionis argumenta. Foroiulij Dux & Cysoniensis Ecclesiæ fundator Euerardus in S. Callisti corpus admodum procliui pietate ferebatur, cùm Maximi Pontificis venia ex vrbe Romana id extulit. Ne quid honoris prætermitteret cultûsque, magnoperè scilicet cauit. Tanta locorum intercapedine ab Italiæ vmbilico Cysonium vsque sancti B Martyris ossa humeris sacerdotum deferri voluit: vbicumquè carpenda per viam quiete consisteretur, loco decenti cum luminibus, & cantu constitui: dum Cysonij templo inferretur, è subiecta sibi ditione vim mortalium ingentem secum assistere. Et fuit ipsi voluptati cum aliis ad dies octo cantu, vigilia, ieiunio, tanti Pontificis honori, & venerationi obsequi. *Qua pompa diuorum Reliquiæ apud Gallo-flandros transferantur. Translatio S. Callisti. Lib de eadem. translat.*

Non multò pòst Duaci sanctus Amatus insignem adeptus est pompam & gloriam. Eò delatus fuerat è Broylensi monasterio, tædè grassantibus in Belgium Normannis. Igitur cùm placeret in diuæ Virginis templum eius ossa portari, vt illic conquiescerent, visum est omnibus decere, vti magno id apparatu fieret. Erant illic Francorum Rex Carolus Caluus, eiúsque gener Balduinus Flandriæ Comes cognomento Ferreus. Aderant etiam Episcopi non pauci. In his eminebat Ioannes Cameracensium pontifex, qui de regis voluntate sacrum corpus in nouam intulit capsam. Fuit ille dies Duaci celeberrimus, non incolis modò, verùm etiam C accolis, quos in vrbem ea celebritas pertraxerat, summa perfusis voluptate. Et visus est Deus sancti præsulis gloriæ, populique religioni obsecundare debilibus aut ægris plerisque ad sacri corporis conspectum pristinæ sanitati restitutis. Et sæpenumerò postea eiusdem diui nauatum est honori, cùm variis temporibus in alios atque alios ingenti pompa loculos transferetur, vt suis alibi locis narrabimus. *Translatio S. Amati. Lib. argent. S. Amati. Ioan. Molan. in Nat. SS. Belg.*

Exactis compluribus annis ibidem S. Mauronti laudibus, & gloriæ non parum ab Canonicis Amatensibus, & aliis impensum est pietatis & religionis. Iacebant eius ossa Martianis vnà cum matris corpore. Inde quispiam cùm pio ea furto sustulisset, Duacum lætus pertulit. Nec suam Amatenses Canonici voluptatem dissimulare potuerunt, nec subtrahere diuo publicæ venerationis, & cultus impendia. Igitur id corpus inaurato claudentes mausoleo, in suum magnâ pompâ templum detulere. *Translatio S. Mauronti. Lib. vet. Mart.*

Neque defuit ingens Cysonij cultus, cùm parentis sui & Comitis Euerardi cor- D pus in alteram Ascetæ transponerent capsam. Qui sacra contingeret ossa, Remis aduenerat Petrus eius ciuitatis Archiepiscopus, & cum eo Ioannes S. Theodorici Abbas, Adámque Celliacensis, magnúsque spectantium & venerantium numerus monachorum, & nobilium aderat. *Translatio S. Euerardi. Monumēta Cysoniens. Meier in Annal. Fland.*

Apud Martianenses Religiosos insignis etiam floruit erga D. Rictrudem veneratio. Primùm enim Amando cœtum eum moderante, cùm placuisset in nouo S. Rictrudis corpus loculo decenter componere: ad maiorem ei parandam & pompam & venerationem, id visum est publicè in Flandriam deportandum, & Rinengæ coram infinita populi multitudine in fulgenti capsa collocandum, quò pontifex Atrebatensium Aluisus vnà cum plurimo tum suæ, tum aliarum ecclesiarum clero, ad eius translationis celebritatem conuenerat. *Translatio S. Rictrudis. Lib. 1. mirac. S. Rictrud.*

Elapsis inde non multis admodum annis, eiusdem sanctæ mulieris ossa, vt nouo sunt ornata philacterio, ita nouam meruere pompam Martianis. Qualis autem

Lib. 1. c. 41. in Ioanne Ennio.

A ea fuerit, & quibus hominibus inclaruerit, Anonymus auctor miraculorum S. Rictrudis ostendit iis in verbis, quæ nos antè retulimus, cùm Martianensium Abbatum res prosequeremur. Inueni quoque hæc de eadem translatione ab alio eiusdem loci cœnobita memoriæ mandata: *Anno Domini* M.C.LXIV. *recondita sunt Reliquiæ B. Rictrudis in scrinio argenteo toto deaurato, in quo eædem Reliquiæ venerantur,* IV. *Non. August. à domino Henrico Remensi Archiepiscopo, qui fuit frater Ludouici Regis Francorum, & ab Andrea Atrebat. Episcopo, præsentibus Abbatibus Martino S. Vedasti, Fulcone Hasnoniensi, Waltero Bergensi, Balduino Yprensi, Henrico S. Quintini Beluacensis, adstante quoque magna multitudine monachorum, clericorum, & laicorum, ante maius altare Martianensis ecclesiæ die Dominica, indictione* XII.

TRANSLATIO S. MACARII.

Neque verò suam desiderari operam passus est Balduinus Flandriæ Comes Insulensis vrbis parens alter, cùm S. Macarij corpus eductum tumulo, & in edito loco venerationis ergô positum fuit Gandaui. Illic enim non modò sua diuum præsentia coluit, verùm etiam Franciæ regem, totámque nobilitatem, vt ritum eum celebrarent, induxit. En ea quæ litteris consignauit auctor ille, qui S. Macarij vitam edidit: *Interfuere huic eleuationi rex Gallorum Philippus, Comes Balduinus cum proceribus suis & Adela coniuge, filióque Balduino Hannoniæ Comite, Balduinus quoque Nouiomensis, & Lietbertus Cameracensis Episcopus.* B

TRANSLATIO OSSIS THEBÆI MARTYRIS.

Cetera veteris æui ne persequar scribendo, quæ nuper Insulæ, vel Duaci vidimus, cogunt. Variis ea martyribus ad gloriam tribus quatuórue temporibus fecere. E legione Thebæorum dederat os ingens Societas Iesu Patribus Franciscanis Insulæ commorantibus mutuæ tesseram beneuolentiæ. Id boni Religiosi, tum vt martyrum cultum cierent, tum suæ pietatis ardorem patefacerent, non sine pompa id recipere statuerunt. Igitur ipsi domo digressi postquàm longa serie templum Societatis petiuere, ad aram ibi sacris operati sunt, multimoda resonante symphonia musicorum. Habita etiam concio de sacris diuorum ossibus frequentissima hominum corona. Vbi peracto Missæ sacrificio transportationis pompa cunctos in ordinem exciuit, multi ciuium tædis colluminantes, deinde totus Senatorum & aliorum Magistratuum cœtus, iis ad cultum sese martyris iunxere. Ponè multa vis incubuit populi supplicantis. Quacumque pompa pertransiit, licet plateæ liquentibus ad solis lumen niuibus, salebris inhorrescerent, plurimus tamen venerantium numerus in genua subsidere; variò quà tapetum, quà imaginum ornatu ædes nitescere; in turribus iucundis pulsibus & musicis æra campana moueri. C

TRANSLATIO OSSIVM MARTYRVM GORCOMIENSIVM ET ALIORVM.

Deinde cùm iidem venerabiles viri nonnulla è Gorcomiensibus ordinis sui martyribus ossa in vrbem inferrent, ac quibusdam interiectis annis variorum aliorum lipsana in templum suum deportarent, longè plus splendoris tum à D. Petri Canonicis, tum à reliquo ecclesiarum Clero, & Religionum alumnis, tum ab ipso Senatu, & ciuibus collatum fuit, vti plus venerationis & cultus adipiscerentur.

TRANSLATIO SS. VICTORIS, TERENTIANI ET SOCIORVM.

Verùm hæc omnia si comparemus iis, quæ paullò antè diuo Victori eiúsque socio Insula, quæ S. Terentiano eiúsque palmæ consorti Duacum impendit: vmbram corpori, tenebras diei conferre putabimur. Adeò scilicet ea modis omnibus emicuere, vt nullos maiores Gallo-flandria triumphos viderit, raræ paribus sese iactauerint prouinciæ. Igitur quoniam plus temporis horum narratio postulat, eorúmque laudis multum angustiæ capitis huius detererent, in alium ipsa locum reiiciam, vbi latiùs pro rei dignitate cuncta explicem, cùm diuos huius ditionis oratione & encomio persequar. D

DIVORVM RELIQVIÆ OLIM A GALLO-FLANDRIS, VT TESTES, REBVS MAGNIS ADHIBITÆ.

Nunc quod tertium apud Gallo-flandros circa diuorum corpora dignum memoria iudico, stylum & animos pellicit. Quondam rebus magnis veluti testes, vel oportuni latores auxilij sanctos adhiberi sæpiùs animaduerti. Templorum consecrationi testes admotos, quæ superiùs enarraui, satis docuerint. Nunc cœtibus & consiliis magni momenti non semel interpositos ab iis Principibus, aut præclaris hominibus ostendam, vel qui Gallo-flandriam coluere, vel in ea vsuram luminis hauserunt.

Balduinus Flandriæ Comes cognomento Barbatus ad componendam pacem

mul-

A multum incumbens, grauisque pertæsus domesticæ discordiæ, quâ fœdè cum ipso Balduinus Insulensis filius tractis in partes Flandrorum plurimis, laborabat, conuentum suis indixit Aldenardæ. Illic præter Hugonem Episcopum Nouiomensem, omnésque tum prælatos, tum nobiles Flandriæ totius, etiam diuorum omnium corpora concilio adhibita, vel vt faciliùs Insulensis animus molliretur, vel vt horum præsentia pax firmior euaderet, quod euenit feliciter. *Iacob. Meier. l. 2. Annal. Fland. anno 1030.*

Paterni memor facti Balduinus Insulensis priusquam è vita discederet, etiam Aldenardam Præsules, & nobilium præcipuos euocauit, cúm inter filios Balduinum Montensem, & Robertum Frisium ditiones partiri statuit. Ac ne quid Frisius animo vit præferoci postmodum obturbaret; coram diuorum corporibus eodem delatis, eum iureiurando vehementer adegit, fratrem eiúsque liberos iniuriis nunquam lacessendi.

Patrem Montensis imitatus, eodem in oppido cœtum habuit antistitum & procerum; sanctorúmque omnium Flandriæ lipsana concilio iussit admoueri, cum B pressus vi morbi fratrem iuramento constrinxit, vti paternæ insistens diuisioni, suorum curam capesseret filiorum, iis iniurius ne foret. *Iacob. Meier. l. 3. Annal. Fland. an. 1070.*

Osbertus villæ Martianensibus Religiosis subditæ Aduocatum se venditans, quondam eius domum aliquã iniustè sibi subiecit, ab eáque censum exegit, erga D. Rictrudem iniuriosus. Mouit ea res rusticum, qui colendis agris nauabundus ab monachis eam domum conduxerat. ei multa minitanti se sciturum, qui causam susciperet suam, asseruit. Dicto die cum eò domum veniunt Ascetæ quidam Martianenses diui Mauronti, matrísque Rictrudis ossa portantes. Hæc ipsi Osberto suæ testes libertatis villicus ostentat; & si minas intentet, etiam suæ salutis vindices. Bilem ea potius Osberto, quam pœnitudinem excient, ideóque villico pugnos & calces infringit. ab eo vi censum exigit, aufértque. Verùm paullò pòst ipse dum lætus equitat, ab equo in puteum deiicitur, indéque semianimis extractus, à Mauronto & Rictrude torqueri sese vehementer exclamat, & miserum inter ea verba spiri- C tum exspuit. *Lib. 1. Mirac. S. Rictrud. c. 21. Vita S. Maurōti.*

Imperante Flandris Balduino Securi, magna lis inter Castellanum Insulensem, & Martianenses monachos exarsit. In quodam ille pago ecclesiæ Martianensis agros tenebat quasi suo iuri obnoxios: eos modis omnibus Ascetæ repetebant. Cùm hi nihil vel precibus, vel litigando proficerent: Apud Balduinum Principem gratia pollentes id impetrauere, vt duce quadam muliere annis grandi, & finium Martianensis ditionis quondam perita, diuę Rictrudis corpus circumferretur: quacumque viam carperet sancta comitante, ipsis agri cederent Religiosis. Iurata postmodum est mulier intra limites suos sese diuam duxisse. Et cùm satellites Castellani positos ab ea terminos noctu reuellissent, postero die diuinitus eodem loco fixos denuò conspicati sunt, Beata Rictrude suis litem cultoribus adiudicante. *Liber. Marcus. S. Rictr. Abbat.*

E viuis sublato per iniuriam Stratensium Carolo Flandrię Comite, iámque multis Flandrorum liberè grassantibus; Salliaco Martianensis ecclesiæ vico timebatur: ideóque poscentibus eius incolis quædam custodiæ ergo lipsana sibi concedi, S. D Ionati corpus eò delatum est. Id cum rustici certis diebus in vmbraculo cultus gratia ex ramis contexto exponerent, ibique luminibus accensis venerarentur: adeò vim præsentem eius sensere, nullus eis vt nocuerit, quamdiu colerent, seruarentque: vbi Martianas relatum fuit, multis illicò grassatorum incursionibus fœdè vexati multa incurrerint damna. Cetera id genus pretermitto. *Lib. ms. de hoc miraculo.*

Hoc breuiter quarto loco asseuero, paucis cedere Gallo-flandros in cultu sanctorum, siue facibus & cereis fuerit iis colluminandum; siue corpora eorum piis circuitionibus obeunda; siue horum felici contactu rosaria, imagines, numismata, & alia similia vi cœlesti imbuenda; siue tandem precum ardore horum in conspectu opitulationes & sanitates fuerint ambiendæ.

De pijs Gallo-flandriæ Sodalitijs.

CAPVT IX.

SVPEREST vnum, quo ſatis arbitrari nequeo, plúſne numinis ac ſanctorum amicitiam ſibi concilient Gallo-flandri, quàm mutuam inter ſe foueant concordiam. Ea ſcilicet apud eos eſt varietas Sodalitatum, vt plurimam ingerat eas reputantibus admirationem. Igitur quoniam à Chriſto, & ſanctis illæ varium induunt nomen, & mutuo nexu Confraternitatis colligant Sodales; inde profectò efficitur maximè, tum vt mutuum alant amorem, tum vt variam à Deo diuíſque beneuolentiam ſibi & gratiam eliciant. Harum ego Societatum nomine tres hominum claſſes comprehendere poſſem, ſi latiùs eas vellem porrigere. Tria enim ciuium genera per vrbes oppidáque in varias hîc veniunt Sodalitates, vt alias opifices & artifices ſingulorum ordinum conficiant; alias cœtus quidam hominum vario armorum & telorum genere certantes; alias pietatis & virtutis cultores: quibus omnibus inſtituto veteri, vel mundi Saluator Ieſus, vel Deipara virgo, vel diuorum aliquis nomen & patrocinium impertiunt, & Sodalitij vel Confraternitatis vocabulum amicitiæ nexum ingerit. Et ſanè nullis horum omnium ſua religionis, & pietatis deſunt officia. Habent ſiquidem ſingulæ claſſium earum Sodalitates ſua in templis ſacella vel altaria, quæ ſuis ornant impenſis, quæ certis adeunt temporibus, vbi ſuos ſupplices colunt patronos. Verùm quoniam ij, quos primæ claſſes continent, opificij magis cauſa, vel exercitij, quàm pietatis ergô ſub ea ſacra nomina, & patrocinia conueniunt: nolo hîc eas Sodalitatum cœtibus complecti. Igitur modò breuiter oſtenſurus quàm varias ineant Societates Gallo-flandri, & quàm eorum inſtitutis ſatisfaciant, de iis tantum memorabo, quæ pietatis gratia congregantur; cùm inde præſertim numinis, & cælitum cultus appareat, & verus ſe prodat nexus animorum. Primum hoc in genere pietatis quod admiror, is ſanè maximus eſt ardor, quo Gallo flandri ad varia feruntur capeſſenda religionis ergô Sodalitia. Vix enim vſpiam Sodalitas erigitur, in quam non illicò ſua multi nomina inſcribi procurent. Quò fit, vt non modò in ciuitatibus, vel oppidis, verùm etiam in pagis viciſque paſſim variæ floreant inſigni hominum multitudine Societates. Certè ſi contemplemur eos, qui ſub nomen Ieſu & patrocinium conueniunt inſulæ in templo Sancti Saluatoris, Duaci apud Patres Franciſcanos, Turquoinij in templo curiali: non ij tantùm ſuo nos numero inſigniter afficient; verùm etiam cuiuſque loci florem oculis ſpectandum obiicient. Non inferior eorum animos admiratio ſubibit, qui ſacri Corporis Chriſti Sodalitia recenſebunt, quæ vel Inſulæ, Duaci, Orchiaci, Armenteriæ, Baſſeæ, vel Haubourdinij, Fournis, Cruce, Flerſij, Dotigniæ viſuntur: quandoquidem in eorum album præcipua ferè capita, & inſignis populi frequentia ſint relata. Iam verò quæ nomen & tutelam diuæ Virginis Mariæ Chriſti matris ambiunt, vt multiplices variis in locis Sodalitates viſuntur, ita ſanè admodum eæ ſunt numeroſæ ac celebres. Equidem ſi vrbis Inſulanæ ſingulos cœtus perluſtremus, ingens ſe numerus eorum prębebit ſpectandum, vel qui Cancellatæ Virginis in templo S. Petri, vel Ardentium, ſeu Cerei Mariani in fori ſacello; vel Roſarij Virginei in æde Patrum Dominicanorum; vel Annunciatæ, Conceptæ, Purificatę, Natęúe Chriſti parentis in Collegio Societatis Ieſu, Sodalitia iniuere. Neque verò minùs frequentes, quas eiuſdem Deiparæ matris Societates alit Duacum, ſiue ſacellum à Cancellis nuncupatum ob ſanctiſſimæ Virginis ſtatuam, ſiue templum Dominicanæ familię ob Roſarium Mariale, ſiue S. Franciſci aſſeclarum ædes ob immaculatam Conceptionem, ſiue Lauretanum S. Iacobi ſacellum, ſiue Collegium Societatis Ieſu religionis gratia congregent. Et paſſim multis in pagis ad eiuſdem potentiſſimæ patronæ Confraternitates quàm plurimos conuolare mortales aſpicias. Iam autem ſi de aliis eſt Sodalitiis quæſtio, vix Inſulæ

&Dua-

A & Duaci nomen auditum est Funis Franciscani, & coalescentis eius causa Sodalitatis, cùm ingens numerus ciuiũ & fune corpus cingendi, & in eam insinuandi se Societatem correptus est ardore. Quis non videt quotidie multos Insulę ad Corrigię, seu Cinguli Augustiniensis sese Confraternitatem conferre? Quis non aspicit ibidem & Duaci à plurimis ambiri Carmelitani Ordinis Scapulare, eiúsque Sodalitium expeti? Quis non animaduertit in omnibus ferè locis ad innumeras diuorum Sodalitates impetrandi patrocinij causa innumeros confugere. Verùm enimuerò tam ardens multas in Confraternitates coëundi studium non in eo tantùm apud Gallo-flandros conspicitur, vt satis habeant si eorum sese nominibus insigniant: sed in eo vel maximè efflorescit, vt quæ sunt pręscripta cuiusque Sodalitij legibus, obeant ea diligentissimè. Igitur eos conspicere est illos frequenter locos adire, qui singulis sunt Congregationibus addicti; in preces illic, & Patroni venerationem cernuos incumbere; cùm præscribitur, ieiuniis corpus atterere, conscientiæ sordes
B pœnitudine eluere; diuino Eucharistiæ pabulo animos cibare; publicas processiones celebrare; sacris concionibus aures præbere. Eóque hæc omnia peragunt auidius, vbi prolicit Romani Pontificis indulto noxarum omnium & pœnarum largissima remissio.

Quanto viros Ecclesiasticos honore prosequantur Gallo-flandri, & quot sint apud eos Canonicorum Collegia.

CAPVT X.

C VERVM vt ab ęterni numinis diuorúmque cultu, ad homines vtrísque Religionis Christianę gratiâ in altiori tam Clericorum, quàm Ascetarum ordine famulantes orationem conuertamus: nulli dubium est, certam esse illustris notam Religionis, sacerdotes honore debito afficere, ac ceteros, qui sacris mysteriis obsequuntur, venerari: cùm illud lex diuina pręscribat, & optimi semper Catholicę ecclesiæ filij pręstiterint. Hoc autem in Gallo-flandris commune Orthódoxi populi studium qui desiderat, magnam eis iniuriam profectò irrogat. Est enim ista gens apprimè sacrorum hominum cultrix, ídque rebus plurimis prodit. Inter eundum per viam, si quis ecclesiasticorum occurrat, nudo protinus eum capite, bonísque verbis salutant: adeóque locis quibusdam detrahendi galerum vertici ea consuetudo inualuit, vt pueruli sociis sacerdote prętereunte id non agentibus honoris gratia, mox insultent, eósque Gueusios, hoc est, hęreticos esse pronuntient. Si colloquantur, considéant, ad mensas epulentur; venerationis plurimum semper impertiuntur. Cùm sacra impenderunt officia, & missas celebrauere; non
D exiguis eos muneribus afficiunt. Vbi laude dignum aliquid præstant, bonísque se moribus probant; id maximæ est voluptati. Ex aduerso vbi sinistrum aliquid eis euenit, & malignam factis suis improbis famam contrahunt: id maximo est dolori scilicet. Si pecuniam vel capitatim, vel aliter Ordines regionis, aut Magistratus colligant: ab sacris hominibus semper minus, sæpè nihil exigitur; quò personam & dignitatem tuendi copia maior ipsis suppetat. Equidem ego non arbitror id leue momentum, quoniam non mediocris inde census colligi posset, inita tot hominum ratione, qui sacris initiati per Gallo-flandriam conspiciuntur. Vt sileam de Parochis omnibus, & aliis sacerdotibus, qui variis in templis, ædiculísque sacra peragunt mysteria, & canendo diuinis laudibus obsequuntur (quorum ea est Insulæ copia, vt quibusdam in parœciis haud minus decem, in aliis plures duodecim, ac sedecim numerentur) sola Canonicorum Collegia, & monasteria magnam sanè frequentiam ostentant. Neque verò nouum id Gallo-flandriæ aduersus homines sacris rebus ad-

dictos æternóque numini arctius & propinquius ad aras ministrantes studium. Iam A
enim ab eo tempore, quo palàm licuit Christianis tingi mysteriis, & sacris in ædibus operari, eiusmodi traxit originem religio, & in nostram latè manauit ætatem. Non esset id difficile singula percurrendo sæcula oculis legentium subiicere, si placeret omnia scribendo persequi. Sed quoniam tantus labor ob nimiam prolixitatem ingratus quibusdam esse posset: malo nunc ipsi supersedere, & tantùm aliqua primùm de Canonicorum Collegiis, dein de Monasteriis proponere, per quæ horum omnium initia, successus, priuilegia, dignitates, in hominum veniant cognitionem. Quarum quidem in rerum peruestigatione, & commemoratione id omnino mihi faciendum constitui, vt temporum potiùs ordinem, quam locorum Ecclesiarúmque præcellentiam consecter; ab iisque initium ducam, quæ plus habent in genere suo, vel vniuersim antiquitatis, quàm priuilegiorum, & conditorum sese iactant magnitudine, ac certitudine.

Vt igitur à templis & Collegiis Canonicorum exordiamur, ea per Gallo-flandriam quinque numerantur. Vnum sancti Petri habet Insula. Duobus pollet Duacum, quibus sanctorum Amati, & Petri indita sunt vocabula. Vnum exhibet Siclinium sancti Piatonis nomine. Vltimum diuus Petrus Apostolorum princeps sibi vendicat Cominij. In his quędam insignem ostendunt Cleri numerum; magnis quędam opibus gaudent. Nulli non aliqua vel priuilegia Pontificum Romanorum, aut Principum diplomata, vel dignitates suppetunt. Quæ omnia vt facilius pernoscantur, de singulis, vt dixi, temporum ordine, nunc sic erit aliquid proferendum, vt certa incertis initia præferantur. B

Sicliniense templum & Collegium Canonicorum. Quis vtrumque condiderit, & muneribus ac priuilegijs ornauerit. C

Capvt XI.



IGitvr inter eas quinque Canonicorum Ecclesias, quæ variis, vt iam diximus, locis intra fines Gallo-flandriæ cernuntur, primam hîc occupet inuestigationem vetustatis gratia Sicliniensis, cuius initia in trecentesimum ac tertium Christi annum; ipsa verò incrementa in aureos sanctosque sexti sæculi annos incidere. A diuo Piatone nomen obtinet, cuius gaudet sepulchro, fonte, sacrísque ossibus. Pollent in ea dignitatibus Præpositus & Decanus: hísque proximi sunt Cantor, Thesaurarius, & Scholarcha. Canonicorum (quibus semper accensetur Tornacensis Episcopus) aliorúmque sacerdotum minimè paruus est numerus, cùm ædem omnes frequentant. Vt suam quisque personam tueatur, opes, dominia, decimæ, altaria non modica suppeditant. Si prima templi exordia velimus spectare, ad trecentesimum & tertium partæ salutis annum, vt iam diximus, proiici possint: quo tempore S. Piaton Siclinij fuit terræ mandatus, eiúsque tumulo superstructa est ædicula: cui verosimile videtur, iam tum sacerdotem aliquem impositum fuisse, sacris peragendis mysteriis. Verùm ad S. Eligium Nouiomensem & Tornacensem Episcopum, qui datus est S. Aichario successor, quíque vitam exuit anno 660. nobilis huius Collegij, ac templi maioris fundatio refertur. Id produnt in primis Sicliniensis ecclesiæ Clerici in ea S. Piatonis vita, quam Simoni Tornacensium & Nouiomensium pontifici inscripsere; quorum hæc verba: *Qui beatus Episcopus* (Eligius) *gloriosum martyrem multo amore & honore prosequens, ecclesiam eius antiquam deijciens, ampliorem atque decoratiorem ædificari præcepit. Clericos instituit, beneficia delegauit, vt diatim cultus diuini officij ex more ibi celebraretur ad laudem & gloriam sanctæ Trinitatis.* Quibus hunc in modum subscribit Herimannus S. Martini Tornacensis Abbas in Chronico: *Idem verò auctor noster B. Eligius, vt in* D

Prima ecclesiæ Sicliniensis cunabula statim a morte S. Piati.

Auxit eam, et Canonicorum Collegio exornauit S. Eligius.

gestis

A *gestis eius legitur, simili modo in pago Medenatense municipij Tornacensis, quod vocatur Siclinium, tumulauit B. Piatonem martyrem: ecclesiam iam à passione eiusdem martyris instructam, iuxta facultatem virium suarum amplificans, Dei se omnipotentis comitante auxilio, ac officia Domino famulantium clericorum constituens, sicut usque in præsentiarum cernimus.* Si quis ad hæc perficienda Franciæ Regis liberalitate vsum velit B. Eligium, ideóque non minùs illum (seu Chlodouæus Dagoberti filius, seu quis alius fuerit) quàm hunc ipsum, eius nobilis Collegij fundatoris nomen mereri, haud equidem ei refragabor: cùm videam Ioannem Molanum id aurum, quod S. Eligius beati Piatonis tumulo corporíque exornando impendit, Dagoberti Regis liberalitati, ex S. Audoëni sententia, disertè adscribere: quod certè si verum fuerit, antequã Episcopalibus infulis ornaretur, id factum fuisse oportet, quoniam eo rege mortuo ad Episcopalem euectus est dignitatem, vt ex S. Audoëno, aliísque colligitur.

Iam verò qui primus Pontificum Romanorum in suam suscepit protectionem, ac priuilegio exornauit hanc Canonicorum ecclesiam, is Clemens fuit eius nominis Tertius. E bulla eius hîc aliqua depromo. A CLEMENTE TERTIO SVB PATROCINIVM APOSTOLICVM RECIPITVR, ET PRIVILEGIIS ORNATVS.

B *Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Præposito Sancti Piati Siclinensis, eiúsque fratribus tam præsentibus, quàm futuris canonicè substituendis in perpetuum. Effectum iusta postulantibus indulgere, & vigor æquitatis, & ordo exigit rationis; præsertim quando petentium voluntatem & pietas adiuuat, & ratio non relinquit. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, in qua diuino mancipati estis obsequio sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus, statuentes vt quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrísque successoribus, & illibata permaneant, &c.* Multa enim pòst nomina exprimit pagorum, vbi habent altaria, & redditus Canonici Siclinienses; quibus recensitis hæc addit: *Visitationis insuper ecclesiarum omnium ad Insulensem Decanatum spectantium, quæ fiunt ad ecclesiam vestram*

C *in honore B. Piati martyris sexta feria Pentecostes, sicut à quadraginta retrò annis noscitur obseruatum, eidem ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus. Præterea ex dono nobilis viri Philippi Flandrensis Comitis quindecim solidos, quos ecclesiæ vestræ donauit, ad emendum panem, & vinum, de quibus altaris conficitur sacramentum. Præterea libertates, & immunitates antiquas, & rationabiles, consuetudines ecclesiæ vestræ collatas, & hactenus obseruatas, ratas habemus, eásque perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Nouas insuper & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, seu Decanis, aliísque omnibus ecclesiasticis, sæcularibus personis in vos, & ecclesiam vestram omnino fieri prohibemus. Prohibemus insuper, vt infra terminos parochiæ vestræ nullus sine assensu Diœcesani Episcopi, & vestro capellam seu oratorium de nouo ædificare præsumat, saluis priuilegiis Romanorum Pontificum. Auctoritate quoque Apostolica inhibemus ne quis in vos, aut ecclesiam vestram excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententiam sine manifesta & rationabili causa promulget. Cùm autem generale interdictum*

D *terræ fuerit, liceat, vobis clausis ianuis exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, diuina officia celebrare. Sepulturam quoque ipsius liberam esse concedimus, vt eorum deuotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberarint, nisi fortè excommunicati sint, vel interdicti, nullus obsistat: salua tamen iustitia illarum ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumentur, &c. Datum Laterani per manum Moysi sanctæ Romanæ ecclesiæ Subdiaconi vicem agentis Cancellarij, VII. KAL. April. indict. sexta, Incarnationis verò Dominicæ an. M.C.LXXXVII. Pontificat. autem Domini Clementis Papæ Tertij anno I.*

Hactenus Clementis Maximi Pontificis diploma: circa quod nonnulla hîc notanda censui. Primum est de visitationibus, seu Processionibus ecclesiarum Decanatus Insulensis, quarum prolixiorem nos anteà mentionem fecimus. Lib. 1. cap. 5. Hinc enim & tempus earum institutionis colligis, & quanta fultæ sint auctoritate, cognoscis. Ceterùm quamuis, vt anteà vidimus, Franciscus Pietinus hinc asseueret, harum initia

supplicationum anno 1147. deberi: non parum tamen illuc inclino, vt etiam prius eas putem vsurpatas: eáque verba Clementis, *sicut à quadraginta retrò annis noscitur obseruatum*, sic interpretor, vt non eo tempore huius piæ visitationis institutionem definiat; verùm vt saltem iam inde certò constare, anniuersariam eam fuisse Processionem, afferat. Quod secundo loco duxi animaduertendum, ad Flandriæ Comitem Philippum id pertinet: cuius pietatem ac religionem erogati comparandis ad diuinum sacrificium peragendum panibus vinóque, solidi patefaciunt. Non enim huic tantum ecclesiæ, verum etiam alijs huiusmodi censum attribuit, vt ex varijs monumentis accepi. De simili, at maiori, eius dono mentionem faciunt Religiosi Laudenses, in obituum, vt nuncupant, libro, his verbis: *Obijt Philippus Comes Flandriæ. dedit LX. solidos pro pane & vino ad missas.* Plura non est necesse in medium producere. Id nunc quærendum obiter, quibus de solidis hic agatur. Scimus enim apud Romanos olim solidos nequaquam argenteos, vt ex Plinij, Varronis, aliorúmque veterũ scriptis arguitur, verùm aureos fuisse nummos, vt ex Apuleio, Lampridio, & Isidoro clarum euadit; de quibus latè ad Ezechielẽ disputat noster Villalpandus. Notũ etiã est apud Gallos assem *solz*, vel *soulz*, vel *sold* appellari, facta vocabuli à solido deriuatione: quod, quemadmodum aureus ille nummus ob integritatem (nullius enim pars erat nummi) solidus dicebatur; ita & hic suam habeat integritatem, nec pars sit alterius nummi: sed contrà, vt ille in semisses ac tremisses. sic iste in semissem, teruntios, obolos diuidatur.

To 3. apud Bud. de asse.

Iam verò solidus apud Romanos ex Constantini, vel Iuliani constitutione sexta pars erat vnciæ, ideóque sextula dicebatur, vt his docet Fannius.

Sextula quæ fertur, iam sex his vncia constat.

Orig l. 16. c. 24.

Et S. Isidorus: *Solidus apud Latinos alio nomine sextula dicitur, quod ijs sex vncia compleatur.* Ex quo sanè perfacile est colligere, non exiguum fuisse pondus, valorémque solidi Romani, dum S. Isidorus viueret. Cùm enim vncias duodecim auri libra contineret, vncia verò drachmas octo; ex iusta diuisione drachmam vnam, ac tertiam drachmæ partem, hoc est scripula quatuor, vt notat Villalpandus, singuli comprehendebant solidi. Iã verò vt solidi quindecim vncias duas cum dimidiata ex ea supputandi ratione pependerint, oportet. quod certè pondus ingens erat apud Flandros, quo tempore horum ditionem Philippus Elsatius administrabat. Vt enim illius ætatis exiguas prorsus diuitias cognoscamus, cùm idem Comes sororem suam Balduino Animoso Hannoniæ Comiti in matrimonium traderet, haud maiorem ei dotem, quam quingentas Artesienses annui census libras attribuit; vt hæc è veteri & MS. Codice verba testantur: *& dedit Balduino cum Sorore sua quingentas libras Artesienses, perpetuò capiendas supra Vinagium Bapalmis:* quæ sanè libræ asses viginti non excedunt valore. At enim si nostris temporibus, quæ maxima fruuntur auri copia, etiam huius metalli tantum est pretium, vt ex lege Philippi Secundi Hispaniarum Regis octonæ auri vnciæ sexagenos & octonos præbeant aureos; ideóque vnciæ duæ ac dimidiata, quot sextulæ, vel solidi aurei quindecim cõtinebant, vnum ac viginti aureos cum dimidiato sufficiant: quis non videat illo Philippi Comitis æuo magnum prorsus auri pretium fuisse, quod aurei solidi quindecim comprehendebant? Igitur hæc cum reputo attentius, ac solidos Gallicos istam Philippi donationem refero: qui etiam tum temporis, cum pecuniæ omnis parum haberet Flandria, multis equidem rebus comparandis erant satis; vt ex vetustis rationum libris colligitur.

To. 3 p. 2. c. 13.

Villalp. l. c. cap. 35.

ITEMQVE AB VRBANO QVARTO.

Verùm vt ad Siclinienis Canonicorum Collegij res alias orationem reuocemus; euolutis inde non paucis annorum curriculis Vrbanus Quartus Pontifex Maximus suum etiam huic Ecclesiæ patrocinium addixit, eiúsque bona & priuilegia eo diplomate confirmauit, quod Christi anno supra millesimum & ducẽtesimum sexagesimó secundo, sui Pontificatus primo, Indictione quinta conscripsit; vbi hæc inter alia: *Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine prouidere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, vt infra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere,*

vel

A *vel interficere, seu violentiam audeat exercere.* Dat. Viterbij. Ioannes deinde vigesimus secundus Romanorum Pontifex ad Præpositum, Decanum & Capitulum scribens, omnes immunitates à prædecessoribus siue per priuilegia, siue per indulgentias ipsis ecclesiæue concessas, necnon libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus & Principibus & alijs Christi fidelibus indultas rationabiliter, confirmauit. Auenione octauo sui Pontificatus anno.

Ad hanc etiam ecclesiam eiúsque Canonicos Romanus Cardinalis, & summi Pontificis Legatus, suam non leuiter sollicitudinem porrexit, vti plus caperet illa ex Prælatorum & Clericorum præsentia dignitatis & ornatus. Quibus id fiat manifestum, litteras eius propono:

CIRCA EANDEM ALIQVID ROMANVS CARDINALIS CONSTITVIT.

Romanus miseratione diuina S. Angeli Diaconus Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, Vniuersis tam præsentibus, quam futuris Salutem in Domino. Cùm ex iniuncto nobis officio de statu Siclinienſis ecclesiæ inquiri fecerimus diligenter: inuenimus eandem ecclesiã pati, propter Canonicorum absentiam diuturnam, in spiritualibus & temporalibus detrimentum. B *Propter quod ad certum diem Præposito, Decano, & alijs Canonicis, qui vocari commodè poterant, coram nobis, de eorum consensu, & aliorum proborum concilio, sic duximus ordinandum. Vt Præpositus, qui in eadem ecclesia curam obtinet animarum, ibidem resideat, nisi de licentia generalis Capituli, vel maioris & sanioris partis Capituli ad hoc specialiter conuocati ex iusta causa, vel probabili fuerit absens. Ordinamus etiam quod Præpositus, qui confert præbendas duas, conferat bonis viris liberè iuxta consuetudinem hactenus obseruatam. Tertiam verò conferat sacerdoti, vel alij in sacris ordinibus constituto, qui infra annum possit, & debeat ad voluntatem Capituli in sacerdotem promoueri, qui iurabit residentiam in ecclesia perpetuam toto tempore, quo præbendam in dicta ecclesia possidebit. Ordinamus etiam, quod quilibet Canonicus, qui nunc sunt, & qui de cetero constituentur, faciant residentiam vno anno, vel soluant pro residentia decem libras, de quibus ementur redditus in quotidianas distributiones residentium ordinandi. Post residentiam autem, vel solutionem decem librarum, per vicarium deseruiant, sicut hactenus consueuit; nisi residentiam in dicta* C *ecclesia facerent personalem. Annus autem præsentium incipiet à festo S. Ioannis Baptistæ proximè futuro. Futurorum autem Canonicorum incipiet annus cùm primò percipient fructus præbendiales. Hac autem constitutione nolumus comprehendi illas quatuor præbendas, quibus de approbata consuetudine residentia perpetua est annexa: sed eas volumus in suo statu & onere perdurare. Item cum præbendas inuenerimus inæquales, ordinamus, quod ab hinc in duodecim annos futuros omnes præbendæ in commune redactæ æqualiter diuidantur. Datũ Remis* XI. *Kal. Nouemb. an.* M.CC.XXV. *Pontificat. Domini Honorij Papæ Tertij anno decimo.* Hactenus ordinatio Romani, quam posteà Pontifex Maximus Honorius III. ad petitionem Præpositi, Decani, & Capituli suo diplomate confirmauit.

QVORVM PRINCIPVM ET NOBILIVM FAVOREM SENSERIT HOC CANONICORVM COLLEGIVM.

Iam verò è nobilibus viris aut Principibus, qui fauore, vel muneribus Siclinienſem ecclesiam sunt prosecuti, non paucos est reperire, quos tamen nolo hic omnes recensere. Inter Principes suam ad huius solatium operam minimè passus est desiderari Francorum rex Philippus cognomento Pulcher. Cùm enim Franci, quos ad Insulæ obsidionem ducebat, omnem templi ornatum, ac supellectilem diripuissent, D ac deinde flammis ædem corrupissent: ad petitionem Canonicorum eas pro recuperandis ablatis scripsit litteras, quas in medium antea protulimus, ac tunc etiam Ioannes Dreuensis, seu Drocarũ, Comes, eiúsque mater Beatrix, non parum laboris, ternis exaratis litteris, contulerunt, vti sublatas furto res sacras, ac præsertim S. Piatonis Reliquias, Siclinienſibus Canonicis restitui curarent: quas nos in tomo de Sanctis Gallo-flandriæ dabimus. Inter nobiles viros, quorum muneribus auctiores facti sunt census Clericorum, & aliquid ad templi ornatum accessit, duo claruerunt Insulenses Castellani, quorum mentionem facere constitui. Horum prior fuit Rogerius, qui tertius eius nominis Insulensis Castellani titulo floruit. De ipso hæc litteris mandauit in Chronico Phanopinensi Franciscus Pietinus: *In ornatum S. Piati* Lib. 1. c. 14. *Martyris capitis, dedit Siclinianis sacerdotibus quidquid monilium aureorum, & argenteorum ac vasorum ex argento sibi fuerat. Iisdem sacerdotibus dedit quotannis duas raserias, quas vocant, tritici, & auenæ tantumdem.* Alteri nomen erat Ioannes, qui post Guilel-

mum

mum Insulensis Castellaniæ Dynastiam adiit. Eo de viro hæc suggerit idem Pietinus: *Siclinianis sacerdotibus præter cetera dedit quotannis modiū, hoc est duodecim raserias, quas vocant, auenæ apud Tummerius.* A

Ad huius Ecclesiæ Sigillum quod attinet, id non est mihi visum silentio prætereundum, cuius gratia & nouum Canonici curarunt incidi, & ab Tornacensi Episcopo approbari. Quo tempore Guido Comes Flandriæ contra Pulchrum Franciæ Regem, ob detentam in Gallia filiam, bellum gerebat: post diuturnam obsidionem, in Francorum manus venit Insula; ideóque Regi sese Insulensis Castellania submisit. Erat tum Siclinensis ecclesiæ Decanus Henricus de Marqueillies, ex ea, vt opinor, familia exortus, quæ Marqueilliensi pago in Gallo-flandria diu imperauit. Is cùm Guidonis partes sequeretur, Siclinensis Capituli Sigillum abstulit. Mouit Canonicos hoc factum grauiter: quòd non leuis eos suspicio incesseret, Henricum ad res multas eo sinistrè vsurum. Igitur in cœtum aduocati, eam omnes sententiam arripuere, vt nonnullis immutatis, nouum sigillum sibi compararent. S. Piatonis effigiem Episcopali decoram habitu vetus repræsentabat sigillum. Eodem schemate rursus efformari hunc martyrem placuit, ipsique altrinsecus lilia duo triáue apponi. At non priùs eo visum est quidquam signare, quàm Tornacensis Pontifex ratum haberet, eiúsque approbationem litteris mandaret, quas hîc subiicio. B

Vniuersis præsentes litteras inspecturis, Ioannes miseratione diuina Tornacensis Episcopus Salutem in Domino. Nouerint vniuersi, quòd in nostra propter hoc personaliter constituti præsentia Hugo de Vimiaco Cantor, Hugo de Binchio, Ruffinus de Gauio, Guiardus dictus de Remis, Arnulphus de Braya, & Leonardus de Lauania Cononici Ecclesiæ Sancti Piati de Siclinio, nostræ Tornacensis diocesis, asseruerunt, & recognouerunt, quod ipsi & eorum quilibet, nomine & vice totius Capituli ecclesiæ supradictæ intendebant, & volebant in futurum, vti in omnibus, in quibus eis licet, & possunt, sigillo quodam nouo, impressionem, seu characterem descriptum inferiùs continente, videlicet imaginem quandam sancti Piati in manu dextra tenentem baculum pastoralem, & in sinistra summitatem capitis amputatam, necnon in dextro latere, seu iuxta latus dextrum, vnum, & iuxta sinistrum duos flores liliorum. In circumferentia verò sigilli habebatur, sic scriptum: Sigillum Capituli ecclesiæ sancti Piati de Siclinio Tornacensis diocesis. Quo siquidem sigillo prædicti Cantor & Canonici in omnibus negotijs suis & ecclesiæ prædictæ, & in omnibus, in quibus sigillo vti consueuerunt, prout dictum est superiùs, vti de cetero intendebant. Asseruerunt etiam, se antiquum suum sigillum, diu est, reuocasse, & coram nobis reuocauerunt penitùs & expressè, & omnem eius efficaciam. Quod sigillum Henricus dictus de Marqueillies, qui se gerit pro Decano ecclesiæ prælibatæ, ad hostes Regis & Regni Franciæ, sub cuius dominio & potestate prædicta ecclesia, & eius bona consistunt, confugiens, secum præter assensum dicti Capituli asportauit, & adhuc detinet, prout dicti Canonici asserebant: nolentes, quòd aliquid, quod à tempore, quo prædictus Henricus prædictum asportauit sigillum, ipso fuerit sigillatum, vel munitum, alicuius sit efficaciæ, vel valoris. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus litteris est appensum. Actum & datum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, prima die Aprilis. Hactenus Ioannes Wassonia septimo post subactam à Frācis Insulam mense, ac sub finem anni 1297. ex veteri Belgarum annum à Paschate ordientium supputatione. C D

Ad hanc ecclesiam reuocanda sunt ea, quæ suis decretalibus ex Innocentio Tertio primùm ad Senonensem Archiepiscopum, dein ad Tornacensem Episcopum Cantorémque scribente, lib. 3. tit. de præbend. & dignitatib. cap. 17. & 18. Gregorius Nonus inseruit: quorum quidem priori H. Siclinensis Canonici causa defenditur: altero autem Ioannis de Bythinia Præposituram Siclinensem sibi vendicantis ius examinandum dictis iudicibus committitur. Quibus de Ioanne Pontifex Maximus agit, hîc tibi verba repræsento: *Verùm quoniam ab R. Siclun. Canonico I. de Bythinia quædam obiecta fuere, multitudo videlicet tam dignitatum, quàm etiam præbendarum, ambitionis & auaritiæ vitium: cui nondum finem imponens, contra diffinitionis nostræ tenorem, & Lateranens. statuta concilij, ad obtinendam præposituram Siclinensi se ingerit,*

&

A *& ingessit: & quòd die intrusionis suæ ante confirmationem præsumpserit ministrare: sicut & post confirmationem cassatam. Mandamus, quatenus si inueneritis prædictum Ioannem habere plures alias dignitates, atque præbendas, aut aliquid aliud præmissorum, quod ad cassationem eius sufficiat, inueneritis esse verum: ei super iam dicta præpositura silentium imponatis, ab impetitione ipsius, Siclinens. ecclesiam absoluentes.* Hactenus Pontifex Innocentius, qui per verbum *ministrare* duo videri possit indicare; vnum quidem, vt Ioannes sacrum solemniter in æde Sicliniana peregerit; alterum verò, vt quidpiam ad curam animarum pertinens administrauerit, aut impertiuerit. Etenim ex iis, quæ scripsit Romanus Cardinalis, certò certius est, animarum Scliniensis ecclesiæ pondus, & curationem, in Præpositi Scliniensis humeros recumbere.

B *Insignis Amatensium Canonicorum* Ecclesia *Duaci quem habeat auctorem: vnde huc sit translata: quibus ornetur Priuilegijs.*

CAPVT XII.

QVOD proximè Sclinienses Canonicos antiquitate contingit, insigne diui Amati Canonicorum est Collegium intra Duacensis vrbis mœnia conclusum. Ab sancto Senonensium pontifice Amato, cuius Reliquias ostentat, vocabulum induit. Habet Præpositum, Decanum, Cantorem, Thesaurarium & Scholasticum. Quo magis ambiatur Præpositura, multis ea est censibus nobilis, ac perpetuo Academici Cancellarij officio. Totus ecclesiæ consessus non exiguum Canonicorum numerum complectitur, & Sacellanorum, qui C diuinis laudibus nauant. Inter Canonicos semper Episcopus Bononiensis numeratur; ac plerique tum sacræ Theologiæ magisterio, tum Iuris vtriusque laurea donati efflorescunt. Diuum Mauróntum S. Adalbaldi, & B. Rictrudis filium conditorem suum hoc agnoscit Collegium, & à prima sui origine monachis, non Clericis constituit. Priùs sedem habuit ad Lisam in Flandriæ municipio, cui nomen olim, vt quidam putant, Minoriacum, (quamquam hoc nomen ad Stegras nonnulli referant) nunc Meuriuilla, vel Meruilla, deducto ab Mauronti villa vocabulo, vt nonnullis placet; quamuis fortasse meliùs ex minori villa vox ea coaluerit, siue Flandricam, siue Wallonicam originationem spectemus. Illic enim cùm D. Maurontus è paternis possessionibus villam obtineret, quam Broylum vocauere; in eius fundo monasterium condidit, vbi cœtum religione obstrictum collocaret, in eóque vitam cum ipso degeret. Hoc satis indicat Andreas Martianensis, cùm de beato Amato his verbis loquitur: *Post mortem autem eius (*Vltani*) præcepto eiusdem regis (Theodorici) suscipitur à B. Mauronto eiusdem regis cognato, custodia mancipandus* D *in suo, qui Broylus dicitur, monasterio.* Ac deinde: *Post non multum verò temporis prece & præcepto B. Rictrudis constrictus suscepit Fratres regendos in monasterio B. Mauronti scilicet Broylo. Hic locus ita eo tempore nuncupabatur, nunc autem Meuriuilla, quasi Mauronti villa vocatur.* Disertis omnino verbis idem asserit Hucbaldus in vita S. Rictrudis: *deinde post excessum B. Vltani traditus est Dei famulo Abbati Mauronto, vt eum custodiæ mancipaset, in suo qui Broylus dicebatur, monasterio ab eo nuperrimè constructo in territorio Letia vocato.* Et Chronicon Martianense sub Simone Antistite conscriptum: *Construxit etiam* (Maurontus) *ecclesiam in prædio suo, qui Broylus tunc dicebatur, nunc Meuriuilla, quasi Mauronti villa vocatur. Ibi monachos congregauit, & illis necessaria sufficienter tribuit.* Et post aliqua: *Deinde hortatur sanctum virum* (Amatum) *orat, obsecrat, vt ad Broylum monasterium filij sui pergat, & pastoralem curam monachorum ibi Deo seruientium assumat.* Idem prorsus habet S. Amati vita: *Præscriptus igitur filius ipsius Maurontus laicali habitu aliquantulum detentus, sed postmodum à prænomina-*

AMATENSIS ECCLESIA D. MAVRONTVM AVCTOREM AGNOSCIT.

FVIT PRIMVM FVNDATA MEVRIVILLÆ ET MONACHIS TRIBVTA IN FVNDO CVI NOMEN BROYLO.

Lib. 1. Chron. cap. 23.

Cap. 8.

Cap. 10.

to pontifice miraculorum factore Amando confessore, Clericus & Abbas ordinatus, atque Diaconi ad gradum perductus, in suo, qui dicitur Broylus, fundo, sagaci monasterium ad S. Petri honorem exstruxit voto, delegatisque redditibus vnà cum illic Deo seruientibus quod erat suum à parentibus, liberalissimè Domini contulit obtutibus. A

QVANDÒ BROYLENSEM ECCLESIAM FVNDAVERIT S. MAVRONTVS.

Si verò quæratur quo tempore cœnobium illud Broylense beatus condiderit Maurontus, id omnino fecisse respondeo, priusquam è viuis Pontifex & Apostolus Flandriæ diuus Amandus discederet. Primùm enim illud certissimò constat, ad huius monasterij molitionem eius præsulis impulsu exarsisse Maurontum. Deinde non obscurè significat vetus liber Lectionum ecclesiæ Amatensis, eundem sanctum Leuitam instituti ab se monasterij antistitem factum D. Amandi voluntate studioque. Cùm igitur omnium ferè calculo sancti obitus Amandi in annum 661. vel 662. inchoatum referatur: id equidem fuerit in confesso, ante id tempus constructum à beato Mauronto fuisse Broylense monasterium. Quantum autem ab hac ædificatione vsque ad sancti pontificis Amandi exitum temporis intercesserit, si quis cognoscere cupiat, id non difficilè colliget, postquàm didicerit, nondum pleno antè biennio ab aulico viuendi modo ad spiritualis cælestisque vitæ studium eiusdem Episcopi labore traductum fuisse Maurontum. Etenim quantum ex veteribus monumentis arguo, paucis post sumptum clericalem habitum diebus id opus aggressus est Maurontus, perfecitque. Igitur eo constat primam Collegij Canonicorum Amatensium originem esse reiiciendam. Nolim tamen id arbitrari, iam tum ei cœnobio sic attributos à B. Mauronto census, vt is omnibus sese bonis tunc exuerit, eique cuncta, quæ possidebat, donauerit. Ex variis enim auctoribus apertè colligo, non priùs hoc ipsum fecisse, quam sanctus Amatus & præfectus ei loco fuerit, & terrenam cum cælesti vitam mutauerit. Qui pontificis huius facta litteris mandauit, sic in primis loquitur: *Visum est bono dispensatori Mauronto leuitæ, & præfatæ Rictrudi illius genitrici sacræ, quatinus ad regendum, populum Dei in Broilo eum præficerent monasterio, se suúmque prædium per illum offerentes Domino.* Et deinde postquam eius Episcopi mortem descripsit: *Ipse verò Maurontus vir egregius vniuersis quoque minister strenuus, cuncta sui patrimonij prædia per chartarum ipsi tradidit instrumenta, disponens locum prout rogabat modus, & res condigna, præbens ex proprijs omnia necessaria.* Hucbaldus eadem refert in vita S. Rictrudis: *Sacrum, inquit, corpus illius sacer Maurontus in sua possessione honorificè tumulauit, totáque hereditatis suæ prædia per chartarũ instrumenta illi contradidit.* Idem habet quoque Chronicon Martianense. Et si velis causam percipere, cur eum in locum tam fuerit liberalis Maurontus occasione huius pontificis; audi, quæ idem Chronicon proponit: *Sed inter hæc mirari & conqueri solent quidam, filius eius sanctus Maurontus cur matris possessionem sibi detruncauerit, & beatum Confessorem Amatum quasi adoptionis sorte eiusdem partis suæ heredem constituere voluerit. Fecit hoc fortassè diuini amoris instinctu; vt quoniam idem Senonensium fidelis Archiepiscopus regali tyrannide ab honore propriæ sedis iniustè fuerat expulsus, & in hac regione sine culpa exilio relegatus; illius exilij calamitatisque ærumnam, quam ille patientissimè tolerare nouerat, & insuper bonis actibus cotidie probabilem se Deo exhibere contendebat; vir iustus larga munificentia piè solaretur; & futurum olim existeret, vt post felicem ex hoc mundo eius transitum, vbi sacratissimum eius corpus certa sede requiesceret, famulantes inibi Domino, & in perpetuis reliquiarum excubijs pernoctantes, sumptus communes, & vita necessaria copiosissimè inde perciperent.* B C D

Cap. 10.

Cap. 11.

BROYLENSE MONASTERIVM MVNERIBVS AFFICIT REX THEODORICVS.

Neque verò tunc solus in eam Ecclesiam beneficus fuit eius conditor Maurontus: verum etiam Francorum rex Theodoricus, qui beatum pontificem Amatum in exilium propulerat. Vetus enim liber Lectionum Amatensis Ecclesiæ expresè asserit, hunc regem: *Multa dona, & munera ei contulisse, beneficia auri & argenti, terræ & aliarum copiam possessionum, seruos etiam non paucos in loco sepulturæ tradidisse, vt digna propensione honori eius exhiberent seruitia.*

QVANDÒ ET QVARE BROYLENSES MONACHI DVACVM FVERINT TRANSLATI.

Igitur inconcussum maneat, primam Amatensium ecclesiæ Canonicorum fundationem à B. Mauronto factam fuisse Broyli. Nunc videamus, & quando, & quam

ob causam inde cœtus is sacer Duacum fuerit translatus: ac deinde quo tempore,
exuto Monachismo, Canonicorum vitam, habitúmque susceperit. Locorum muta-
tionis occasionem præbuit insigne conseruandi sacrum D. Amati corpus studium,
qua tempestate Normanni, seu Dani, Belgium vastabundi grassabantur. Cùm enim
non facilè spes affulgeret intra Flandriam alibi tutò collocandi, Duacum Broylen-
ses elegere, vbi sacrum id pignus in ecclesia D. Virginis constituerent. Huius rei
monumentum ita repræsentat Amatensis Ecclesiæ liber argenteus: *Anno 870. im-*
minente Danorum persecutione, fratres domino, & S. Amato apud Menriuillam seruien-
tes, corpus B. Amati patroni sui Duacum contra sæuitiam Danorum munitum deportaue-
runt, & in sui iuris Ecclesia, in honore Dei genitricis Mariæ, in fundo S. Mauronti ab an-
tecessoribus constructa, posuerunt. Hæc liber ille, quibus paria refert Andreas Martia- *Lib. 2.*
nensis in Chronico, & consentit Iacobus Guisianus in Annalibus Hannoniæ: in eo *Lib. 13. c. 50.*
B tamen hic diuersus, quòd id factum anno 877. attribuat, quamquam eò vsque mi-
nimè videatur posse produci, vt ea docebunt, quæ mox afferemus: De corpore ve-
rò sancti pontificis Amati, ac Fratribus Broylensibus paullò pòst Duaci eum in mo-
dum retentis, vt Broylum posteà nunquam remigrarent, ac perpetuam Duacensis
intra castri muros sedem figerent, idem liber hæc subministrat: *Anno 874. placata*
persecutione Danorum, fratres Deo & sancto Amato seruientes Carolum regem Franco-
rum, Arnulphum Comitem Flandriæ, Ioannem Cameracensem Episcopum cognomine Bel-
lum, quàm plures etiam Episcopos & principes iussu regis conuocatos, quid de corpore S. A-
mati agendum sit pariter consulunt. Communi autem eorum ordinatione, & priuilegiorum
suorum confirmatione statuerunt, quòd sanctissimum corpus, & Fratres eidem, sicut
anteà, seruientes intra Duacum in præfata ecclesia B. Mariæ cum eorum priuilegijs &
possessionibus, quas priùs habuerant, vel deinceps habituri erant, remanerent. Ad peti-
tionem verò prædictorum Regis, Comitis, & aliorum multorum, prætactus Ioannes
C *Cameracensium Episcopus agnomine Bellus, præfatum sanctum corpus in dicta eccle-*
sia, vt decuit, honorificè collocauit in feretro. Ita vetus illud ecclesiæ Amatensis mo-
numentum. Vbi duò sunt minimè breuiter animaduertenda. Ac primum quidem
circa tempus versatur, quod anno 874. assignatur, idque post pacatam Danorum
persecutionem fluxisse dicitur. Quonam enim modo tunc pacem, post grassatio-
nem Normannorum: hæc regio potuit obtinere: cùm manifestè scribat Auctor
Miraculorum S. Rictrudis anno post octingentesimum nono & septuagesimo, vel
potius octogesimo, hunc terræ tractum immaniter ab Normannis inuasum deso-
latúmque? Hæc enim eius verba, postquàm Ludouici Imperatoris, qui decessit *Lib. 2. c. 18.*
anno 879. mortem descripsit, natásque inde Francorum discordias tetigit: *His de-*
nique inter se discordantibus, supradicti Normanni vltra mare positi, eorum audientes dis-
cordiam, nauali inuectione mare transierunt; Taruennam vrbem Morinorum, mediante
mense Iulio, igne & gladio vastauerunt. Post hæc ecclesijs circumquaque destructis, vil-
lulis, & alijs ciuitatibus non pepercerunt; populos vtriusque sexus, cuiuslibet conditionis
& ætatis, absque vllo misericordiæ respectu in ore gladij trucidantes. Dirutis quoque
D *Monasterijs, quæ super fluuium Scarb sita erant, etiam Marchianense cœnobium, in quo*
Beatæ Rictrudis corpus quiescebat, accolis terræ fugatis, vel interfectis deletum est. Hu-
cusque auctor ille; cui sanè respondent illa, quæ scripsit Andreas Martianensis in *Lib. 1. c. 16.*
Chronico, cùm de anno salutis 880. ageret: *Nam præcedenti anno ciuitatem Atreba-*
tum, Cameracum, Tornacum, & omnia Monasteria circa fluuium Scaldum, &
fluuium Yscarp destruxerunt.) Omninóque Andreæ Iacobus Meierus adhæret, *Lib. 2 Annal. Fland.*
dum eandem oculis legentium calamitatem obijcit. Igitur in verbis Monumen-
ti Amatensis, vel non admittenda sunt ea, quæ pacis mentionem ingerunt; vel an-
nus omnino mutandus est. Verùm hoc vt fiat, tū Caroli regis, tum Ioannis Episco-
pi, quos tunc vixisse, cùm hæc constituerentur Duaci, asseritur, obitus minimè per-
mittit. Hic enim anno 878. ille 877. è viuis sublati sunt. vt profectò necesse sit an-
num aliquem antè septuagesimum septimum huic concilio & constitutioni tribue-
re, qui etiam Caroli Calui imperium præcesserit, quem constat Cæsarem factum an-
no post octingentesimum quinto & septuagesimo, quandoquidem rex tantùm is

nominatur iis in verbis, quæ prius citauimus. Quod alterum aliqua indiget castigatione, ad Flandriæ Comitem pertinet, qui non sine graui errore Arnulphus hîc nominatur. Adhuc enim eo tempore Flandris imperabat ille Balduinus cognomento Ferreus, qui propter contractas cum Iuditha nuptias Caroli Calui primùm regis Franciæ, dein etiam Augusti gener erat: neque priùs è vita discessit, quàm Domini annus supra octingentesimum nonus & septuagesimus iniuisset.

QVANDÒ BROYLENSES RELIGIOSI IN CANONICOS FVERINT MVTATI? In Duaco.

At enim eâne tempestate, qua Duaci constitutum est, vt Broylensis ecclesia perpetuùm ibidem cum S. Amati corpore consisteret, etiam sacer ille cœtus è religiosis in sæculares Canonicos transformatus est? Id qui asseueret, nondum quempiam reperi. Et contrà sentire videntur Iacobus Meierus, & Andreas Hoius, cùm Benedictina monasteria per Gerardum Abbatem iussu Flandriæ Comitis Arnulphi in melius restituta memorant. Ea siquidem inter cœnobia, D. Amati Duacense nominant. Hæc Meieri sunt verba in Annalibus Flandriæ: *Fertur per Gerardum Cellensem XVIII. suo in principatu Benedictina reformasse cœnobia, quorum de numero fuisse existimo Blandiniense, Gandense, Tornacense, Martianense, Hasnoniense, Ronnacense, Atrebatense, Turholtense, Worumholtense, D. Richarij, D. Bertini, D. Audomari, D. Syluini, D. Wlmari, D. Amandi, diuæ Berthæ, diuique Amati Duacense.* (Lib. 2. anno 940.) Cùm scriberet Baldericus secundum Cameracensis Chronici librum, adhuc inter viuos agente Gerardo Cameracensium Episcopo huius nominis primo, quem constat anno Christi millesimo & quadragesimo nono vitam abrupisse, hanc D. Amati ecclesiam monasterium Canonicorum nuncupat. (Lib. 1. c. 21.) Hæc eius sunt verba: *Prætereà etiam apud Castellum Duwaicum monasterium est Canonicorum, vbi corpora sanctorum iacent Morantij atque videlicet Amati.*

Atqui hæc de temporibus conditi monasterij Broylensis, ac postquam translatum est Duacum, in Canonicorum ecclesiam mutati, sufficiant. Ad concessa huic priuilegia progrediamur. Vt nulla Pontificum Romanorum, vix aliqua Principum proferam, id incendium efficit, quo multa huius loci monumenta, multáque diplomata periere.

Inter Franciæ Reges, qui priuilegiis hanc ecclesiam affecere, Philippum in primis video, cuius tutelam gessit Balduinus Insulensis Flandriæ Comes. Is enim cùm ageret Syluanectis anno 1076. petentibus præsertim Roberto Comite Flandriæ, Balduino Comite Hannoniæ eiúsque matre Richilde, in gratiam Canonicorum diploma conscripsit, in quo his ferè verbis vtitur: *Vt ipsa ecclesia infra castrum Duaci in honore S. Genitricis Mariæ constructa, in qua corpora beatorum Confessorum Amati atque ipsius Mauronti quiescunt, ab omni potestate laicali sit libera.*

Exactis aliquot deinde sæculis, cùm Duacum venisset Ioannes Francorum Rex anno supra millesimum & trecentesimum quinquagesimo quinto, indéque Atrebatum fuisset profectus, nouum pro iisdem Canonicis diploma exarauit, cuius hunc in modum mentionem facit argento tectus liber: *Et inde Atrebati priuilegia, libertates; præfatæ ecclesiæ S. Amati ipsemet confirmauit, Indictione octaua, Pontificatus SS. in Christo Patris ac Domini nostri Domini Innocentij diuina prouidentia Papæ Sexti, anno tertio Carolo Romanorum Imperatore regnante.*

A

Insignis Ecclesia S. Petri Insulensis, & in ea nobilissimus Canonicorum consessus, quem conditorem agnoscant, & quibus priuilegijs floreant: quæ nonnulli Principes, ac viri nobiles his illustrandis fecerint.

CAPVT XIII.

QVOD Insulæ visitur S. Petri Canonicorum templum & Collegium, multis sanè rebus id eminet. A Comite Balduino, quem Insulanum Piúmque nominant Gallo-flandri, vtrumque originem ducit. Is enim anno ferè
B millesimo, & quinquagesimo quinto templum absoluit, ac mox ei Canonicos imposuit. Huius rei memoriam ita quidam liber vetus manúque exaratus proponit: *Anno Domini* M. LV. *ædificata est Islensis Ecclesia, & Canonici in ea constituti à Balduino Marchione Flandriæ.* Et satis etiam hoc tempus ex annorum serie, quibus huic sacro præfuit Collegio Fulcardus eius Præpositus à Balduino primus omnium constitutus, deprehenditur. Cùm enim totos is annos quinque ac viginti eam obtinuerit dignitatem, annóque millesimo & octogesimo tantùm inchoato vitam in terris agere desierit: id omnino necesse est, vt Præposituram anno 1055. inierit. Anno posteà millesimo & sexagesimo sexto Balduinus Canonicis dotem attribuit, ædémque iussit dedicari, adstante Philippo rege Francorum. Eius diplomatis, quòd eo die conscripsit, & Canonicis tradidit, partem hîc aliquam placet proferre: tum vt fides eius fundationis roboretur; tum vt præclarum tanti viri pietatis exemplum in multorum veniat cognitionem.

ECCLESIAM CANONICORVM S. PETRI FVNDAT INSVLÆ BALDVINVS INSVLENSIS ANNO 1055.

C *In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis vnius veri Dei. Quoniam ego Balduinus Flandrensium * Comes Marchio, & Philippi Francorum Regis, eiúsque regni procurator, & baiulus, secundum diuinorum librorum testimonia sciebam, quòd supernæ vocationis maneat hæreditas, quos in exercitium diuini operis bona excitat voluntas: cœpi mecum singulari mentis consideratione speculari, quia cum diuinorum mandatorum obseruatione nihil alicui Dei cultori magis valeat esse ad salutem animæ & corporis salubre, quàm ecclesias ad honorem Dei, eiusque sanctorum, vbi rationabiliter, ac legaliter fieri potest, ædificare. Quapropter sæpiùs oculis cordis illud respiciens, quod scriptum est; Cui multum committitur, multum ab eo exigitur: & illud; Qui domum Dei ædificat in terris, domum suam præparat in cœlis: propterea coniugis meæ Adelæ, & filij mei Balduuini, fideli ac salubri acquiescens consilio, Basilicam in honore S. Petri Apostolorum Principis à fundamento construens, Congregationem Canonicorum in eadem Dei misericordiam pro anima mea, & antecessorum meorum, vxorisque meæ, ac filiorum meorum, & omnium Dei fidelium, die nocteque exorare*
D *institui, eisque ad vsus necessarios de rebus possessionis meæ, tradidi, quæ inferiùs continentur, libera videlicet omnimodò, & ab omni dominatione seu potestate cuiusquam absoluta, excepta * eius quidem, quem Præpositus, & Canonici eiusdem ecclesiæ in loco à progenitoribus Isla nominato, fundatæ, communi elegerint voluntate; qui & ipse quoque tamdiu & non vlteriùs eorum rebus præsit, quamdiu eis placuerit. In territorio Islensi &c.* Multa enim loca enumerantur in quibus aliquid Canonicis Ecclesiæque à Balduino conceditur, quæ non est hîc operæ pretium exponere. Subiungit verò posteà Comes: *Quinetiam vxor mea eleemosynarum, & remunerationis à Domino mecum particeps esse cupiens, & illius Dominici verbi reminiscens, Hospes fui, & suscepistis me; Esuriui, & dedistis mihi manducare: contulit suprà dictæ Ecclesiæ villam in Atrebatensi pago sitam nomine Esties ad hospitium & refectionem pauperum; ea tamen ratione, vt Canonici exinde singulis annis* XL. *solidos habeant in ipsius dedicatione. Dedit quoque præterea bodium Ecclesiæ de Doulesmons Thesaurario, vt ex eo vnoquoque anno Canonici* XII. *solidos recipiant, in die solemni Apostolorum Petri & Pauli; quia eodem die celebrabunt anniuersa-*

DIPLOMA COMITIS BALDVINI DE FVNDATIONE S. PETRI.

* Ex his, vt opinor, verbis Iacobus Meierus occationem accepit, hoc de Comite scribendi lib. 3. Annalium: *hic Comes Balduinus hoc modo suum scripsit titulum: Balduinus Flandriæ Comes Marchio, & Philippi Francorum Regis procurator, & baiulus.* Nam in alijs quibusdam litteris tantùm est, *Ego Balduinus Dei gratia Flandrensium Comes.* In alijs aliter atque aliter scribit.

*Hic vulgò à Canonicis Gardianus appellatur: de quo nos paulò latiùs, cùm de Gallo-flandriæ aduocatis agemus.

 rium

rium diem patris eius Roberti Francorum quondam Regis; & pauperes panem vnius modij variæ annonæ, & duas caseorum pensas. Sed & altare S. Petri in crypta ex eo omni tempore sæculi per noctium tempora indeficiens luminare habeat. Si quis autem in aliquo contraire, aut contradicere voluerit, centum libras auri persolnat, & † bannum Regis: & quod tentauit, irritum fiat. Actum apud Islam in S. Petri Basilica coram Philippi Francorum Regis præsentia, anno VII. imperij eius, anno ab Incarnatione domini M. LXVI. indictione IV. astantibus quamplurimis nobilibus, & idoneis testibus clericis atque laicis. Vt autem hæc traditio firma, atque in omne tempus indissoluta permaneat, prædictus Rex eam rogatu meo sua manu signauit, atque sigilli sui impressione firmauit. S. Baldeuuini Iunioris Comitis, S. Isaac de Valencines. S. Balduini Noniomẽsis Episcopi. S. Widonis Ambianensis Episcopi. S. Drogonis Taruennensis Episcopi. S. Fulcardi Nouiomensis Archidiaconi. S. Warnerij Taruennensis Archid. S. Warmundi Cameracensis Archidiaconi. S. Clarboldi Pincernæ. S. Theodorici Dapiferi. S. Rengoti de Gandauo. S. Anselmi Calui. S. Roberti aduocati. S. Ioannis aduocati. S. Walteri Duacensis. S. Hugonis Fratris eius. S. Rudolphi Tornacen. S. Widerici Tornacen. Ego Balduinus Cancellarius subscripsi.* † A

*Vtuntur etiã hac voce Ludouicus Pius, & Carolus Caluus ijs in diplomatibus, quibus de rebus Abbatiæ S. Germani constituunt, dum inter alia cẽtum & sexaginta pensas casei Monachis attribuunt.

† s. mul[cta] a rege c[onst]ituta[m]

B

DE ALTARIVM DONATIONIBVS, AC REDEMPTIONIBVS, DE QVE PERSONIS, HVIVS DIPLOMATIS OCCASIONE, PARECBASIS.

Hactenus Comitis admodum erga B. Petri ecclesiam & Canonicos eius munifici diploma; quòd non priùs à nobis deserendum est, quàm nonnulla lucem desiderantia illustremus. Etenim illa inter donorum enumerationem verba: *Apud Fius in honore S. Mauritij altare, ea tamen ab Episcopo Balduino conditione concessum, vt ibi duabus personis Canonicorum electione positis, cùm secunda à vita discesserit, non amplius decem ipsi Episcopo, vel successoribus eius, solidi persoluantur pro restitutione similiter duarum personarum: & sic res inter eos omni tempore procedat*: haud exiguam sanè moram requirunt, vt à nobis examinentur, explicenturúe: indeque facem non paucis, iisque sat obscuris, de Altaribus Gallo-flandriæ antiquitatibus, præferamus. Primum igitur Balduini nostri temporibus minimè nouum fuit parochiales ecclesias Altaria nuncupare: cum & pleráque sacra diplomata, & quidam auctores eius ætatis hoc significatu id vocabulum sæpè nobis repræsentent. Fuit quoque tum ea tempestate, tum secutis annis compluribus solenne quibusdam Episcopis & Archidiaconis, hæc altaria viris grauibus, & clericis aliqua dignitate florentibus committere, quos Personas nominabant: quòd fortassis magnam propter officium personam sustinerent, aut personam Curionum gererent, nihil interim officij præstarent, toto in Vicarios curiali munere, oneréque reiecto: sicuti sacer is magistratus, quem propter altaria gerebant, Personatus dicebatur. Huiusmodi Personatibus præditos fuisse Walterum Insulensis Ecclesiæ secundum Præpositum, Lambertum eiusdem ecclesiæ Cantorem, & Geldulphum Canonicum, aliósque non paucos inuenio, qui postmodum, quæ obtinebãt, Altaria huic ecclesiæ donauerunt Episcoporũ venia. Et verò quosdã etiã laicos homines minimè huiusmodi altaribus caruisse, cũ Balduini Barbati Comitis nostri parentis, in quem duodecim parochiales ecclesias contulit Nouiomensis pontifex Harduinus; dein nobilium, qui pleraque horum sacerdotiorum à Barbato accepere posteà; & Saswalonis Insulensis Castellani, qui Altare S. Christophori Phanopinensis habuit; ac forsitan etiam Pij Comitis exemplo manifestum euadit. Certè apud Franciscum Pietinum in Phanopinensi Chronico hæc leguntur: *Noster igitur Saswalo huius Phanopini pagi gentilitium tenebat sacerdotium; quod non infrequens erat apud eius sæculi generosos, ipsis Pontificibus Principibúsque conniuentibus, & forsan vltrò deferentibus.* Nunc autem quin hoc institutum saltem quoad Clericos, seu Personas (quamquam de laicis quoque Pietinus allatis iam verbis hæc subiiciat: *Et forsan vltrò deferentibus, propterea quòd aliquo egregio facinore in fidei ecclesiæue hostes designato de republica Christiana benè meriti essent.* Propter aliquas decentes, ac iustas rationes fuerit probatum, haudquaquam dubium esse potest: quæ tamen potissima id causa in vsum induxerit, haud facilè est deprehendere. Verum ipsa denique temporum successio huiusmodi Personas & procul à decoro, & longè ab recta officij procuratione abduxit. Etenim cùm plerique animarum curam auersarentur, ac quieti se tradere optarent: hoc onus ij vicariis sacerdotibus imponebant certam pacti mercedem; ceteros ipsi fructus in otio percipiebant: & cùm dabatur opportunitas,

QVID OLIM ALTARIA?

C

QVID PERSONÆ, ET PERSONATVS?

SOLI'NE CLERICI, AN NON ETIAM LAICI HABVERVNT ALTARIA, ET PERSONATVS?

D

Altaribus Altaria nitebantur cumulare; vt erogata Vicariis labores sustinentibus portiuncula, vitam domi lautam instituerent. Id cùm nonnullis Episcopatuum rectoribus, eorúmque Archidiaconis parum placeret, quibus etiam aliquod lucrandi desiderium animos incenderat; eò demum ipsi Personas, ac Vicarios earum adegerunt, tam vt altaria redimerent, quàm vt certa pro visitationibus, aliísque officiis numerarent vel semel, vel quotannis stipendia. Hoc vtrúmque grauibus verbis qui vellicent, improbéntque, non desunt ætatis mediæ scriptores. Ioannis Salesberiensis Personarum Altaribus variis donatarum, & in Vicarios onus excutientium acris hęc reprehensio: *Vtique & insignis prudentia, si quis tot quocumque modo conquirit Altaria, vt quasi ritu Memphitico quotidianas hostias nouis possit Altaribus cumulare. Nolunt tamen sacerdotio dominari, aut seruire Altario, qui de Altario viuunt, ne, vt populus arguit, dicam, luxuriantur: sed Personatus quosdam induxerunt, quorum iure ad alium onera, ad alium referantur emolumenta.* Iuo Carnotensis supremum Pontificem Vrbanum alloquens, hunc in modum vnà etiam Redemptionem Altarium sugillat: *Multa enim inordinata fieri video in domo Dei, quæ me torquent: maximè quod apud nos, qui altari non seruiunt, de altari viuunt. A quo sacrilegio cùm eos absterrere velim monendo, increpando, excommunicando; Altaria me redimere volunt sub nomine Personæ, sicut à prædecessoribus meis ex praua consuetudine redemerant.*

QVAM OB CAVSAM INDVCTA SIT ALTARIVM REDEMPTIO.

EA REPREHENDITVR.

Lib. 7. Polycrat. cap. 17.

Epist. 12.

Ergo plerique cùm viderent iustis admodum querelis eos impeti, à quibus Altaria sic tenebantur, vt parua portione aspersis sacerdotibus Vicariis, præcipuos ipsi carperent fructus: iis se parochialium ecclesiarum sacerdotiis nudauerunt; eáque vel Canonicorum Ecclesiis, vel monasterijs cum Personatu, vel sine Personis donauere. Id è laicis in primis fecisse in Gallo-flandria nostra Saswalonem Castellanum Insulensem animaduerto, cùm curialem S. Chrystophori ecclesiam erigendo Phanopini Canonicorum Collegio attribuit, vt ex verbis Pietini iam relatis manifestum est: dein Balduinum Insulensem, qui prius Canonicis S. Petri Altare donauit S. Mauritij; ac deinde S. Stephani eiusdem ecclesiæ Præposito, vt ex eius diplomate colligitur: è Clericis verò posteà Lambertum & Walterum, quos antè laudauimus; quorum hic altare Virouiacense, ille verò Giddense & Moncellanum eidem ecclesiæ impertiit: vt alios interim taceam, quorum munere Insulenses Canonici, Martianenses & Cysonienses Ascetæ, Elnonensis ecclesia, & pleraque alia loca in Altarium venere possessionem. Cur verò ea facta fuerit vel Canonicis, vel monachis donatio, duas præsertim causas reperio. Harum prior in Ecclesiarum, quibus ea concedebantur Altaria, Bonum redundabat; vt nimirum quidquid supra numeratum Vicariis stipendium pecuniæ aut frumenti superesset è fundo, decimis, vel oblationibus, id totum in earum vtilitatem cederet. Altera pauperibus patrocinabatur: vt scilicet quidquid fructuum superabundaret, ad subleuandam eorum indigentiam distribueretur. Huius generis exemplum præbet Balderious Nouiomensis Episcopus iis in litteris, quibus ad instãriam Geldulfi Insulensis Canonici, ecclesiæ S. Petri *Personatum de Wenebercis* concedit. *Vt quidquid de ipso Altari prouenerit, Canonici eiusdem ecclesiæ in alimonias pauperum, quas eatenus absque determinato reditu agere consueuerant, tempore scilicet Quadragesimæ totum expenderent.* Alterius verò ita proponit Radbodus eiusdem ecclesiæ pontifex, dum Virouiacense sacerdotium iisdem Canonicis ex Walteri præpositi liberalitate attribuit: *Obsecrans, vt altare de Weruij, quod sub personatu tenebat, eidem ecclesiæ ad vsum supra dictorum* * *Fratrum perpetuo sub personatu tenendum concederemus*: dein Balduinus Comes his in litteris & Lambertus Cantor, de quo priùs memoratum est. Quòd autem huiusmodi Altarium donationes absque consensu Episcoporum fieri non possent: ipsi nonnunquam Episcopi vel Canonicorum Collegiis, vel monasteriis ita concedi permittebant Altaria, vt statis annis, quotiescumque scilicet illorum Vicarij, vel Personæ mutarentur, certam sibi pecuniam penderent, quæ vt notat P. Iacobus Syrmondus è Societate Iesu Theologus, Altarium quoque Redemptio dicebatur. Hanc tangit, símulque remouet Hugo Nouiomensis Episcopus eo diplomate, quod pro Altari S. Christophori Phanopinensibus Canonicis impertiendo conscripsit, dum ait: *Absoluendum decreuimus,*

ALTARIA CANONICORVM ECCLESIIS, AT MONASTERIIS DONATA.

QVAS OB CAVSAS?

* *i. Canonicorum S. Petri.*

CANONICI, ET RELIGIOSI INTERDVM COACTI SVNT ALTARIA REDIMERE.

In Notis ad lib. 3. epist. 12. Goffridi.

An. 1019.

A

uimus, ea videlicet ratione, vt amodò careat omni venditione, & qualibet commutatione, & pristina seruitute: duos tantummodo solidos singulis annis soluat ad Synodum Episcopalis censura. Eiusmodi etiam redemptio fuit, quam in nostro diplomate his verbis significat Pius Comes: *Ea tamen ab Episcopo Balduino conditione concessum, vt ibi duabus Personis Canonicorum electione positis, cùm secunda è vita discesserit, * non amplius decem ipsi Episcopo, vel successoribus eius solidi persoluantur pro restitutione similiter duarum personarum.* Ac illa quoque, quam Radbodus Nouiomensis Episcopus iis tabulis inseruit, quibus altare Giddense à Lamberto Cantore & Canonico D. Petri Ecclesiæ concessum confirmat hunc in modum: *Tali quidem conditione, quòd quotiens Persona immutata fuerit, decem tantùm solidos Episcopo tribuat, & vnoquoque anno in festiuitate sanctorum Simonis & Iudæ v. solidos similiter soluat, atque ad Synodum sicut ceteræ Personæ veniat; IV. quoque anno ministris inibi Synodij agentibus debitam hactenus impensam soluat.* Ac denique hæc ab eodem imposita Radbodo, cùm Altare Virouiacense D. Petri Canonicis datum approbat: *Tali videlicet conditione, quod anniuersariam nostri faciant commemorationem, mei videlicet, & ipsius Walteri, hoc adiecto, quòd in anniuersario eiusdem W. qui huius rei apud nos fidelis orator exstitit, & idem Altare, quod tenebat, eis libenter concessit, plenariam habeant refectionem, & in festo sanctorum Simonis & Iudæ eiusdem Altaris Persona Episcopo, seu eius Vicario x. solidos soluat: Persona verò morte, seu quacumque occasione à Personatu illo decedente, alia subrogetur Persona, quæ in sua restitutione decem similiter solidos soluat: quarto quoque anno Achidiaconus infra parochiam illam Synodalia iura exercens, debitam, sicut anteà, habeat impensam.* Verùm hæc sufficiant Altarium Redemptionis exempla, vt Pij Comitis locus intelligatur, & aliorum Altarium donationi, quorum etiam posteà mentionem faciemus, aliqua lux afferatur. Tantùm hîc addo hanc nundinationem Altarium, vt plerisque aliis hominibus, ita præsertim Vrbano II. Romanorum Pontifici perquàm vehementer displicuisse: ideóque hunc ipsam, vt prorsus Simoniacam, in Aruernensi, seu Claromontana Synodo damnasse: Ac licet eius decretum qui supersunt modò Canones eius Concilij vel in Atrebatensi Episcopi Lamberti codice, vel in Annalibus Baronij minimè repræsentent; eius tamen mentionem apud Gratianum in Decreto, apud Goffridum Vindocinensem Abbatem, & alios nonnullos fieri. Scripserat quidem prius hæc Gregorius Septimus ad Hugonem Episcopum Diensem, ac suum in Gallijs Legatum: *Illud verò commune malum penè totius terræ, videlicet, quòd Altaria venduntur, & quòd iste etiam in officio sui Archidiaconatus se fecisse non denegat, ne deinceps fiat, tam huic, quàm ceteris omnibus interdicito:* vbi de Gerardo Cameracensi electo pontifice sermo est, qui secundus eius nominis hunc episcopatum tenuit. Verùm is aut nihil, aut parum sanè impetrauit: vt necesse fuerit Vrbanum & * *hæresis Simoniacæ* has Redemptiones Altarium damnare, & earum vsum seuerissimè interdicere. Huius decreti sui cum rationem reddit is pontifex in ea, quam ad Ingelrannum Laudunensem Episcopum scripsit, epistola, sic loquitur: *Et si enim Personas remouimus, non tamen antiquæ possessionis ius monasterijs abstulimus. In illa siquidem Personarum mutatione auaritiæ renouatio, & ecclesiasticarum rerum distractio contingebat.* Ceterùm apud Gratianum hunc in modum ex Aruernensi Concilio Vrbani decretum refertur: *Quæsitum est de Episcopis, qui Altaria monasterijs data frequenter redimi compellebant pecunia: quia quidam Simoniacæ prauitatis vsus in Galliarum partibus iam diutiùs inoleuit, vt ecclesiæ; vel decimæ (quæ vulgari vocabulo apud eos Altaria nuncupantur) monasterijs datæ, sæpiùs ab Episcopis sub palliata auaritia vendantur; mortuis nimirum, seu mutatis clericis, quos Personas vocant. Nos auctore Deo venalitatem omnem, tam ex rebus, quàm ex ministerijs ecclesiasticis propellentes, hoc vlteriùs fieri auctoritate Apostolica prohibemus, sicut etiam præbendas omnes venundandas interdicimus.* Eiusdem decreti mentionem dum ingerit Vlgerio Andegauensi Episcopo Vindocinensis Abbas, & S. Priscæ Cardinalis Goffridus, ita scribit: *Bone Domine, vos illi non adfuistis Concilio; & ego interfui, qui huius rei cognosco veritatem. Redemptionem ecclesiarum, quæ vulgari vocabulo Altaria nuncupantur, beatus vir ille* (Vrbanus) *Simoniacam prauitatem vocauit, & Apostolica auctoritate damnauit.* De eodem ad Gi-

rardum

Margin notes:
- * i. non plus quā
- An. 1088
- An. 1090. B
- Altarivm Redemptio reprehensa, et vetita.
- An. 1095. C
- C. 1. q. 3. c. 4.
- Lib. 3 epist. 11.
- An. 1077.
- Lib. 4. epist. 22.
- * Ita loquebātur eius temporis scriptores, pro prauitate Simoniaca.
- D
- Lib. 3. ep. 11.

A tardum Episcopum, & Apostolicæ Sedis Legatum scribens, sic idem alibi loquitur: *Decretum illud, quod idem Dominus Papa Vrbanus in Aruernensi Concilio statuit contra Simoniam, quæ sub nomine Vicariorum olim fieri solebat ab Episcopis, annullare machinatur. Redemptionem etenim ecclesiarum, quæ in illo magno Concilio hæretica prauitas vocata est, & ab Apostolica Sede damnata, licet in pluribus annis non nisi semel per Vicarios fieret, nunc sub nomine annui census à simplicitate nostra extorquere conatur.* Iam verò propter illud decretum apud quosdam magnam fuisse factam mutationem inuenio. Certe Lambertus, qui de Canonico & Cantore Insulensi creatus est Atrebatensis Episcopus, post illud Concilium, quod cum aliis Episcopis celebrauerat, cùm Altare Moncellanum Insulensibus Canonicis donaret, aliter longè, quàm prius, id concessit. Hæc enim diplomatis sunt verba: *Concedo ecclesiæ S. Petri de Insula. Altare de Moncellis saluo in omnibus iure Atrebatensis Episcopi, & ecclesiasticis consuetudinibus ministrorum eius, liberum ab omni turpis lucri exactione, hac interposita conditione, quatenus pro ecclesia S. Petri, vos dilecte frater Lamberte, qui nunc obedientiarius estis de Moncellis, & futuri successores vestri, Personatum absque omni emptione & venalitate, gratis* B *de manu Episcopi suscipiatis* &c. E contrario quidam Episcopi occasionem inde rapuere annuos è monasteriis, quibus Altaria fuerant donata, census extorquendi; quod non modò citatis iam epistolis Goffridus grauiter reprehendit: verùm etiam Paschalis II. Romanorum Pontifex, dum ad Iuonem Carnotensem, & Rannulfum Sanctonensem Episcopos hæc scribit: *Vos autem huic simplicitati incongruas duplicitates innectitis, & Personarum Redemptionem mutatis nominibus extorquere conamini. Verùm oportet nos huiusmodi versutijs sinceritate veritatis Apostolicæ obuiare. Præcipimus ergo, vt decretum illud omnino teneatur integrè, nec super illud quidquam vlterius pro eisdem Altaribus exigatis.* Atqui hæc de Altaribus paullò fortassis fusiùs, quàm quibusdam placuerit, quos minùs iucundè longiores ad explicandas vetustatis difficultates excursus afficiunt: haud tamen, vti spero, absque nonnulla beneuoli lectoris vtilitate, in cuius commodum, pernoscendis Gallo flandriæ nostræ antiquitatibus, C inter quas Altarium donationes non minimum obtinent locum, hæc qualiacumque aliorum etiam studio adiuti suggessimus.

Lib. 1. epist. 26.

Iam verò vt Comes Balduinus patefaceret, quo templum hoc & Collegium Canonicorum affectu prosequeretur; quantúmue vtrique gloriæ & honoris impendi cuperet: ædem ipsi maxima dedicari pompa placuit. Tres præsertim episcopos ei cõsecrandæ operam dedisse Iacobus Meierus refert, Balduinum scilicet Nouiomensem & Tornacensem, Morinorum Drogonem, & Guidonem Ambianorum. In eo D. Petri libro, cuius antè meminimus, veteri charactere scriptum inuenio, cum Balduino Neruiorum seu Nouiomensium Episcopo, quatuor alios pontifices dedicationi operam nauasse. Verùm quisquis hoc illeuit codici, quemadmodum in eo peccauit, quo asserit consecratam hanc ædem anno M. LXV. ita & in hoc errasse deprehenditur, vt enim illi numero Episcoporum duo detrahantur, ipsum præcipuè Balduini Comitis diploma impellit. Id enim trium modò Episcoporum sigillis communitum cernimus eo die, quo sacra ædes dedicabatur: haud dubiè aliorum etiam D duorum testimonijs obsignandum, si adfuissent, aliósque iuuissent. Quippe vix credibile est, vt Warmundus Cameracensis ecclesiæ Archidiaconus ijs litteris subscripserit, cum duobus alijs Archidiaconis; ipse autem Cameracensis pontifex, aliúsque manum subtraxerit. Ad pompæ autem celebritatem euocatos omnes totius Flandricæ ditionis (quæ tum maximè patebat, Artesiam, aliáque multa complexa) sacros cœnobiorum antistites, & Canonicorum præsides; iussósque secum omnia diuorum corpora, quibus ipsorum templa pollebant, Insulam deferre Pij voluntate, Flandrici Annales memorant, vt nos iam latè supra ostendimus.

TEMPLVM S. PETRI QVI DEDICARI CVRAVERIT COMES BALDVINVS. *Lib. 3. Annal. Fland.*

Lib. 1. c. 2. & lib. 2. c. 6.

Verumenimuerò quæ fecit Balduinus Comes ad numinis æterni sanctique Petri gloriam, primùm Alexander Romanus pontifex eius nominis Secundus approbauit omnia, cùm de ipsis Balduinus Nouiomensis Episcopus ad eum retulisset. Eius hæ litteræ ad Pium Comitem destinatæ.

ECCLESIAM S. PETRI CONFIRMAT, ET RECIPIT IN PROTECTIONEM ALEXANDER PONTIFEX ROMANVS.

Alexander E. S. S. Dei Balduino Illustrißimo Flandrensi Comiti Salut. & Apostolicam benedictionem. Quia ex auctoritate Apostolicæ Sedis, cui licet indigni, Deo auctore, præsidemus, nobis imminet, vt cuiuscumque iustis petitionibus meritò debeamus annuere; A *petita verò postmodum firmißimis Apostolicæ Auctoritatis roborationibus confirmare: quod ab Apostolatu nostro suppliciter satagis petere, charitatis etiam tuæ respectu inclinati liberalißimè non dedignamur concedere. Vnde hæc omnia illa, quæ à Balduino Nouiomensis ecclesiæ Episcopo, Islensi ecclesiæ, quam ipse in honore Beati Petri Apostolorum Principis à fundamento construxisti, religionis respectu remissa, siue concessa sunt, vt in eius litteris ab eo nobis mißis continetur, Apostolica auctoritate confirmamus, per huius nostræ conscriptionis paginam inuiolabiliter corroboramus. ità vt nec præfatus Episcopus, nec aliquis suorum successorum; non etiam tu ipse, vel aliquis tuorum posteriorum, nec vlla alicuius conditionis magna, vel parua persona prælibatæ ecclesiæ de his, quæ modò sibi sunt à te, vel ab alijs concessa, seu in posterum concedenda, aliquam temerario præsumat ausu inferre molestiam, aut quamcumque iniuriam. Si verò, quod absit, contra huius nostræ institutionis præceptum, aliquis ire temptauerit, & loco illi suarum rerum inuasionem, alienationem,* B *seu oppreßionem inferre molitus fuerit, Apostolica consideratione addentes præcipimus, vt illi, quibus iniuria illata fuerit, liberum habeant locum Apostolicæ Sedis appellandi refugium. Quisquis igitur huius nostræ institutionis temerarius violator fuerit, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, nisi per dignos pœnitentiæ fructus resipuerit, gratiam amittat. Qui verò deuotus obseruator exstiterit, Christo duce, & beato Petro intercedente, antiquæ promißionis, & nouæ redemptionis patriam sine fine poßideat. Datum Romæ iussione præfati Domini Papæ, per manum Rembaldi Subdiaconi anno Dominicæ Incarnationis* M. LXVI. VI. *Id. April. Indict.* V. *anno Pontific. Alex. 2. Papæ sexto.*

Hic priusquam vlterius procedamus, nonnihil immorandum arbitror circa huius diplomatis tempus, quod equidem minimè leuem attento lectori difficultatem obiicit. Primùm enim cùm Alexandri pontificis & Balduini diplomata iam producta eodem signentur anno Incarnationis Dominicæ M. LXVI. quî stare potest, vt huic Indictio quarta, illi quinta subscribatur? Certum enim est si vnus, idémque C annus indicetur, in altero Indictionis numero mendum aliquod repetiri. Dici autem minimè queat, subiectum Balduini litteris numerum ab vero discedere: quandoquidem Baronius Cardinalis, Ægidius Bucherius, aliíque millesimum ac sexagesimum sextum Christi annum Indictioni quartæ attribuunt. Deinde si pontifex diploma scripserit VI. Id Aprilis, quánam ratione is mensis cum anno M. LXVI. consistit? Etenim si Aprilem huius anni à Pontifice significatum velimus: omnino necesse fuerit concedere, prius Alexandrum ecclesiæ Insulensis bona confirmasse, quàm ea Balduinus ipsi donauerit. His igitur accuratè perpensis, statuendum est quidem, in anno litteris Alexandri subscripto vitium aliquod id exemplar habere quod liber iam citatus repræsentat, prorsúsque reponendum esse annum millesimum & sexagesimum septimum, in quem Indictio quinta incidit, cuiusque initium extremo Alexandri Papæ anno sexto conuenit, & mensis Aprilis aptissimè congruit ea confirmanti, quæ anni præcedentis Augusto, cuius die secundo S. Petri templum fuit dedicatum, suo diplomate Comes Balduinus donauerat. D

IDEM FACIT CVM ALEXANDRO GREGOR. 7.

Alexandrum secutus proximè Gregorius eius nominis Septimus ea quæ iam huic ecclesiæ donata fuerant, vel posteà tribuerentur, sua firmauit auctoritate, & Apostolico muniuit patrocinio, datis ad Fulcardum Præpositum & Canonicos litteris Laterani nonis Martij, per manus Petri S. Romanæ ecclesiæ presbyteri Cardinalis, ac Bibliothecarii anno 2. pontificat. Indictione 13.

ET CÆLESTINVS 2.

Anno posteà 1153. Cælestinus Papa Secũdus diploma cõscripsit, quo bona eidem ecclesiæ iam concessa, vel postmodum accessura, etiam confirmat, cuiusmodi sunt altaria, quæ multa ènumerat; ac inter alia vrbis Insulensis tria recenset, sancti scilicet Stephani, diui Mauritij, & S. Saluatoris: dein hæc addit: ***Prohibemus quoque,*** *vt parochiani nostri de Insula, quamdiu* * *infra parochiam suam ecclesiasticam iustitiam* *. i. iuxta *facere voluerint, sicut à longis retro temporibus fuisse dignoscitur, extra eandem parochiam*

exire

A *exire non cogantur. Canonici verò eiusdem ecclesiæ sicut iustum & antiquitus constitutum est, intra claustrum suum commorentur.*

Ab altero Gregorio & Pont. Max. datum est huius quoque templi Canonicis priuilegium, ne quis in eorum recipiatur consessum, qui natalibus illegitimis ortus fuerit. Hoc eius diploma.

Gregorius Episcopus S. S. Dei, dilectis filijs Præposito, & Capitulo Insulensi Tornacensis Dioecesis. Sal. & Apost. Benedictionem. Super omnia quæ ad decorem domus Domini vtpote supra firmam petram, scilicet Christum, fundatæ, pertinere noscuntur, honorificentia potissimum requiritur ministrorum, cùm viuos & electos lapides diuini ædificij structura requirat, quod reddit personarum deformitas indecorum. Cùm igitur ecclesia vestra inter alias ecclesias Comitatus Flandriæ honorabilis habeatur, & quantò nobilior esse dignoscitur, eò magis conuenit, vt decentes habeat seruitores; nimis, sicut asseritis, reputatis indignum, vt illegitimi præbendas, vel personatus obtineant in eadem; proponentes hoc ipsum in nonnullis ecclesiis circum positis auctoritate Apostolica interdictum. Nos igitur de-
B *uotis precibus vestris benignum impertientes assensum auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne illegitimi ad prǣbēdas & personatus eiusdem ecclesiæ assumantur, etiamsi super hoc esset cum eis specialiter per Sedem Apostolicam dispensatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire &c. Dat. Later. 2. Id Martij, Pontific. nostri anno 7.*

AB ECCLESIA S. PETRI PRÆBENDIS ILLEGITIMI EXCLVDVNTVR.

Ita Gregorius Pontifex: cuius constitutio adeò semper inuiolata permansit, vt frustrà inter Canonicos recipi flagitauerit anno 1447. Magister Ioannes Pochon, quamuis diploma obtenderet, quo summus ecclesiæ antistes illegitimi ortus impedimentum abstergeret, quemadmodum suis testatur litteris, Simon Lalainius Montignij toparcha, Ducis Burgundiæ Cubicularius, & Bailliuus Ambianensis, qui iudex à Canonicis electus, secundum ecclesiæ priuilegium sententiam iis pronuntiauit.

Inter alia quæ Pontifex Maximus Cælestinus Tertius huic ecclesiæ suo diploma-
C te concessit, ista leguntur: *Vt, cùm generale interdictum terræ eorum fuerit, liceat ipsis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, summissa voce diuina officia celebrare.* Deinde datur potestas Decano: *Iniuncta pœnitentia Clericos ecclesiæ suæ absoluendi in mortis articulo, qui tantum excesserunt, vt pro quantitate commissi sint ad Sedem Apostolicam destinandi.*

QVID HVIC ECCLESIÆ CONCESSERIT CÆLESTINVS III. PAPA.

Exstant etiam multæ aliorum Romanorum Præsulum litteræ, quibus ij varia cum Præpositi, tum Decani & Capituli decreta & instituta corroborant.

Alexandri & Gregorij Pontificum exempla secutus postmodum Philippus Augustus Franciæ rex anno 1202. Balduini Comitis litteras, & priuilegia suo diplomate confirmauit, priusquam infestus Gallo-flandris Insulam flammis corrumperet.

Nunc autem inter eos, qui munifici post Balduinum Comitem erga S. Petri ecclesiam fuere, non paucos insignes viros vetera ostentant eius monumenta: è quibus hic aliquos exemplum gratiæ proponere, operæ prætium duxi.

QVI MVNIFICI FVERINT ERGA S. PETRI ECCLESIAM.

D Walterum in primis ecclesiæ Tornacensis Archidiaconum, & Insulensem diui Petri Præpositum, Virouiacense sacerdotium, seu altare ipsi donauisse anno 1090. sic docet in litteris Radbodus Nouiomensium, seu Tornacensium Episcopus: *Proinde notum fore volumus, quod Walterus Tornacensis ecclesiæ Archidiaconus, atque Islensis ecclesiæ Præpositus, cum quibusdam eiusdem Islensis ecclesiæ Fratribus, nostram adierit præsentiam, obsecrans vt altare de Weruij, quod sub personatu tenebat, eidem ecclesiæ ad vsus supradictorum Fratrum perpetuò sub personatu tenendum concederemus. Quorum quidem petitioni, quia iam me in sua Societate susceperant, atque mihi, meis quoque successoribus Episcopis præbendam in eadem ecclesia gratanter concesserant, dignum duxi condescendere, atque quod petebant concedere* &c.

VVALTERVS S. PETRI PRÆPOSITVS.

Biennio antè Lambertus Ghisnensis, Cantor & Canonicus Insulensis, Giddense sacerdotium impertiit. Exstat ea ea de re diploma Radbodi iam laudati, è quo hæc profero: *Proinde notum fieri volumus vniuersis fidelibus tam futuris, quam præsentibus, quòd Lambertus Islensis Canonicus nostram adierit præsentiam, obsecrans, vt altare de*

LAMBERTVS S. PETRI CANTOR ET CANONICVS.

Giddis,

Giddis, quod sub personatu tenebat, S. Petri Islensis Canonicis perpetuò sub personatu concederemus. Cuius petitione condescendere dignum duximus, & Waltero Archidiacono, nostrisque clericis assentientibus, dictis Canonicis idem altare pro Dei amore, & S. Petri concessimus.

IDEM. Ab eiusdem Lamberti Atrebatum posteà primi Pontificis consecrati munere Moncellanum altare prouenit anno Christi I V. Quibus id concedit, hunc in modum litteræ loquũtur: *Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, pro semper reuerenda mihi ecclesiæ B. Petri Apostoli de Insula dilectione, pro renouanda quoque & confirmanda fraterna dilectione, & mutua societatis, precum, & orationum instantia, pro tua etiam, dilectè in Christo Frater Lamberte de Commines, & quorundam Fratrum nostrorum interuentione, concedimus ecclesiæ B. Petri de Insula altare de Moncellis &c.*

A

Tornacensis pontifex Baldericus, *rogante, & interpellante* Waltero *eorundem altarium personatum gerente, in vsus Fratrum S. Petri Islensis altare de Ronchin totum, de Halewijn dimidium, de Boesbeka dimidium concessit.*

B

Idem Episcopus Geldulfo Insulensi Canonico postulante, *qui personatum Altaris de* W*enebercis gerebat,* ea lege hoc ipsum altare Canonicis beati Petri impertijt, quam suprà retulimus.

Ab alijs nonnulla quoque alia huic ecclesiæ data fuisse curialia sacerdotia inuenio, quorum hîc nullam faciendam mentionem vitandæ prolixitatis gratia existimaui. Igitur ad alia pergamus, quæ nonnullorum liberalitate ad loci huius possessiones accessere.

PHILIPPVS ELSATIVS. Philippus Elsatius Flandriæ Comes Heliæ Clerici terram donauit.

FVLCO VTENHOVIVS. Fulco Vtenhouius Gandensis, & Canonicus Insulensis duas domos perpetuò possidendas tradidit: de quibus ità scripsere Willelmus Præpositus, Tho. Decanus, & Capitulum: *Vniuersitati vestræ notum facimus, quod F. de Gand Concanonicus noster ordinationem domus suæ, quam in claustro nostro exstruxerat, de assensu nostro taliter commutauit, videlicet, vt dicta domus sit Capituli, & de cetero alicui Canonicorum nostrorum vendatur ad vitam, qui eandem domum debeat detinere. Quotiescunque autem vendetur, prouentus inde euenientes in redditus conuertantur, & redditus illi arbitrio Capituli distribuantur in festo S. Catharinæ virginis, & in anniuersario memorati Fulconis. Idem quoque Fulco de domo sua quam nuper emit, taliter ordinauit, scilicet, vt post decessum suum duo sacerdotes ecclesiæ nostræ Canonici B. Mariæ seruitio deputati, si velint, habeant donum ipsam, inter ipsos, si commanere voluerint, arbitrio Capituli diuidendam &c. Actum anno Domini* M. CC. XX. *mense Ianuario.*

C

ROGERIVS MANTELLVS. Suas etiam ædes Rogerius Mantellus Canonicus anno 1202. attribuit. Et post eum Brictius Præpositus Insulensis suam quoque domum dedit anno supra millesimum & ducentesimum quadragesimo tertiò.

RABODO DE RVMIA. *Vide lib. 3. cap. 21.* Inter eos, qui mancipia quædam huic ecclesiæ obtulerunt iugo seruitutis liberata, Rabodonem de Rumia virum nobilem scriptæ anno 1192. & 1193. litteræ censent, aliæque non multò pòst anno 1209. exaratæ Balduinum Cominij toparcham, eiúsque filium Balduinum Ariensem Castellanum numerant.

D

BALDVINVS COMINIENS. ROGERIVS INSVL. CASTELL. Vario deinde munere hoc nobile Collegium affecisse Rogerium Insulensem Castellanum hoc diploma confirmat.

V. Decanus, & Capitulum B. Petri Insulensis, omnibus præsentes litteras inspecturis in Domino salutem: Noueritis, quòd vir nobilis Rogerius bonæ memoriæ, quondam Insulensis Castellanus, nobis in eleemosynam assignauit, quæ inferiùs continentur. Dedit siquidem nobis infra decimas de Marketa, & de Seghedinis in quadam summa pecuniæ ad valorem redditus decem librarum. Ad hoc scilicet, vt prouentus inde euenientes singulis annis in anniuersario suo, quod est 7. Idus Martij, distribuantur inter Canonicos & Clericos chori nostri, qui præsentes intererunt officio pro defunctis: ità quòd duas partes prædicti redditus cedant in vsus Canonicorum, & residuum, id est pars tertia inter Clericos diuidatur. Dedit quoque cuppam auream, vt in eo corpus Domini reponatur. Dedit etiam nobis quinquaginta libras, vt calix aureus inde fiat: qui tamen ad voluntatem Capituli famis tempore vendi poterit, & pauperibus erogari. Contulit etiam idem Castellanus viginti libras ad redditus comparandos

A *randos, de quibus in die sui anniuersarij hospitali nostro generalis pitantia procuretur. Dedit insuper centum libras ad emendos redditus, de quibus turbæ, vel ligna comparentur in hyeme, & indigentibus erogentur. Dedit quoque centum libras ad redditus comparandos, de quibus per singulos annos statim finita partitione quadragesimæ, per sequentes septimanas distributio panis fiat pauperibus, iuxta modum, qui in hospitali nostro solet per quadragesimam obseruari. Contulit etiam decem libras ad altare S. Ioannis, quod est in monoca ecclesiæ. Et decem libras ad altare superius, quod est iuxta Capitulum, vt inde picturis quibusdam ornentur Capellæ altarium prædictorum. Fecit quoque philacterium fieri ad brachium S. Donatiani, & decorauit brachium S. Macarij. Et dedit nobis duas philacterias, scrinium scilicet deauratum, in quo diuersorum Sanctorum reliquiæ sunt reposita, & quandam imaginem Crucifixi. De eleemosyna quoque ipsius triginta libræ assignatæ sunt Capellanis ad primam Missam in nostra ecclesia deputatis, vt inde eorum redditus augmententur. Deus autem omnipotens prædicta & alia bona, quæ ecclesiæ nostræ contulit, benignè suscipiat, & eidem sine fine retribuat in resurrectione iustorum: ipsumque bonorum omnium quæ in ecclesia nostra facta sunt, siue fient, concedimus esse participem, & consortem. Vt hæc igitur firma permaneant, & ab hominum memoria non recedant, præsentes litteras scribi fecimus, & sigilli nostri munimine roborari. Datum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo, mense Maio.*

B

Cetera id genus, quæ sanè plurima sunt, scribendo persequi longum esset, ac forsitan etiam lectoribus fastidiosum. Tantum hic addo Burgundiæ Ducem Philippum cognomento Bonum (qui pueros aliquot tum officij diuini ergò, tum Musicæ gratia hic constituit, & ad vitam necessaria eis subministrauit, cuiúsque adhuc libri aliquot Musicis distincti notis asseruantur, quos eleganter compactos ad Missarum modulationem templo donauit) duos in hac basilica equitum Aurei Velleris consessus habuisse. Quæ res id iure suo requirit, vt paullò altius de ipsa quidpiam in medium proferam: cùm ea plurimum ad huius ecclesiæ splendorem faciat. Anno vigesimo nono supra millesimum, & quadringentesimum initia huius Ordinis tribuenda. Eo tempore instituendi occasionem præbuit celebritas nuptiarum, quam Brugis, ducta in coniugem Isabella Ioannis Lusitaniæ Regis filia, vehementer Burgundus ornare decreuerat. Causas equites legendi prodit ipsemet Philippus ijs, quas scripsit Insulæ, tabulis. Earum hoc principium, vt è Gallico idiomate vertit Iacobus Meierus.

DVPLEX CONSESSVS EQVITVM VELLERIS AVREI ECCLESIAM S. PETRI ORNAVIT.

C

Philippus Dei gratia Dux Burgundiæ, Lothricij, Brabantiæ, Lemburgij, Comes Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & de Namur, Marchio S. Imperij, Dominus Salinarum, & Mechliniæ: Notum facimus omnibus præsentibus & futuris, quòd propter magnum, & perfectum amorem, quem habemus erga nobilem statum, & ordinem dignitatis equestris; cuius honorem ardenti & singulari affectu exoptamus augere, per quem ordinem vera fides Catholica, status nostræ sanctæ matris ecclesiæ, & tranquillitas prosperitásque reipublicæ sit (vt esse potest) defensa, custodita, & conseruata: Nos ad laudem & gloriam omnipotentis Creatoris & Redemptoris nostri, ad reuerentiam matris eius gloriosæ Virginis, & ad honorem Domini nostri S. Andreæ gloriosi Apostoli & Martyris, ad exaltationem fidei & sanctæ Ecclesiæ, & excitationem virtutum, & bonorum morum, decimo die Mensis Ianuarij anno Domini nostri M. CCCC. XXIX. qui erat dies solemnizationis matrimonij inter nos, & nostram charissimam & amantissimam coniugem Elizabeth, in oppido nostro Brugensi accepimus, creauimus, & ordinauimus, & per has præsentes accipimus, creamus, & ordinamus Ordinem, Fraternitatem dignitatis equestris, & amicabilis Societatis, certi numeri equitum, quem volumus appellari Ordinem velleris aurei, sub forma, conditionibus, statutis, modis, & articulis, qui sequuntur. Primò Ordinamus, vt in Ordine ante dicto sint vnus & triginta equites, viri nobiles nomine & armis, & sine reprehensione, quorum nos tempore nostro erimus caput, & supremus, & post nos successores nostri Duces Burgundiæ, &c.

CVR HVNC EQVITVM ORDINEM PHILIPPVS CREAVERIT.

D

Cur aurei Velleris Ordinem inscripserit hanc equestrem societatem, nullam profert rationem Philippus. Ad illud aureum vellus quidam referunt, quod Iason multis adlectis comitibus inerat armis quæsitum. Sed fortassè meliùs ad Virginem Mariam traduxerit Ferreolus Locrius, quam Velleris symbolo adumbrant sacræ litteræ,

CVR AVREI VELLERIS ORDINEM INSCRIPSERIT. *Lib. 3. Mar. Aug. cap. 7.*

nobisque sanctorum Patrum plerique eiusdem ornant laudibus: Nam non minùs ipsi, quàm Christo, ac D. Andreæ ordinem suum Bonus diplomate asserit consecratum. Quod autem de numero Dux præscribit, vt supra triginta vnum comprehenderet, neque initio id constitit, neque semper postea. Non vltra quatuor & viginti primùm is elegit. subsecutis temporibus etiam plures in ordinem recepti, quàm triginta: vt modò numeri legem id Sodalitium nesciat. A

PRIMI CONSESSVS EQVITES. *Lib. 16. Annal. Flandr.*

Eorum qui primi Societatem huius Ordinis coiuere, hunc in modum Iacobus Meierus nomina, cognomina, Dynastias, titulos profert.

I. *Primus omnium Philippus Dux caput & Princeps.*

II. *Guilelmus Viennensis, Dominus S. Georgij, & S. Crucis, Philippi cognatus.*

III. *Raginerius Pot Dominus Rupellæ.*

IV. *Ioannes Dominus Robacensis & Harzelensis.*

V. *Rolandus Wtkercanus Dominus Hamfrodius, & Desterti.*

VI. *Antonius Vergiatus Comes dominici Martini, dominus idem Champlitæ, & Rainiacensis, propinquus Philippi.* B

VII. *Dauid Brimæus dominus Ligniacensis.*

VIII. *Hugo Alnetanus, dominus Santensis.*

IX. *Ioannes dominus Cominiensis.*

X. *Antonius Tholongion dominus Trauensis, & Bastiensis, Marescallus idem Burgundiæ.*

XI. *Petrus Lucemburgensis Comes idem Fani Pauli, Conuersanus, & Briennus, dominus idem Angianus, Philippi cognatus.*

XII. *Ioannes Trimollius, dominus Ionellæ, Philippi cognatus.*

XIII. *Guillibertus Alnetanus, dominus Willeruallis, & Tronchiniensis.*

XIV. *Ioannes Luceburgensis Comes Ligniacus, dominus Bellireuorij, & Bohani, Philippi cognatus.*

XV. *Ioannes Villarius dominus Insulæ Adami.*

XVI. *Antonius Croyus, & Rentiacus, Philippi cognatus.* C

XVII. *Florimondus Brimæus.*

XVIII. *Robertus dominus Masemeus.*

XIX. *Iacobus Brimæus.*

XX. *Balduinus Alnetanus, dictus Balbus, dominus Molembacensis.*

XXI. *Petrus Beffromontius dominus Charniacus.*

XXII. *Philippus dominus Ternantius.*

XXIII. *Ioannes Croyacus dominus Turris super Matronam amnem, Philippi cognatus.*

XXIV. *Ioannes dominus Crequiacensis.*

XXV. *Ioannes à nouo Castello, dominus Montis acuti.*

Quo in numero, duo præsertim hîc à nobis notanda censeo. Primum ad Galloflandriæ nostræ famam plurimum facit. Ex his enim adeò paucis equitibus, quos variis è regionibus tum Regni Franciæ, tum Belgij & Burgundiæ, Dux collegit, è Gallo-flandrica ditione in tam nobile sodalitium initio quinque venerunt, Hugo, Guilbertus, & Balduinus, ex Alnetana, seu Lannoyana familia profecti; Ioannes Robacensis, seu Roubaisius, & alter Ioannes Cominij dominus. Quod secundo loco animaduertendum iudico, de Ioannis Cominæi titulo est apud Ferreolum Locrium, qui Cominij Comitem falsò inscribit, dum primos equites recenset. Nunquam enim eò dignitatis Cominium ascendit. D

QVOD SCHEMA SVIS EQVITIBVS PRÆSCRIPSERIT BONVS.

Eos autem cùm legit equites Philippus, ipsorum cuique (excepto Tholongiano, qui fortassis aberat) torquem aureum dedit insigniter elaboratum, & ab illo dependens aureum vellus: ea tamen conditione, vt vitam exuentes, aut Sodalitio renunciantes, vtrumque ad Ordinem remitterent alijs tribuendum. De veste, qua tunc amicirentur, cùm torquem illum solemniter gestarent, sic constituit: vt pallium, vel trabea corpus operiret, verticem capitium vtriusque materia exterior, sericum heteromallum cocco tinctum; interior, item sericum absque villis, & candidum esset. Pallium syrmate longo terram verreret; in albo limbo litteris & sym-

bolis

A bolis aureis circumſciberetur. Capitij laciniæ, ſinúſue in humerum ſiniſtrũ antrorſus defluerent. Hoc omnes ſchemate prodirẽt, & è collo torquem vellúſque ſuſpenſum in pectus producerent, cũ Ordinis Comitia, & conuẽtus haberentur, edixit. Et quo id equeſtre Collegium eſſet ornatius, etiã quatuor, vt vocãt, officiales equitibus addidit Cancellarium, Ærarij Præfectum, Scribam, & Regem armorum, ſeu Fetialem aut Caduceatorem. His omnibus vnà cùm equitibus in locum aliquẽ ſacrum conuenientibus, Ordinis conſeſſus haberetur quotannis, quem Sodalitij feſtum, vel Capitulum dicerent. Eò præſertim ipſo D. Andreæ feſto cogerentur, niſi tempus aliud res poſtularent. Ibi de negotiis ad Ordinem ſpectantibus tractaretur. quos graue crimen, vel fluxa fides arceſſeret, ij votis omnium raderentur ex Equitum albo; in horum vel aliorum morte ſublatorum loca, Equites alij ſufficerentur.

QVOS EIS OFFICIALES ADIVNXERIT.

Ergo dum flueret annus poſt milleſimum & quadringenteſimum primus & trigeſimus, Bono placuit prima huius Comitia Ordinis habere. Quòd Inſulæ frequentiùs agitaret, eíque oppido benè vellet, iſtic S. Petri templum elegit. Ibi tribus B diebus in Odeo, Canonicorum id nobile Sodalitium, conſedit. Pridie eius diei, qui D. Andreæ Apoſtolo ſacer erat, ex aula Ducis ad eam baſilicam hoc itum ordine. Præibant in æquis Rex armorum, Scriba, Theſaurarius, & Cancellarius nigras induti togas, & palliis eiuſdem coloris obtecti. conbinatim ſequebantur Equites, eo, quem priùs diximus, ornatu. Poſtremus omnium Philippus equitabat duobus Accenſis præcedentibus. Ad templi fores cùm fuit peruentum, totus eos Clerus cum inſigni apparatu excepit, canendóque in Chorum deduxit. Hic in Canonicorum ſedilibus Equites ſuis omnes locis conſedere, quos tabulæ inſignia cuiuſque, nomina & dynaſtias elegantiſſimè repræſentantes deſignabant. Sedem Præpoſiti aureo supernè panno tectam Princeps occupauit. Cantatæ ſunt ſubinde veſperæ quanta potuit inſtrumentorum & vocum modulatione. His abſolutis eodem ad palatium ordine reditum fuit. Poſtera luce cùm ſimili pompa ædem rurſus omnes adiuiſſent, ibidémque ſediſſent: magnificentiſſimè peracta ſunt ſacra myſteria. Ea dum fierent, C ad oblationem Rex armorum tertiò Ducem Philippum euocauit, titulis eius elata voce numeratis, eíque geniculans ardentem cereum porrexit. Poſtquam is aram adijt, cereúmque obtulit, ab eodem Rege ſuo ceteri ordine ſunt exciti, vt cereas quoque candelas offerrent. Roberti tantùm Maſemæi vita defuncti (cuius ſedes vacua erat nigróque inſignia panno impoſita) nomine ordinéque idem rex cum cereo ſtitit ſeſe ſacerdoti. Habita dein concio accendendis potiſſimùm ad fortitudinem, eccleſiæque defenſionem Equitum animis. Poſt miſſæ ſacrificium inſigni totum id ſodalitium in palatio Princeps conuiuio accepit. Menſæ longiſſimæ medium ipſe occupabat; eíque varia præbita ſunt fercula patinis argenteis tecta. Sedere deinceps Equites ab lateribus eo, quo fuerant ordine delecti: eorúmque ſingulis ſua ſeparatim appoſita ſunt fercula. Inter epulas aures mulcebant tum voces Cantorum ſuauiſſimæ, tum varia inſtrumentorum acroamata. Finito prandio repetita eſt denuò ſacra ædes. Ibant tunc omnes pullo lugubríque amictu contecti. Ac poſtquàm ſuis ſe locis conſtituêre, pro Maſemæi domino defunctorum veſperæ cani cœptæ ſunt: pro D quo etiam die ſequenti, adſtantibus cunctis Collegiis, ad aram litatum eſt ſolemniter. Eo perſoluto lugubriter officio, celebratum eſt rurſus in aula Ducis epulum. Ac denique menſis remotis, cùm in conclaue aliquod id equeſtre Collegium ſeſe abdidiſſet, de nouis adſciſcendis Equitibus, & rebus ad Ordinem pertinentibus actum denique eſt. Duo tantùm Equites lecti, vt eorum locum occuparent, qui defecerant. Ioannem Nouocaſtellium cogentibus meritis ex equitum albo Burgundus expunxerat Robertum Maſminienſem, ſeu Maſemæum toparcham violenta mors ad Bouinas iuxta Dionantum fortiter agentem abſtulerat. Igitur in locum Roberti Fredericus Meurſij Comes à Bono ſuffectus eſt: Ioannis torquem obtinuit Simon Lalanus Hantæ toparcha. Ac tunc quod ſcripſerat Inſulæ vigeſimo ſeptimo die Nouembris diploma de Ordinis inſtitutione, capita legis ab Equitibus obſeruandæ quatuor & nonaginta complexum Philippus in medium protulit: idque omnes vehementer equites venerati ſunt, ac libentes ſuſcepere.

QVANDO, ET QVOMODO IVERIT HVIVS ORDINIS PRIMVS CONSESSVS INSVLAE CELEBRATVS.

QVIS TVNC DVX NOVOS LEGERIT EQVITES.

Postquam verò Brugis anno 1432. Diuione anno 1433. Bruxellis anno 1435. huius Ordinis Comitia celebrasset, rursus Insulam equites suos anno 1436. Bonus euocauit. In eodem D. Petri templo ab iis conuentum est. Nomina titulos, & toparchias cum insignibus equitum eorum, qui tunc consederunt, hodiéque tabulæ perelegantes, Canonicorum sedilibus appensæ, intuentibus proponunt. Auctior tum eius Collegij numerus fuit, in eóque vnus & triginta equites numerabantur. Qui post primum fuerant consessum delecti, ac tunc se cum aliis stitere, hos ita dictæ exhibent tabulæ.

QVO TEMPORE ALTERVM HABVERIT HVIVS EQVESTRIS SODALITII CONVENTVM.

QVOS TVNC IN AVOS EQVITES ADSCIVERIT.

Fridericus Comes de Maurs.
Simon de Lalaing Regulus de Hantes.
Guido de Pontailler Dominus de Talemer.
Ioannes de Melun dynasta d'Antoing.
Iacobus regulus de Creuecœur.
Ioannes de Vergi toparcha de Fouuens.
Theobaldus Dynasta de Neufchastel.
Baudotus de Noyelle dominus de Chateul.
Ioannes Nothus de S. Paul, regulus de Haubourdin.
Robertus Comes de Vernemburgh.
Carolus Burgundus Comes de Charolois.

De dignitatibus, ac præsertim de Præpositura, Præpositis, Decano, déque Canonicorum numero S. Petri Insulensis.

CAPVT XIV.

PRÆPOSITVRA, ET PRÆPOSITVS S. PETRI.

SED nunc tempus est, vt ecclesiæ huius dignitates, vel quos vocant Personatus, deinde Canonicos inuisamus. Qui primam hîc obtinet dignitatem, Præpositus nominatur, ipsius conditoris instituto, quem constat peculiariter ei quædam litteris suis assignasse. Ibi enim hoc legitur: *Præterea eiusdem loci Præposito inferiùs nominanda constitui, &c.* Officium, iurisdictio, & opes, vt ea dignitas etiam à magnis, & illustribus viris ambiatur, efficiunt. Hoc vt facilè perspiceretur, erat mihi quidem animus totam eorum seriem hoc loco pertexere, qui iam inde à principio ad hæc vsque tempora huius ecclesiæ Præpositi claruere. Verùm post omnem horum nominibus, genere, titulis, ac ordini perscrutandis adhibitam operam, neque cunctos mihi licuit è tenebris vetustatis eruere: neque singulorum, quos nactus sum, cognomina, vel annos, quibus dignitatem adepti sunt, deprehendere. Placuit nihilominus aliquem hîc laborem impendere, vt quos saltem tum aliorum, tûm meâ, è diplomatibus & libris diligentiâ collegi, eos nunc quo licebit ordine, proponam implendásque lacunas aliorum studio relinquam.

FVLCARDVS PRIMVS S. PETRI PRÆPOSITVS.

Igitur omnium primus eam dignitatẽ inijt Fulcardus, ad quem litteras dedit Gregorius Papa Septimus anno sui Pontificatus secundo, Christi verò 1074. quibus ecclesiæ D. Petri bona & immunitates confirmat. Mortem oppetiit post Christi natalem anno millesimo & octogesimo pridie nonas Aprilis. Ad eum enim diem hęc mortualis ecclesiæ liber repræsentat: *Eodem die anno Domini millesimo octuagesimo obijt Fulcardus primus huius ecclesiæ Præpositus constitutionis huius ecclesiæ, & suæ dispensationis anno vigesimo quinto.*

GALTERVS 2. *Lib. 3.*

Fulcardum Galterus excepit, vt idem liber, & Iacobus Meierus habent. Is forsan vnus è quadraginta primis fuit huius ecclesiæ Canonicis. nam eius nominis duos

inter

A inter Subdiaconos reperio, qui primi à Comite Balduino in hoc adsciti Collegium fuere. Claruit hic etiam ecclesiæ Tornacensis Archidiaconus. Quamdiu dignitatem obtinuerit, & quis ei successerit, non est mihi facile arbitrari, nullis suppeditantibus monumentis: cùm litteras, diplomata, & regesta ferè omnia Augusti Francorum Regis imperio flammæ hauserint, captâ per vim Insula.

Non multis saltem euolutis annorum circulis Desiderius Præposituram adeptus est; ad hunc enim ea fulgentem dignitate Simon Nouiomensis Episcopus, & Milo pontifex Morinorum scripsere; dum supra millesimum & centesimum tertius ac vigesimus Christi annus verteretur. DESIDERIVS.

Verisimile est huic datum fuisse successorem Robertum. Huius enim nominis Præpositum iis subscripsisse litteris video, quas Ioannes Morinorum Episcopus Insulæ scripsit de libertate hospitum S. Petri anno post millesimum & centesimum octauo & vigesimo. In annum saltem 1132. vitam traxisse, deprehendo, quòd Simon Nouiomensis Antistes eo tempore ad eum litteras miserit Tornacensem Archidiaconum fuisse accipio. ROBERTVS. B

Alterum posteà Desiderium Præpositi titulo insignem fuisse colligo, ad quem Cælestinus Papa Secundus de possessionibus, decimis, altaribus ecclesiæ S. Petri obnoxiis anno 1143. bullam miserit. DESIDERIVS.

Forsan hic Alardum successorem habuit. Quippe Theodorici Flandriæ Comitis ecclesiæ Phanopinensis bona confirmantis, anno 1155. dein Gerardi Episcopi Tornacensis donationem Phanopinensibus Canonicis factam roborantis anno 1157. litteris subscripsit hoc nomine Insulensis ecclesiæ Præpositus. ALARDVS.

Num alius huic Desiderius successerit proximè, incertum habeo. Equidem anno 1169. Desiderium Insulensis ecclesiæ Præpositum Taruannensibus infulis ornatum fuisse, vetera testantur Taruannensis ecclesiæ monumenta. Fuit verò hic Desiderius patre natus Castellano Cortracensi, & Sara matre, Rogerij Insulensis Castellani filia; ac priusquam Episcopus crearetur, apud Tornacenses Archidiaconus, & Cancellarius claruerat, vt antea memorauimus. DESIDERIVS. *Lib. 1. cap. 6.* C

Huius frater Robinus, seu Robertus Præposituram deinceps adeptus est. Is anno 1182. D. Petri hominem è manu Castellani Insulensis liberauit, vt patet ex litteris M. Cantoris, G. Scholastici Canonicorum Tornacensium, & G. Prioris de Fiuia Christi anno 1212. exaratis. ROBERTVS.

Quin hunc exceperit Gerardus de Messinis, minimè dubium existimo. Philippi Elsatij Flandriæ Comitis pro Phanopinensibus anno 1183. scribentis diplomati subscriptum nomen eius reperio. GERARDVS DE MESSINAS.

Et proximus Insulensi præfuit ecclesiæ Gerardus Elsatius Philippi Flandrorum Principis frater, quem Brugenses S. Donatiani Præpositum, omnisque Flandriæ Comitatus Cancellarium coluere, vt initio huius operis memorauimus. GERARDVS ELSATIVS. *Lib. 1. c. 6.*

Alardum Præpositi vocabulo insignitum reperi anno post millesimum & ducentesimum quarto, dum litteris W. Decani & Capituli de domo G. de Insula inter alios subscriberet. Sed quoniam eodem anno legi Gerardum Præpositum Insulensem, & Flandriæ Cancellarium iis in litteris, vt præsentem, nominari, quas idem Decanus & Capitulum de donatione domus scripsere, quam Rogerius Mancellus ecclesiæ D. Petri attribuit: deinde anno sequenti etiamnum Gerardus sese Præpositum Insulensem aliis in litteris nominat: non facilè Alardum tum temporis in Præpositorum Ecclesiæ S. Petri seriem admittam. An verò posteà in numerum Præpositorum cooptatus fuerit idem Alardus, incognitum sanè mihi est. D

Robinum deinceps ecclesiæ D. Petri præfectum fuisse comperio: ac inter eum & Amalricum Decanum grauem de cura pastorali arsisse controuersiam; donec à viris quatuor eò delegatis hæc componeretur adiudicatâ Præposito lite anni 1217. Februario. ROBINVS. *Horum littera.*

Huic datum successorem Philippum deprehendo: quem inter & Capitulum de fructibus Thesaurariæ disceptatum est grauiter, donec anno 1207. mense Septembri F. S. Petri Decanus, & Heribertus Tornacensis Cancellarius litigio finem imponerent. PHILIPPVS. *Horum littera.*

ponerent. Nisi potiùs hic Robino sit præponendus, ac vterque iam citatæ litteræ A
Belgico veterique stilo sint scriptæ: annum enim à Paschate inchoanti September
prior esset Februario.

VVILELMVS INSVLENSIS. *Vide l. 1. c. 6.*

Post hunc Præpositi titulo floruit Wilelmus Insulensis. Patrem hic habuit Ioannem Castellanum Insulensem: & quamuis Subdiaconus esset, Roberto tamen fratre vita nullis relictis liberis defuncto, Insulensem adiit Castellaniam. Quo tempore hic obierit, silet eius epitaphium. Verùm ex quibusdam eius litteris, quibus cum Abbate Phanopinensi de nonnullis difficultatibus composuit, certum est saltem ad annum 1234. vitam protraxisse, cùm eodem anno eas scripserit.

BRICTIVS.

An proximè Wilelmum secutus sit Brictius, non audeo asserere. Præpositurae hunc dignitate anno Christi 1243. floruisse clarum est è litteris, quibus domum suam ecclesiæ S. Petri eo tempore donauit.

THOMAS DE BEAVMANOIR.

Sacrum post Brictium, Thomam de bello Manso Magistratum iniuisse certò mihi persuadeo. Is anno 1250. veniam minoritis concessit e suburbio intra mœnia vrbis Insulensis transmigrandi. B

GVIDO DE ALVERNIA.

Adeptus est postmodum Præposituram Guido de Aluernia. Fuit hic etiam Morinensis Archidiaconus, vt ex litteris eius patet anno 1257. datis. Et produnt etiam litteræ quædam eum anno 1260. vitam vixisse.

IOANNES FLAND. COMIT. FILIVS. *Lib. 1. c. 7.*

Eandem deinceps dignitatem minimè aspernatum conspicio Ioannem Guidonis Flandriæ Comitis filium, quem postea Metenses, ac deinde Leodienses Episcopum habuere, vt supra memoriæ mandauimus.

AMALRICVS DE NIGELLA.

Interruptione ordine, an aliquo interiecto, præfuit subinde Amalricus de Nigella, qui saltem in annum 1295. præfecturam tenuit. Atqui hactenus eos in medium Præpositos produxi, quos non sine magno labore, è S. Petri monumentis erui. Nunc eorum series sequitur, quos partim, aliena mihi diligentia subministrauit partim ipse aliunde sumptis rebus illustraui. Verum priusquam eos proponere aggrediar, nescio, num temporis iniurias, an hominum negligentiam veriùs accusem. Etenim hîc annorum ferè centum sese nobis obiicit lacuna, quam minimè explere possumus, etiamsi multum operę adhibuerimus, vt eos, qui per id tempus claruere, Præpositos è tenebris in lucem educere liceret. Parcet igitur hoc loco nobis Lector beneuolus, si minimè tum eius exspectationi, tum vetustatis pernoscendę cupidini fiat satis: quandoquidem id maximam quoque nobis parit molestiam, quod ardentissimum animi cuncta eruere & proferre molientis desiderium lenire nequeamus. C

HENRICVS GOETHALS.

Nunc autem ex iis, qui continua postmodum serie S. Petri Pręposìtura donati fuerunt, ac in meam venere cognitionem, Henricus in primis Goethalsius emicuit. Eum anno post millesimum & quadringentesimum tertio ac trigesimo vitam posuisse reperio.

IOANNES L'AVANTAGE.

Hunc secutus est Ioannes l'Auantagius, qui vix quartum dignitatis annum inierat, cùm Ambianensis Episcopus renuntiatus est. AN. 141[illegible] AN. 141[illegible]

IOANNES A BVRGVNDIA.

Successit deinceps Ioannes à Burgundia Ioannis Intrepidi Burgundiæ Ducis è concubina filius; quem deinde Cameracenses Episcopum habuere. D

FORTIGARIVS DE PLACENTIA. *Lib. 1. c. 6.*

Vix annum Ioannes dignitatem obtinuerat, cum permutationis gratia in Fortigarium de Placentia eam resignauit. Quis verò qualisue hic fuerit, operis initio exposuimus. AN. 1418.

EVSTACHIVS ALCVLI.

Fortigario Atrebatensis Episcopatus infulis ornato, Eustachius Alculi Præposituram adeptus est. AN. 1419.

IACOBVS DE CONIMBRIA. *Vide l. 1. c. 6.*

Hoc è viuis subducto Iacobum de Conimbria Canonicis præficere placuit. E Lusitaniæ regum sanguine prodiuerat, multisque pollebat ingenij bonis. Vix annum in dignitate expleuerat, cùm lectus est Atrebatensis pontifex. Olyssiponensem ecclesiam postmodum Archiepiscopus gubernauit, ac inter Patres purpuratos fuit aggregatus. Hoc de ipso in regni Lusitani descriptione pręclarum est P. Antonij Vasconcellij Societatis Iesu Theologi testimonium: *Inter plurimos, qui conscripti sunt Patres Purpurati ex Lusitanis, sanctitate præluxit Iacobus Archiepiscopus Vlyssiponensis à titulo S. Eustachij, filius Petri Infantis, ac Ducis Conimbricensis, quem* AN. 145[illegible]

vitæ

A *tia, continentia, & castitas amplius, quam auita nobilitas commendauit.*

Datus est Iacobo successor Ludouicus Borbonius. Patrem hic habebat Carolum Borbonij Ducem, matrem vero Agnetem Ioannis Intrepidi Burgundionum Ducis filiam, & Philippi Boni Burgundię Ducis ac Belgarum Principis sororem. Quàm charus Philippo Duci fuerit, quamque ab eo adiutus ac promotus in virum magnum euaserit, ita docet Suffridus Petri: *Ludouicus autem Borbonius ad Auunculum suum Philippum Bruxellas vocatus ex Borbonia venit anno 1445. natus tunc annos septem. Non multo post ad studia Louanium missus est, ibidémque in excelsa arce, adiuncta honesta familia habitauit, liberaliterque institutus est expensis auunculi, vsque ad annum aetatis suae decimum octauum: tempore tamen intermedio in subsidium illi collata fuit Praepositura apud D. Donatianum Brugis, & altera apud Insulas.* Hactenus Suffridus, qui prius ostenderat Ludouicum cessione Ioannis Heinsbergij, & opera Burgundiae Ducis Leodiensium factum fuisse antistitem: Haec enim eius verba: *Eodem tamen anno resarta gratia, Ludouico Borbonio Caroli filio, ad instantiam eiusdem Philippi, Leodiensem Episcopatum resignauit. Qui quidem Ludouicus filius erat sororis Philippi, adolescens natus annos octodecim, qui tunc temporis studiorum gratia Louanij agebat.* Quibus ista de Chronico Zantflieti subiungo: *Eodem anno 1445. Ioannes de Heynsberch, qui Episcopatum Leodiensem prudenter & magnificè rexerat annis circiter triginta sex, nescio quo spiritus instinctu, an sponte, vel coactè, pertaesus, (vt aiebat) curarum, quas in praesulatu sustinuerat, & quia populus Leodiensis in multis nolebat obtemperare, resignauit, & reportauit in manus D. Ludouici de Borbon pro tunc Praepositi S.* Domitiani Brugensis, aetatis pro tunc circiter annorum octodecim, praesulatum suum admirantibus multis.* LVDOVICVS DE BORBON. In Episcop. Leod. c. 20. Cap. 19.

B

Annus verò supra millesimum & quadringentesimum octauus & quinquagesimus voluebatur, cùm Adrianus de Potiers datus est Borbonio successor Insulae. ADRIANVS DE POTIERS.

C

Adrianum excepit Franciscus Melodunaeus, vel Melunius, è nobilissima ortus familia, & praeclaris ornatus virtutum decoribus: quem posteà primum Atrebatenses, deinde Morini, suum venerati sunt Episcopum, sicut anteà litteris mandauimus. FRANCISCVS DE MELVN. Lib. 1. c. 6.

Hanc deinceps ecclesiam moderatus est Cornelius à Bergis nobilissimorum coniugum filius, quem praestantissimae virtutes Leodiensi dignum Episcòpatu reddidere. CORNELIVS A BERGIS.

Cornelio cedente Pręposituram iniit Franciscus Rosimbosius, claro apud Gallo-flandros genere ortus. Nepos eius Maximilianus de Longueual, Vauxij dominus, ac primus Bucquoy Comes renuntiatus, hoc ipsi in S. Petri aede tumulato, adscribi iussit epitaphium, vnde praestantiam hominis colligas: *Cy deuant gist le corps de noble, venerable, sage, & vertueux seigneur, Mess. Francois de Rosymbos, en son viuant Preuost de ceste eglise Collegialle, & Sommeillier de l'Oratoire de feu l'Empereur Charles V. & depuis au Roy son fils &c.* FRANCISCVS DE ROSIMBOS. Vide l. 1. c. 6.

D

Guilbertum d'Oignies suum posteà caput agnouere S. Petri Canonici. Huius nos alibi genus laudes, ac dignitatem Episcopalem repraesentauimus. GVILBERTVS d'OIGNIES. Lib. 1. c. 6.

Huic proximè successit Gerardus Croyacus Reuxiani, seu Rodiani Comitis frater, qui posteà ecclesiasticis dignitatibus matrimonium praetulit. GERARDVS DE CROY.

In Maximilianum igitur Manaraeum subinde summus ecclesiae D. Petri ab regecollatus est Magistratus, eum nos antè suis encomiis ornauimus. MAXIMILIANVS MANARE. Lib. 1. cap. 6.

Maximiliano vita defuncto, Vincentius de Zelandre Praeposituram adeptus est Regio munere. VINCENTIVS DE ZELANDRE.

In huius locum surrogatus est Carolus Cornetius Cameracensis ecclesiae Archidiaconus & Canonicus; qui tamen minimè dignitatis possessionem adiit. CAROLVS DV CORNET.

Nunc insignis huius Collegij Canonici Engelbertum Desboisium Cameracensem quoque prius Archidiaconum & Canonicum, venerantur. Atqui haec circa D. Petri Antistites sufficiant. Tantùm adiicio, quòd huius ecclesiae Praepositorum permulti tum variis animum scientiis, tum praeclaris virtutibus exornauerint; ex hoc verò Collegio, tanquam ex equo Troiano, plurimos variarum Principes ac Pontifices dioeceseon prodiisse vt ex iis perspectum habetur, quae primus liber continet. ENGELBERTVS DES BOIS.

Nunc verò de officio eius ac iurisdictione, qui ecclesiæ huius præposituram adeptus est, in ipsius monumentis hæc reperio. Labente salutis anno post millesimum & ducentesimum quarto, R. tit. S. Stephani in Cælio monte Presbyter Cardinalis, & Apostolicę sedis Legatus, Abbatem Laudensem, Pręposítum Brugensem, Decanum Cortracensem, & Præpositum Wattenensem Insulam misit cum mandato, vti quàm diligentissimè de Insulensis D. Petri ecclesiæ statu inquirerent, & quæ deprehendissent, ad se omnia perscriberent. Fecere grauiter ij quod iubebatur, ac post omnem inuestigationem, suis ad Legatum litteris tradidere: non parum damni spiritualis ac temporalis eam perpeti ecclesiam, ob diuturnam Prępositi absentiam; eiúsque mali rationem his verbis subdidere: *Cùm ad Præpositum eiusdem loci cura animarum, necnon Iurisdictio totius ecclesiæ D. Petri pertineat.* His igitur auditis Legatus hunc in modum constituit. *Vt de cetero talis in Præpositum eligatur, qui infra annum, quo electus fuerit, canonicè poßit ac debeat saltem ad Diaconatus ordinem promoueri: & statim post electionem receptam, iuret se singulis annis, quamdiu Præposituram tenebit, per medietatem anni, vel amplius facturum residentiam in ecclesia S. Petri.* Verùm tametsi hæc Cardinalis eorum, quos nominauimus, relationem secutus, ordinauerit: noua nihilominus anno 1217. inter præpositum & Decanum de animarum cura exorta est contentio; & ad eam dirimendam arbitris opus fuit. Rem totam ex Archiuo S. Petri affero. *Cùm Præpositus Robinus, & Amalricus Decanus disceptarent de Cura ecclesiæ S. Petri, in quatuor personas compromißio facta est, in duos Cysterciensis ordinis Abbates, de Capella, & de Camberon; in Magistrum Mathæum Siclinensem Præpositum, & M. Rumualdum; qui omnes diu fuerunt Canonici Insulenses. Hi autem arbitrarunt: Quod cura huius ecclesiæ esset Præpositi, & eidem ab omnibus obedientia deberetur. In absentia eius, Decanus in prouidendis spiritualibus loco esset Præpositi, ac vices illius in his plenariè tunc exequi teneretur. In huius autem rei apparentiam probabiliter potest & conuenienter induci, quod in prima huius ecclesiæ fundatione tantùm tres Personatus instituti fuerunt, videlicet Dominus Præpositus, Cantor, & Thesaurarius: sed de fructibus Præpositi, quos tunc habuit apud Moskeron, postmodum factus est Decanatus qui redditus tandem annexi sunt Cantoriæ, cum scilicet fructus vnius prebendæ ad opus Decani per prænominatum R. Præpositum, & Capitulum fuerunt in perpetuum deputati. Cùm igitur Præpositum tanquam Dominum & Pastorem ecclesiæ in exterioribus frequenter oporteat occupari, videtur probabile, & consonum rationi, quòd idcircò Præpositi de suis fructibus taliter, sicut prædictum est, permiserunt institui Decanatum, quòd in ipsorum absentia, & cum necesse haberent, Decanum, qui Presbyter esset, & residens, haberent in procurandis spiritualibus adiutorem.*

Anno posteà 1219. Honorius Papa Tertius ineunte tertio sui Pontificatus anno ea, quæ Cardinalis iam laudatus constituerat, nouo diplomate confirmauit. Anno deinceps 1241. Decanus & Canonici suis hæc litteris inseruere: *Præpositus S. Petri habet curam totius eius Ecclesiæ tam Cleri, quàm parochianorum ad parochiam eiusdem Ecclesiæ pertinentium. Presbyter autem parochialis Ecclesiæ curam super laicos habet à Præposito commendatam, neque vnquam recepit de manu Episcopi, nec vnquam iuit ad Synodum, sed Præpositus pro tota Ecclesia ad Synodum semper iuit. Neque vnquam presbytero parochiali fuit cura demandata ad vitam, vt appareat, quòd curam habeat commendatam.*

DECANVS ECCLESIÆ S. PETRI.

Post Præpositum Decanus eminet dignitate. Eum à conditore Balduino minimè constitutum aliqui credunt. Fauent eorum opinioni, quæ iam arbitrorum motæ inter Præpositum Robinum, & Amalricum Decanum controuersiæ, verba protulimus. Verùm in contrarium ducere nos potest, quòd Engelrannum Insulensis Canonicorum ecclesiæ Decanum anno dominicæ Incarnationis 1090. Radbodi Tornacensis & Nouiomensis Episcopi litteris subscribere videamus, paucis admodum à morte Balduini annis, dum Walterus secundùm ageret Præpositum. Sed quoniam eius nullam in diplomate mentionem à Balduino Comite fieri perspicimus, in eam saltem delabimur opinionem, tametsi à fundatore non fuerit ordinatus, tamen à Præposito fuisse statim post ecclesiæ fundationem, erectum eius Decanatum, & à Canonicorum Collegio receptum: siue Fulcardus, siue Walterus auctor ipsius

A exstiterit. Ceterùm vt iam vidimus, ex arbitrorum sententia Decanus eò creatus est, vt absentis Pręposìti vicem in spiritualibus suppleret. Quamobrem Præpositus & Capitulum anno Incarnati verbi 1238. decreuere, vt quatuor tantùm mensibus possit abesse vnius anni spatium; neque amplius continuè foris maneat, quàm diebus quindecim, nisi veniam obtinuerit. Ab ijsdem hæc quoque eodem fuere anno litteris mandata: *Decanus habet duplicem præbendam. tenetur post tres menses electionis sacerdotem & Clericum alere. Primus est à Præposito, eique tenentur Canonici & Clerici omnes caput inclinare transeuntes ante ipsum in choro. Capitulum conuocat, proponit negotia.* Eadémque omnia rursus ordinata sunt anno 1393.

Ab Decano primum Cantor locum occupat. A Balduino Comite creatum fuisse, fidem faciunt eius litteræ. In his enim ab eo scriptùm reperio: *Cantori quoque de eadem moneta xx. solidos.* De ordine, quem tenet, ità G. Præpositus, A. Decanus, & Capitulum scripsere: *Cantor est post Præpositum & Decanum primus in choro & capitulo, non tamen vt dominus Canonicorum, sed socius.* CANTOR EIVSDEM ECCLESIÆ.

B Quartum obtinet Personatum seu dignitatem Thesaurarius. Eum Pius Comes constituit, vt indicat eius diploma ijs in verbis, quæ suprà retulimus. Disceptatum nihilominus est frequenter huius de personatus fructibus. Quamuis enim ad dirimendam controuersiam Capitulum olim sanxerit, vt Thesauraria perpetuus esset personatus, eiúsque decretum Honorius Secundus Pontifex Maximus anno Pontificatus secundo litteris suis confirmauerit: tamen Honorio Tertio sedem Romanam obtinente, rursus anno Christi 1217. in disceptationem ea reuocata res est: opúsque denuò fuit. Philippo Præposito & Capitulo controuersiam mouentibus, vt F. S. Petri Decanus, & Heribertus Tornacensis Cancellarius ab vtrisque arbitri delecti, nouam de perpetuo perso natu sanctionem ederent. THESAVRARIVS.

Scholarchia vltimus est Personatus. Diu post fundationem ecclesiæ institui cœpit. Erat priùs Præbendæ Canonicæ annexum Scholarchæ officium, eáque Scholastria dicebatur. Anno posteà 1258. mense Iunio Decanus & Capitulum S. Petri constituerunt, vti Scholastria separatus esset à præbenda Personatus, eique certos reditus assignarunt, vt eorum litteræ manifestum faciunt, quas Walterus Crucius Tornacensis Episcopus anno 1260. diplomate suo confirmauit. SCOLARCHA.
C

Ad numerum Canonicorum quod attinet, is à principio quadragenarius est constitutus. de quo hæc litteris consignauit Iacobus Meierus in Flandriæ Annalibus: *Eodem anno Balduinus Insulæ, quod oppidum muro & fossa cinxerat, Principi Apostolorum ædificauit templum, vbi quadraginta legit Canonicos, decem sacerdotes, in quibus duo semper forent Episcopi Tornacensis ac Morinorum, decem* Diaconos, *decem Hypodiaconos, & totidem Acolytas.* In libro, quem aliquoties citauimus, eorum nomina, quos in id Collegium Balduinus adsciuit, hunc in modum repræsentantur: CANONICORVM NVMERVS. Lib. 3.

NOMINA FRATRVM ISLENSIS ECCLESIÆ A PRIMA CONSTITVTIONE.

D

Presbyteri.	Diaconi.	Subdiaconi.	Acolythi.
Balduinus Episcop.	*Ingelrannus.*	*Galterus.*	*Stephanus.*
Guido Episcopus.	*Rainerus.*	*Desiderius.*	*Guido.*
Herigerus.	*Gebuinus.*	*Arnulphus.*	*Wibaldus.*
Gosseuuinus.	*Euerardus.*	*Frumaldus.*	*Elbodo.*
Willelmus.	*Ingelrannus.*	*Lambertus.*	*Raulfus.*
Albertus.	*Gilbertus.*	*Clarembaldus.*	*Heluinus.*
Quintinus.	*Hugo.*	*Raingerus.*	*Balduinus.*
Renerus.	*Salefridus.*	*Ingelrannus.*	*Godezo.*
Allegrinus.	*Gerulfus.*	*Elbodo.*	*Warmundus.*
Stephanus.	*Theobadus.*	*Galterus.*	*Lietbertus.*

Ex

Ex his igitur haud obscurè arguitur, Iacobum Meierum non adeò verè suis Annalibus inseruisse, à principio semper Morinensem Episcopum inter sacerdotes huius ecclesiæ Canonicos fuisse numeratum. Is enim Guido, qui hoc in Catalogo nominatur Canonicus & Episcopus, non Morinensis, verùm Ambianensis pontifex fuit, vt vel ipse Meierus affirmat, qui dicto loco subiecit: *Dedicatores autem* (ecclesiæ Insulensis) *fuere Balduinus Nouiomagensis, Guido Ambianensis, ac Drogo Morinorum Episcopi.* Et posset etiam in dubium reuocari, fueritne ab initio ex Balduini Comitis decreto huic numero insertus necessariò, quisquis Episcopatum Nouiomensem & Tornacensem obtineret. Quippe Radbodus eorum Episcopatuum moderator cùm scriberet anno Christi 1090. hunc in modum de Præposito, deque Canonicis Insulensibus est locutus: *Quorum quidem petitioni, quia iam me in sua societate susceperant, atque mihi, meis quoque successoribus Episcopis præbendam in eadem ecclesia gratanter concesserant.* Ex quo sanè Florentius Vanderharius eiusdem ecclesiæ Canonicus & Thesaurarius conficit, non tam Comitis indulto, quam Capituli S. Petri, hoc beneficium ad Episcopos Tornacenses fluxisse: vt omnino fuerit temporaneum id quod Balduino & Guidoni Episcopis Comes Flandriæ concessit: ac non nisi postcà tam Morinensis, quàm Tornacensis pontifex statam illic præbendam habuerit. quod etiam de Brugensi S. Donatiani Præposito & Flandriæ Cancellario, dicendum videtur, cuius officio postcà semper vnum huius Collegij beneficium fuit annexum. Sed quidquid his de rebus fuerit, inter Canonicos D. Petri hoc tempore tres Episcopi, Tornacensis videlicet, Brugensis, & Iprensis perpetuò censentur indulto: ad Iprensem post exstinctum Taruannensem Episcopum eo beneficio fruendi iure deuoluto; Brugensi verò cum D. Donatiani Præpositura eo dudum annexo, quod diximus, sacerdotio. Ceterùm tam ex eo, quod principiò Fratres nominati sint Canonici vt ex dictis colligitur, tum aliunde satis perspectum est, vitam in commune huius ecclesiæ Clerum sic initio duxisse, vt nunc omnes in eadem cœnatione cibum sumpserint; nunc domi accepta diurna portione sese refecerint separatim; éque communi peculio vestes, aliámque supellectilem habuerint Canonici, ex quo plus eis laudis accesserit. Quando verò deinceps in præbendas communia fuerint bona distributa, ac sua quisque Canonicus quadra cœperit viuere, non est facile arbitrari.

A B C

De Burchardo Auesnensi, quem aliqui S. Petri Præpositum faciunt, fabula exploditur.

CAPVT XV.



IAM verò priusquam vlteriùs progrediamur, paullum hîc laboris tam nobili D. Petri ecclesiæ à turpissima nota vendicandæ concedendum est, quam ei Petrus Oudegherstius Chronicis Flandrorum Ioanni Iperio, Paulo Æmilio, & aliis quibusdam historicis adherens in Annalibus Flandriæ admodum fœdè & mendaciter inussit. Litteris scilicet post alios ab hoc fuit traditum, Burchardum Auesnensem huius Collegij Canonicorum Præpositura florentē, quam domi alebat Ioannæ Flandrorū Principis sororē Margaretam, blandis illectam verbis, aut timore impulsam, turpiter aliquamdiu constuprasse, pérque sacrilegam consuetudinem duos ex ea liberos suscepisse. Verùm hæc omnia, quàm insigni flagitio Burchardum & Margaretam onerant, ecclesiámque D. Petri magno dedecore afficiunt: tam profectò ingenti mendacio & calumnia sunt conficta, quorundam maleuolorum hominum studio, & impudenter ab Oudegherstio aliisque, libris inserta. Scriptus siquidem fuit Margaretæ temporibus quidam libellus, qui Flandrico idiomate res omnes Burchardi complexus, nullam Insulensis Præpo- D

A figuræ mentionem facit; tantúmque memorat Burchardum Canonicum fuisse ac Thesaurarium Tornacensem, & Cantorem vel Archidiaconum Laudunensem; omninóque publicè cum Margareta nuptias contraxisse, dissimulato Subdiaconatus impedimento, & assumpto militari habitu, denarrat. Vt igitur ea tota, quam Oudegherstius & alij fusè prosequuntur, fabula confutetur, & impacta D. Petri Collegio abstergatur infamia; placet ea de libello, quem totum ex Gallica versione latinis verbis, ac parum tersis indutum in Annalibus vel Chronico Hannoniæ repræsentat Iacobus Guisianus, nonnulla in medium proferre, quæ de manuscripto Montensis Franciscanorum Patrum Conuentus exemplari descripsi. Tum quædam alia ex eodem Guisiano proponam, quibus eadem mendacia conuellantur. Sic igitur habet Iacobus.

Lib. 10. cap. 3.

*Erat siquidem tunc temporis miles quidam in Flandris magnæ auctoritatis, & reputa-*B *tionis apud communitates tam Flandriæ, quàm Hanoniæ, & specialiter apud Mehaldim reginam, quondam Flandriæ Comitißam, natione Hannoniensis, nomine Bouchardus de Auennis, cuius gesta in quodam libello in idiomate Flandrico reperi, quæ in Gallico transferri feci: cuius tenor talis erat. Tempore Philippi Flandriæ Comitis erat quidam puer filius domini de Auennis, & frater Walteri atque Guidonis de Auennis, quem dictus Philippus ob fidelitatem patris, puerum in sui curia pro perpetuo cum quatuor equis retinuit prouidendum. Hic dum Brugis poneretur ad scholas infra paucos annos sic profecit, vt eius magister consuleret reginæ Mehaldi, vt non in Curia, sed Parisius de cetero educandus mitteretur. Cùm autem de consilio Philippi, atque patris sui Parisius deuenisset, infra annos paucos sic profecit, vt sufficienter in philosophia tam naturali, quàm morali reputaretur imbutus à doctoribus & magistris. Ab hinc Aurelianis transfertur, & illic tamdiu permansit, vt miles & doctor efficeretur legum. Interim fuit sibi prouisum primò de præbenda & Archidiaconatu in ecclesia B. Virginis Laudunensis. Et postmodum dictus Comes* C *Philippus procurauit sibi præbendam & Thesaurariam ecclesiæ Tornacensis. Prædictæ siquidem ecclesiæ coegerunt eum, vt sacros susciperet ordines, quod inuitißimè fecit. Vnde Aurelianis Acolytus & Subdiaconus ordinatus est cunctis ignorantibus amicis. Ipso ad Flandriam repatriante non sicut Canonicus, sed sicut miles, aut Baro statum gerebat militarem. In guerris etenim Flandriæ adeò valenter contra aduersantes & viriliter faciebat, vt in breui omnium militum patriarum circumuicinarum famam excederet. Dereliquit præbendas, proiecit statum clericalem, ad militiam gladiatoriam aspirauit. Rex siquidem Angliæ Richardus videns & audiens famam tanti viri, & eius ardua facta, fecit ipsum in Balduini Comitis Flandriæ præsentia militem, sibique terram atque prouentus magnos in Anglia.* Captauit beneuolentiam tam Regis Angliæ, & nobilium Anglicani regni, nobilium Flandriæ ac Hannoniæ, atque Brabantiæ, quam bonarum villarum dictarum patriarum: vt nullus ipso in rebus bellicis excellentior, in consilijs dandis verior, iustior, facundior atque profundiorum moribus & virtutibus heroicis probior; in statura corporis & membrorum ductu, forti compactione, fortior & elegantior: & in omni bona fama apud omnes tunc temporis haberetur. Vnde cum Balduino Flandrensi ad terram sanctam recessisset, nisi ipse Comes* D *coegisset ipsum ad finem, vt Flandriam atque Hannoniam, filiásque suas, atque nouercam eius, vnà cum Philippo fratre suo tueretur, gubernaret, consuleret, atque defenderet. Hic Bouchardus ab initio sui regressus à Scholis semper principalis exstitit tam Comitis & Reginæ Mehaldis, quàm bonarum villarum atque communitatum gubernator & consiliarius. Super etenim omnes intellectu claro vigebat. Magnos comparauit thesauros, licet modicam poßideret terram. Hic non statum militis, sed Principis magni retinere satagebat, plures habens secum milites & optimates scutiferos, & Burgenses, quàm regina. & licet magnas pateretur inuidias, ipse tamen per eius prudentiam omnia cum honore pertransibat.*

* fuit donauit.

BVRCHARDI DE AVESNIS GENVS, EDVCATIO, ET STVDIA.

BVRCHARDVS OB BENEFICIA, QVIBVS DONATVS FVIT, ORDINATVR CLAM SVBDIACONVS IN GALLIA

REVERSVS IN FLANDRIAM CLERICVM EXVIT, ET FACTVS EST MILES.

AB REGE ANGLIÆ CREATVS EQVES, OB PRÆCLARAS DOTES, OMNIVM SIBI AMOREM CONCILIAT.

A BALDVINO COMITE FLAND. CONSTITVITVR FLANDRIÆ, ET FILIARVM EIVS GVBERNATOR. IN EO MAGISTRATV OPTIME SE GERIT, AD INSTAR PRINCIPIS FAMVLIS ALIT.

Cap. 4.

Accidit autem postquam Philippus Comes Namurcensis ambas filias Balduini Imperatoris Constantinopolitani sine assensu reginæ Mehaldis, sine scitu Bouchardi consocij sui, sine consilio bonarum villarum Hannoniæ atque Flandriæ ad regem Franciæ transmisisset, & aliquantulum diu cum regina Franciæ remansissent, tandem rogatu tam Flamingorum, quàm Hannoniensium dictus rex dictas filias Brugis remisit, quæ cum ingenti gaudio

POST NVPTIAS IOANNÆ FLAND. COMITISSÆ.

atque

Sororem eius Margaretam curæ suæ commissam domum suam cum matronis recipit, eamque sine reprehensione vlla educat.

atque lætitia susceptæ sunt. Progressu temporis, consilio pariter & assensu tam regis Franciæ, quàm omnium parentum & amicorum filiarum prædictarum, bonarúmque villarum sic ordinatum exstitit, vt Ioanna antiquior daretur in matrimonio Ferrando filio regis Portugalliæ, Margareta verò committeretur conseruanda vsque ad tempus, cum quinque nobilibus matronis solemnioribus totius Flandriæ cum familia decenti Domino Bouchardo de Auennis, qui tunc temporis prouidentior inter alios famabatur, aßignando sibi super receptores tam Flandriæ, quàm Hannoniæ tria millia librarum monetæ currentis. Qui cum honore & reuerentia magna, licet cum formidine pondus sibi impositum prudenter primò refutauit, sed tandem prouisionibus, & sui hospitij debitis dispositionibus præhabitis, magnificè nobilitérque consilio maturo deliberatè annuit, quod petebant. Suscepit igitur Bouchardus domicellam Margaretã cum sua decenti comitiua educandã in moribus, & nutriendam super honorem suum, prout decens erat filiæ tanti Imperatoris atque nobilis Comitis, sicut fuerat Balduinus Domicella Margareta tunc deuotè, & reuerenter cum suis dominabus conuiuentes per tempora quãplurima deuotè, reuerenter, humiliter, castè sobriéque, & in omni morum honestate, sicut deuota, & virgo benigna, temperantiæ, prudentiæ, atque fortitudinis adornata virtutibus mansuetè tempora sibi à Deo tradita pertransibat sine quacumque reprehensione. Fuerunt quoque Comites & Barones multi ipsam pro matrimonio expetentes, qui cum Bouchardo aliqui, aliqui verò cum regina Mehaldi proloquebantur. Rex verò Franciæ pro vno militum suorum sui sanguinis de Burgundia eam rogari fecit. Flamingi nullo modo consentire voluerunt. Comes etiam Salisberiensis pro filio suo primogenito etiã expetijt, Sed Flamingi perquirentes de eo repererunt ipsum fore claudum: quare omnino ipsum respuerunt. Tandem Mehaldis dixisse fertur, Bouchardus, inquit, pro diuersis nobis & consilio Flandriæ pro matrimonio filiæ nostræ diuersa proponit, & pro semetipso non loquitur. Hæc attendens quædam domicellarum suarum, exspectauit aduentum Bouchardi, quæ dixit sibi, sic & sic audiui à domina mea. Qui in semetipso conuersus proposuit suis fidelibus & amicis, & specialiter Waltero fratri suo, ista detegere, & super his expetere consilia. Qui proposita deduxit ad effectum. Qui sibi responderunt, ignorantes penitus eius inaptitudinem, quòd de tanta materia non erant ausi quidquam consulere, nisi priùs voluntas reginæ præsciretur. Sed si regina in hoc esset consentiens, de facili communitatis bonarum villarum, atque nobilium consensus sentietur. Bouchardus reformidans tandem ad reginam accessit, & mentis conceptum declarauit, & super his consilium & auxilium exspostulauit. Quæ regina diem respondendi sibi dedit. Quæ infra diem aßignatum misit pro consilio suo, ac bonarum villarum Flandriæ. Et exposuit qualiter Margareta nunc à rege Franciæ nunc ab Anglicis, nunc à pluribus militibus diuersarum regionum pro matrimonio expetebatur. Sed quia emißio eius è patria posset esse in posterum perniciosa, meliùs esset, quod cum minoribus commorantibus in patria aßignaretur, qui possent patriæ in consilijs & potentijs auxiliari, quàm ipsa extra mitteretur. Et conclusit, Habemus in ista patria militem talem, qui de sanguine regio exiſtit. ipse Margaretam expostulari fecit. Consiliarij audientes quæ Regina Mehaldis proposuerat, receperunt diem consilij; qui congregantes nobiles tam Flandriæ quàm Hannoniæ vnà cum consilijs bonarum villarum concluserunt tandem, licet diuersas habuerint deliberationes, ignorantes penitùs Bouchardi impedimenta: quòd securiùs esset, quòd coniungeretur cum illis, qui in patria Flandriæ aut Hannoniæ deliberatè remanerent, quàm cum extraneis, & maximè Francigenis copularetur, qui postmodum patriam destruere valerent.

Cap. 5.
Cum eadem Margareta publice matrimonium contrahit Mathildis Ioannæ, et aliorum consensu.
Cum eadem in Hannonia habitat, ibique liberos suscipit.

Concordi igitur assensu omnium amicorum partis vtriusque tam Ioannæ sororis, quàm etiam Margaretæ, quàm Namurcensis Comitis Philippi, & omnium, nullo penitus discrepante, ignorantes impedimenta, matrimonium & fœdus perpetuum pepigerunt, & in facie ecclesiæ solemniter prout moris est nobilibus, solemnizare fecerunt: & quidquid pertinet ad verum & laudabile matrimonium concordi consensu partis vtriusque cum gaudio & lætitia magna consummauerunt. Promiserat siquidem Walterus de Auennis dari domicillæ Margaretæ pro dote sua quingentas libras annuatim supra villam suam de Auennis; & totam terram Destrouen in Hannonia: quod & fecit, prout apparebit inferiùs. Nuptijs tandem celebratis cum pace & gaudio adduxit vxorem suam cum comitiua decenti ad partes Hannonienses ad finem, vt in possessionem suæ dotis intraret; quam recepit Walterus de Auennis cum reuerentia & honore, prout apparet ex tenore chartæ super hoc editæ &c. Et

post

A post aliqua: *Anno eodē dicta Margareta genuit Bouchardo filiū vnū, quē Ioānem appellauit, Iterū anno sequenti genuit secundū, quem vocauit Balduinū. Interim succreuerūt rumores per totā Flandriā, & apud reginā, necnon & Dominā Ioannā, & omninò apud omnes, quod Bouchardus erat Subdiaconus, & quod matrimoniū contractū erat illegitimū, & filij illegitimi. Vnde tanquā attoniti nesciebāt, quid dicerent. Cùm autē Bouchardus hoc perpendisset, accessit Romæ ad dominū Papam Innocentium supplicando, quatinus secum dispensare dignaretur, & de forefacto, quod cōmiserat, etiā misericordiā & veniā, pœnā & pœnitentiā deuotius expetiit. Papa omninò dispensationem recusauit, sed pro pœna forefacti iniunxit quatinus ad sanctam terrā Ierusalem & Sinai montem .... peregrè pergeret, & illic per annum integrum remaneret, dominámque Margaretam, quam vxorem suam dicebat, amicis suis remitteret, ipsi scilicet de offensa satisfactionem debitam faciendo. Abhinc Bouchardus absolutus, sed non dispensatus ad terram sanctam deuotiùs accessit, pœnitentiam sibi iniunctam consummauit, & anno exspirato repatriauit, proponens Margaretam remittere, prout*
B *summo Pontifici promiserat, & amicis satisfacere iuxta posse. Cum reuersus fuit ad propria, & Dominam Margaretam & liberos intuitus fuisset, eiulatu maximo dixisse fertur quod si deberet viuus excoriari, & membratim incidi, & sic permanere, non posset perficere quod proposuerat, atque promiserat. Margareta hæc audiens penitus ignorabat, quid Bouchardus prætendebat. Ignorauit etenim dicta Margareta per annos plures inhabilitatem Bouchardi, semper credens quòd ipse esset verus atque legitimus maritus eius. Bouchardus confusus ad Flandriam accedere vix audebat. Regina Mehaldis, & Ioanna Comitissa pluries minas & iniuriosas comminationes tam per litteras, quam per viuam vocem militum transmisit, concludendo quod dominam Margaretam, quam fraudulenter deceperat, remitteret, & licet replicaret, & iterum legatos transmitteret, nunquam obedire voluit, de minis non curans. Tandem Ioanna Comitissa audiens, quòd Romæ Concilium Generale debebat congregari, scripsit summo Pontifici atque Concilio toti, quatenus super forefacto sibi & Margaretæ sorori suæ arbitrari dignarentur, & determinare, quid super esset agen-*
C *dum. Summus Pontifex atque totum Concilium Generale decreuerunt, prout inferiùs ostenderetur, cùm de illo Concilio generali aliqua declarabimus.* Hactenus ibi Iacobus Guisianus, qui postea eodem in libro hæc habet: *Bouchardum verò de Auennis, qui Cantor Laudunensis & Thesaurarius Tornacensis, & Subdiaconus exstiterat, a clericali militia ad sæcularem apostatans nobilem fœminam Margaretam Illustris Constantinop. Imperat. filiam consanguineam suam suæ fidei commendatam fraudulenter abduxit, & cum ea de facto, cùm de iure non posset, qualicumque modo contraxit, excommunicauit, & iussit per totam prouinciam Remensem singulis dominicis diebus & festiuis eundem excommunicari tamdiu, donec sorori suæ dictam restituisset puellam, & ad ordinem, quem Deum offendendo reliquerat, humiliter rediisset.* Vbi de Innocentio Tertio Pontifice Romanorum in Concilio Lateranensi Ioannæ Principis Flandriæ iustis querimoniis obsequente sermo est. Quæ verò tam prolixè à Guisiano referuntur, ea paucioribus & elegantioribus verbis Iacobus Meierus comprehendit in Annalibus Flandriæ, qui omnium manibus teruntur.

DETECTO MATRIMONII IMPEDIMENTO, ROMAM PROFICISCITVR. FRVSTRA DISPENSATIONEM PETIT A PONTIFICE PRO POENITENTIA PEREGRINATVR. REVERSVS DOMVM NON SATISFACIT PROMISSO DE RELINQVENDA MARGARETA, ET SATISFACTIONE.

IOANNA MARGARETÆ SORORE APVD PONTIFICEM ET CONCILIVM INSISTENTE EXCOMMVNICATVR.

Lib. 20. c. 46.

Lib. 2.

D Ad hæc si quis aliud desideret opprimendæ calumniæ causa, huc ea non parum faciunt, quæ idem Iacobus Guisianus in varijs libri vigesimi capitibus proponit, cùm de Natalibus Ioannis & Balduini ex Burchardo & Margareta procreatis, quos calumniatores furtiuo concubitu genitos affirmant; ingens exorta est contentio, iíne scilicet essent legitimi. Primùm enim memorat ab Innocentio Pontifice Maximo iniunctum fuisse Petro Catalaunensi Episcopo, & Cameracensi S. Sepulchri Antistiti, vt de Ioannis & Balduini natalibus inquirerent diligenter. Subiungit postea Catalaunensem pontificem, & Hugonem Lætiensis monasterij Abbatem à Cameracensium S. Sepulchri monachorum præsule subdelegatum facta inquisitione, hæc inter alia scripsisse: *Nos de Iurisperitorum consilio eorum natalia legitima declarantes, ipsos legitimè natos esse & legitimos sententialiter diffinimus.* Eorúmque rationem premit, quòd parentes eorum *Matrimonium publicè & solemniter in facie ecclesiæ ad inuicem contraxerunt.* Sub hæc in medium adfert, quæ Papa Innocentius scriptis ad Episcopum Cameracensem litteris mandauit, perspecta iam dictorum prælatorum

Cap. 59.

Cap. 60. BVRCHARDI ET MARGARETÆ LIBERI PRO LEGITIMIS DECLARANTVR, OB CONTRACTVM IN FACIE ECCLESIÆ MATRIMONIVM.

Cap. 61.

 senten-

ſententia, quorum partem hîc profero: *Nos igitur eorum ſupplicationibus inclinati, præfatam ſententiam ratam habentes, & gratam, illam auctoritate Apoſtolica duximus confirmandam. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus dictos nobiles non permittas contra confirmationis noſtræ tenorem ſuper his ab aliquibus indebitè moleſtari, moleſtatores huius per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſt poſita compeſcendo.* Ad extremum oſtendit Nicolaum Cameracenſem Epiſcopum ad Cameracenſem, Atrebatenſem, Morinenſem & Tornacenſem Officiales, accepta miſſaque Innocentij Pontificis Maximi Epiſtola, in hunc modum ſcripſiſſe: *Huius igitur auctoritate mandati vobis mandamus, quatinus in locis vobis ſubditis, de quibus fueritis requiſiti, in generali inhibeatis, & inhiberi faciatis, ne aliquis ſuper præmiſſis dictos Nobiles indebitè contra confirmationem Domini Papæ moleſtare præſumat &c. Datum anno Domini* M. CC. LII. A

Quod vlteriùs proponam, nihil arbitror aliud inueſtigandum, quandoquidem hæc aliundè ſufficiunt ad inferendam hominum animis opinionem, neque Præpoſitum fuiſſe S. Petri eccleſiæ Burchardum, neque vitium extra nuptias nobiliſſimæ mulieri intuliſſe. Tantùm hîc adiicio, vetera mihi monumenta huius eccleſiæ ſcrutanti nonnulla diplomata & litteras obueniſſe, è quibus clariſſimum euadit, quo tempore Burchardus Aueſnius vel Flandriam adminiſtrauit, vel Margaretam domi educauit, apud D. Petri Canonicos Gerardum Elſatium, Robinum, Philippum, & forſan etiam Alardum Præpoſitos floruiſſe. B

QVI FVERINT PRÆPOSITI S. PETRI, CVM IN FLANDRIA BVRCHARDVS GVBERNARET.

Alia quædam ad S. Petri Inſulenſis Eccleſiam ſpectantia.

CAPVT XVI.

CETERVM alia nonnulla minimè placet ſilentio inuoluere, quæ non modicè ad huius eccleſię commendationem faciunt. Horum prius haud diu poſt eius initia contigiſſe accipio, cùm D. Virginis Clerus Atrebati ad peculiaris ſui pontificis electionem incumberet. Hic enim cũ plurimis animaduerteret egregiis hominibus Canonicorum D. Petri conſeſſum illuſtrari; multúmque in horum prudentia & ſapientia poſitum eſſe momenti ad ſanctam ſecurámque pontificis electionem; omninòque ſibi perſuaderet, nõnullos illic conſiſtere, quos certa ſpes eſſet, non paruum lumen Atrebati ſparſuros, ſi quempiam ex eis ſuum dicerent Epiſcopum: ſuis aliquos inde litteris euocarunt, quorum pręſentia & conſiliis habenda de Pręſulis electione comitia effloreſcerent. Eas hîc litteras, in medium proferre allubet, quamuis anteà partem ipſarum dederim. C

E CANONICIS S. PETRI QVIDAM AD ELECTIONEM EPISC. ATREB. VOCANTVR.

Gualbertus Atrebatenſis eccleſiæ Præpoſitus cum Decano, & vniuerſis eccleſiæ filijs, Domino Gualtero Inſulenſi Præpoſito, Decano, & ceteris Fratribus Salutem & dilectionem in nomine Ieſu. D

Sicut, fratres dilectiſſimi, vobis non eſt incognitum, Eccleſia noſtra olim Cameracenſium oppreſſione, prædijs ſuis, & ornamentis, & omni terreno decore priuata, his diebus, quum domino Gerardo defuncto Paſtore careret, Apoſtolici Vrbani miſericordiam adijt, ſuámque illi calamitatem anxia pateſecit. Ipſe igitur Pater prudentiſſimus intelligens aduenisse tempus miſerendi eius, vt ſibi proprium Epiſcopum deligerent, denuntiauit. Quocircà Fratres chariſſimi, per charitatem Dei & dilectionem proximi, & per amorem Sanctæ matris eccleſiæ, obteſtamur & obſecramus, quatenus ad hanc electionem, quam proxima die dominica ſtatuimus finiendam, tres vel quatuor ex Fratribus veſtris, qui nobis tanto operi, cooperante Spiritu Sancto, conſilium & auxilium ſubminiſtrent, dignemini tranſmittere; inter quos propulſa omni occaſione, dominum Claremboldum, dominum Cantorem Lambertum, alium quoque Lambertum de Comines mittere elaborate, Valete.

Hactenus Atrebatenſes Clerici, à quibus in Cantorem Eccleſiæ Inſulenſis Lambertum

A bertum infulis ornandum, omnes coniecti sunt suffragiorum calculi, vt antea memorauimus. *Lib. 1. cap. 6.*

Altera verò res, quæ non parum in huius S. Petri Canonicorum Collegij laudem cessit, Gandauum nos euocat. Illic Romanus Pontifex Caroli Quinti Cæsaris precibus impulsus, S. Bauonis Benedictinos Religiosos in Canonicos sæculares transformari, & in S. Ioannis æde diuina officia peragere, permiserat. Nouos ea mutatio ritus, nouam cantus rationem poscebat. Igitur cùm placeret initio ceremonias, ac vocum modulationem, ceteráque ad diuinum officium pertinentia in id templum induci, quibus accuratissimè numinis laudibus & sacrosanctis mysterijs nauaretur: non aliunde quàm ex Insulensis ecclesiæ D. Petri Clero tum Canonicos, tum Cantores, ac pueros deligere visum est. Et sanè hinc illuc qui profecti sunt, non prius domum pedem retulere, quàm egregiè nouum id Collegium instruxerint. QVIDAM AD FORMANDVM COLLEGIVM CANONICORVM INSVLA GANDAVVM EVNT.

Nunc ex ijs Principibus, qui grauissimis hanc Ecclesiam iniurijs primum affecere, dein eidem vel in publico conuentu, vel scriptis litteris, iurisdictionem & bona
B restituère, duos præsertim hîc profetam. E Flandriæ Comitibus hi fuere: ideòque plus accessit huic nobilissimo Canonicorum consessui auctoritatis, quòd aduersus tales viros sententiam impetrauerit. Vt à vetustiori exordiar, Balduinus cognomento Securis septem eos terræ mansos, quibus S. Petri Præpositus ab Insulensi Balduino fuerat donatus in eo loco, qui propiùs Aquisgranum Vals nuncupatur, huic ecclesiæ detraxerat, inque suam traxerat possessionem. Id cùm molestissimè Præpositus & Canonici ferrent, apud Ioannem Morinorum Episcopum egere vehementer, vt is cum Lamberto Nouiomensi Pontificè, alijsque viris magnis auctor esset Comiti, ne sacrilegio sese diutiùs obstringeret, verum sicut equitas postulabat, res suas S. Petro restitueret. Et factum tandem est Insulæ his impellentibus Prælatis, vti Securis eo se crimine liberaret, suáque Insulensi ecclesiæ bona redderet. Quibus à se perfectum fatetur, Hasce Balduinus litteras scripsit, eásque nominati pontifices
C cùm plerísque alijs, suo roborauere sigillo. PRINCIPES IN ECCLESIAM S. PETRI INIVRIOSI IIDEM SATISFACIVNT. AC PRIMVM QVIDEM BALDVINVS SECVRIS FLAND. COMES.

Ego Balduinus Dei miseratione Flandrensis Comes contra Deum, & ecclesiam B. Petri Insulensis me peccasse, & multum malè egisse, per Dei gratiam recognosco. Allodium enim, quod venerabilis prædecessor meus Comes Balduinus, qui eā fundauit, & in ea sepultus est, ad honorem & seruitium Dei, & Fratrum *sustentationem prædictæ ecclesiæ pro remissione peccatorum suorum contulit, & priuilegio suo firmauit, ego peccator contra Deum, & salutem animæ meæ iniustè substraxisse recognoui. Nunc itaque* Dei *miseratione respectus, coram venerabilibus Ternanensium Ioanne, & Nouiomensium & Tornacensium Lamberto, Episcopis, me in hoc, & in alijs peccasse confiteor, & culpam *dicam, & præfatæ ecclesiæ ius suum, scilicet prædictum allodium, quod est in villa Vals in territorio Aquisgranensi recognosco, & nulli omnino ampliùs inde* W*arandus ero. Precor etiam successores meos, & fideles meos, quatinus omni modo cum Dei adiutorio elaborent, vt ecclesia illa ius suum, & allodium quietum, & liberum rehabeat. Ego verò Karolus consanguineus & successor Comitis Balduini in præsentia ipsius id ipsum pro iustitia recognosco, concedo, & confirmo.*
D *Ioannis Morinensis Episcopi, Lamberti Nouiomensis & Tornacensis Episcopi, Clementiæ Comitissæ. Alardi Pincernæ,* Balduini *Gandensis..*

* al. dico.

Non multis deinceps euolutis annorum circulis, vrgēte vehementer necessitate Canonici D. Petri à subditis pecuniariū subsidium sibi subministrari antiquo more iuréque flagitauerunt. Vssit ea res pleròsque homines in ecclesiam parum propensos, & auaritiæ sordibus squalentes: ideoque apud Flandriæ Comitem Guilelmum Normannum nomine omnium egere, ab se ne quid exigi pateretur. Vt erat ille pecuniarum egens, & auidus, quò suos in vsus plus emungeret, dari quidpiam Canonicis prohibuit. Apud Regem Franciæ Ludouicum, & Remensem Archiepiscopum Canonici grauiter questi sunt; sua per iniuriam Comitis priuilegia pessundari. Et statim iussus est Ioannes Morinensium Episcopus, de quo priùs egimus, hac de controuersia cognoscere, eiúsque componendæ gratia Insulam proficisci. Hîc non modò Clerus vniuersus, at plerique etiam Flandriæ Barones in conuentum euocati; & DEINDE GVILELMVS NORMANNVS IIDEM FLAND. COMES.

coram ijs pro Canonicis publicè in ecclesia D. Petri pronuntiata est sententia, quam his verbis Ioannes complexus est. A

LITTERÆ B. IOANNIS MORINORVM EPISCOPI PRO ECCLESIA S. PETRI.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego Ioannes Dei gratia Morinensis Episcopus, notum fieri volo præsentibus & futuris, quod habetur in subditis. Cùm Insulani Clerici summa ecclesiæ suæ necessitate constricti, ab hospitibus ecclesiæ more aliorum dominorum auxilium postulassent, illi vitio auaritiæ obdurati, Comitem Flandriæ Guillelmum Normannum adierunt, & vt ipse Clericis, ne exigerent, & hospitibus, ne Clericis quidquam darent, modis omnibus prohiberet, seu prece, seu pretio effecerunt. Vnde Clerici antiquam ecclesiæ suæ libertatem hac insolentia imminui posse formidantes, Francorum Regem Ludouicum, & Remorum Archiepiscopum Raimundum priuilegia Romanæ ecclesiæ, & auctoritatis regiæ secum deferentes expetierunt: & vt hanc iniuriam ab ecclesia depellerent, implorarunt. Qui considerato priuilegiorum tenore, factum Comitis detestati, ei vt ab hoc iniusto grauamine, desisteret, scripserunt. Vnde die statuta cùm & nos litteris Domini Archiepiscopi inuitati præsentes essemus, causa in vtriusque partis præsentia in medium deducta, & rationabiliter ventilata, communi Baronum terræ consensu, & indicio diffinitum est, Clericos illos idem potestatis ius super hospites suos, quod alij Principes terræ super suos habere; nec vllam eis super hoc à quoquam Principe violentiam inferri debere. Comes itaque ratione & iudicio publicè conuictus, ius ecclesiæ recognouit, & de transgressione, quam fecerat, venia postulata, & emendatione promissa, per nos indulgentiam, & absolutionem reatus illius percepit. Quæ nimirum lectoribus, & posterorum memoriæ placuit commendari: vt si in posterum talis causa emerserit, à simili excessu qualibet potestas actionis huius prouentu considerato, valeat prohiberi. Actum Insulæ in conspectu ecclesiæ S. Petri, Anno Domini M. C. XXVIII. *Indictione sexta, coram his testibus, Roberto Tornacensi Archidiacono, & prædictæ ecclesiæ Præposito, Herberto Morinensi Archidiacono, Absalone S. Amandi Abbate, Mainero Capellano, Lamberto, Erembaldo Teruann. Canon. Roberto Bituniensi, Ingelberto de Pitingem, Galtero Tornac. Balduino Dapifero, Rozone Pincerna, Rigero Islensi Castellano, Ostone de Falchemberga, Gilleberto Bergen. Castellano, & multis alijs tam clericis, quàm laicis.* B C

DE PRÆBENDA S. MARIÆ IN TEMPLO S. PETRI.

Ad hãc porrò ecclesiam ea pertinent, quæ Gregorius Papa nonus in decretalium lib. 3. tit. de præbendis & dignitatib. cap. 11. hunc in modum ex Alexandro Tertio ad Præpositum & Capitulum scribente, proponit: *Significatum est nobis, quòd cuidam sacerdoti præbendam vnam in ecclesia vestra communi voluntate dedistis, ita quòd missam de S. Maria (nisi corporis infirmitate grauatus sit) debeat cotidie celebrare, & ecclesiam vestram, non nisi communi, tam Præpositi, quàm Capituli consensu posit dimittere; vel cuiquam præbendæ illius anniuersarium delegare Quam siquidem institutionem eatenus confirmamus, vt prædictus sacerdos, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assiduè debeat obsequium impendere ecclesiæ memoratæ, & quantò frequentiùs potest (salua honestate sua, & debita deuotione) missarũ solemnia celebrare: nec sibi liceat hoc illi subtrahere, siue causa voluptatis, siue se ad aliam ecclesiam transferendo.* Is autem Præpositus qui cum Capitulo de B. Mariæ præbenda sic constituerat, & constitutionis confirmationem ab Alexandro Tertio petiuit & obtinuit, Desiderius nominabatur, quem nos supra retulimus ad Taruannensem Episcopatum anno M. C. LXIX. fuisse promotum: vt necesse sit ad primos Alexandri annos, qui Pontificatum iniit anno 1160. tum ordinationem Desiderij & Capituli, tum Papæ confirmationem referre. Ceterum placuit postea Gerardo Messinensi Præposito, & Capitulo S. Petri, hanc B. Virginis Præbendam diuidere, vt eam duo Canonici obtinerent, ac per vices quotidie missam eiusdem Virginis ad Primam canerent: quemadmodum litterę ab iis annno 1218. mense Nouembri conscriptę fidem faciunt: iidémque Canonicis duobus, quos nunc B. Mariæ, nunc Primæ Canonicos nominant, biennio post fulco Vterhouius S. Petri Canonicus, alteras ædium suarum donauit, vt hoc capite significauimus. Sed nunc vlteriùs progrediamur: ac postquàm illas, quę certis conditoribus attribuuntur, & quas suis auctoribus adscripsimus, & quadãtenus etiam initiorum temporibus assignauimus Canonicorum ecclesias. ad eas denique perpendendas operam conferamus, quibus nec cognitum nobis tempus, nec certus auctor Canonicos imposuit. D

Lib. 1. cap. 6.

Ec-

Ecclesia & Collegium Canonicorum S. Petri in vrbe Duacensi.

CAPVT XVII.



A QVIN magnam meritò vetustatem ecclesiæ D. Petri iactent Duacenses, nulli dubium esse potest. Ædificij forma, & profunditas nihil nisi perantiquum ostentant. Canonicorum huius templi Collegium quis condiderit, incertum habeo. Ex quibus enim vel nomen fundatoris, vel annus fundationis eruatur, nihil vel in æde, vel in archiuo veterum suppetit monu-

[Templum S. Petri Duacensis admodum vetus est.]

B mentorum. Canonicorum mentibus tantùm insidet, è Comitibus Flandriç aliquem instituisse: iis verò quis fuerit, certo nequeunt asserere. Vulgò quæ iactantur, ad duos Flandriæ Comites eius originem Canonici confessus reuocant. Ad Balduinum Insulensem quidam inclinant; cúmque non minus Canonicorum horum, quàm Insulensium parentem fuisse arbitrantur. Ab huius patre Balduino Bellobarbo alij primam huius sacri Collegij originem arcessunt. Volunt enim ij hunc Flandrorum Principem duobus Parochiæ D. Petri Curionibus duodecim ad numerum Apostolorum Clericos adiunxisse, à quibus diuini officij partes omnes canerentur quotidie, eósque censibus annuis in perpetuum donasse. hos deinde Cantores in Canonicos fuisse mutatos, quibus sensim aliquot Sacellani accesserint crescentibus in dies piorum hominum liberalitate huius ecclesiæ fundationibus. Ve-

[Canonicorum sive Collegium Insulensis Balduinus, an sive parens condiderit.]

rùm quidquid fuerit de cunabulis horum cœtus Canonicorum: omninò id cer-

[Non videri a Bellobarbo fundatum.]

C tum mihi videtur, haud prius eum coaluisse, quàm Baldericus Cameracēsis Chronici librum secundum anno circiter 1040. (vt putat Georgius Coluenerius Canonicorum S. Petri Præpositus) conscriberet adhuc viuo Gerardo eius nominis primo Cameracensi Episcopo, cuius mors ad millesimum & quadragesimum nonum refertur etenim cùm is eo libro cuncta recenset tum Collegia Canonicorum, tum Religiosorum monasteria, quæ Cameracensi & Atrebatensi suberant diœcesi nullam huius S. Petri Congregationis mentionem facit; haud dubiè aliàs facturus, si tum Duaci floruisset: quandoquidem inter alios D. Amati Canonicos numerat. Hæc siquidem apud eum dicti libri capite primo & vigesimo leguntur: *Præterea etiam apud Castellum duacum monasterium est Canonicorum, vbi corpora Sanctorum iacent Morantij atque videlicet Amati.* Quo præsertim tempore postmodum vel qui prius erant in eo templo Clerici Canonicorum nomen, gradum & priuilegia sint adepti, vel in huius ordinis cœtū coiuerunt, incompertū mihi est. In eam tamen facilè opinionem venio, aliquamdiu ante millesimum centesimum, & octogesimum Christi annum D. Petri ecclesiæ datum vnà cum Præposito Canonicorum con-

[Non diu tamen post eum coaluisse.]

D fessum. Quippe cùm anno 1195. sacrum in Martianensis monasterij gratiam diploma scriberet Romanorum Pontifex Cælestinus Tertius, hæc inter alia memoriæ mandauit: *Ferconem quoque, quem ab ecclesia S. Petri Duacensis in festo S. Ioannis Baptistæ singulis annis de iure debetis habere, vobis & monasterio auctoritate Apostolica confirmamus. Nihilominus etiam per huius scripti paginam interdicimus, ne Præpositus S. Petri Duacensis hominum, quod Abbati vestro, facere, aut procurationem candelarum, quas ei, si apud Duacum ipsum pernoctari contigerit, de antiqua & rationabili consuetudine dare tenetur, ei temeritate aliqua subtrahendi habeat facultatem.* Fueritne olim hæc D. Petri ecclesia vel Pontificum Romanorum, vel Principum priuilegiis condecorata, mihi non liquet: saltem post diligentem inquisitionem eorum nihil, quod hic apponerem, subministratum est.

De Cominiensi ecclesia & Collegio Canonicorum.

CAPVT XVIII.



QVEM auctorem repetant Cominienses ecclesiæ D. Petri Canonici, & in quod tempus Collegij sui principia reiciant, nondum potui compertum habere. Posset aliquis in eam descendere sententiam, iam tum Cominij posita fuisse condendi Canonicorum Collegij fundamenta, cùm S. Chrysolius ædiculam eam construxit, ad cuius aram mortuus concidit, vt fuit à nobis antè commemoratum: & saltem tum hîc Canonicorum institutam fuisse ecclesiam, quando beatus Pontifex Eligius S. Chrysolij corpus conquisiuit, splendidéque ornauit inuentum: vt idem is Cominij præstiterit, quod prius Siclinij in honorem S. Piatonis fecerat. Verùm non æquè illi facile fuerit aliquid in medium producere, quo suam confirmet opinionem: cùm nihil ea de re videamus memoriæ consecratum; sicut de Siclimensibus Canonicis aliquid in tabulas librúmue relatum perspexi. Equidem, vt arbitror, non est vero simile, ante annum nati Saluatoris millesimum centesimum, & quadragesimum sextum id Capitulum coaluisse, cuius auctores mihi persuadeo fuisse Cominienses Regulos, qui diu patronatum ecclesiæ, & beneficiorum eius collationem habuere. Cur id sentiam, nunc breuiter aperiam. E Chronico veteri Tornacensi certum habeo, Harduinum Nouiomensem & Tornacensem Episcopum Balduino Barbato Flandriæ Comiti altaria, seu sacerdotia duodecim parochialium ecclesiarum ad Tornacensem episcopatum spectantia in quartam vsque generationem possidenda donasse, vt per eum in Franciæ regis gratiam, & Nouiomensem Episcopatum, à quibus ob Nouiomensis turris, vel arcis demolitionem exciderat, restitueretur. *Qua*, inquit idem Chronicon, *donatione ab Episcopo facta optimates Flandrenses à Comite petierunt sibi ea concedi in beneficium. Quæ accepta optimates militibus sibi seruientibus rursus in feudum distribuerunt: sicque paulatim de iure pontificali penitus in ius militum transierunt.* In his autem altaribus seu sacerdotijs Curialium ecclesiarum etsi, quod iam diximus, Chronicon Tornacense minimè Cominiensis mentionem faciat, aliud tamen id cum ceteris vndecim numerat; omninóque cum alijs vndecim recenset Iacobus Meierus his verbis: *Pacem igitur Barbatus inter regem, ac pontificem composuit, eiúsque rei gratia recepit ab Harduino duodecim altaria in Flandris Curtracum, Putham, Aldenardam, Cominium, Dynam, Haltram, Niueliacum, Donsam, Spiram, Maldegham, Soraltum, Aldemburgum, Rodemburgum, sic tamen vt ipse duntaxat Barbatus, eiúsque filius, ac nepos ex filio, Comites Flandriæ ea tenerent, inde redirent ad ecclesiam.* Cùm autem id tempus effluxisset, quo Harduinus horum altarium possessionem Comiti concessam constrinxerat: Nouiomensis & Tornacensis pontifex Radbodus ab Roberto Frisone, qui quartus post Barbatum Flandris imperabat; ex illius pactione omnia repetijt. Verùm etsi Robertus ea restituere intenderet, minimè tamen potuit. Quibus id verbis Tornacense Chronicon Herimanni refert, hîc ostendo: *His Comes compunctus, Episcopo se ea redditurum spopondit: sed antequam de manibus militum ea tenentium libera fierent, morte præuentus non impleuit, quod proposuerat.* Idémque auctor hæc addit: *In præsenti anno* M. C. XLVI. *nondum videmus ea ad Episcopatum rediisse.* Cùm igitur Herimannus, qui quod citauimus, Chronicon scripsit, tantummodò faciat altarium mentionem; in eam facilè opinionem venio, nondum eo tempore ab aliquo Dynasta Cominiensi, qui patronatum altaris Cominiensis eo, quo diximus, modo acceperat, Canonicorum Collegio decoratam fuisse Cominiensem ecclesiam: ac non nisi aliquot pòst annis id Collegium alicuius Toparchæ Cominiensis fundatione coaluisse, sicut anteà Phalempini Canonicos instituit Saswalo eum in finem attributo S. Christophori altari, cuius erat possessor: & posteà Cortracenses Canonicos in ea fundauit D. Virginis ecclesia, cuius altare ex illis duodecim erat, quorum antè mentionem egimus, is Balduinus Flan-

S. ELIGIVS NVM FVERIT HVIVS COLLEGII AVCTOR?

LONGE INFRA TEMPVS EIVS VIDERI CANONICOS COMINIENSES INSTITVTOS AB ALIQVO COMINIENSI DYNASTA.

Lib. 2. Annal. Fland.

A B C D

driæ

A driæ Comes, qui poſtmodum Conſtantinopoleos Imperator claruit. Haud tamen inde multum temporis effluxiſſe crediderim, priuſquam ea conderentur beneficia: quandoquidem anno poſt milleſimum & ducenteſimum quinquageſimo Balduinus Cominienſis dominus patronatum, & collationem eius eccleſiæ ſacerdotiorum vel præbendarum Waltero Maruiſio Tornacenſium Epiſcopo conceſſerit, vt ex illius litteris eſt manifeſtum, quas Inſulæ ſcripſit; & his Margaretæ Flandrorum Principis verbis, cùm in ſuo diplomate tam de Balduino Cominienſi regulo, quàm de Balduino eius filio, & Waltero pontifice iam nominato loquitur: *Inſuper contulerunt in eleemoſynam coram nobis, & reportauerunt, werpiuerunt, & effeſtucauerunt ad opus dictorum Epiſcopi & eius ſucceſſorum patronatum eccleſiæ de Comines, & ius conferendi præbendas omnes, & alia beneficia quæcumque in dicta eccleſia, excepta ſola capellania menſæ ſuæ, ſiue domus, cuius collationem ſibi & hæredibus ſuis * reſeruabit coram hominibus antedictis: & promiſerunt dicti B. & B. filius eius fide & iuramento corporaliter præſtitis ab ipſis, coram dictis hominibus, quod nihil iuris in dictis iuſtitijs, patronatu, & iure* B *conferendi præbendas prædictas & beneficia in dicta eccleſia in poſterum per ſe, vel per alium reclamabunt; & quòd ipſum Epiſcopum, & ſucceſſores ſuos non moleſtabunt, vel procurabant per alium moleſtari ſuper ipſis: inſuper quòd artem, * nec ingenium non quærent, per quas dicti Epiſcopus & eius ſucceſſores damnum ſuſtineant, vel moleſtiam de ipſis.* Et poſteà: *Nos verò omnibus præmiſſis ita factis in præſentia dictorum hominum noſtrorum dictas iuſtitias & patronatum cum iure conferendi præbendas & beneficia, concedimus diuinæ pietatis intuitu, & ob remedium animæ noſtræ, & prædeceſſorum noſtrorum liberè, & abſolutè, & abſque omni ſeruitio, & iure feodali exemptos dicto Epiſcopo, & ſuis ſucceſſoribus in perpetuum poſſidendos ab eiſdem pacificè & quietè: ita tamen, quòd dictus Epiſcopus, & ſucceſſores ſui, nos & ſucceſſores noſtros Comites Flandriæ, qui pro tempore fuerint, ſi indiguerint auxilio, aduocabunt, nec alium dominum ſæcularem poterunt aduocare. Datum anno domini* M.CC.L. *feria ſexta poſt feſtum beatorum Iacobi & Chriſtophori.* Hæc Margareta, ſeſe, ſuóſque ſucceſſores, quoad Cominienſem eccleſiam Epiſ-

C copi Tornacenſis aduocatos ac defenſores conſtituens quæ ſuis etiam litteris Walterus Epiſcopus ita proponit: *Walterus Dei gratia Tornacenſis Epiſcopus vniuerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Nouerit vniuerſitas veſtra, quòd in iuſtitijs terrarum noſtrarum, Canonicorum & eccleſiæ Cominienſis, quas habemus in parochia de Comines, Item in patronatu, & iure conferendi præbendas, & beneficia cetera eccleſiæ Cominienſis, excepta ſola capella quæ ſpectat ad menſam Domini de Comines, quas nobiles viri Balduinus Dominus de Comines, & Balduinus filius eius primogenitus milites, diuinæ pietatis intuitu, ac pro remedio animarum ſuarum, & prædeceſſorum eorundem nobis, et ſucceſſoribus noſtris in eleemoſynam contulerunt, & liberè & abſolutè in manus Illuſtris dominæ M. Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſæ ad opus noſtrum reportauerunt, non poſſumus alium Dominum ſæcularem, quam illuſtrem dominum Comitem Flandriæ, qui pro tempore fuerit, Aduocatum pro habendo auxilio, poſtulare, vel etiá inuocare etc. Datum an. Domini* M. CC. L. *feria ſecunda ante diuiſionem Apoſtolorum.* Hanc poſteà donationem Romanus Pontifex Alexander eius nominis Quartus ratam habuit, ac ſuis ita litte-

D ris confirmauit.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Ven. fratri Epiſcopo Tornac. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Iuſtis petentium deſiderijs dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota, quæ à rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Cum igitur ſicut petitio tua nobis exhibita continebat, nobilis vir Dominus Balduinus Dominus de Comines, & Balduinus filius eius miles, ius patronatus, quod habent in eccleſia loci eiuſdem, prout ſpectabat ad eos, tibi & ſucceſſoribus tuis liberalitate prouida duxerunt concedendum, prout in litteris inde confectis plenius continetur: nos tuis ſupplicationibus inclinati conceſſionem huiuſmodi, ſicut prouidè facta eſt, ratam & gratam habentes, eam auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. &c. Datum Anagniæ V. Kal. Nouem. Pontificatus noſtri anno ſecũdo. Cùm autem Alexandri ſecundus annus, in Domini annum milleſimum ducenteſimum & quinquageſimum ſextum inciderit: ipſum verò tempus, quo Walterus Maruiſius Tornacenſium Epiſco-

BALDVINVS COMINIENSIS REGVLVS EPISCOPO TORNAC. DAT PATRONATVM ECCLES. COMIN. AC PRÆBENDARVM COLLATIONEM, ASSENTIENTE FILIO. EAM DONATIONEM CONFIRMAT MARGARETA FLANDRIÆ COMES.

* reſeruauit.

* &

EAMDEM RECIPIT VVALTERVS EPISCOPVS.

ET CONFIRMAT ROMANVS PONTIFEX ALEXANDER IV.

pus ex hac vita migrauit à Chronologis Tornacensibus anno post millesimum & ducentesimum quinquagesimo primo vel secundo tribuatur: omninò hîc certum euadit, vel scriptum ad Walterum Crucium Maruisij successorem hoc diploma summi Pontificis fuisse, vel Maruisij vitam in hoc vsque tempus producēdam: quòd veriùs possit videri, quandoquidem ipsi & successoribus à Balduino patronatus fuerit concessus vt ex hoc epitaphij versu patet, *Et Cominenses ad se vocat ac Aenenses*; non Crucio alteriue. Ceterum duos personatus vel duas dignitates habet hoc Canonicorum Collegium, Præposituram nimirum & Decanatum, quarum illa perpetuum Tornacensis Episcopi censibus cum aliquot præbendis annectitur. A

Quæ sint apud Gallo-flandros Abbatiæ, & Monasteria: quem apud eosdem locum obtineant honorémue Religiosi. B

CAPVT XIX.

NEQVE verò parum Gallo-flandriæ laudis pariunt, quæ tot in ea vel Abbatiæ, vel cœnobia, vel Religionum familiæ conspiciuntur. Tradit alicubi Thomas Bosius frequenter euenisse, vt Religio Christiana iis in locis planè conciderit: vbi vel nulli stabant ordines Religiosi, vel eorum iacebant instituta; vel nullo ipsi ab indigenis cultu obseruabantur: contrà, quò plures eorum cœtus cōueniunt, & maiori hominum tam liberalitate, quàm affectatione coluntur; maiorem etiam in dies vim capere Religionem Catholicam. Duo igitur hoc capite mihi facienda existimo: ac primum quidem, vt omnia huius regionis tum antiqua, tum noua cœnobia & monasteria in vnam collecta seriem ob oculos breuiter ponam: alterum verò, vt patefaciam, quanti homines votis obstrictos religionis, & in claustris, arctísue domibus degentes Gallo-flandri æstiment. Sequentibus posteà capitibus, de cuiúsque Monasterij origine, progressu, priuilegiis latiùs paullò disserā. C

S. BENEDICTI MONASTERIA IN GALLO-FLANDRIA. Igitur vt à Benedictini nominis Cænobijs exordiar, quinque huius ordinis familias reperio. Virorum Abbatiam habet Martianense oppidum; mulierum quoque Abbatiam obtinet vrbs Duacensis. Illi à D. Rictrude nomen, huic à domina Pacis, inditum. Ad Insulam in suburbio, Fiuiensis est Prioratus: Duaci, S. Gregorij Cœnobium ab Reformatis Anglis insessum, & S. Sulpitij Prioratus.

S. BERNARDI CŒNOBIA. Qui viri sancti Bernardi regulis obsequuntur, sola gaudent Abbatia Laudensi. Eiusdem Religionis Virgines tribus sese Monasterijs continent, quibus præsunt Abbatissæ. Primum est in agro Marquettensi, alterum Felinis consistit, intra muros Duacenses tertium visitur, quod à Pratis vulgo nomen induit.

S. AVGVSTINI ASCETERIA. Obstrictos Diui Augustini regula viros duæ claudunt Abbatiæ, Cysoniensis, & Phanopinensis. Eiusdem ordinis fœminæ alteram hactenus Sini coluere, nunc Duaci ædificant. D

CARTHVSIANI. Carthusianis vnum addictum est, ac iam construitur Monasterium Boutilleriæ.

TRINITARII. Sanctissimæ Trinitatis vnicum Duaci Monasterium conspicitur.

CRVCIFERI. Cruciferi vnum habent domum Lannoyæ.

MINIMI. S. Francisci de Paulla Sectatores solùm Insulæ habitant.

DOMINICANI. Beato Dominico adhærentes viri insignem alunt familiam Insulæ ac Duaci; tertiúmque Duaci locum ædificant. Ex eodem ordine Virgines Insulæ Abbatiolam incolunt, Duaci nuper sedem inchoarunt.

FRANCISCANI. Sancti Francisci Assisiensis Asseclæ intra muros Insulenses ac Duacenses domicilium fixere.

AVGVSTINIANI. Augustinienses Insulæ commorantur, & Duaci Seminarium instituunt.

CARMELITÆ TERESIANI. Carmelitæ nudis pedibus incedentes, in vrbem Insulensem, ac Duacensem recepti sunt.

Capuc-

A Capuccinis claustra sunt Insulæ, Duaci, Orchiaci, & Armenteriæ. CAPVCCINI.

Societas Iesu vnum habet Insulæ Collegium, alterum Duaci, & ibidem Scotorum Seminarium. SOCIETAS IESV.

Brigittanæ virgines Insulæ consident. BRIGITTANÆ.

Insulæ Duacíque Claranę visuntur sanctimoniales arctissimam cōplexę pauperiē. CLARISSÆ.

Annuntiatas virgines tantummodo recepit Duacum. ANNVNTIATÆ.

Augustinienses Religiosas, quæ in Nosocomiis dant morbidis operam tribus locis habet Insula; vno Cominium, Orchiaci suburbia, Siclinium. Nigræ, vt vocant, Sorores, Insulæ & Roubaisiæ habitant. AVGVSTINIANÆ VIRGINES. NIGRÆ SORORES.

Griseis sororibus sedes est Duaci duplex, vnica Insulæ, Cominij, Armenteriæ, Bassex, & in Orciensi suburbio. GRISEÆ SORORES.

Diuæ Magdalenæ Pœnitentes solùm hærent Insulæ. PÆNITENTES

Beginis locus est Duaci, & iuxta muros Insulenses. BEGINÆ.

B Hæc igitur omnia sunt Cœnobia, Monasteria, Domus Religionum, quæ non magnis Gallo-flandria finibus claudit. Nunc id videndum, quanti huius regionis incolæ obligatos votis homines & religione constrictos faciant: Egò quidem non vereor ex vero arbitrari, paucis hoc in genere Gallo-flandros nationibus cedere. Primùm enim quæ superiùs ab his ostendimus Clericis officia venerationis impendi, eadem prorsus exhiberi Religiosis hominibus inficiari nemo potest, immò etiam cumulatius tribui, quò plus cient bonis moribus æstimationis. Vectigalium immunitas nullis maior conceditur. Iis qui viuunt mendicatò, vel saltem eleemosynarum subsidiis adiuuantur, rarò quidquam deest, etsi plerique magnam alant familiam. Verùm præcipuam illud excitat in animis reputantium admirationem, quod non modò plurimi colloquia & consilia expetant Religiosorum, sed etiam in eorum cœtus admitti vehementer ardeant. Vt de solis Insulensibus loquar, nequeo satis vel eorum numerum comprehendere, vel promptitudinem & feruorem admirari, quos C amor Religionis in varia pertrahit claustra. Rara sunt cœnobia intra fines Gallo-flandriæ, pauca fines vltra in vicinis vrbibus, vbi non aliquot videantur Insulensium liberi Religionis habitum & instituta complexi. Ipris, Cortraci, Bethuniæ, Tornaci, Attrebati, Duaci, Cominij, Bassex, Roubaisiæ, Orchiaci, Armenteriæ, quanta nunc agmina virginum Insulensium vitam iucundissimè ducunt? Quantum alibi, & in quibusdam horum oppidorum vrbiúmque, profecti indidem iuuenes & viri exercitum Dei conficiunt? Et quod plus afferat stuporis, plus laudis pariat, in eos cœtus sponte conuolant, neque multum iis parentes obluctantur. Cùm varias vrbis familias mecum reputo, paucas certè video, vnde non aliquis in cœnobium sese abdiderit. Ex plerísque duos trésue, quatuor etiam non inuitis parentibus, immò sæpe tantum decus & felicitatem applaudentibus, in diuersa se monasteria contulisse reperio. Et noui vnde sex lætis animis prodierint, insignéque vitæ splendore varios ornauerint Religionum ordines. Sed nunc tempus est, vt quorundam cœnobiorum, quæ modò enumerauimus, origines scrutemur, ac diligenter inuestigemus; à D quibus ea fuerint condita; quibus incrementis adoleuerint; quorum fauore, ac muneribus, & priuilegiis in hodiernas opes ac splendorem euaserint.

(Margin: QVO IN HONORE SINT APVD GALLO-FLANDROS RELIGIOSI. — QVAM MVLTI EX GALLOFLANDRIS RELIGIONEM AMPLECTANTVR.)

Quis Martianensem, vel D. Rictrudis Abbatiam condiderit: à quibus ea fuerit priuilegijs ornata, à quibus instaurata. Semperne monachi eam insederint.

CAPVT XX.

PRIMVM Martianensis, vel S. Rictrudis monasterij, quod in Gallo-flandria nobilissimum & antiquissimum habetur, parentem deprehendere faciliùs est, quàm prima eius incunabula certis temporibus assignare. Quin eius funda-

S. AMANDVS MARTIAN. ABBAT. PRIMVS AVCTOR. Lib. 1. c. 19.

fundamenta posuerit S. Amandus pontifex Traiectensis, & Flandriæ Apostolus nemo ferè est) qui dubitet. Id his verbis asserit Andreas Martianensis in Chronico, dum eo de sanctissimo viro memorat; *Multa etiam construxit monasteria, in quibus ad huc eminent Monasterium S. Petri in Gandauo, Monasterium Elnonense, vbi ipse sanctus requiescit, Marchianense etiam monasterium, quod B. Rictrudis nobilitauit sanctitate mirabili, & laudabili fine:* Idem confirmat auctor Chronici Martianensis in hunc scribens modum: *Anno regni Lotharij regis* XXIV. *porro à natiuitate S. Amandi quadragesimo construxit idem* B. *Amandus ecclesiam S. Petri in Blandinio, & post Martianensem ecclesiam in honore eiusdem Apostoli, in præfati ducis Adalbaldi alodio.* Non discedit etiam ab hac sententia is auctor, qui miracula S. Rictrudis duobus libris tradidit. Hæc enim eius verba: *Eodem etiam tempore constructum est Marchianense monasterium à B. Amando super fluuium Scarpum.* Quæ omnia certè cùm sint domestica testimonia, nihil omninò est, cur iis refragemur: cùm præsertim ante hos omnes auctores Hucbaldus ista diuæ Rictrudis Vitæ inseruerit: *Monasterium scilicet Martianas vocatum, quod ab eodem pontifice super fluuium Scarbum fuerat constructum.* Idémque Hucbaldo videatur Elnonense Chronicon opinari, dum antequam locum illum D. Rictrudis ingrederetur, affirmat S. Ionatum ab hoc pontifice Abbatem ipsi impositum. Igitur quod his verbis proponit Baldericus in Cameracensi Chronico; *Apud villam quoque Marcenias virgo Dei gloriosa Rictrudis ex proprijs opibus & prædijs consilio S. Amandi, qui tunc temporis insignis habebatur, monasterium struxit*: non sic accipiendum, vt ea nobilissima mulier (quam virginem vsitato tunc more loquendi pro sanctimoniali nuncupat) prima iecerit huius cœnobij fundamenta; verùm, vt posteà demonstrabimus, hoc perpetuis censibus donauerit, cùm intra eius claustra sese cum filiabus recepit.

Cap. 2. — Lib. 1. c. 1. — Lib. 2. cap. 16.

QVO TEMPORE COEPTVM HOC MONASTERIVM.

Verumenimuerò non perinde nobis facilè video id tempus constituere, quo sanctus hic Episcopus tam nobile ac vetustum monasterium moliri occœpit. Si vellemus Lessabæi, & aliorum quorumdam opinionem arripere, qui de huius domicilij ortu aliquid chartis illeuere, annum Christi sexcentesimum & vndecimum eius initiis tribueremus. Quò sanè nos videtur Auctor Miraculorum S. Rictrudis trahere, cùm scribit: *Imperantibus Clothario Secundo Francis, & Romanis Eraclio, qui de victo Chosdroe rege Persarum & filijs eius dominicæ Crucis lignum victor Hierosolymam reportauit, beata Rictrudis in Wasconia ex Tholosa vrbe, ex regali prosapia orta est. Eodem etiam tempore constitutum est Marchianense monasterium à B. Amando super fluuium Scarpum.* Cùm enim Martianenses Religiosi B. Rictrudis natiuitatem anno 613. assignent, non procul ab hoc tempore conditum fuerit hoc cœnobium ex dicti scriptoris sententia. Neque verò Chronicon Martianense aliò nos ducit, cùm ista repræsentat: *Anno igitur Lotharij* XXIV. *porrò à natiuitate S. Amandi quadragesimo construxit idem B. Amandus ecclesiam S. Petri in Blandinio, & pòst Martianensem ecclesiam.* Etenim quamuis malè pariet Chlotharij regni annum 24. cum S. Amandi natiuitatis quadragesimo: tamen ex vera huius pontificis annorum ratione, annus eius quadragesimus in annum Domini sexcentesimum & vndecimum incurrit, cùm is natus fuerit anno supra quingentesimum primo ac septuagesimo. Propius ab hac sententia Franciscus Barius Prior Aquicinensis abfuit, cùm in manuscriptis de sacris Belgij antiquitatibus collectandis initia Martianensis monasterij tribuit anno post sexcentesimum duodecimo. Neque verò multum ab eadem recedit vetus Amatense Chronicon ab eodem Bario citatum: quoniam ad sexcentesimum & decimum Christi annum huius Asceterij exordia reducit. Verùm vt in eam opinionem minimè veniam, quæ tam longè proiicit huius Abbatiæ primordia, quædam profectò vel maximè efficiunt. Quoniam enim Chronicon Martianense iam citatum disertè asserit, non priùs Martianis quidquam molitum pontificem Amandum, quàm is Gandaui Blandinianũ S. Petri Monasterium exstruxerit; idémque videatur opinari Andreas Martianensis, qui post istud Martianense quoque cœnobium collocat: omnino certè pendent ab huius loci tempore initia Martianensis ecclesiæ. Postquàm igitur ostendero non paullò post assignatum iam tempus anni sexcentesimi & vndecimi

Lib. 1. c. 1. — Cap. 2.

A decimi, cœptum tandem ædificari Blandiniense monasterium: tunc certior de cunabulis Abbatiæ Martianensis inferiùs reuocandis sententia stabilietur. Nihil enim hic moror istos veteres versiculos,

In sexcenteno deno fundauit Amandus
Anno Blandinium, patronum dans illi Petrum:

nihil ista verba, quæ in Lipsiano & manuscripto codice Sigeberti verbis annectuntur anno 610. *Blandinianum monasterium ædificatur in Gandauo*, tum quòd autographum auctoris exemplar hæc non habeat, tum quod vtraque pugnent vehementer Actorum S. Amandi chronologiæ. Cùm itaque certissimum sit, non prius fructum aliquem fecisse Gandaui hunc sanctum Flandriæ Apostolum, quàm de venia B. Aichari, Nouiomensis, & Tornacensis Episcopi, & Dagoberti regis voluntate illuc se contulit: non possumus quidquam priùs de tempore
B conditi Blandiniensis cœnobij constituere, quàm initia sacri magistratus eiusdem Aicharij vestigauerimus, & primum suscepti à Dagoberto regni Francici annũ deprehenderimus. Imploratum antequam diuus Amandus messem animorum Gandaui colligeret, ibidémque cœnobium exstrueret, S. Aicharij & Dagoberti regis *In vit. S. Amand. ca. 13.*
auxilium, in hæc verba significat Baudemondus: *Per idem autem tempus, cùm loca, vel diœceses ob animorum sollicitudinem vir domini circumiret Amandus, audiuit pagum esse quendam propter fluenta Scaldi fluuij, cui vocabulum est Gandauum. cuius loci habitatores antiquitas diaboli ita circumquaque laqueis vehementer impediuit, vt incolæ terræ illius relicto Deo, arbores & ligna pro Deo colerent, atque fana vel idola adorarent. Propter ferocitatem enim gentis illius, vel ob terræ infœcunditatem omnes sacerdotes à prædicatione loci illius se subtraxerant, & nemo audebat in eodem loco verbum annunciare Domini. Quo audito vir sanctus magis eorum miseratus errorem, quàm de vitæ suæ periculo pertimescens, Aicharium Episcopum, qui tunc Nouiomensis vrbis cathedram præsidebat sacer-*
C *dotalem, adijt, eúmque humiliter postulauit, vt ad regem Dagobertum quantocius pergeret, epistolásque ex iussu illius acciperet, vt si quis se non sponte per baptismi lauacrum regenerare voluisset, coactus à rege, sacro ablueretur baptismate. Quod ita factum est. Percepta namque à rege potestate, & benedictione à Pontifice, illuc vir Amandus perrexit intrepidè.* Ita Baudemondus, qui cum eodem beatissimo viro familiariter vixit: ex quo etiam destructis posteà sacris locis hæc accipe: *Vbi verò fana destruebantur, vir Domini Amandus tam ex munificentia regis, quàm ex collatione religiosorum virorum, religiosarúmque fœminarum statim monasteria, aut ecclesias construebat.* His respondent ea, quę scripsit Harigerus Abbas Lobiensis in Tungrensium pontificum gestis, cùm de S. *Cap. 41.*
Amando hæc memorat: *Ingressus intereà Gandense oppidum &c. Igitur fauente Aichario Nouiomensi Episcopo, regia insuper auctoritate incumbente, tanto se discrimini opposuit, nimio succensus animi feruore. Quoties iniuriatus, quoties flagris est cæsus, quoties ab inhonestis est mulieribus deturpatus, quàm sæpè in fluuium præcipitatus! Ad vltimum fugatis sodalibus solus permansit prædicationi assiduus. Sancti Petri cœnobium illic ædificauit.* Et his *In vit. S. Amandi.*
duobus consentit quoque Philippus ab eleemosyna monasterij Bonæ spei Abbas
D secundus. Cùm enim primùm scripsisset: *Huius rei gratia Gandauum progreditur, & sterilitatem gentis incredulæ fœcunditate diuini germinis satagit adimplere. Hic vt liberius securiúsque posset in Euangelicæ sationis opus assurgere, interueniente sanctæ recordationis Aichario Nouiomensi, pontifice à præfato rege suscepit epistolas, &c.* ac postquam pleraque alia inseruisset narrationi rerũ Gandaui gestarũ, hoc denique subiungit: *Construitur item altera cultibus diuinis ecclesia, in loco, quem Blandinium vocare consueuerat voluptatum sectatrix prisca gentilitas, eò quod blanditijs lenis, & amœnitate præcipuus videretur. Vbi Deo seruientium probata constituens officia clericorum, curæ pastoralis officiũ discipulo suo, viro venerabili tradidit Floriberto.* Adscribit quoque Dagoberti regis, & S. Aicharij temporibus Blandiniani Monasterij originem vetus Blandiniense Chronicon his verbis: *B. Amandus Traiectensis fundauit cepitque regere Monasterium anno 610. pridie Kal. Nouemb. Indict. 1. qui fuit annus Dagoberti Regis Franciæ 14. Pontificante sedem Romanæ Ecclesiæ Beatissimo Papa Martino, anno S. Acarij seu Hilarij Episcopi Nouiomensis 7.* Quamquam sanè parum fidei apud me obtineat hic liber qui

plurimos eósque grauissimos tam paucis lineis errores complectitur, vt nihil magis A ab veritate discedat. Etenim anno Christi 610. non prima Indictio fuit, verùm 13. non sedit Romæ Martinus, sed Bonifacius 4. Non Dagobertus, sed Chlotharius eius pater Francis imperauit: Nec Aicharius infulis erat ornatus. Ceterum ad huius Chronici aliorúmque sententiam de fundato sub Dagoberto & Aichario Blandiniano cœnobio accedit quoque his in verbis Elnonense Chronicon: *Anno autem Domini 611. ecclesia Gandæ auctoritate Aicharij Nouiomensis Episcopi, & Dagoberti Regis Francorum per B. Amandum dedicatur, seu reformatur.* Quamquam iisdem de tempore Aicharij & Dagoberti erroribus deturpetur.

Iam verò qui ex certiori annorum computatione Chronica instituerunt, ij potissimùm circiter annum Christi, sexcentesimum & vigesimum primum ad cathedram euectũ fuisse Aicharium profitentur, ac florentis Franciæ regno Dagoberti annos ab sexcentesimo & vigesimo octauo inchoant. Cùm igitur non statim ab inito regno litteras S. Amando concesserit, quibus is vnà cum B. Aicharij licentia B munitus Gandauum peteret: satis ex eo concluditur, non potuisse quidquam hunc Apostolum moliri, antequam Domini annus vigesimus nonus, aut etiam trigesimus post sexcentesimum volueretur: quandoquidem aliquamdiu fuerit ei cum ciuibus laborandum, vt à simulacris ad verum Deum ipsos conuerteret, sacrísque baptismatis mysterijs initiaret. Ex quo quid aliud nobis cogitandum necessariò relinquitur, quàm non potuisse quidquam eum priùs Martianis condere, quàm trigesimus incarnati verbi annus inuerit? & forsan etiam inferiùs reiiciendum huius cœnobij principium. Equidem Oudemburgense Chronicon à Francisco Bario citatum Blandiniensis & Martianensis monasteriorum fundationem anno post sexcentesimum quarto & trigesimo attribuit, licet minùs rectè idem vtrique tempus assignet, vt ex dictis manifestum est. Neque verear ipse nonnullos etiam huic ætati demere. Etenim si velimus eorum opinioni adhærescere, qui natum priùs volunt Elnonense monasterium, quàm Martianense D. Amandi laboribus pareretur, quam, vt vidi- C mus, sequi videtur Andreas Martianensis, & Aubertus Miræus: non poterimus ante sexcentesimum & trigesimum nonum partę salutis annum aliqua Martianensis Abbatiæ initia deprehendere. Annus siquidem donati B. Amando fundi, in quo nunc Elnonense monasterium cernitur, Dagoberti regis hunc impertientis diplomati vndecimus regni subiicitur: qui non, vt habet Amandinum Chronicon anno Domini 634. sed potius 639 respondet, vt recto calculo colligit P. Ægidius Bucherius Societatis Iesu Theologus, & Chronologiæ peritissimus. Quid quòd vir aliquis eruditus (nomen eius incognitum mihi est) in libello manuscripto non ita pridem asseruerit, ex Blandiniensi Chronico à nobis ante citato, Blandiniani monasterij principia Martini Papę anno quinto esse tribuenda, ideóque assignanda Christi anno post sexcentesimum quarto & quadragesimo? Verum si ad Pontificis Martini annos esset Blandiniensis Abbatiæ primordium exigendum; ex citati iam Bucherij Chronologia id esset adscribendum vel quinquagesimo primo vel quinquagesimo secundo post sexcentesimum Christi annum; ac secundum Baronium adhuc inferiùs reiiciendum videremus. Quod sanè nimium quàm procul ab vero mihi disce- D dere videtur, Etenim eo tempore nec Dagobertus Rex, nec Nouiomensis pontifex Aicharius in viuis erant: cùm hic anno 646. ille 644. extremum diem obierit.

ADSTRVENDVM MARTIANENSE MONASTERIVM FVNDVM DEDISSE VIDETVR S. ADALBALDVS.

Maneat igitur saltem non priùs posita fuisse Martianensis Asceterij fundamenta, quàm post sexcentesimum annus trigesimus procurreret: quandoquidem, quo præsertim pòst anno id condi monasterium cœperit, difficillimum sit statuere: ac prorsus hoc quibusdam minimè videatur Elnonensi posterius. Nunc de illo quæramus obiter, qui fundum ei struendo dederit. Quantum coniicere licet ex Chronici Martianensis initio, is sanctus fuerit Adalbaldus, qui D. Rictrudem matrimonio sibi coniunxit, ex eáque D. Maurontum suscepit, & Duacum possedit. Hæc námque sunt eius auctoris, qui Chronicon id scripsit, verba: *Construxit idem B. Amandus* (Cap. 1.) *ecclesiam S. Petri in Blandinio, & post Marcianensem in honore eiusdem Apostoli, in*

præfa-

A *praefati Ducis Adalbaldi* *alodio. Sed quantum possumus ex veteribus coenobii huius monumentis arguere, praeter locum nihil dederit Adalbaldus, cùm tanta principio ibi fuerit rerum angustia, & penuria, vt manuum labore coacti fuerint Monachi victum sibi comparare, antiquas aliunde S. Amandus subministrabat, eleemosynis vitam tueri.

*id est fundo, qui pleno iure ad S. Adalbaldum pertinebat.

Ceterùm illic initio, coetúsne virorum, an virginum S. Benedicti habitum gestantium, eiúsque viuendi rationem profitentium à Beato Amando fuerit constitutus, inquirendum diligenter. Eam videtur opinionem complecti Hucbaldus Elnonensis Asceta, vt quamuis monachos imponere statuisset D. Amandus, beatus tamen Ionatus, quem huic monasterio perficiendo praefecit, virgines istic principio congregauerit. En quae habet in vita S. Rictrudis: *Cui perficiendo, & ordinando idem praesul discipulum suum praefecerat Abbatem sanctum Ionatum venerabilem virum: cuius adhuc in eodem monasterio sacrum corpus habetur reconditum In quo & monachorum ordinem beatus* B *Amandus haberi voluit: sed iam dictus Abbas sanctimoniales, prout visum sibi fuerat, aggregauit.* Eandem & tenuisse sententiam credi potest eũ auctorẽ qui opusculum pro Commemoratione S. Ionati conscripsit, dum his vtitur verbis: *Sanè ad seruiendum Domino S. Amandus monachos in Martianis aggregare constituerat, sed Ionatus concessa sibi potestate ab ipso, virginalem mentis & corporis diligens pudicitiam, sanctimoniales ibi esse instituit. Fecit hoc fortassè inspiratione superna edoctus, vt postmodum Beatae Rictrudi eiúsque filiabus sanctis vtique virginibus aptus esset locus, & condignè à conuentu saeculari remotus.* Neque ab ea videtur alienus miraculorum D. Rictrudis auctor, apud quem haec reperio: *Vbi B. Amandus, qui monasterium ipsum in honore B. Petri construxit, monachorum ordinem haberi voluit. Disponente autem Deo S. Ionatus Abbas sanctimoniales aggregauit vt esset ibi congrua habitatio tam B. Rictrudi, quam filiabus eius virginibus sacris.* Verùm ex aduerso perpetua semper traditione iam inde à principio ad posteros eius Asceterij manauit, primos eius inquilinos diui Benedicti monachos fuisse. Eáque C veritatem clarissimè litteris mandauit is Religiosus Martianensis, cuius opus est Chronicon à nobis anteà citatum. Sic enim is loquitur: *In eodem coenobio primum monachos ad seruiendum Deo à B. Amando delegatis pastor vigilantissimus, & procurator interiùs exteriúsque, vir fidelis & simplex Ionatus donatus est eis. Qui B. Amandi pontificis discipulorum vnus eius sacra eruditione admodum informatus, ad hoc officium idoneus inuentus est. Sed non post multum temporis altiori inuestigatione consultum est, vt quoniam gloriosa mater Rictrudis loci fundatrix, & vniuersorum, quae ibi contradita fuerant, domina, in illo sancto contubernio inter seruos Dei famulari videbatur, congruentius foret secundi sexus fideles ibidem ad seruiendum immittere, & illius sanctae inhabitationis primatum sanctimonialium ordinem aptius obtinere. Semoto siquidem pace eorum illo adhuc modico conuenticulo, nobiles matronae illuc vndique certatim confluunt: religiosae viduae, quae vere viduae erant, alacriter concurrunt; puellaris etiam pudoris iuuentus casta introducitur spiritualis gymnasij palestrã omnis in commune aggrediuntur.* Hactenus auctor ille anonymus: ex cuius verbis id omninò certissimum est, priùs in monasterio Martia- Cap

D nensi monachos agitasse: paucis post annis cùm D. Rictrudis vitam in eo ex S. Amãdi consilio religiosam ducere optaret, adscitas etiam sacras mulieres ac virgines, quibus concessa sede primaria, semoti fratres in altera parte consisterent: itáque diuiso monasterio, vterque sexus domino famularetur. Verùm id quod memorat idem auctor de bonis sanctae Rictrudis huic monasterio attributis paullò latiorem exigit narrationem, vt maior lux veritati concilietur: ne tu putes, ab initio dotem ei D. Rictrudem ex censibus suis attribuisse. Igitur dum aliquamdiu in summa rerum ad corpus pertinentium paupertate, sed contrà in contentissimo virtutum studio intra Martianense Asceterium viuitur: interímque multiplex è caelo monachorum animis voluptas affunditur: tum diuini numinis impulsu, tum S. Pontificis Amandi opera consilióque D. Rictrudis post mariti Adalbaldi caedem nuncium mundo remittit, ac pleramque possessionum suarum partem monasterio Martianensi attribuit, ceteráque in alios Deo consecratos diuidit locos: ac rebus denique omnibus compositis in idem coenobium sese cum tribus filiabus abdit, vt reliquum

QVAE TRIBVERIT HVIC ABBATIAE D. RICTRVDIS.

 vitae

A vitæ tempus ex D. Benedicti regulis transigat. Ibi cœtus virginalis ei cura committitur: dum interea loci monachos moderatur B. Ionatus, ipsámque consiliis adiuuat. ex iis quæ suppeditauerat B. Ri&trudis vtrique familiæ necessaria subministrantur. Ad huius narrationis veritatem ea sunt expendenda, quæ sic repræsentat in Cameracensi Chronico Baldericus: *Apud villam quoque Marcenias, virgo Dei gloriosa Rictrudis ex proprijs opibus, & prædijs consilio sancti Amandi, qui tunc insignis habebatur, monasterium struxit, vbi sanctimonialibus ad seruiendum delegatis ipsa etiam Abbatissa habenas regiminis moderata est.* Præluxit enim nobis ad hæc eum in modum memoranda, is quem laudauimus, Martianensis auctor Chronici, qui domesticis vtique monumentis suam firmauit narrationem. Hæc igitur sunt eius verba: *Huic autem egregio Dei famulo* (Amando) *beata Rictrudis vidua Deo deuotissima in sanctitate & iustitia spiritualiter adhærens, eiusdem fabricæ nouellæ diligentia omnium prædiorum suorum, cunctarúmque opum suarum, vernaculorum & mancipiorum, & vniuersæ supellectilis suæ considerationem in eius consilij dispositione constituit. non tamen sine benedictione & auctoritate Præsulis* Cameracensis, *qui ea tempestate erat Autbertus memorabilis cælesti doctrina, & prædicatione vbique insignis. Inspiratione ergo diuina, pérque beatorum pontificum consulta fœmina virtutis, totius patrimonij sui substantiam bonorum omnium largitori Christo libenter refundere decreuit, alijs ecclesijs, ac vtriusque sexus fidelibus personis multa largissimè tribuens, suis verò locis, in quibus piæ actionis exercitio Deo militatura erat vsque in finem, vt paupertatis sanctæ amatrix, minus & pauca reseruans, nihil hæsitans in fide.* Et paullò pòst: *Ad Orientalem Martianensis villæ partem cœnobio ritè composito, & à duobus venerabilibus Episcopis Autberto videlicet, & Amando monasterio in honore Apostolorum Petri & Pauli sexto Kalend. Nouembris solemniter dedicato, nobilis matrona Rictrudis voti compos, vniuersa, quæ sibi residua videbantur esse, testamentum legitimum faciens, perpetuo iure possidenda liberaliter Sanctis Dei, & eidem contulit monasterio. obtulit quoque secum tres filias suas virgines infantulas regi Christo cælesti sponso fore charissimas.* Hæc auctor ille, Qui mox ea subiicit, quæ priùs de vtriusque sexus habitaculis, & primatu virginei cœtus retuli. Ex his ergò perspicuum est, non diu antequam monasterium ingrederetur, B. Rictrudem erga ipsum munificam fuisse. Quonam verò tempore id acciderit, non adeò clarum arbitror. Si veritati consentaneum esset, quod scribendo posteritati transmisit auctor Miraculorum D. Rictrudis, Dagobertum regem scilicet id conuiuium Baierij celebrasse, quod ea matrona præparauerat, quoue consecratum sibi velum imposuit: ante quadragesimum quartum post sexcentesimum Domini annum id accidisse oporteret, quandoquidem intra eius anni circulum mortem Dagobertus oppetiit, vt memorant Appendix Gregorij Turonensis, & Aimoïnus. Quia tamen id veriùs opinor, quod litteris mandauit Martianensis Chronici auctor, Chlodouæo nimirum Dagoberti filio post patris obitum in Franciæ regnum euecto, conditum à D. Rictrude testamentum fuisse; & non multo post tempore eam intra monasterij septa conclusam: omnino cogemur supra quadragesimum quartum annum ista reuocare. Ad hæc memorant Hucbaldus, & scriptores aliquot Martianenses non antè in Vasconiam Adalbaldum Dagoberti regis mãdato iter suscepisse negotiorum regni gratia, ibique se cum S. Rictrude nuptiis obligasse, quàm Charibertus eius regis frater è viuis abiuerit. Atqui cognitum habemus anno trigesimo septimo septimi sæculi Charibertum, eiúsque filium vita priuatos fuisse, ac ideò rursus ad Dagobertum Vasconię regnum rediisse. Quis igitur non videat intra nuptias Adalbaldi, & Dagoberti obitum nimis angustum tempus constringi, quàm vt eius spatio quater Rictrudis pepererit, éque susceptis his partubus liberis ternas puellas religiosæ vitæ idoneas secum in cœnobiũ duxerit? Nullo itaque modo ea sunt recipienda, quæ notauit Franciscus Barius anno 633. ingressum Rictrudis assignans cùm propter ea, quæ diximus; tum etiam quòd annos 40. Martianensem Ecclesiam fuisse moderatã asserat, ac deinde anno 687. in cęlos euolasse memoret; quã tamen omnes eo tẽpore asseuerant etiamnũ antistitã è viuis abiuisse. deinde prorsus reiiciẽda sunt quę

Lib. 1. c. 16. — *Cap. 5.*

B

C

QVANDO SVA TRADIDERIT MARTIANENSI MONASTERIO S. RICTRVDIS, IDQVE EST INGRESSA.

Lib. 1. c. 8. — *Cap. 79.* — *Lib. 4. c. 33.* — *Cap. 14.*

D

ignarus

A ignarus quispiam Sigeberti verbis anno 644. sic inseruit: *Sanctitate florent Rictrudis Marchianensis, & eius filiæ Eusebia & Clotsendis.* Cùm enim nullam Adalsendis filiarum tertiæ, quam non multò pòst ingressum monasterij Deus in cælos recepit, mentionem faciat; id certè vult opinandũ, iam ante hunc annum Martianas cum liberis subiisse Rictrudẽ. Ex aduerso Miraculorũ D. Rictrudis auctor tales nobis has puellas repræsentat, vt maternis monitionibus, & ad virtutẽ exhortationibus aures attentas præbuerint, iisque nõ parùm incitatæ, ad præclaras religiosæ vitæ actiones exarserint. Iam autem cùm ex Chronico Martianensis clarum sit sexto Kal. Nouembris a diuis Amando & Autberto dedicatã prius fuisse Martianensem ecclesiam, quàm ab illdẽ Rictrudis in Asceterium deduceretur: non possumus infra Christi annũ sexcentesimum & quinquagesimum nonum reiicere Rictrudis ingressum, quandoquidem eo credatur tempore ad superos Autbertus euolasse. Id cùm videret B. Ægidius Bucherius anno sexcentesimo & quinquagesimo nono scripsit Rictrudem vna cum filiabus Martianis floruisse, ac nobis sentiendum reliquit, non diu antè habitum eam suscepisse religionis, cuius sanè perquàm libenter opinionem amplector. *In Chron. epist. Leodiens.*

B Sed modò animum ad monachos reuocemus, quos vnà cum Sanctimonialibus in Martianensi monasterio vixisse diuersas tamen sedes occupauisse, demonstrauimus. Aliqua enim hic disquisitione opus est, num ij scilicet diu post ingressum Rictrudis illic remanserint. Non diffiteor, me deprehendisse ex quibusdam monumẽtis Martianensibus, eius nonnullos fuisse sententiæ, vt morte abreptis iis, qui tum ibi degebãt, cum in parthenonem sese Rictrudis abstrusit, nullos ampliùs in cœtum receptos crediderint. Verùm his videtur Elnonense Chronicon obrogare, in quo hæc scripta reperio, cùm de B. Ionatho sermo est ab Elnonensi monasterio Martianas remisso: *Vbi post mortẽ etiam B. Amandi, aliquot lustris regulariter viuens, diuersos vtriusque sexus ad religionem induxit, & castitatem.* Et video etiam à Carolo Caluo, cuius diploma postmodum proferetur, vnà cùm Sanctimonialibus fratres quoque in Asceterio Martianensi nominari: quamquam fortasse sacerdotes tantùm eo nomine

VTRVM DIV POST INGRESSVM B. RICTRVDIS MONACHI MARTIANIS REMANSERINT.

C indicet, qui sedem in monasterio habentes diuina peragerent mysteria: quandoquidem Hucbaldus, qui Calui tempore viuebat, in præfatione ad vitam S. Rictrudis hæc scripserit: *A Clericis & sanctimonialibus congregationis Deo dilectæ famulæ beatæ Rictrudis rogitatus.* Quin etiã animaduerto in opusculo de S. Ionati corporis eleuatione Malgerum Congregationis Martianẽsis presbyterum appellari: hæc enim ibi leguntur: *Beatus Ionatus procerus corpore, decorus aspectu, capite cygnæo, vestimentorùmque indumento reuerendus cuidam congregationis suæ presbytero nomine Malgero, blandus & lætabundus apparens ait.* Et in litteris Lotharij Francorum Regis anno 975. scriptis hæc habentur: *Tam Abbatissa Iudith, quàm prædictæ sorores, necnon fratres ipsius monasterij S. Rictrudis.* Verùm quidquid ea de re fuerit manifestum saltem videtur, quo tempore Balduinus Bellobarbus Flandriæ Comes hoc monasterium instaurauit, nullos istic monachos consedisse; quandoquidem is Leduuino mandauerit, vt sanctimonialium loco monachos substitueret, nisi hoc eo sensu accipiamus, vt si qui tunc adhuc religiosi eo loci consisterent, omnem ij monasterij possessionem adiuerint, exclusisque Virginibus soli domicilium omne insederint Comitis mandato.

D Verùm etiam huic sententiæ refragantur ista veteris auctoris Miracula D. Rictrudis enarrantis, cùm de Leduuino sermo est: *Et ille de suis aliquot boni testimonij monachos eligens Marchianas transmittit*, quamquam hæc sic possimus interpretari, vt ceteris qui adhuc erant in Martianensi monasterio reformandis, aliquot Leduuinus ex Attrebatensi monasterio adduxerit Religiosos.

Porrò quamdiu D. Rictrudis, eiúsque filia Clotsendis virginibus præfuere, admodum sanè semper floruit Martianense monasterium. His in cælos euocatis, nũc læta, nunc tristia euenere, tandémque omnis pessumdata fuit tum religio, tum res familiaris. Hæc qui fusiùs memorent, duos præsertim Martianenses nactus sum auctores. Horum prior in primò Miraculorum D. Rictrudis libro hæc proponit: *Cui cœnobio sanctimoniales ab obitu B. Mauronti, qui transiit ex hoc mundo anno domini septuagesimo primo per trecentos viginti duos annos præfuerunt. Quæ sicut erant sexu infirmæ,*

SVB SANCTIMONIALIBVS RELIGIO CONSENVIT, ET MVLTA SVNT ABALIENATA BONA. *Cap. 18.*

mæ, & imbecilles, ita quoque erant ad res ecclesiæ nobiliter fundatæ tuendas per muliebrem ignauiam impotentes. & quid plura? Res ecclesiæ in villis & redditibus, & innumeris possessionibus ita sunt per earum insolentiam & muliebrem impotentiam, ab illis alienatæ, vt vix haberent, vnde possent miseram sustentare vitam? Nam sicut ab antiquis nostris nobis relatum est, quædam Abbatissa nomine Iudith, cuius suprà mentionem fecimus, ita cœpit possessiones eiusdem ecclesiæ dissipare, vt cuidam militi nepoti suo villas circa monasterium mira temeritate ausa sit iure hereditario tradere. Inter quas villam, cui nomen Warlen antiquitas imposuit Et paullò pòst: *Supersedeo narrare propter fastidium legentium innumera damna, quæ Marchianensi ecclesiæ per harum tam longam inhabitationem acciderunt, scilicet amissionem Orciensis villæ, Duacensis redditus, siluæ de Remigis, & cæterarum rerum, quas scimus, & quarum non recordamur.* His omnino respondent ea, quæ Chronicon Martianense nobis hunc in modum repræsentat: *Clotsende igitur filia S. Rictrudis Abbatissa Marcianensi defuncta, ab anno Domini septingentesimo vsque ad millesimum XXIV. per sanctimoniales est administrata. Per tam longa temporum spatia magnam rerum suarum iacturam pertulit Marcianensis ecclesia, per fœminarum mollitiem, per barbarorum & Northmannorum inuasionem, per principum & tyrannorum auaritiam, qui ecclesiæ agros iniustè & violenter suis agris copulauerunt. Cernit hoc & sentit in præsenti ecclesia, cùm in Castro Duacensi sibi proximo nihil præter quinque solidos, & vnum denarium ad marsupium comparandum, de turre Comitis, quæ quondam fuit domus B. Rictrudis, accipit; & quod serui & ancillæ eius à thelonio sunt liberi. Quamuis profectus nobis nullus sit modò, si inter cetera componamus, quod de Orceis assertione certissima refertur: tamen nihil obstat, si præsentium, futurorúmque notitiæ insinuamus non solùm, quæ veraciter constant, vel quæ ipsi conspexisse potuimus, verùm etiam quæ ab alijs fideli narratione audiuimus. Sunt adhuc hodie longæui temporis personæ non contemnendæ, quæ narrant, & veraciter profitentur, quod nondum centenarius annorum numerus euolutus est, quando Beatæ famulæ Dei Rictrudis ecclesia Marcianensis Orceiarum prædium, sicut & cetera prædicta iure legitimo possedit.* His quadantenus consentiunt quæ scribit in Chronico Cameracēsi Baldericus horum auctorum ætate superior. Dum enim de Martianis agit, ita loquitur: *Sæculo autem semper, vt diximus, vitiato, ipsarum etiam puellarum ordo vitiari, & deprauari cœperat. Iámque magis ac magis deprauatus mos in degeneri posteritate vsque in præsens durauerat.*

Cap. 20.

A B C

QVIDAM PRINCIPES PRO MARTIANENSI MONASTERIO LABORANT.

Verùm has inter morum tenebras, quædam interdum lux affulsit quorūdam Principū beneuolentię ac liberalitatis. Etenim primum in gratiam huius monasterij pręclarū scripsit diploma Carolus Caluus Romanorum Imperator, & Frācię rex paullò antequam è vita discederet, quod hîc totum proferre constitui, vt ex Marchianensi archiuo depromptum fuit. Nouerim fortassè quibusdam admirationem has Carolo Caluo litteras adscribendo. Etenim nō modo Franciscus Barius Aquicinensis Prior cœnobij, aliíque non pauci, verùm etiam Martianenses Religiosi, ac Flādrię Comes Balduinus Insulensis à Carolo magno scriptas eas tradidere. Ac Insulensis quidē de his hęc verba sunt Ecclesiæ Martianensis bona confirmātis anno post millesimum quarto & quadragesimo: *Nouerint igitur tā futuri, quàm præsentes, quòd sicut prædecessores Principes Karolus videlicet magnus Imperator, & Lotharius Rex possessiones Martianensis ecclesiæ, quas ei B. Rictrudis in eadem corpore quiescens ad sustentandum Deo ibi seruientes, dū adhuc viueret mirifica largitate contulit* &c. Verùm si diligenter attendamus annorum regni Imperiíque numerū, qui litteris attexitur, omninò sanè reperiemus, non Magno, sed Caluo conuenire. Etenim etsi secundo Imperij Caroli magni anno Indictio decima respondeat: in eundem tamen annū trigesimus tātùm & quartus regni annus incidit. E cōtrario Carolus Caluus eodē planè tempore & secundum Imperij & trigesimū octauū Regni annū egit, cū decima Indictio decurreretur: vt omnia ipsi quadrēt, quę sub diplomate sūt notata. Sed iā ipsū Caluū loquentē audiamus. D

CAROLI CALVI IMPERAT. DIPLOMA PRO ECCLESIA MARTIANENSI.

In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis Karolus misericordia Dei Imperator Augustus Si Seruorum Dei vtilitatibus subueniendo conferimus, profuturum nobis hoc ad æternam beatitudinem fore nullo modo ambigimus. Quapropter nouerit omnium sanctæ ecclesiæ fidelium nostrorum tam præsentium, quàm & futurorum industria, quoniam sororum & fra-

trum

A *trum necessitatibus in cœnobio Marcianas nuncupato, videlicet sito in* * *Comitatu Atrebatensi, in* † *pago Ostreuanno super fluuium Scarbum, sub tutela S. Rictrudis Deo militantium subuenire cupientes eorum indigentijs, nobisque per Bernonem venerabilem Diaconem & Palatinum dilectum ministerialem nostrum patefactis, decreuimus per eiusdem Bernonis deprecationem nostræ altitudinis præcepto eis confirmari res, quatinus per nostram munificentiam ad augmentum & vtilitatem eorum ea perpetualiter possideant, quæ inferius descripta habentur. Concedimus igitur memorato cœnobio circa ipsum monasterium terras, aquas, & nemora cum omni integritate. In pago* † *Cameracinse villam de Lis cum omni integritate: & in pago* * *Atrebatinse villam* * *Bariacum cum omni integritate. Similiter concedimus ei in pago* * *Ostrebanno villam Gaugiacum sub omni integritate: & in eodem pago Ostrebanno in* * *Lambras mansum I. cum molendino suo. Similiter & in prædicto pago videlicet Ostrebanno de villa Rallogio anguillas* CCCC. *Atque in pago* * *Pabulinse villam* * *Bebrigium cum omni integritate. Pari etiam tenore largimur in pago* † *Medenensanse villam Runcinium cum appendice villa* * *Templeunio. Necnon & in pago* * *Laetica villam Hainas cum appendice villa Nantgiaco. Similiter & in ipso Comitatu Laetico de villa Rinenga, de omnibus scilicet rebus maioribus, seu minoribus, ac de omni acquisitione omnem decimam. De villa namque* * *Viriniaco iubemus fieri tres partes de vino, vnam partem ad opus* * *Senioris, alteram quoque ad vsus sororum ac fratrum in Martianis consistentium, tertiam quidem ad opus Sororum ac Fratrum in Hamatico degentium, omnia iure perpetuo habenda. Insuper etiam concedimus ad opus ecclesiæ infra ipsum monasterium mansum vnum, & in villa Ampleias mansos duos; atque in luminaria ecclesiæ de indominicato de argento libras* III. *& ad vinaticum similiter de indominicato de vino modia* XII. *ad hospitale eiusdem cœnobij infra ipsum monasterium mansum vnum, & in villa Ampleias mansos* II. *Atque in Ruliaco seruos* II. *necnon & de omnibus villis tam de* * *indominicatis, quàm & ex beneficijs totius Abbatiæ omnem decimam pleniter statuimus largiendam. Præterea statuendo sancimus, vt si in aliquo aliquid horum vobis defuerit, quia vnum sunt, & sub vno præposito, ex altero suppleatur, id est si vinum aut annona in vno superabundauerit, & alteri defuerit, ex superabundanti deficienti necessaria tribuantur. Et si neutrum horum vsibus fratrum seu sororum suffecerit, ex indominicato cuncta necessaria suppleantur. Nulla igitur ibi præponatur per violentiam persona, sed ad Episcopum ducatur electa. Hanc paginam, vt sit stabilis, annulo nostro signauimus,*

B

C

Signum Caroli ✠ *Augusti* KRLS *gloriosissimi Imperatoris.*

Adaletorius Notarius ad vicem * *Gauzlini cognouit.*

Datum quinto Idus Iulij indictione X. *anno* XXVIII. *regni Domini Karoli regis in Franciam, & Imperij eius secundo. Actum Pontione Palatio Imperiali in Dei nomine feliciter. Amen.*

Miraculorum beatæ Rictrudis Auctor Anonymus diplomatis huius mentionem libro primo inserens, hæc proponit. *Visis miraculis, & conuersatione eius audita, Karolus ...... Imperator Romanus non in vanum posse recoli memoriam eius satis vtiliter intellexit. Præcepit igitur omnia, quæ tunc sui iuris erant, scribi; & à Fratribus Deo seruientibus sine omni sæculari exactione libera in posterum possideri. Nec enim omnia, quæ viuens possederat, conscripta sunt; quia per incuriam sanctimonialium, &* * *eorum vitam magis sæcularem, quàm religiosam, iam multa malè distracta erant, & in sæculares vsus redacta. Est autem in archiuis ecclesiæ* * *subscriptio Imperatoria, annulli eius impressione roborata. In cuius priuilegij vltimo versu, regia munificentia ob amorem prædictæ matronæ instituit, vt si fratres, vel sorores eidem famulātes aliquo indigerent, de dominicatu regio suppleretur.* Hæc auctor ille, cui non aliud *indominicatum* esse videtur, quàm quod in regium cessit dominicatum: quandoquidem sic interpretatur Caroli locum, vt velit ex dominicatu regio supplementum fieri.

D

Porrò quem Caluus modò pagum Læticum, modò Comitatum Læticum nominat, ab aliis in diplomatibus pro Martianensibus scriptis, Lætigum quandoque appellari video. Fuit verò is olim tractus ille, qui cis vltráque fluuium Lætiam, vel Li-

Marginal notes (left): * i. regione. † i. in tractu d'Ostreuant. † Cameracensi. * Atrebatensi id est Atrebato subiecti. † Medenensi. * Leuco. * Vergni. * i. Domini, vel Abbatissæ. Senior enim pro Domino in Capitulis Caroli Mag. & Ludouici, Pij sæpè legitur; quæ significatione nunc etiã Hispani vtuntur. * alij sub lucem Gozlini, ad vicem Gozleni. catum. scriptio.

Marginal notes (right): * i. Boiry. * i. Ostreuanno. * Lambris. * Pabulensi. * i. Beuvry. * Templouio. * Idem Carolus in quodam diplomate pro Abbat. S. Germ. à Prat. scripto, cùm de vineis agit; *Siue sint Indominicata, siue in beneficium quibuslibet data.*

gem reuocandi,& coalescentem denuò cœtum moderandi prouinciam egregiè sustinuisset,quemadmodum suprà memorauimus, vel cum huius loci calamitates exponerentur,vel cum suis Abbates ornarentur laudibus. A

Romani Pontifices Martianense monasterium tuentur, ac Priuilegijs muniunt.

Capvt XXI.

Qvi Pontifices Romani hanc ecclesiam defenderint, et ornauerint priuilegiis. Lib. 2. c. 22.

ANno posteà fermè 1141. Cùm insignis inter Atrebatensem Episcopum Aluisum, & Marchianenses monachos,ob noui præsulis electionem,arderet discordia:& multum sanè detrimenti spiritualis passum est hoc cœnobium.& multum à pontifice maximo eiúsque Legato fauoris ad exstinguendam contentionem obtinuit.E libris Miraculorum S. Rictrudis totius rei huius narrationem si deprompsero, nihil alienum me ab instituti mei ratione facturum arbitror. Sic igitur ibi scriptum inuenio: C*ùm ergo Abbas,qui venerabili Amando iam defuncto successerat,onus prælationis attenderet,laborem cœpit abhorrere, & districti examinis futuram timere discussionem. Vnde conuocatis fratribus in Capitulo:Curæ, inquit,pastoralis officium exequi, prout dignum est,nescio: & videte filioli, quid acturi sitis, quia vlterius non dispensabo. Cui dum responderetur, ne hoc ageret, & ille inscientiæ suæ causam replicaret,pariterque nolentis affectum: iungens in continenti & coram omnibus lachrymans, arrepta pastorali virga posuit eam super altare beatæ Rictrudis. Tunc nulli opus fuit quærere,ad quid hoc fecisset,scientibus cunctis,quia in baculi oblatione pastorali renunciasset officio. Fratres autem videntes quod factum fuerat, Abbatem se non habere, prædicto Episcopo nunciant: & iste postulat gestæ rei ordinem sibi manifestiùs exponi. Domnus,inquiunt, Abbas coram omnibus accusans impossibilitatem suam,& propriæ consensum voluntatis, vt vlterius non preesset, Abbatis nomini & officio sponte renuntiauit. Ad hæc Episcopus,alter, ait, qui dignus est preesse,canonicè & cum timore Domini loco eius subrogetur. Et factum est ita. Renunciatur electio, & Episcopo non placet: animúmque ad eam dissoluendam intendit. Prohibet Fratres vlteriùs progredi, & vt meruerant, vir ille sanctissimus post interdictum durè locutus est ad eos. Ipsi verò acceptis contumelijs,ad indignationem Episcopi,scientes verbum eius viuum & efficax, magis timuerunt. Vnde ne in præsentiarum eius excellens dignitas grauiùs eos corriperet,seipsos & ecclesiam suam in tutela S. Romanæ ecclesiæ sub astantium testimonio eadem hora constituentes Marchianis reuersi sunt. Adhuc enim sperabant,vt dum in monasterio quieti vacarent, intra paucos dies Episcopalis indignatio conquiesceret. Verùm lingua tertia, quam, quia multos turbauit pacem habentes,sacra Scriptura detestatur, venerabili Episcopo tanquam homini subripuerat, vt Marchianensium petitionibus non adquiesceret. Hæc etiam inquietum & inquietans malum eidem suggerebat,vt eius auctoritas & eorum reprimeret extollentiam,& corrigeret excessum. Cùm ergo fratres exissent,ipse cum aliquibus de clero suo equis ascensis Aquicinctum venire festinauit, & re-*

uocans

A *uocans eos, sicut placuerat in oculis eius, sic locutus est eis: præcepitque, vt Abbatem suum, qui eos dimiserat, nulla interueniente mora, secum reducerent. Dompnus verò Gozuinus Aquicinensis ecclesiæ Abbas, qui adhuc superest, vir religiosus, & prouectæ ætatis, inexorabilis corporis sui castigator, quem laudare nolo, quia laudari non appetit, & ceteri eiusdem domus seniores, quid facto opus esset, requisiti: licet is, qui reduci mandabatur, eorum monachus esset, & socius; tamen ipsum Abbatem restitui, non approbabant. Scientes quoque quòd venerabilis Episcopi sententia modum excederet; humiliter ipsum precabantur, vt in Marchianensem ecclesiam misericordiùs agere dignaretur. Verùm hic, sicut erat spiritu feruens, zelo Dei & secundùm scientiam, vel etiam remißius quam oporteret, omnia se agere credens, instabat Episcopali auctoritate Abbatem in* B *locum quem dimiserat sponte, reuocare. Vnde quia ex aduerso stabant, grauiorem adhuc metuentes sententiam, In nos, aiunt, sanctißime Pater, quod pace vestra dixerimus, iniustè agitis, & ideò vnicum Sedis Apostolicæ remedium appellamus. Ibi cum coram summo Pontifice causa nostra discussa fuerit, & decisa, in vestram sumus annuente Domino amicitiam reuocandi. Ad hęc Episcopus grauiter indignatus, nequaquam, ait, propter vestram appellationem Romam profecturus sum: sed vos in presentiarum tanquam mihi rebelles excommunicationi subijcio. Hoc dicto Fratres illi foras dolentes egreßi sunt: & ab officijs diuinis ecclesia eorum suspensa. Dicebant enim, qui nos hoc alligauit vinculo, Dominus est, & eius sententia nequaquam infringenda. Tunc inito consilio aliqui ex se-* C *nioribus monasterij Romam profecti sunt, qui causam negotij huius sibi creditam coram Domino Papa irreprehensibiliter prosecuti sunt. Dominus enim qui cum eis erat in via, sic prosperum fecit iter eorum, vt confecto negotio, de manu Summi Pontificis ad Capitulum suum litteras acciperent gratia & Apostolica benedictione plenas. Alias quoque ad Episcopum Atrebatensem, quales pater ille vniuersalis dirigendas constituit. Dum agerentur hæc, reliquos Marchianensis ecclesiæ Fratres à communione suspensos Episcopus misericordia motus, communioni restituit. Post absolutionem verò præcepit, vt de tribus personis, quas eis nominaret, quemlibet Abbatem sibi constituerent, quia domum Dei sub hac dispensatoris destitutione vlterius esse non sustineret. Hinc ergò à Romano Pontifice responsum præstolantes, hinc ad electionem Episcopo eos vrgente, quid potiùs eligerent, ignorabant. Nec enim Episcopo parere poterant absque liberæ electionis* D *detrimento; nec suorum reditum sustinere, nisi præcepto Episcopi tam districtè iubentis postposito. Quorum alterum cùm esset effectui mancipandum, consulti Abbates & alij religiosi viri Episcopo satisfaciendum concorditer respondebant. Non erat, qui Fratres eorum amplius reuersuros diceret: præsertim cùm nullus crederet eos Romæ aliquandò secundum vota sua responsum accepturos. In has isti deducti angustias adinuicem dicebant, quia cùm tandem neceßitate cessuri sumus, ante flagellum cedere multò melius. Nominatis igitur ab Episcopo tribus personis, dataque optione, vt quam voluerint, vnam ex his sibi assumant, cuius opinio sanior erat, hic electus est, & Abbas constitutus. Verùm die eadem qua Marchianis introductus est, & à conuentu receptus, dictum est ijs, qui intus erant, ecce nuncius ante ianuam stat, de reditu Fratrum, qui nunquam reuersuri*

INNOCENTIVS II. ET IVO LEGATVS EIVS MARTIANENSIVM CAVSAM TVENTVR.

dicebantur,

plurimos eósque grauissimos tam paucis lineis errores complectitur, vt nihil magis ab veritate discedat. Etenim anno Christi 610. non prima Indictio fuit, verùm 13. non sedit Romæ Martinus, sed Bonifacius 4. Non Dagobertus, sed Chlotharius eius pater Francis imperauit: Nec Aicharius infulis erat ornatus. Ceterum ad huius Chronici aliorúmque sententiam de fundato sub Dagoberto & Aichario Blandiniano cœnobio accedit quoque his in verbis Elnonense Chronicon: *Anno autem Domini 611. ecclesia Gandæ auctoritate Aicharij Nouiomensis Episcopi, & Dagoberti Regis Francorum per B. Amandum dedicatur, seu reformatur.* Quamquam iisdem de tempore Aicharij & Dagoberti erroribus deturpetur. A

Iam verò qui ex certiori annorum computatione Chronica instituerunt, ij potissimùm circiter annum Christi, sexcentesimum & vigesimum primum ad cathedram euectũ fuisse Aicharium profitentur, ac florentis Franciæ regno Dagoberti annos ab sexcentesimo & vigesimo octauo inchoant. Cùm igitur non statim ab inito regno litteras S. Amando concesserit, quibus is vnà cum B. Aicharij licentia munitus Gandauum peteret: satis ex eo concluditur, non potuisse quidquam hunc Apostolum moliri, antequam Domini annus vigesimus nonus, aut etiam trigesimus post sexcentesimum volueretur: quandoquidem aliquamdiu fuerit ei cum ciuibus laborandum, vt à simulacris ad verum Deum ipsos conuerteret, sacrísque baptismatis mysterijs initiaret. Ex quo quid aliud nobis cogitandum necessariò relinquitur, quàm non potuisse quidquam eum priùs Martianis condere, quàm trigesimus incarnati verbi annus iniuerit? & forsan etiam inferiùs reiiciendum huius cœnobij principium. Equidem Oudemburgense Chronicon à Francisco Bario citatum Blandiniensis & Martianensis monasteriorum fundationem anno post sexcentesimum quarto & trigesimo attribuit, licèt minùs rectè idem vtrique tempus assignet, vt ex dictis manifestum est. Neque verear ipse nonnullos etiam huic ætati demere. Etenim si velimus eorum opinioni adhærescere, qui natum priùs volunt Elnonense monasterium, quàm Martianense D. Amandi laboribus pareretur, quam, vt vidimus, sequi videtur Andreas Martianensis, & Aubertus Miræus: non poterimus ante sexcentesimum & trigesimum nonum partę salutis annum aliqua Martianensis Abbatiæ initia deprehendere. Annus siquidem donati B. Amando fundi, in quo nunc Elnonense monasterium cernitur, Dagoberti regis hunc impertientis diplomati vndecimus regni subiicitur: qui non, vt habet Amandinum Chronicon anno Domini 634. sed potius 639 respondet, vt recto calculo colligit P. Ægidius Bucherius Societatis Iesu Theologus, & Chronologiæ peritissimus. Quid quòd vir aliquis eruditus (nomen eius incognitum mihi est) in libello manuscripto non ita pridem asseruerit, ex Blandiniensi Chronico à nobis ante citato, Blandiniani monasterij principia Martini Papę anno quinto esse tribuenda, ideóque assignanda Christi anno post sexcentesimum quarto & quadragesimo? Verum si ad Pontificis Martini annos esset Blandiniensis Abbatiæ primordium exigendum; ex citati iam Bucherij Chronologia id esset adscribendum vel quinquagesimo primo vel quinquagesimo secundo post sexcentesimum Christi annum; ac secundum Baronium adhuc inferiùs reiiciendum videremus. Quod sanè nimium quàm procul ab vero mihi discedere videtur, Etenim eo tempore nec Dagobertus Rex, nec Nouiomensis pontifex Aicharius in viuis erant: cùm hic anno 646. ille 644. extremum diem obiuerit. B C D

ADSTRVENDVM MARTIANENSE MONASTERIVM FVNDVM DEDISSE VIDETVR S. ADALBALDVS.

Maneat igitur saltem non priùs posita fuisse Martianensis Asceterij fundamenta, quàm post sexcentesimum annus trigesimus procurreret: quandoquidem, quo præsertim pòst anno id condi monasterium cœperit, difficillimum fit statuere: ac prorsus hoc quibusdam minimè videatur Elnonensi posterius. Nunc de illo quæramus obiter, qui fundum ei struendo dederit. Quantum coniicere licet ex Chronici Martianensis initio, is sanctus fuerit Adalbaldus, qui D. Rictrudem matrimonio sibi coniunxit, ex eáque D. Mauron tum suscepit, & Duacum possedit. Hæc námque sunt eius auctoris, qui Chronicon id scripsit, verba: *Construxit idem B. Amandus ecclesiam S. Petri in Blandinio, & post Marcianensem in honore eiusdem Apostoli, in*

Cap. 1.

præfa-

A

* id est fundo, qui pleno iure ad S. Adalbaldum pertinebat.

præfati Ducis Adalbaldi * *alodio*. Sed quantum possumus ex veteribus cœnobii huius monumentis arguere, præter locum nihil dederit Adalbaldus, cùm tanta principio ibi fuerit rerum angustia, & penuria, vt manuum labore coacti fuerint Monachi victum sibi comparare, antiquas aliunde S. Amandus subministrabat, eleemosynis vitam tueri.

Ceterùm illic initio, cœtúsne virorum, an virginum S. Benedicti habitum gestantium, eiúsque viuendi rationem profitentium à Beato Amando fuerit constitutus, inquirendum diligenter. Eam videtur opinionem complecti Hucbaldus Elnonensis Asceta, vt quamuis monachos imponere statuisset D. Amandus, beatus tamen Ionatus, quem huic monasterio perficiendo præfecit, virgines istic principio congregauerit. En quæ habet in vita S. Rictrudis: *Cui perficiendo, & ordinando idem præsul discipulum suum præfecerat Abbatem sanctum Ionatum venerabilem virum: cuius adhuc in eodem monasterio sacrum corpus habetur reconditum In quo & monachorum ordinem beatus* B *Amandus haberi voluit: sed iam dictus Abbas sanctimoniales, prout visum sibi fuerat, aggregauit*. Eandem & tenuisse sententiam credi potest eũ auctorẽ qui opusculum pro Commemoratione S. Ionati conscripsit, dum his vtitur verbis: *Sanè ad seruiendum Domino S. Amandus monachos in Martianis aggregare constituerat, sed Ionatus concessa sibi potestate ab ipso virginalem mentis & corporis diligens pudicitiam, sanctimoniales ibi esse instituit. Fecit hoc fortassè inspiratione superna edoctus, vt postmodum Beatæ Rictrudi eiusque filiabus sanctis vtique virginibus aptus esset locus, & condignè à conuentu sæculari remotus*. Neque ab ea videtur alienus miraculorum D. Rictrudis auctor, apud quem hæc reperio: *Vbi B. Amandus, qui monasterium ipsum in honore B. Petri construxit, monachorum ordinem haberi voluit. Disponente autem Deo S. Ionatus Abbas sanctimoniales aggregauit vt esset ibi congrua habitatio tam B. Rictrudi, quam filiabus eius virginibus sacris*. Verùm ex aduerso perpetua semper traditione iam inde à principio ad posteros eius Asceterij manauit, primos eius inquilinos diui Benedicti monachos fuisse. Eà- C que veritatem clarissimè litteris mandauit is Religiosus Martianensis, cuius opus est Chronicon à nobis anteà citatum. Sic enim is loquitur: *In eodem cœnobio primum monachos ad seruiendum Deo à B. Amando delegatis pastor vigilantissimus, & procurator interius exteriúsque, vir fidelis & simplex Ionatus donatus est eis. Qui B. Amandi pontificis discipulorum vnus eius sacra eruditione admodum informatus, ad hoc officium idoneus inuentus est. Sed non post multum temporis altiori inuestigatione consultum est, vt quoniam gloriosa mater Rictrudis loci fundatrix, & vniuersorum, quæ ibi contradita fuerant, domina, in illo sancto contubernio inter seruos Dei famulari videbatur, congruentius foret secundi sexus fideles ibidem ad seruiendum immittere, & illius sanctæ inhabitationis primatum sanctimonialium ordinem aptius obtinere. Semoto siquidem pace eorum illo adhuc modico conuenticulo, nobiles matronæ illuc vndique certatim confluunt: religiosæ viduæ, quæ verè viduæ erant, alacriter concurrunt; puellaris etiam pudoris iuuentus casta introducitur spiritualis gymnasij palestrã omnis in commune aggrediuntur*. Hactenus auctor ille anonymus: ex cuius verbis id omninò certissimum est, priùs in monasterio Martia- D nensi monachos agitasse: paucis post annis cùm D. Rictrudis vitam in eo ex S. Amãdi consilio religiosam ducere optaret, adscitas etiam sacras mulieres ac virgines, quibus concessa sede primaria, semoti fratres in altera parte consisterent: itáque diuiso monasterio, vterque sexus domino famularetur. Verùm id quod memorat idem auctor de bonis sanctæ Rictrudis huic monasterio attributis paullò latiorem exigit narrationem, vt maior lux veritati concilietur: ne tu putes, ab initio dotem ei D. Rictrudem ex censibus suis attribuisse. Igitur dum aliquamdiu in summa rerum ad corpus pertinentium paupertate, sed contrà in contentissimo virtutum studio intra Martianense Asceterium viuitur: interimque multiplex è cælo monachorum animis voluptas affunditur: tum diuini numinis impulsu, tum S. Pontificis Amandi opera consilióque D. Rictrudis post mariti Adalbaldi cædem nuncium mundo remittit, ac pleramque possessionum suarum partem monasterio Martianensi attribuit, ceteráque in alios Deo consecratos diuidit locos: ac rebus denique omnibus compositis in idem cœnobium sese cum tribus filiabus abdit, vt reliquum

QVÆ TRIBVERIT HVIC ABBATIÆ D. RICTRVDIS.

vitæ tempus ex D. Benedicti regulis transigat. Ibi cœtus virginalis ei cura committitur: dum interea loci monachos moderatur B. Ionatus, ipsámque consiliis adiuuat. ex iis quæ suppeditauerat B. Rictrudis vtrique familiæ necessaria subministrantur. Ad huius narrationis veritatem ea sunt expendenda, quæ sic repræsentat in Cameracensi Chronico Baldericus: *Apud villam quoque Marcenias, virgo Dei gloriosa Rictrudis ex proprijs opibus, & prædijs consilio sancti Amandi, qui tunc insignis habebatur, monasterium struxit, vbi sanctimonialibus ad seruiendum delegatis ipsa etiam Abbatissa habenas regiminis moderata est.* Præluxit enim nobis ad hæc eum in modum memoranda, is quem laudauimus, Martianensis auctor Chronici, qui domesticis vtique monumentis suam firmauit narrationem. Hæc igitur sunt eius verba: *Huic autem egregio Dei famulo* (Amando) *beata Rictrudis vidua Deo deuotissima in sanctitate & iustitia spiritualiter adhærens, eiusdem fabricæ nouellæ diligentia omnium prædiorum suorum, cunctarúmque opum suarum, vernaculorum & mancipiorum, & vniuersæ supellectilis suæ considerationem in eius consilij dispositione constituit. non tamen sine benedictione & auctoritate Præsulis* Cameracensis, *qui ea tempestate erat Autbertus memorabilis cælesti doctrina, & prædicatione vbique insignis. Inspiratione ergo diuina, pérque beatorum pontificum consulta fœmina virtutis, totius patrimonij sui substantiam bonorum omnium largitori Christo libenter refundere decreuit, alijs ecclesijs, ac vtriusque sexus fidelibus personis multa largissimè tribuens, suis verò locis, in quibus piæ actionis exercitio Deo militatura erat vsque in finem, vt paupertatis sanctæ amatrix, minus & pauca reseruans, nihil hæsitans in fide.* Et paullò pòst: *Ad Orientalem Martianensis villæ partem cœnobio ritè composito, & à duobus venerabilibus Episcopis Autberto videlicet, & Amando monasterio in honore Apostolorum Petri & Pauli sexto Kalend. Nouembris solemniter dedicato, nobilis matrona Rictrudis voti compos, vniuersa, quæ sibi residua videbantur esse, testamentum legitimum faciens, perpetuo iure possidenda liberaliter Sanctis Dei, & eidem contulit monasterio. obtulit quoque secum tres filias suas virgines infantulas regi Christo cælesti sponso fore charissimas.* Hæc auctor ille, Qui mox ea subiicit, quæ priùs de vtriusque sexus habitaculis, & primatu virginei cœtus retuli. Ex his ergò perspicuum est, non diu antequam monasterium ingrederetur, B. Rictrudem erga ipsum munificam fuisse. Quonam verò tempore id acciderit, non adeò clarum arbitror. Si veritati consentaneum esset, quod scribendo posteritati transmisit auctor Miraculorum D. Rictrudis, Dagobertum regem scilicet id conuiuium Baierij celebrasse, quod ea matrona præparauerat, quoue consecratum sibi velum imposuit: ante quadragesimum quartum post sexcentesimum Domini annum id accidisse oporteret, quandoquidem intra eius anni circulum mortem Dagobertus oppetiit, vt memorant Appendix Gregorij Turonensis, & Aimoïnus. Quia tamen id veriùs opinor, quod litteris mandauit Martianensis Chronici auctor, Chlodouæo nimirum Dagoberti filio post patris obitum in Franciæ regnum euecto, conditum à D. Rictrude testamentum fuisse; & non multo post tempore eam intra monasterij septa conclusam: omnino cogemur supra quadragesimum quartum annum ista reuocare. Ad hæc memorant Hucbaldus, & scriptores aliquot Martianenses non antè in Vasconiam Adalbaldum Dagoberti regis mãdato iter suscepisse negotiorum regni gratia, ibique se cum S. Rictrude nuptiis obligasse, quàm Charibertus eius regis frater è viuis abiuerit. Atqui cognitum habemus anno trigesimo septimo septimi sæculi Charibertum, eiúsque filium vita priuatos fuisse, ac ideò rursus ad Dagobertum Vasconię regnum rediisse. Quis igitur non videat intra nuptias Adalbaldi, & Dagoberti obitum nimis angustum tempus constringi, quàm vt eius spatio quater Rictrudis pepererit, éque susceptis his partubus liberis ternas puellas religiosæ vitæ idoneas secum in cœnobiũ duxerit? Nullo itaque modo ea sunt recipienda, quæ notauit Franciscus Barius anno 633. ingressum Rictrudis assignans cùm propter ea, quæ diximus; tum etiam quòd annos 40. Martianensem Ecclesiam fuisse moderatã asserat, ac deinde anno 687. in cęlos euolasse memoret; quã tamen omnes eo tẽpore asseuerant etiamnũ antistitã è viuis abiuisse. deinde prorsus reiiciẽda sunt quę

ignarus

Margin notes: Lib. 1. c. 16. — Cap. 5. — QVANDO SVA TRADIDERIT MARTIANENSI MONASTERIO S. RICTRVDIS, IDQVE EST INGRESSA. — Lib. 1. c. 8. — Cap. 79. — Lib. 4 c. 33. — Cap. 14.

Section letters (right margin): A, B, C, D

A ignarus quispiam Sigeberti verbis anno 644. sic inseruit: *Sanctitate florent Rictrudis Marchianensis, & eius filiæ Eusebia & Clotsendis.* Cùm enim nullam Adalsendis filiarum tertiæ, quam non multò pòst ingressum monasterij Deus in cælos recepit, mentionem faciat; id certè vult opinandū, iam ante hunc annum Martianas cum liberis subiisse Rictrudē. Ex aduerso Miraculorū D. Rictrudis auctor tales nobis has puellas repræsentat, vt maternis monitionibus, & ad virtutē exhortationibus aures attentas præbuerint, iisque nō parum incitatæ, ad præclaras religiosæ vitę actiones exarserint. Iam autem cùm ex Chronico Martianensis clarum sit sexto Kal. Nouembris a diuis Amando & Autberto dedicatā prius fuisse Martianensem ecclesiam, quàm ab illdē Rictrudis in Asceterium deduceretur: non possumus infra Christi annū sexcentesimum & quinquagesimum nonum reiicere Rictrudis ingressum, quandoquidem eo credatur tempore ad superos Autbertus euolasse. Id cùm videret B. Ægidius Bucherius anno sexcentesimo & quinquagesimo nono scripsit Rictrudem vna cum filiabus Martianis floruisse, ac nobis sentiendum reliquit, non diu antè habitum eam suscepisse religionis, cuius sanè perquàm libenter opinionem amplector. *In Chron. epist. Leodiens.*

B Sed modò animum ad monachos reuocemus, quos vnà cum Sanctimonialibus in Martianensi monasterio vixisse diuersas tamen sedes occupauisse, demonstrauimus. Aliqua enim hic disquisitione opus est, num ij scilicet diu post ingressum Rictrudis illic remanserint. Non diffiteor, me deprehendisse ex quibusdam monumētis Martianensibus, eius nonnullos fuisse sententiæ, vt morte abreptis iis, qui tum ibi degebāt, cum in parthenonem sese Rictrudis abstrulit, nullos ampliùs in cœtum receptos crediderint. Verùm his videtur Elnonense Chronicon obrogare, in quo hæc scripta reperio, cùm de B. Ionatho sermo est ab Elnonensi monasterio Martianas remisso: *Vbi post mortē etiam B. Amandi, aliquot lustris regulariter viuens, diuersos vtriusque sexus ad religionem induxit, & castitatem.* Et video etiam à Carolo Caluo, cuius diploma postmodum proferetur, vnà cùm Sanctimonialibus fratres quoque in Asceterio Martianensi nominari: quamquam fortasse sacerdotes tantùm eo nomine indicet, qui sedem in monasterio habentes diuina peragerent mysteria: quandoquidem Hucbaldus, qui Calui tempore viuebat, in præfatione ad vitam S. Rictrudis hęc scripserit: A *Clericis & sanctimonialibus congregationis Deo dilectæ famulæ beatæ Rictrudis rogitatus:* Quin etiā animaduerto in opusculo de S. Ionati corporis eleuatione Malgerum Congregationis Martianēsis presbyterum appellari: hæc enim ibi leguntur: *Beatus Ionatus procerus corpore, decorus aspectu, capite cygneo, vestimentorúmque indumento reuerendus cuidam congregationis suæ presbytero nomine Malgero, blandus & lætabundus apparens ait.* Et in litteris Lotharij Francorum Regis anno 975. scriptis hæc habentur: *Tam Abbatissa Iudith, quàm prædictæ sorores, necnon fratres ipsius monasterij S. Rictrudis.* Verùm quidquid ea de re fuerit manifestum saltem videtur, quo tempore Balduinus Bellobarbus Flandriæ Comes hoc monasterium instaurauit, nullos istic monachos consedisse; quandoquidem is Leduuino mandauerit, vt sanctimonialium loco monachos substitueret, nisi hoc eo sensu accipiamus, vt si qui tunc adhuc religiosi eo loci consisterent, omnem ij monasterij possessionem adiuerint, exclusisque Virginibus soli domicilium omne insederint Comitis mandato.

Vtrum diu post ingressum B. Rictrudis Monachi Martianis remanserint.

D Verùm etiam huic sententiæ refragantur ista veteris auctoris Miracula D. Rictrudis enarrantis, cùm de Leduuino sermo est: *Et ille de suis aliquot boni testimonij monachos eligens Marchianas transmittit,* quamquam hæc sic possimus interpretari, vt ceteris qui adhuc erant in Martianensi monasterio reformandis, aliquot Leduuinus ex Attrebatensi monasterio adduxerit Religiosos.

Porrò quamdiu D. Rictrudis, eiúsque filia Clotsendis virginibus præfuere, admodum sanè semper floruit Martianense monasterium. His in cælos euocatis, nūc lęta, nunc tristia euenere, tandémque omnis pessumdata fuit tum religio, tum res familiaris. Hæc qui fusiùs memorent, duos pręsertim Martianenses nactus sum auctores. Horum prior in primo Miraculorum D. Rictrudis libro hęc proponit: *Cui cœnobio sanctimoniales ab obitu B. Mauronti, qui transiit ex hoc mundo anno domini septuagesimo primo per trecentos viginti duos annos præfuerunt. Quæ sicut erant sexu infir-*

Sub sanctimonialibus religio consenuit, et multa sunt abalienata bona. Cap. 18.

A

mæ, & imbecilles, ita quoque erant ad res ecclesiæ nobiliter fundatæ tuendas per muliebrem ignauiam impotentes. & quid plura? Res ecclesiæ in villis & redditibus, & innumeris possessionibus ita sunt per earum insolentiam & muliebrem impotentiam, ab illis alienatæ, vt vix haberent, vnde possent miseram sustentare vitam? Nam sicut ab antiquis nostris nobis relatum est, quædam Abbatissa nomine Iudith, cuius suprà mentionem fecimus, ita cœpit possessiones eiusdem ecclesiæ dissipare, vt cuidam militi nepoti suo villas circa monasterium mira temeritate ausa sit iure hereditario tradere. Inter quas villam, cui nomen Warlen antiquitas imposuit Et paullò pòst: Supersedeo narrare propter fastidium legentium innumera damna, quæ Marchianensi ecclesiæ per harum tam longam inhabitationem acciderunt, scilicet amissionem Orciensis villæ, Duacensis redditus, siluæ de Remigis, & cæterarum rerum, quas scimus, & quarum non recordamur. His omnino respondent ea, quæ Chronicon Martianense nobis hunc in modum repręsentat: Clotsende igitur filia S. Rictrudis Abbatissa Marcianensi defuncta, ab anno Domini septingentesimo vsque ad millesimum XXIV. per sanctimoniales est administrata. Per tam longa temporum spatia magnam rerum suarum iacturam pertulit Marcianensis ecclesia, per fœminarum mollitiem, per barbarorum & Northmannorum inuasionem, per principum & tyrannorum auaritiam, qui ecclesiæ agros iniustè & violenter suis agris copulauerunt. Cernit hoc & sentit in præsenti ecclesia, cùm in Castro Duacensi sibi proximo nihil præter quinque solidos, & vnum denarium ad marsupium comparandum, de turre Comitis, quæ quondam fuit domus B. Rictrudis, accipit; & quod serui & ancillæ eius à thelonio sunt liberi. Quamuis profectus nobis nullus sit modò, si inter cetera componamus, quod de Orceis assertione certissima refertur: tamen nihil obstat, si præsentium, futurorúmque notitiæ insinuamus non solùm, quæ veraciter constant, vel quæ ipsi conspexisse potuimus, verùm etiam quæ ab alijs fideli narratione audiuimus. Sunt adhuc hodie longæui temporis personæ non contemnendæ, quæ narrant, & veraciter profitentur, quod nondum centenarius annorum numerus euolutus est, quando Beatæ famulæ Dei Rictrudis ecclesia Marcianensis Orceiarum prædium, sicut & cetera prædicta iure legitimo possedit. His quadantenus consentiunt quæ scribit in Chronico Cameracẽsi Baldericus horum auctorum ætate superior. Dum enim de Martianis agit, ita loquitur: Seculo autem semper, vt diximus, vitiato, ipsarum etiam puellarum ordo vitiari, & deprauari cœperat. Iámque magis ac magis deprauatus mos in degeneri posteritate vsque in præsens durauerat.

Cap. 20.

B

C

Verùm has inter morum tenebras, quædam interdum lux affulsit quorũdam Principũ beneuolentię ac liberalitatis. Etenim primùm in gratiam huius monasterij pręclarũ scripsit diploma Carolus Caluus Romanorum Imperator, & Frácię rex paullò antequam è vita discederet, quod hîc totum proferre constitui, vt ex Marchianensi archiuo depromptum fuit. Nouerim fortasse quibusdam admirationem has Carolo Caluo litteras adscribendo. Etenim nó modo Franciscus Barius Aquicinensis Prior cœnobij, aliíque non pauci, verùm etiam Martianenses Religiosi, ac Flãdrię Comes Balduinus Insulensis à Carolo magno scriptas eas tradidere. Ac Insulensis quidẽ de his hęc verba sunt Ecclesiæ Martianensis bona confirmãtis anno post millesimum quarto & quadragesimo: Nouerint igitur tã futuri, quàm præsentes, quòd sicut prædecessores Principes Karolus videlicet magnus Imperator, & Lotharius Rex possessiones Martianensis ecclesiæ, quas ei B. Rictrudis in eadem corpore quiescens ad sustentandum Deo ibi seruientes, dũ adhuc viueret mirifica largitate contulit &c. Verùm si diligenter attendamus annorum regni Imperiíque numerũ, qui litteris attexitur, omninò sanè reperiemus, non Magno, sed Caluo conuenire. Etenim etsi secundo Imperij Caroli magni anno Indictio decima respondeat: in eundem tamen annũ trigesimus tãtùm & quartus regni annus incidit. E cõtrario Carolus Caluus eodẽ planè tempore & secundum Imperij & trigesimũ octauũ Regni annũ egit, cũ decima Indictio decurreretur: vt omnia ipsi quadrẽt, quę sub diplomate sũt notata. Sed iã ipsũ Caluũ loquentẽ audiamus.

QVIDAM PRINCIPES PRO MARTIANENSI MONASTERIO LABORANT.

D

In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis Karolus misericordia Dei Imperator Augustus Si Seruorum Dei vtilitatibus subueniendo conferimus, profuturum nobis hoc ad æternam beatitudinem fore nullo modo ambigimus. Quapropter nouerit omnium sanctæ ecclesiæ fidelium nostrorum tam præsentium, quàm & futurorum industria, quoniam fororum & fra-

CAROLI CALVI IMPERAT. DIPLOMA PRO ECCLESIA MARTIANENSI.

A

trum necessitatibus in cœnobio Marcianas nuncupato, videlicet sito in * Comitatu Atrebatensi, in † pago Ostreuanno super fluuium Scarbum, sub tutela S. Rictrudis Deo militantium subuenire cupientes eorum indigentiis, nobisque per Bernonem venerabilem Diaconem & Palatinum dilectum ministerialem nostrum patefactis, decreuimus per eiusdem Bernonis deprecationem nostræ altitudinis præcepto eis confirmari res, quatinus per nostram munificentiam ad augmentum & vtilitatem eorum ea perpetualiter possideant, quæ inferius descripta habentur. Concedimus igitur memorato cœnobio circa ipsum monasterium terras, aquas, & nemora cum omni integritate. In pago † Cameracinse villam de Lis cum omni integritate: & in pago * Atrebatinse villam * Bariacum cum omni integritate. Similiter concedimus ei in pago * Ostrebanno villam Gaugiacum sub omni integritate: & in eodem pago Ostrebanno in * Lambras mansum I. cum molendino suo. Similiter & in prædicto pago videlicet Ostrebanno de villa Rallogio anguillas CCCC. Atque in pago * Pabulinse villam * Bebrigium cum omni integritate. Pari etiam tenore largimur in pago † Medenensanse villam Runcinium cum appendice villa * Templeuuio. Necnon & in pago * Letica villam Hainas cum appendice villa Nantgiaco. Similiter & in ipso Comitatu Letico de villa Rinenga, de omnibus scilicet rebus maioribus, seu minoribus, ac de omni acquisitione omnem decimam. De villa namque * Viriniaco iubemus fieri tres partes de vino, vnam partem ad opus * Senioris, alteram quoque ad vsus sororum ac fratrum in Martianis consistentium, tertiam quidem ad opus Sororum ac Fratrum in Hamatico degentium, omnia iure perpetuo habenda. Insuper etiam concedimus ad opus ecclesiæ infra ipsum monasterium mansum vnum, & in villa Ampleias mansos duos; atque in luminaria ecclesiæ de indominicato de argento libras III. & ad vinaticum similiter de indominicato de vino modia XII. ad hospitale eiusdem cœnobii infra ipsum monasterium mansum vnum, & in villa Ampleias mansos II. Atque in Ruliaco seruos II. necnon & de omnibus villis tam de * indominicatis, quàm & ex beneficiis totius Abbatiæ omnem decimam pleniter statuimus largiendam. Præterea statuendo sancimus, vt si in aliquo aliquid horum vobis defuerit, quia vnum sunt, & sub vno præposito, ex altero suppleatur, id est si vinum aut annona in vno superabundauerit, & alteri defuerit, ex superabundanti deficienti necessaria tribuantur. Et si neutrum horum vsibus fratrum seu sororum suffecerit, ex indominicato cuncta necessaria suppleantur. Nulla igitur ibi præponatur per violentiam persona, sed ad Episcopum ducatur electa. Hanc paginam, vt sit stabilis, annulo nostro signauimus,

Signum Caroli ✠ Augusti KAROLVS gloriosissimi Imperatoris.

Adaletorius Notarius ad vicem * Gauzlini cognouit.

Datum quinto Idus Iulii indictione X. anno XXXVIII. regni Domini Karoli regis in Franciam, & Imperii eius secundo. Actum Pontione Palatio Imperiali in Dei nomine feliciter. Amen.

Miraculorum beatæ Rictrudis Auctor Anonymus diplomatis huius mentionem libro primo inserens, hæc proponit. *Visis miraculis, & conuersatione eius audita, Karolus ..... Imperator Romanus non in vanum posse recoli memoriam eius satis vtiliter intellexit. Præcepit igitur omnia, quæ tunc sui iuris erant, scribi; & à Fratribus Deo seruientibus sine omni sæculari exactione libera in posterum possideri. Nec enim omnia, quæ viuens possederat, conscripta sunt; quia per incuriam sanctimonialium, & * eorum vitam magis sæcularem, quàm religiosam, iam multa malè distracta erant, & in sæculares vsus redacta. Est autem in archiuis ecclesiæ * subscriptio Imperatoria, annulli eius impressione roborata. In cuius priuilegii vltimo versu, regia munificentia ob amorem prædictæ matronæ instituit, vt si fratres, vel sorores eidem famulātes aliquo indigerent, de dominicatu regio suppleretur.* Hæc auctor ille, cui non aliud *indominicatum* esse videtur, quàm quod in regium cessit dominicatum: quandoquidem sic interpretatur Caroli locum, vt velit ex dominicatu regio supplementum fieri.

Porrò quem Caluus modò pagum Læticum, modò Comitatum Læticum nominat, ab aliis in diplomatibus pro Martianensibus scriptis, Lætigum quandoque appellari video. Fuit verò is olim tractus ille, qui cis vltraque fluuium Lætiam, vel Li-

Margin notes (left): * i. regione. † i. in tractu d'Ostreuant. † Cameracensi. * Atrebatensi idest Atrebato subiecti. B † Medenensi. * Leuco. * Vergni. * i. Domini, vel Abbatissæ. Senior enim pro Domino in Capitulis Caroli Mag. & Ludouici, Pii sæpè legitur; quæ significatione nunc etiã Hispani Senor vsurpat. C * alii sub lectum Carolis, ad vicem Gozleni. D * eorum. * scriptio.

Margin notes (right): * i. Boiry. * i. Ostreuanno. * Lambris. * Pabulensi. * i. Beuury. * Templouio. * Idem Carolus in quodam diplomate pro Abbat. S. Germ. à Prat. scripto, cùm de vineis agit; Siue sint indominicata, siue in beneficium quibuslibet data.

ſam ſatis latè protendebatur: & poſteà in communem Flandriæ appellationem tranſiit. Etenim Rinenga, vel Reynenga, intra Furnas & Ipras non procul Diſcamuda conſpicitur: Haynæ verò iuxta Baſſeam iacent, qui tractus olim quoque Flandricus fuit; licet nunc idem vicus ad Comitatum Arteſiæ pertineat. A

Exſtat verò aliud diploma, quo idem Imperator ſuis militibus & exercitui prohibuit, ne quis huic monialium Abbatiæ aliquid inferret detrimenti. Exactis poſteà non paucis annis Francorum rex Lotharius in idem cœnobium ſeſe munificum præbuit, vt hæ, quas ſcripſit, litteræ teſtantur.

LOTHARIVS FRANCORVM REX HAINAS MARTIAN. ABBAT. RESTITVIT.

In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis Lotharius miſericordia Dei Francorum rex. Si Seruorum Dei vtilitatibus ſubueniendo conferimus, profuturum nobis hoc ad æternam beatitudinem † fide nullo modo ambigimus. Quapropter nouerit omnium ſanctæ Dei eccleſiæ, ac fidelium noſtrorum tam præſentium, quam & futurorum induſtria, quòd cariſſima coniux noſtra Emma adiens noſtram præſentiam humiliter deprecata eſt, vt quandam villam nomine Haines, quæ tempore Arnulphi Comitis ſororibus ac fratribus in cœnobio S. Rictrudis degentibus iniuſtè ſublata fuerat, ob remedium noſtrarum animarum, & antecesſorum noſtrorum præcedentium, iam dicto cœnobio redderemus, conſenſum præbentes more prædeceſſorum noſtrorum regum reddidimus, atque conceſſimus prædictam villam Haines in integrum cum omnibus ad ſe pertinentibus, vt deinceps habeant tam Abbatiſſa Iudith, quàm prædictæ ſorores, necnon fratres ipſius monaſterij S. Rictrudis poteſtatem faciendi quidquid voluerint ſine vlla noſtra ſucceſſorúmque noſtrorum prohibitione. Et ſi quis eis per quoduis ingenium auferre quæſierit, iram Dei omnipotentis, & B. Rictrudis, ſanctorúmque omnium incurrat, libras verò auri perſoluat centum, medietatem cameræ noſtræ, medietatémue prædicto monaſterio. Et vt firmius maneat hoc inconuulſúmque ſeruetur, manu propria ſubter firmauimus, & annulo noſtri palatij iuſſimus inſigniri. Signum Domini Lotharij glorioſiſſimi regis.

† fortè. B

HRS

Adalbero Notarius ad vicem Domini Adelberonis Archiepiſcopi ſummique Cancellarij recognouit ſcripſit & ſubſcripſit. C

Actum Duacenſe Caſtello anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo ſeptuageſimo quinto, regnante Domino Lothario anno vigeſimo ſecundo feliciter.

Lib. 1. c. 21. Huius donationis ita meminit auctor Miraculorum S. Rictrudis: *Habebat autem B. Rictrudis quamdam villam nomine* Haines: *quam Arnulfus Vetulus Comes eo tempore, quo Flandriam regebat, iniuſta peruaſione ei abſtulerat. Sed Lotharius filius Ludouici filij Caroli Simplicis, regni Monarchiam adeptus, inter ceteros per Domini gratiam felices euentus, etiam vxorem ſortitus eſt prudentem & religioſam. Quæ interpellata à fratribus & ſororibus Marchianenſis eccleſiæ, apud præfatum Regem obtinuit, vt villam, quam* Arnulfus *iniuſtè abſtulerat, ipſe timore diuini examinis, & reginæ interuentu, beatiſſimæ Rictrudi deuotiſſimè reſtitueret. Et vt ſine querela in perpetuum poſſideretur, villam illam ab omni cenſu, & ſæculari exactione liberam eſſe præcepit.* Ob hanc villam Iacobum Meierum Marchianenſes monachos ſugillaſſe deprehendo, quaſi minùs rectè Comiti Arnulfo eius inuaſionem opprobrauerint. Sic enim is ſcriptum reliquit, dum ea recenſet, quæ ſibi ab eodem Principe derepta queſti ſunt Religioſi: *Referunt & Martianenſes ablatas ſibi apud * Bainas ab Arnulfo poſſeſſiones ſuas, quas eo defuncto mox interceſſione † Emmiæ reginæ ab Lothario Rege receperunt.* Horum enim, vt aliorum monachorum ab eodem Comite detracta ſibi quærentium, in dubium fidem reuocat, vt facilè is perſpiciet, qui totum eius locum ponderabit. D

Lib. 2.

* Haines.

† Emmæ.

BALDVINVS BELLOBARBVS MARTIANENSE MONASTERIVM INSTAVRAT, INDEQVE VIRGINES EXIGIT.

Vbi tandem poſteà nihil penſi huius monaſterij antiſtitæ habuerunt, ſéque ſuaſque virgines in ſummas rerum anguſtias prauis moribus & imperitia gubernandi coniecerunt; ingens dolor Flandriæ Comitem Bellobarbum perculit; ſcribóque is anno Chriſti milleſimo & vigeſimo quarto ad inſtaurationem huius loci operam & laborem contulit; & quia nihil boni à fœminis ſperabatur, eas inde exigi, totúmque monachis cœnobium tradi curauit, quibus præeſſet è Vedaſtino monaſterio Leduuinus.

A duuinus. Rem istam sic primus enarrat Baldericus in Cameracensi Chronico. Iis *Lib. 1. c. 16.*
enim, quæ antè retulimus, de monialium Martianensium moribus, hæc subiungit: *Nuper verò iam dictus Abbas Leduuinus, Gerardo Episcopo, & Marchione Balduino satagentibus, fœminas turpiter viuentes mundato loco exturbauit, ac monachos, qui meliùs & religiosiùs Deo & prælibatæ virgini, quæ ibidem quiescit, deseruiant, constituit.* Quæ tam breuiter proposuit Baldericus, Miraculorum D. Rictrudis auctor Anonymus longè fusiùs explicat his verbis: Cùm *igitur Marchianense monasterium, & cum eo multa alia* *Lib. 1. c. 19.*
rabies Normannica destruxisset; sanctimoniales quoque penè ad nihilum possessiones eius redegissent: pio Domino, cuius est proprium misereri, tantis malis finem placuit imponere. Et quoniam vitam fœminarum dissolutam exosam habebat, substantiam, qua Deo seruientes sustentari debuerant, eas totam dissipare, vt cœperant, non sustinuit. Balduino igitur Comiti Flandriarum, auo scilicet Balduini, qui apud Hasnonium honorificè sepultus est, bonum pro restaurandis ecclesiis spiritum largitus est. Et gratia Dei in eo vacua non fuit. Sapienter enim tractare cœpit apud se, vbi vir perfectus & sanctus inueniri posset, in hæreditate Do-
B *mini, non quærens quæ sua sunt, sed quæ aliorum. Quærit virum optimum* &c. quæ iam antè repræsentauimus: cum de Leduuino ageremus. Subdit verò posteà: *Accito igitur* *Lib. 1. c. 22.*
tali viro supradictus Comes blandis exhortationibus, & promisso cooperationis suæ auxilio, ad quod intenderat, animum eius inflexit. Vides, inquit, venerande Pater, Flandriarum monasteria Normannica incursione destructa, & quòd ætas nostra inops sit virorum, qui ad ea instauranda aliquam impendant sollicitudinem. Ego autem si vita comes fuerit, Deo volente ruinas eorum reædificabo, si gratiam quæ in te est, huic restaurationi communicare non graueris. Denique inter alias Marchianensem ecclesiam, quæ peccatis sanctimonialium exigentibus concrematione monasterij, & redditaum amißione desolata est, in statum pristinum reuocare conemur. Tu nostram immò Domini vocem in hoc opere tanquam fidelis seruus exequere, & amotis auctoritate nostra sanctimonialibus ibi substitue monachos, & ordinem regularis disciplinæ. Si verò per industriam tuam cooperante Dei gratia iuxta fidem nostram res in melius cedat; benè omnibus ordinatis hac pastorali cura & onere te leuabo.
C *Acquiescit ille non honorem affectans, sed hæreditatem Domini vendicare cupiens de manibus diripientium eam. Et qui priùs ad regendam ecclesiam vnam se indignum fatebatur, super duas per diuinam prouidentiam modò illi sollicitudo iniungitur. Nec mora ex præcepto Comitis sanctimoniales abscedunt: & ille de suis aliquot boni testimonij monachos eligens Marchianas transmittit. Tunc ibi cœnobialis disciplinæ rigor, otium contemplandi, orandi aßiduitas innouatur, & de nouo ipsius monasterij fabrica innouatur.* Hactenus auctor ille nullum huic tam celebri facto tempus assignans: quod Andreas Martianensis in Chronico ita constituit: *Anno XXVIII. Roberti regis de Abbatia sanctæ Rictrudis Marcianensis expulsæ sunt sanctimoniales, quam per trecentos & triginta annos possederant, & recollocati sunt ibi monachi per Liduinum Abbatem S. Vedasti, & Balduinum Comitem Flandriarum.* In quo sanè ex Ioannis Tilleti chronologia omnino conspirat cum Martianensis Chronici auctore, quem vidimus anteà in annum millesimum & vigesimum quartum Sanctimonialium regimen protraxisse, cui Tilletus Roberti annum octauum & vigesimum componit, quamuis Baronius anno præcedenti
D committat.

Qui verò ad Martianensis Abbatiæ bonum odorem latiùs diffundendum, & retinendam in officio eius familiam, suum etiam laborem Balduinus Insulensis Bellobarbi filius contulerit, cùm beatum Popponem eò misit: iam suprà ex auctore Miraculorum S. Rictrudis, ac Euerhelmo Abbate docuimus, dum inter Martianenses Antistites ipsum Popponem laudaremus. Qui deinceps idem supremus Asceterij huius Aduocatus, vel defensor electus, inferioribus, ne iniurij monachis essent, aduocatis præscripserit, sequenti libro eius diploma proferentes in medium patefaciemus, cùm de Gallo-flandriæ Aduocatis agetur. *BALDVINVS INSVLENSIS EIDEM OPITVLATVR MONASTERIO. Lib. 1. c. 22.*

Non multis inde lapsis annorum circulis Fulcardus Abbas in grauissimam rursus hoc monasterium calamitatem adduxit, cùm partim vitæ luxu, partim profusa in propinquos largitione bona eius ac possessiones pessumdedit: actumque prorsus de ipso fuisset, nisi Prior Aquicinctensis Amandus impositam sibi dissipatum gre- *AMANDVS ABBAS IDEM MONASTERIVM PROMOVET.*

A

gem reuocandi,& coalescentem denuò cœtum moderandi prouinciam egregiè sustinuisset,quemadmodum suprà memorauimus, vel cum huius loci calamitates exponerentur,vel cum suis Abbates ornarentur laudibus.

Romani Pontifices Martianense monasterium tuentur, ac Priuilegÿs muniunt.

CAPVT XXI.

B

QVI PONTIFICES ROMANI HANC ECCLESIAM DEFENDERINT, ET ORNAVERINT PRIVILEGIIS. Lib. 2. c. 22.

ANNO posteà fermè 1141. Cùm insignis inter Atrebatensem Episcopum Aluisum, & Marchianenses monachos,ob noui præsulis electionem,arderet discordia:& multum sanè detrimenti spiritualis passum est hoc cœnobium.& multum à pontifice maximo eiúsque Legato fauoris ad exstinguendam contentionem obtinuit.E libris Miraculorum S. Rictrudis totius rei huius narrationem si deprompsero, nihil alienum me ab instituti mei ratione facturum arbitror. Sic igitur ibi scriptum inuenio: C*ùm ergo* A*bbas,qui venerabili* A*mando iam defuncto successerat,onus prelationis attenderet,laborem cœpit abhorrere, & districti examinis futuram timere discußionem. Vnde conuocatis fratribus in Capitulo:Curæ, inquit,pastoralis officium exequi, prout dignum est,nescio: & videte filioli, quid acturi sitis, quia vlterius non dispensabo. Cui dum responderetur, ne hoc ageret, & ille inscientiæ suæ causam replicaret,pariterque nolentis affectum: lugens in continenti & coram omnibus lachrymans, arrepta pastorali virga posuit eam super altare beatæ Rictrudis. Tunc nulli opus fuit quærere,ad quid hoc fecisset,scientibus cunctis,quia in baculi oblatione pastorali renunciasset officio. Fratres autem videntes quod factum fuerat, Abbatem se non habere, prædicto Episcopo nunciant: & iste,postulat gestæ rei ordinem sibi manifestiùs exponi. Domnus,inquiunt, Abbas coram omnibus accusans impoßibilitatem suam,& propriæ consensum voluntatis, vt vlterius non preesset, Abbatis nomini & officio sponte renuntiauit. Ad hæc Episcopus,alter, ait, qui dignus est preesse,canonicè & cum timore Domini loco eius subrogetur. Et factum est ita. Renunciatur electio, & Episcopo non placet: animúmque ad eam dissoluendam intendit. Probibet Fratres vlteriùs progredi, & vt meruerant, vir ille sanctißimus post interdictum durè locutus est ad eos. Ipsi verò acceptis contumelÿs,ad indignationem Episcopi,scientes verbum eius viuum & efficax, magis timuerunt. Vnde ne in præsentiarum eius excellens dignitas grauiùs eos corriperet,seipsos & ecclesiam suam in tutela S. Romanæ ecclesiæ sub astantium testimonio eadem hora constituentes Marchianis reuersi sunt. Adhuc enim sperabant,vt dum in monasterio quieti vacarent, intra paucos dies Episcopalis indignatio conquiesceret. Verùm lingua tertia, quam, quia multos turbauit pacem habentes,sacra Scriptura detestatur, venerabili Episcopo tanquam homini subripuerat, vt Marchianensium petitionibus non adquiesceret. Hæc etiam inquietum & inquietans malum eidem suggerebat,vt eius auctoritas & eorum reprimeret extollentiam,& corrigeret excessum. Cùm ergo fratres exissent,ipse cum aliquibus de clero suo equis ascensis Aquicinctum venire festinauit, & re-*

C

D

uocans

A *uocans eos, sicut placuerat in oculis eius, sic locutus est eis: praecepitque, vt Abbatem suum, qui eos dimiserat, nulla interueniente mora, secum reducerent. Dompnus verò Gozuinus Aquicinensis ecclesiæ Abbas, qui adhuc superest, vir religiosus, & prouectæ ætatis, inexorabilis corporis sui castigator, quem laudare nolo, quia laudari non appetit, & ceteri eiusdem domus seniores, quid facto opus esset, requisiti: licet is, qui reduci mandabatur, eorum monachus esset, & socius; tamen ipsum Abbatem restitui, non approbabant. Scientes quoque quòd venerabilis Episcopi sententia modum excederet; humiliter ipsum precabantur, vt in Marchianensem ecclesiam misericordiùs agere dignaretur. Verùm hic, sicut erat spiritu feruens, zelo Dei & secundùm scientiam, vel etiam remissius quam oporteret, omnia se agere credens, instabat Episcopali auctoritate Abbatem in*
B *locum quem dimiserat sponte, reuocare. Vnde quia ex aduerso stabant, grauiorem adhuc metuentes sententiam, In nos, aiunt, sanctissime Pater, quod pace vestra dixerimus, iniustè agitis, & ideò vnicum Sedis Apostolicæ remedium appellamus. Ibi cùm coram summo Pontifice causa nostra discussa fuerit, & decisa, in vestram sumus annuente Domino amicitiam reuocandi. Ad hęc Episcopus grauiter indignatus, nequaquam, ait, propter vestram appellationem Romam profecturus sum: sed vos in pręsentiarum tanquam mihi rebelles excommunicationi subijcio. Hoc dicto Fratres illi foras dolentes egressi sunt: & ab officijs diuinis ecclesia eorum suspensa. Dicebant enim, qui nos hoc alligauit vinculo, Dominus est, & eius sententia nequaquam infringenda. Tunc inito consilio aliqui ex se-*
C *nioribus monasterij Romam profecti sunt, qui causam negotij huius sibi creditam coram Domino Papa irreprehensibiliter prosecuti sunt. Dominus enim qui cum eis erat in via, sic prosperum fecit iter eorum, vt confecto negotio, de manu Summi Pontificis ad Capitulum suum litteras acciperent gratia & Apostolica benedictione plenas. Alias quoque ad Episcopum Atrebatensem, quales pater ille vniuersalis dirigendas constituit. Dum agerentur hæc, reliquos Marchianensis ecclesiæ Fratres à communione suspensos Episcopus misericordia motus, communioni restituit. Post absolutionem verò praecepit, vt de tribus personis, quas eis nominaret, quemlibet Abbatem sibi constituerent, quia domum Dei sub hac dispensatoris destitutione vlterius esse non sustineret. Hinc ergo à Romano Pontifice responsum præstolantes, hinc ad electionem Episcopo eos vrgente, quid potiùs eligerent, ignorabant. Nec enim Episcopo parere poterant absque liberæ electionis*
D *detrimento; nec suorum reditum sustinere, nisi praecepto Episcopi tam districtè iubentis postposito. Quorum alterum cùm esset effectui mancipandum, consulti Abbates & alij religiosi viri Episcopo satisfaciendum concorditer respondebant. Non erat, qui Fratres eorum amplius reuersuros diceret: præsertim cùm nullus crederet eos Romæ aliquandò secundum vota sua responsum accepturos. In has isti deducti angustias adinuicem dicebant, quia cùm tandem necessitate cessuri sumus, ante flagellum cedere multò melius. Nominatis igitur ab Episcopo tribus personis, datáque optione, vt quam voluerint, vnam ex his sibi assumant, cuius opinio sanior erat, hic electus est, & Abbas constitutus. Verùm die eadem qua Marchianis introductus est, & à conuentu receptus, dictum est ijs, qui intus erant, ecce nuncius ante ianuam stat, de reditu Fratrum, qui nunquam reuersuri*

INNOCENTIVS II ET IVO LEGATVS EIVS MARTIANENSIVM CAVSAM TVENTVR

dicebantur,

dicebantur, nuncium portans bonum. Iesu bone, quàm magnam & insperatam lætitiam singulorum animis fama hæc reportauit! iucundus dies ille: exultatum & lætatum est in eo. Singuli enim desperantes dolore contabuerant; sed ad hoc verbum * quorumque spiritus reuixit. Nec mora, qui reditus sui iter accelerauerant, diuertunt ad Episcopum, Sedis Apostolicæ litteras humiliter ei præsentantes. Miratur Episcopus, mirantur omnes, per quos transitum faciunt: quia barbis prolixis, & adusti caumate, non monachi, sed peregrinorum similitudinem induerant. Hinc ad Fratres suos festinant, Apostolicam benedictionem cum litteris sigillo impressam nunciantes. Quam audientes singuli Patrem illum tanquam præsentem summissis vultibus adorant. Inde vultu alacri & animo in oscula nunciantium ruunt: & ab vno continentia litterarum recitata est. Quibus perlectis Abbas supellectilem suam collegit & abijt: quia * quæque post appellationem constituta Sedis Apostolicæ damnabat auctoritas. Qui si stare voluisset, monachi eo viuente, saluáque domni Papæ reuerentia, nequaquam alterum elegissent. Erat enim vir sapiens & religiosus, pro sanctitate sua Remis apud B. Remigium in Abbatem paullo post assumendus. Deinde transactis admodum paucis diebus, quidam Romanæ sedis Legatus in Franciam directus est, vt faceret iudicium iniuriam patientibus, & extra Alpes Summi Pontificis partes explicaret. Hic apud Latiniacum Concilium conuocauit: ad quod Episcopi cum Abbatibus, & infinito Cleri numero confluxerunt. Multa quæ digna erant correctione, ibi discussa & recisa sunt. Dum verò oppressus clamat, vel oppressor partem suam nititur defendere; causam inter Episcopum & Marchianenses monachos diu ventilatam Episcopus, & qui ei adhærebant recordati sunt. Et dum Cardinalis Presbyter quæreret, quid causæ esset, quòd Marchianenses vocati non venissent, plenam iustitiam accepturi: qui Episcopo fauebant, illos, tanquam refugas iustitiæ, nunquam venturos responderunt. Qui enim, inquiunt, in spiritu mendacij Romam profecti sunt, qua fiducia vel temeritate præsentibus his, qui eos intus & in cute norunt, conuentui sanctorum se manifestare præsumerent? Sic dum in absentes falsitatis crimen intenditur, ecce Fratres ijdem, qui Româ insperatò redierant, ad eundem locum accurrentes, celebri illo conuentu alacriter salutato, se medios ingesserunt. Ad quorum præsentiam (eò quòd nunquam venturi dicerentur) Legatus, qui eos Romæ nouerat, hilariofactus, assurrexit eis, & annuens, vt sederent, non modicum coram omnibus honorem eis exhibere dignatus est. Post paululum eo iubente vnus ex eisdem Fratribus stans in medio, quæcumque Romano Pontifici innotuerat, cuncta per ordinem in auribus omnium memoriter repetere non distulit. Ad quem Legatus, verbum, inquit, Frater, quod nunc dixisti, maximè consonat illi, quod Romæ locutus es: ad rem pertinens nihil additum, vel prætermissum est. Nam cùm præsens essem, omnia hoc ordine te prosecutum satis recordor: & nunc vobis tacentibus, venerabili Episcopo, qui aduersum vos agit, respondendi facultas tribuitur. Respondentibus Episcopis, qui partem illius tuebantur, Pater sanctissime, cum consilio responsurus est Episcopus. Iustitia, inquit ille, Fratres karissimi petitioni vestræ refragatur. Isti quippe Fratres aduocatum non habuerunt, & absque consilio locuti sunt: æquum est quemcunque stantem ex aduerso inconsultum, & absque aduocato respondere.

A

* quorumcunque.

* quæcumque.

B

C

D

A *respondere. Videns itaque Episcopus, quòd ad respondendum dictante iustitia inducias habere non poterat, se deceptum, & fraternas irrogando iniurias grauiter peccasse, coram omnibus confessus est. Nam sicut vir sapiens præcauens sibi in futurum dicebat se malle confundi coram celebri illo conuentu, pro eò quòd modum corrigentis excesserat: quàm ad diem districti examinis cum noxa hac venire impunitum. Audiens hoc Legatus, & inclinans se ad Bernardum Claræuallis Abbatem (erat enim propter) dulcis scilicet memoriæ virum audisti, inquit, Fratris & Coepiscopi nostri confessionem pro humilitate tanti sacerdotis omni laude dignissimam? Vbi ergo fuit tuæ sanctitatis discretio, cùm litteras tam detestabiles, & multæ amaritudinis nota respersas Romam aduersus Fratres in-*
B *noxios misisti? Ad quem ille, peccaui, inquit, & culpam humiliter confiteor: quia ignoranter feci. Credidi nuncijs Episcopi, & vterque nostrum vno eodemque spiritu deceptus est. Quibus salubriter confessis indulta venia, Episcoporum, qui conuenerant, procurante sapientia, alterutrum reconciliati sunt: & qui discordes adinuicem illuc venerant, amici redierunt. Patribus tamen illis postulantibus, vt Abbati, qui per Episcopum fuerat assumptus, non deposito cura pastoralis crederetur; Legatus indignè petitioni nequaquam voluit adquiescere: quia*
* cassatis. *electionem hanc appellatio præuenerat. Immò, inquit, Patres karissimi * cessatis omnibus recens institutis, iuxta Apostolicam traditionem Marchianensibus electionis liberæ priuilegium restituitur: quibus etiam, si idoneam iudicauerint personam, Abbatem quem ante appellationem elegerant, habere licebit.* Hucusque auctor ille Anonymus, qui nullum prodit tum Romani Pontificis, tum
C Cardinalis eius Legati nomen. Verùm ex ipsa Pontificum Chronologia gestisque, satis colligitur eo tempore summum ecclesiæ magistratum tenuisse Innocentium eius nominis secundum, cuius mandato in Gallias venerit Iuo presbyter Cardinalis, eiúsque Legatus, vt causam Radulphi Veromāduorum Comitis agitaret. Quod his verbis ad Christi annum 1142. in Supplemento memorat Robertus de Monte: *Radulphus Viromanduorum Comes vxorem suam dimittit, & sororem Reginæ Petronillam ducit. Propter quod instantia Comitis Theobaldi mittitur Romanæ Sedis Iuo Legatus, qui & Radulphum Comitem excommunicauit &c. Episcopos Laudunensem Bartholomæum, Nouiomensem Simonem, Petrum Siluanectensem, qui diuortium illud fecerant, suspendit.* Sed hunc locum proponens ac discutiens Cardinalis Baronius nullum assignat Concilium oppidúmue, ad quod Iuo Episcopos, Abbates ac clericos euocauerit: nullámque huius conuentus mentionem is facit, qui nuperrimè Conciliorum tomos concinnauit, ac Notis illustrauit.
D vt omnino peritura tum eius, tum eorum, quæ præter Radulphi causam tractata sunt, memoria videretur; nisi auctor Martianensis operi suo vtrumque inseruisset. Quem autem animaduertisti ab hoc minimè nuncupatum Abbatem illum, quem Episcopo instante monachi Martianenses delegerant, is Hugo dictus fuit. Nam in Catalogo Antistitum Martianensis ecclesiæ hic Lietberto substituitur, ac paucissimis tantùm diebus Martianis stetisse scribitur, vt iam antè ex eo notauimus, qui B. Hugonis tertij ab hoc Abbatis vitam litteris mandauit.

Verùm priusquam Iuo Legatus pro Martianensibus ex Innocentij voluntate sententiam Latiniaci tam honorificè dixisset: idem Pontifex anno 1141. istud monasterium, eiúsque bona insigni diplomate confirmauerat: è quo huc aliqua minimè grauabor adducere. IDEM INNOCENTIVS II. BONA MARTIANENSIS MONASTERII CONFIRMAT.

Innocentius Episcopus &c. dilectis filijs monachis Marchianensibus tam præsentibus quàm futuris, regulariter substituendis, in perpetuam memoriam: Officij nostri nos monet

auctoritas

auctoritas religiosa loca diligere, & ea opportuno consolationis munimine confouere. Huius rei gratia, dilecti in domino filij, vestris iustis postulationibus paterna benignitate impertimus assensum, & Marchianense monasterium, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus: Statuentes, vt quascumque possessiones, quæcumque bona præfatum monasterium in præsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant &c. Nã posteà latissimè possessiones, decimas, & altaria Martianensibus obnoxia enumerat; quibus tandem omnibus hæc subiicit: *Quæ videlicet vniuersa in consuetæ libertatis immunitate decernimus permanere, quatinus Fratres quiete omnipotenti Deo debita possint seruitia exhibere. Ad hæc adijcientes sancimus, vt nulli omnino liceat præfatum monasterium, & ecclesiam Hamagiensem absque manifesta & probata culpa à diuinis officijs interdicere. Nullus quoque ibidem qualibet subreptionis astutia, vel violentia in Abbatem præponatur, sed liceat vobis communi consilio, vel parti consilij sanioris secundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam absque vllius contradictione, Abbatem eligere. Chrisma verò, oleum sacrum, consecrationes altarium, seu basilicarum, benedictionem Abbatis, ordinationem monachorũ, vel clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi, à diocæsiano suscipietis Episcopo, si quidem* Catholicus *fuerit, & gratiam atque communionem Sedis Apostolicæ habuerit; & ea gratis, & absque prauitate aliqua voluerit exhibere: alioquin liceat vobis Catholicum quemcumque malueritis adire antistitem, qui nimirum nostra fulcus auctoritate quod postulatis indulgeat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, vt quicunque se illic sepeliri deliberauerit, nisi fortè excommunicati sint nullus obsistat. Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat idem cœnobium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere &c. Datum per manum Baronis Capellani & scriptoris Kal. Decemb. Indic. v. Incarnat. Dom. anno* M. C. XLI. *Pontif. Domini* Innocentij *Papæ* II. *an.* XII. Hactenus Innocentij diploma: in quo cum animaduertis nullius Abbatis, ac solorum sibi mentionem monachorum, id colligas licet, has omnino litteras esse, quas Anonymus refert ab summo Pontifice plenas benedictionis Martianensibus traditas, qui Romam ad eum profecti sunt. Cùm enim eæ scriberentur, antistitem nullum habebat Martianense monasterium.

Persimile diploma pro eodem monasterio iam conscripserat Callistus Secundus, cùm Romæ in Lateranensi palatio moraretur anno 1123. Dein aliud condidit Eugenius Papa Tertius, Viterbij dum ageret anno salutis post millesimum & centesimum sexto & quadragesimo.

MARTIANENSES SVIS ETIAM BVLLIS ORNANT CALLISTVS II. EVGENIVS III. ALEXANDER III. LVCIVS III. CÆLESTINVS III. CÆLESTINI DIPLOMATIS PARS ALIQVA.

Manauit etiam bulla consimilis ab Alexandro Tertio Pontifice Romano Incarnati verbi anno supra millesimum & centesimum septuagesimo secundo. Suísque deinceps litteris eiusdem monasterij possessiones ac priuilegia Lucius Tertius anno 1184. & Cælestinus Tertius anno 1195. stabiliuerunt. Non erit credo ingratum lectori, si quid è Celestini diplomate huc traducam, manifestandis tum quæ Lucius, tum quæ ipse superiorum pontificum indultis adiecit, priuilegiis. Hæc igitur in Bulla eius leguntur: *Interdicimus etiam, ne quis in vos, vel ecclesiam vestram, vel ecclesiam Hamagiensem, quæ ad vos pertinet, sententiam interdicti, vel excommunicationis, sine manifesta & rationabili causa promulgare præsumat; seu nouas & indebitas exactiones vobis, vel hominibus vestris imponat. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, diuina officia celebrare. Sane Noualium vestrorum, quæ proprijs manibus, aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis animalium vestrorum nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Stationes quoque publicas à * diocesianensi Episcopo in monasterio vestro fieri auctoritate Apostolica inhibemus. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos, liberos & absolutos, è sæculo fugientes, ad conuersationem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, vt nulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit absque Abbatis sui licentia de eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu discedere. Discedentem verò absque communi litterarum cautione nullus audeat retinere.*

* diœcesano.

A *tinere. In parochialibus autem ecclesiis, quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, diocesano Episcopo præsentare: quibus, si idonei fuerint, curam animarum committat; vt ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant respondere. Statuimus etiam vt inter fines parochiarum vestrarum nullus ecclesiam, vel oratorium sine • diocesiani Episcopi, & vestro assensu de nouo ædificare præsumat. Saluis tamen priuilegijs Romanorũ pontificum. Inhibemus præterea, ne Comiti, vel Aduocato, seu alicui terrenæ potestati, nisi ei ex causa rationabili debeatur, in aliqua villa monasterij vestri, vobis inuitis, mansionem facere,* tenere placita, conuiuia præparare; aut exactiones in † hominibus monasterij facere, vel ab eodem monasterio liceat aliquid extorquere: eo dumtaxat excepto, quod iustè per autenticum scriptum* Comitis *Balduini concessum est Aduocato. Ferconem quoque, quem ab ecclesia S. Petri* Duacensis *in festo S. Ioannis Baptistæ singulis annis de iure debetis habere, vobis & monasterio auctoritate Apostolica confirmamus. Nichilominus etiam per huius scripti paginam interdicimus, ne Præpositus S. Petri Duacensis hominium, quod Abbati vestro facere, aut procurationem candelarum, quas ei, si apud Duacum ipsum pernoctari contigerit, de antiqua & rationabili consuetudine dare tenetur, ei temeritate aliqua subtrahendi habeat facultatem.*
B *Illud autem adijcientes statuimus, ne pro benedictione Abbatis palefridum, vel quicquam aliud à vobis facultas cuilibet pateat extorquendi: cum id de multa cupiditate procedat & in notam Simoniacæ prauitatis erumpat. Chrisma verò* &c. *Præterea libertates & immunitates vobis, & ecclesiæ vestræ concessas, necnõ antiquas & rationabiles cõsuetudines hactenus obseruatas, ratas habemus, & eas futuris temporibus illibatas manere sancimus. Sepulturã quoque eiusdẽ loci liberã esse decernimus, vt eorũ deuotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepelire deliberauerint, nisi fortè excõmunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat: salua tamen iustitia illarum ecclesiarum, à quibus mortuorũ corpora assumuntur. Obeunte verò te nunc eiusdẽ loci abbate, vel tuorum quolibet successorũ, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quẽ Fratres cõmuni consensu, vel* Fratrũ *pars consilij sanioris secundum Dei timorem & B. Benedicti regulã prouiderint eligendum. Electus autẽ nullius laicalis personæ contra iuris ecclesiastici disciplinã sub obtentu alicuius prauæ consuetudinis, præsentiam adire cogatur: sed tantùm diocesiano Episcopo, sicut iustum est præsentetur, ab eo benedictionis munus, sicut est consuetudinis, recepturus* &c.

• diœcesani.

* i. habere conuentus publicos, comitia, & iudicia: Vide Gloss. Pithoei.

† i. vassallis, vel subditis.

C Hactenus Papa Cælestinus, qui non prius à nobis relinquendus, quàm nonnulla lucis gratia hoc loco proponamus. Quòd igitur dicit, *ne Comiti, vel* Aduocato *&c.* de Flandriæ Comite præsertim accipiendum, qui primarius erat Martianensis ecclesiæ Aduocatus, seu defensor (vt latiùs posteà explicabimus) aliúmque sibi substituerat, qui ad eiusdem ecclesiæ defensionem certis iuribus donatus incumberet, & nomen quoque Aduocati Martianensis indueret. Is verò Flandriæ Comes Balduinus, quem hîc memorat Cælestinus, omnino fuit ille, quem vel Insulensem, vel Pium veteres nominarunt: cuius præclarum apud Martianenses exstat diploma ea omnia complexum, quæ substituto sibi Aduocato Martianensi concedit; id quod inferiùs, cum de Aduocatis agemus, in medium proferetur. Quid verò sit *Ferco*, quem, vt habet hîc Pontifex, ecclesia D. Petri Duacensis instituto veteri Martianensibus offerre quotannis tenetur, nondum intelligere potui, quamuis aliquoties ab ipsis Martianensibus inquisiuerim. Putaui quandoque scriptum fuisse à Cælestino
D *Perconem*, cuius loco eius litterarum exemplaris, quo sum vsus, exarator, *Ferconem* reposuerit: vt fuerit obligatum S. Petri Collegium *Percam* offerre, quem nostrates vulgari idiomate *Perco* nominant: cuiusmodi piscium, aliarúmque similium rerum anniuersariæ oblationis in signum clientelæ acceptiuæ beneficij factæ, non sunt infrequentes. Verùm nihil arbitror hic curiosius inquirendum, cùm hæc oblatio iamdiu in desuetudinem abiuisse videatur: quandoquidem apud ipsos Martianenses, vt accipio, eius memoria sit obliterata. Ad *Hominium* vel Homagium, seu fidem clientelarem transeo, quam nominatæ nunc ecclesiæ S. Petri Præpositus omnium Canonicorum nomine Abbati & Religiosis Martianensis monasterij præstare constringitur. Etenim hunc Prælatum inter clientes, ac beneficiarios Martianensis ecclesiæ numerari accipio. Cur verò in clientelam à Præsule & Religiosis Martianensibus fuerit receptus, hunc in modum doceor. Erant Duaci, Wasieriæ, Siníque nonnullę

QVÆDAM CIRCA CÆLESTINI BVLLAM EXAMINANTVR ET ELVCIDANTVR.

QVIS HIC COMES ET ADVOCATVS?

Lib. 3. c. 10.

QVIS BALDVINVS COMES?

QVID FERCO?

HOMINIVM CVR ABBATIÆ MARTIANENSI PRÆSTET PRÆPOSITVS S. PETRI DVAC.

 obnoxiæ

obnoxiæ Martianensibus decimæ. Contrà Canonicorum S. Petri Collegium intra Paludes Martianenses eam portionem, quæ Clemencienna dicitur, possidebant. Commoda videbatur futura vtrisque harum rerum permutatio. Ac tandem eò sese Martianenses deduci passi sunt, vt Clemenciennam paludem suis adiungerent; ex aduerso S. Petri Canonicis decimas cederent, ea lege tamen, vt Præpositus ecclesiæ totius nomine in clientelam se Martianensis ecclesiæ traderet; clientelare ipsi obsequium præstaret; ac quoties Remos ad Synodum esset eundum, in equo Antistitem, vel eius Procuratorem, ipsius tamen Abbatiæ impendiis, comitaretur subministrandi consilij, adiuuandíque gratia. Quia verò id quod per eam commutationem Martianensibus Canonici tradebant, minùs acceptarum decimarum æstimationi respondebat: in perpetuum ipsi se noua offerendarum Abbati candelarum seruitute obligarunt, quoties is noctem Duaci duceret. Hæc igitur cùm eo tempore, inuiolabiliter obseruarentur, quo Cælestinus has scribebat litteras, ea cum ceteris placuit ipsi confirmare. Ad candelas quod attinet Præsuli Martianensi Duaci pernoctanti à S. Petri Præposito ecclesiæ nomine subministrandas, eas oportet cereas esse, ac in singulas noctes ad tria pondo procurari. Laboratum sæpenumerò fuit à variis eius ecclesiæ Præpositis, vt hoc onus ab se tandem & Canonicis excuterent; verùm hi tum Pontificiis, tum Regiis sententiis damnati, aliud nihil obtinuere, quàm vt aliqua pecunia eam cereorum seruitutem redimere possint, vbi Martianensis Antistes vel in singulos annos, vel quoties Duacum diuerterit, permittet. De palefrido, vel palefredo nunc aliquid videamus. Prateio in Iuris Lexico ea vox ex *paraueredo* formata videtur (cuius loco in diplomate Ludouici Pij litterísque Caroli Calui pro S. Germani monasterio scriptis est *paruaredus*) éque Cassiodoro equum agminalem significare: cuius scilicet in itinere & agmine vsus esset. Hoc autem loco palefridus equúmne honorarium significet, quo primùm antistes inuehitur, dum solenni pompa recipitur intra monasterium, posset aliquis dubitare: vt plurimum enim palefridus is equus est, quem Galli palefroy nominant, & quo regina, vel princeps mulier in vrbem aliquam solemniter recipienda deducitur: licet interdum regibus ac principibus viris à scriptoribus tribuatur: qualis olim à Boamundi vidua missus ad Sanguineum fuit, quem ita depingit Guilelmus Tyrius: *misitque ei palefredum albissimum, argento ferratum, freno & phaleris argenteis redimitum.* frequens sanè fuit olim viris nobilibus, aut ecclesiasticis, à Prælatis non modo quædam alia, verùm etiam equos illos, in quibus ij cum magno comitatu pompáque monasterium vel ante, vel post benedictionem ingressuri sedebant, exigere, ac sibi vendicare. Quia tamen summus Pontifex ad impertiendam Præsuli benedictionem respicere videtur, crediderit potius quispiam de quolibet equo hunc locum intelligendum, quem vel episcopi, vel Archidiaconi, vel alij extorquent, dum quispiam in Abbatem electus benedictionem procurat, nec eam absque hoc munere potest impetrare: quod sanè speciem quandam Simoniæ induit. Ego verò facilè admittam, id velle Pontificem maximum, ne cuipiam vel ecclesiastico vel laico equus aliquis donetur, dum eam quàm benedictionis, tam alicuius alterius rei benedictionem afficientis gratia exigit. Equidem Alexander Papa Tertius dum Phanopinensis monasterij bona sub Apostolicam protectionem recipit, eíque loco nonnulla concedit priuilegia iis litteris, quas anno 1178. scripsit, apertioribus idem verbis, quod Cælestinus, prohibet: *Interdicimus etiam, ne cui Episcopo, vel Archidiacono, vel alij ecclesiastica, aut sæculari personæ à vobis pro electione, benedictione, seu inthronizatione Abbatum vestrorum, palefridum, aut quidquid aliud exigere, vel extorquere liceat: cùm aliquid ex debito pro his exigi, vel exsolui Symoniacum comprobetur.* Gregorius quoque Papa VIII. in confirmatione statutorum Præmonstratensis ordinis idem vetabat: *Nulla persona ecclesiastica pro benedicendo Abbate, & deducendo in sedem suam, palefridum, aut aliquid aliud exigere præsumat.* Ceterum diu antequàm hæc scriberet Cælestinus, de palefridis, aut equis à Martianensibus exigendis in legibus Aduocato datis hæc præscripserat Balduinus Comes Insulensis nuncupatus: *In hoste quoque regali per manus ministrorum Abbatiæ in potestatibus accipiet, octo palefridos, & hoc semel*

De candelis, quarum mentionem facit hîc pontifex.

De palefrido non exigendo.

Lib. 13. cap. 17.

A *in anno, si necessitas euenerit. Sin autem, nihil omninò. Palefridos ferrare faciet, hominibus, qui eos ducent, in victu & calceamentis prouidebit. Cùm fuerit reuersus, statim omnes palefridos restituet dominis suis.* Vbi vides palefridos pro quibuslibet equis ad bellum necessarius accipi, quos Aduocatus ad hostem, hoc est, exercitum regium, ducat.

Verùm vt ad diplomata in gratiam Martianensis monasterij conscripta reuertamur, aliæ multæ tum quorumdam quos nominauimus, tum aliorum ecclesiæ Romanæ Pontificum litteræ in Archiuo Martianis asseruantur, quibus ab iis alia quamplurima tum monachis, tum ecclesiæ concessa sunt liberaliter. Et visuntur ibidem Remensium Archiepiscoporum, Cameracensium, Tornacensium, & Atrebatensium Antistitum, non paucorum quoque Abbatum diplomata, quibus etiam hi omnes vel aliquid impertiunt gratiæ, vel concessa corroborant.

B

Principes viri Martianensi cœnobio suis cauent litteris.

CAPVT XXII.

NEQVE verò plurima desunt rescripta, quibus vel Franciæ Reges, vel Comites Flandriæ, vel alij nobiles viri quidpiam donant, aut donationes stabiliunt, aut patrocinium ecclesiæ eiúsque bonorum suscipiunt: vt vix vllum sit monasterium, vbi tantum in pluteis diplomatum conspiciatur. E Comitum Flandriæ litteris vnas hîc, alteras alibi posteà, proponam. Igitur Philippus Elsatius dum Martianensis ecclesiæ bona confirmat, sic loquitur: Lib. 3 c. 10.

C *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Ego Philippus per Dei misericordiam Comes Flandrensis, & Veromandensis, notum fieri volo tam futuris, quàm præsentibus, Ioannem Marchianensis ecclesiæ Abbatem & monachos in mea & Baronum meorum præsentia frequenter querimoniam deposuisse de Amolrico de * Landart, qui quondam partem aquæ fluminis * Scarpæ, quæ propria erat ecclesiæ, iniustè vsurpabat, & in hoc prædecessorum meorum priuilegia transgrediens. Ad audiendam igitur vtriusque partis controuersiam, tam Abbati, quàm Amolrico diem apud Ariam denominaui. Ad hanc igitur Abbas & monachi cum priuilegijs antecessorum meorum conueniunt, omnibus visis & lectis in audientia omnium, à Baronibus meis iustè & concorditer iudicatum est, quod secundum priuilegiorum suorum cötinentiam, tota piscatio fluminis Scarpi, libera ecclesiæ Marchianensi remanere deberet, à Wasconis scilicet curua vsque ad Brachiorum locum, cuiuscumque sit littus ex vtraque parte. Excepto eo, quod ibi* D *habet Aquicinctensis ecclesia à Rascia Pomerijs vsque ad Rasciam Rullagij, & quod domino Warlemij in angulo suo licet habere tres tantummodò lacunas * talis & viminibus compositas, sed nullam ex iure licet ei exercere piscationem per decurrentes aquas. Proinde notum sit, quod supradictus Abbas & monachi nostram beneuolentiam humiliter postulauerint, quatenus quod eis in curia mea à Baronibus meis iustè iudicatum est, cum possessionibus suprascriptæ ecclesiæ, quæ à B. Rictrude, dum * adueniret, munifica largitate facto testamento in eleemosynam eidem ecclesiæ collatæ sunt, meo priuilegio, ad instar priuilegij Comitis Caroli & prædecessorum meorum contra prauorum hominum incursionem sub testimonio Baronum meorum confirmarem. Ego autem Abbatis*

* Landast.
* Scarpi.
* forsan, Taleis.
* adolueret.

& monachorum petitioni condescendens acquieui, & Marchianensis monasterij antiquam libertatem in hac pagina confirmaui. In primis villam Marchianensem, in qua ipsius sanctæ corpus cum aliis sanctorum corporibus requiescit, liberam decernimus, cum locis hinc inde adiacentibus, nemorosis videlicet, & aquosis, à terra scilicet, quæ descendit à furno Duacensi, vsque ad terram S. Amandi, sanctique Petri *Hasnoniæ; & à terra de Fauaing vsque ad terram* Comitis *Flandrensis. In pago Pabulensi Sclusam quoque Scarpi à Marchianis vsque prope siluam de Somania. Sclusam quoque de Donc cum viuario & molendino iuxta villam de* Aluo. *Locum quoque Hamaticensem cum appendiciys suis Alua & Rilloit, & Wandegnies. Viuarium cum molēdino & Etnerchies, & siluam eiusdem loci.* In *Ostreuanno villas Asconium & Heram cùm terris & terragijs, & siluam de Bruilo. In eodem pago villam Salliacum cum vinario, molendino, furno, & gaulo: villam etiam Gaugiacūm cum omni integritate, & totum gaulum eiusdem villæ, quod ego prædictæ ecclesiæ pro anima mea, & prædecessorum meorum in eleemosynam condonaui. In pago Atrebatensi villam Bariacum, & gaulum cum omni integritate. In pago Cameracensi Saudemont cum appendicijs suis. In pago Letigo villam Hainas, & Masenbargam & * Vrgies cum appendicijs suis.* In *Melenthois villam Roncinium. In pago Pabulensi villam Beuurij cum viuario, molendino, & terris ad eam pertinentibus. De turre quoque Duacensi censum quinque solidorum, & in eodem castro familiam sanctarum Rictrudis & Eusebiæ à theloneo liberam. In potestate de* Rinēga *duas partes totius decimæ... secundùm etiam prædecessoru nostri* Comitis *Radulphi scriptum & eleemosynam, vinagium & pidagium de omni vino, quod Fratres ducunt ad ecclesiam, ad opus suum; per transitus nostros liberè transire, & nihil omninò à ductoribus vini exigere. Similiter & de omnibus victualibus fratrum per totam terram meam liberum transitum. Has itaque B. Rictrudis villas, seu possessiones, quas suprà scripsimus, sic liberas esse, sicut ab antiquo fuerunt, decernimus: quæ omnes cum appendicijs suis sub mea protectione, & aduocatione sunt, qui eiusdem ecclesiæ summus sum* Aduocatus, *& Aduocati earundem possessionum de me suas tenent aduocationes. Vt autem huius nostræ liberalitatis deuota descriptio firma & inconuulsa perpetuò maneat, neque ab aliquo successorum meorum, vel ministrorum infringatur, sigilli mei impressione eam roboraui, Baronum etiam meorum, & testium, qui interfuerunt, nomina subtus annotare feci. S. Eustachij.* S. Walteri *de Locris.* S. *Roberti Aduocati Sigillum Hellini dapiferi. S. Michaëlis Conestablensis. S. Hugonis de Oysi. S.* W*alteri de Attrebato. S. Michaëlis Castellensis Duacensis. S. Ramaldi de Aria. S.* Gilleberti *de Aria. S.* Walteri *Castell. de Raiscia. S. Roberti Præpositi* In*sulani. S. Gerardi de Mescinis Notarij & sigillarij mei. Actum anno Domini* M. *centesimo septuagesimo sexto, sexto Kalendas Maij in ciuitate Attrebatensi.*

Lorgies (margin note at * Vrgies)

Ita quidem habet diploma Philippi Comitis, vbi duo velim mecum attendas. Horum prius est de Turri Duacensi, & familia sanctarum Rictrudis & Eusebiæ, quarum video variis in litteris & libris mentionem fieri. Callistus Papa Secundus in litteris quas scripsit anno 1123 sic habet, *In Duaco hospites, & de terra Comitis censum quinque solidorum. In eodem castro familiam sanctarum Rictrudis & Eusebiæ à Theloneo liberam.* vbi pro certo rescribendum *de Turre Comitis.* Cælestinus Tertius in bulla,

quam

A quam dedit anno M. C. XC. *In Duaco hospites, & de turre Comitis censum quinque solidorum & oboli. Et in eodem castro familiam sanctarum Rictrudis & Eusebiæ à theloneo liberam*. Margareta Flandriæ Comes in diplomate anni M. CC. XLVI. *De turri quoque Duacensi censum quinque solidorum, & sexaginta solidos ad opus altaris. Et in eodem castro familiam sanctæ Rictrudis, & sanctæ Eusebiæ*. In libris quoque Martianensibus non absimilia reperio ac primùm in Anonymo Miraculorum D. Rictrudis auctore ista leguntur: *Iuxta illam turrem quoque munitissimam, & miræ altitudinis construxit, quæ in ius perpetuum R. Rictrudi post mortem viri sui hereditaria successione obuenit. Vnde quia Flandriarum Comites turrem illam possident, prout sibi inuicem succedunt, huius rei causa Marchianensi ecclesiæ conferre quinque solidos annuatim consueuerunt*. Lib. 1. cap. 2. Deinde in Chronico, Turrim istam D. Rictrudis domum appellari video. Sic igitur accipe, hanc turrim, arcem eam munitissimam fuisse, quam Erchenualdus, eiúsque frater Adalbaldus construxere iuxta B. Virginis Mariæ templum, quod nunc S. Amati nominatur, cùm Duacense oppidum suis sumptibus instaurarent; in qua sanctissimi coniuges Adalbaldus & Rictrudis interdum habitarunt, & cuius possessio
B per D. Rictrudem primùm ad Martianenses monachos, dein ad Comites Flandriæ cum onere solidos quinque iisdem Religiosis annuatim in perpetuum pendendi deuoluta est. omninóque eam stetisse, vbi nunc partim Collegium regium, partim tribunal Gubernatoris conspiciuntur, cui etiamnum adhæret Castri nomen. Certè turrim pro arce, & munita domo, à mediæ scriptoribus ætatis vsurpari neque nouum est, neque rarum. Quam Gubernator Nouiomensis aduersus ecclesiam vrbis eius arcem construxerat, Tornacense Chronicon Turrim appellat. cum enim de hac ipsa mentionem facit Iacobus Meierus, arcem nuncupat. Plura proferre testimonia non allubet. Quod alterum hîc notandum arbitror, in eo versatur, quòd Philippus Summum se Aduocatum Martianensis appellet monasterij. Ex hoc enim & dignitas Martianensis ecclesiæ, cui tantus Princeps protector obtigit, & in eandem insignis tam illustris viri fauor colligitur. Ne autem putes hoc solum officio Philippum
C præstabilem fuisse; audi Margaretæ Flandrorum Comitissæ Martianensium monachorum bona diplomate confirmantis verba: *Quæ omnes cum appendicijs suis sub nostra protectione sunt, & aduocatione, quæ eiusdem ecclesiæ summa Aduocata sum, & aduocati earumdem possessionum de nobis suas tenent aduocationes. Cùm enim ecclesia Marchianensis à prima sua conditione per quadringentos vel plures annos libera omninò exstitisset à reditu Aduocationis, propter sæcularium malitiam reprimendam temporibus Albrici Abbatis sui dedit Balduino Comiti Flandriensi duos molendinos in villa Breberia, & duas carrucatas terræ in villa Nigella, vt eorum esset adiutor, & fidelis Aduocatus. Dictus autem Comes molendinos illos cum terra memorata dedit per manum ipsius Abbatis Hugoni Hauet de Albiniaco, pro quibus Aduocatus Marchianensis seruire debet eidem ecclesiæ, & eius semper promptus & fidelis Aduocatus & adiutor*. Hactenus Margareta, quæ se quoque *summam* nominat Martianensis ecclesiæ *Aduocatam*, huiúsque officij originem & causam à temporibus Balduini Insulensis Flandriæ Comitis arcessit. Verùm hac de re nos latiùs posteà differemus. Lib. 3. c. 20.

D

Quas olim Martianenses religiosi cum alijs Ascetis Societates habuerint.

CAPVT XXIII.



NVNC autem non parum ad huius facit cœnobij commendationem, quòd eius religiosi cum plurimis aliorum monasteriorum cœnobitis arctam olim societatem iniuerint. Qui venit in manus meas horum catalogus, non erit, vt arbitror, oneri lectoribus, si totus hîc transcribatur

tur è veteri ecclesiæ Martianensis Codice: quandoquidem is insignem erga defunctos pietatem manifestat, eósque suffragiis & precibus adiuuandi sollicitudinem. In hunc igitur modum à Martianensi quopiam Asceta scriptus fuit hic Syllabus. A

Incipiunt Confraternitates Marchianenses.

QVAS MARTIANENSES HABEANT CVM ALIIS MONASTERIIS SOCIETATES. AC IN PRIMIS CVM TORNACENSI S. MARTINI, CVM HASNONIENSI, AQVICINCTINO, AMANDINO.

*Huiusmodi Societas est ecclesiarum Marchianensis, Tornacensis, Hasnoniensis, Aquiscinctensis, & S. Amandi: quatenus omnium bonorum, quæ in dictis cœnobijs, ac eorum appendicijs fiunt, excepto Capitulo, sit inter eos communis, & indiscreta participatio. Obitu autem Fratrum nuntiato, officium & missa cum pulsatione campanarum in conuentu pro eo agitur; & posteà septem alia officia cum totidem missis. Ab omnibus autem sacerdotibus priuata ei missa debetur, & ab alijs omnibus 50. psalmi; & qui psalmos nesciunt, toties Pater noster, triginta diebus, Verba mea, & triginta missæ à sex sacerdotibus priuatim pro eo dicentur. * Prębenda ad eleemosynam pro eo dabitur septem diebus: & anniuersarius in Calendario sine prębenda annotabitur.* B

* i. quantum cibi & potus vno die consumit Religiosus.

CVM CORBEIENSI.

Eadem Societas est inter eandem ecclesiam Marchianensem & Corbeiensem, his adiectis: Communio vtriusque Capituli, & detentio, & in necessarijs rebus procuratio cuiuslibet Fratris quolibet modo ab ecclesia sua exturbati, vsque ad reconciliationem Capituli sui. Nisi fortè (quod absit) irrecuperabiliter ab Abbate suo & Capitulo, ei ablato habitu, eiectus sit. Pro Abbatibus obeuntibus fiet † tricenarius cum singulari debito trium missarum, & ordinatæ psalmodiæ, & prębenda per annum, & anniuersarium eorum cum pulsatione campanarum.

† i. à sex sacerdotibus per 30. dies missæ dicentur.

CVM SVESSIONENSI S. MEDARDI.

*Hac Societate nos & Fratres de ecclesia B. Medardi coniungimur, vt si * breuis de defuncto eorum ad nos venerit, vel noster ad eos, pro Abbatibus septenarium cum tricenario, pro Fratribus septenarium. primo die signa pulsabuntur, & ab vnoquoque Sacerdotum missa pro eo dicatur.* C

* scheda, vel pittacium, quo defunctus quispiam significatur. Lexic. Græcolat. vet. [illegible] breuis.

CVM VICONIENSI.

Hęc Societas, innuente vtroque Capitulo, inter nos & Fratres de Casa Dei, quæ est in Viconio, statuta est, vt ex vtraque ecclesia obeunte Fratre, & allato breui, persoluatur ab vnoquoque Sacerdotum missa vna priuata, ab alijs verò psalmodia denominata, vel totidem Pater noster.

CVM BERTINIENSI.

Monachis S. Bertini debemus † totum officium vnum cum missa in Conuentu, quando obierint.

† tantùm.

CVM LATINIACENSI, ET S. MICHAELIS TERRASSIENSI.

Abbatibus de Latiniaco, & S. Michaëlis de Terrassia, debemus tricenarium; monachis eorum tria officia, & vnam missam ab vnoquoque sacerdotum, & 50. psalmos ab alijs, vel totidem Pater noster.

CVM S. DIONYSII DE BROCHEROIT.

Ista Societas est inter ecclesiam Marchianensem, & S. Dionysij de Brocheroit, vt singulis Fratribus vtriusque cœnobij defunctis tria officia persoluantur. D

CVM CANONICIS FORMOSELLANIS.

Canonicis Formosellensis ecclesiæ obeuntibus debemus in Conuentu septem officia; prima quidem die, primum officium, cum pulsatione campanarum & prębenda, & adnotatione in regula.

CVM SANCTIMONIALIBVS S. MARIÆ SVESS.

Sanctimonialibus S. Mariæ Suessionensis, & Sanctimonialibus Forestmonasterij, debemus septenarium, hoc est, prima die officium cum missa in conuentu, & septem alijs diebus similiter, & hoc idem ab eisdem nobis debetur.

CVM DVNENSI MONASTERIO.

Inter monasteria hęc, de Marchenis scilicet ac de Dunis, vtroque Capitulo annuente confirmatum est omnium ordinum, omniúmque bonorum ad inuicem in perpetuum esse participes, & ad huius Societatis confœderationísque indicium

pro

A *pro monachis defunctis, cùm pronuntiati fuerint, alterutrum facient tricenarium. Abbates semper habebunt scilicet ab vnoquoque sacerdote missam, à ceteris psalterium, qui ipsum ignorauerint, 150. Miserere mei Deus, vel Pater noster. Idipsum concessimus Rogero monacho Castellensi.*

CVM ECCLESIA S. VEDASTI ATREBATENSI.

*Ecclesia B. Vedasti & S. Rictrudis Marchianensis isto dilectionis vinculo connectuntur, vt obeuntibus Abbatibus vna missa ab vnoquoque sacerdote, & officium celebre cum tricenario, & * annotatione nominũ in regula; Fratribus verò obeuntibus officium in conuentu cũ tricenario, & annotatione nominũ in regula. Est & aliud pactum mutuæ societatis additum, quod ne per succedentia tempora* B *ab his, qui non interfuerunt, aut obliuione negligatur, aut aliqua ratione violetur, litteris signari decretum est. Scilicet, * vt si quemlibet ex prędictorum locorum Fratribus aliqua interueniente discordia locum proprium relinquere contigerit, retinebit eum Abbas, ad quem fugerit, donec aut proprio loco eum restituat, aut causam discessionis iustam, vel iniustam esse cognoscat. Quisquis istius communionis insolubile scriptum legerit, nouerit has duas congregationes in Christo esse vnitas. Actum in Capitulo B. Vedasti anno Domini 1177. agente Abbate Atrebatensi Martino, & Marchianensi Ioanne Primo.*

* Annotare nomina in regula, nihil aliud est, quã mortui nomen in Martyrologio mortuario inserere Kalendario; vt quodie vitam is amisit, Prima decantata, post lectum Martyrologium, eque S Benedicti regula capitulum, cum ceterorum eo die defunctorum nominibus legatur.

* hæc vocula redundat.

CVM ECCLESIA S. QVINTINI IN INSVLA.

Hac Societate conuentui S. Quintini de Insula iungimur, quòd pro quolibet Fratre defuncto professo, communiter in conuentu Fratrum septenarium celebrabitur, & ab vnoquoque sacerdotum missa vna celebrabitur, à ceteris verò, qui litteras scierint, 50. psalmi; ab his, qui psalmos nescierint, centum & quinquaginta C *Pater noster.*

CVM MONASTERIO S. RICHARII IN PONTIVO.

Ecclesia Marchianensis & S. Richarij Pontiuensis hanc ad inuicem inter se statuerunt Societatem, scilicet vtriusque capituli communionem, & detentionem, & in necessarijs rebus procurationem cuiuslibet Fratris quolibet modo ab ecclesia sua exturbati, vsque ad reconciliationem capituli sui; nisi fortè, quod absit, irrecuperabiliter ab Abbate & capitulo, ablato ei habitu, eiectus sit. Obeuntes autem Fratres allato breui, sicut Fratres eiusdem ecclesiæ defuncti solenne habeant officium, & septenarium cum prębenda, & tricenarium, & annotationem in regula. Super hoc addita vniuscuiusque sacerdotis missa vna, & aliorum psalmodia ordinata. Pro Abbatibus verò obeuntibus fiet tricenarius, cum singulari debito trium missarum & ordinatæ psalmodiæ, & prębenda, & anniuersarius dies cum pulsatione campanarum.

CVM MONASTERIO SILVÆ MAIORIS.

D *Notum sit omnibus, quòd Raymundus Abbas Siluæ maioris, & Ioannes Secundus Abbas Marchianensis huiusmodi Societatem inter præfatas ecclesias constituerint. Pro Abbatibus tricenarius cũ præbenda agetur. Pro Fratribus verò vtriusque congregationis feria v. post octauas Pentecostes officium & missa cum pulsatione signorum in conuentu annuatim celebrabitur, & præbenda dabitur. Si autem breuis defuncti allatus fuerit, officium in conuentu, vt suprà dictum est, celebrabitur, & præbenda ad mensam ponetur. Collecta, Deus veniæ.*

CVM CLVNIACENSI ABBATIA.

Concessit Theobaldus Abbas Cluniacẽsis petentẽ Henrico Abbate Marchianensi eidem ecclesiæ capitulum, bonorum omnium participationem pro aliquo defuncto, cùm obitus eius innotuerit, tantum per omnia fiat, quantum pro quolibet Cluniacensis ecclesiæ defuncto. Eadem concessit Abbas Henricus.

CVM CÆNOBIO LAVDENSI. A

*Hæc est Societas inter nos & Fratres B. Mariæ de Los. Pro Fratribus vtriusque congregationis * tres missas cum tricenario. A non sacerdotibus psalterium. Pro Abbatibus tricenarium cum præbenda, & annotatione nominum in regula.*

* deest hic aliquid.

CVM MONASTERIO ARROASIENSI.

Hæc est Societas inter nos & Canonicos S. Nicolai de Arroasia, quòd pro Abbatibus obeuntibus tricenarius cum præbenda agetur. Pro Fratribus verò vtriusque congregationis v. nonas Octobris, nisi dies Dominica interuenerit, officium & missa cum pulsatione signorum in conuentu annuatim celebrabitur, & præbenda dabitur. Si autem breuis defuncti allatus fuerit, officium in conuentu, vt suprà dictum est, celebrabitur, & præbenda ad mensam ponetur. Collecta, Deus veniæ largitor.

CVM ASCETERIO S. CRISPINI SVESS.

Ecclesia Marchianensis, & ecclesia S. Crispini Suessionensis in Cauea, isto dilectionis vinculo coniunguntur, vt obeuntibus Abbatibus, Monachis, & Canonicis omnia signa solenniter pulsentur, missa in conuentu celebretur, & ab vnoquoque sacerdotum missa vna cantetur, à non sacerdotibus 50. psalmi, cum tricenario & septenario, & annotatione nominum in regula. Actum anno Domini 1192. in capitulo Marchianensi, agentibus Ioanne Abbate 2. Marchianensi, & Theobaldo Suessionensi. B

CVM STEPHANO ARCHIEPISCOPO CANTVAR. ET SOCIIS EIVS.

Hæc est forma Societatis, quam Domino Stephano Cantuariensi Archiepiscopo & socijs eius magistris Simoni fratri eiusdem, Roberto, Benedicto, Cantori & Capellanis eius, Richardo presbytero & Simoni monachis Cantuariensibus, eo tempore, quo moram apud nos fecerunt, concessimus. In primis siquidem audito ipsius Domini Cantuariensis obitu, missa pro ipso, sicut pro quolibet Abbatum nostrorum solenniter in conuentu celebrabitur, & præbenda cum missis & psalmodia ordinata per annum integrum persoluetur. Ceterùm pro socijs eius memoratis, cùm obitus alicuius ad nos delatus fuerit, missa solenniter in conuentu celebrabitur, & ab vnoquoque sacerdote tres missæ decantabuntur: à ceteris autem inferioris ordinis, & laicis, psalmodia debita professis Fratribus nostris, & orationes. Habebit itaque dominus Cantuariensis beneficium per annum ex integro modo, quo suprà diximus, cum tribus missis à singulis sacerdotibus decantandis, & psalmodia & orationibus ab alijs. Socij autem eius tricenarium cum præbenda & annotatione nominum suorum in regula. C

CVM CÆNOBIO S. AVTBERTI CAMERAC.

Concessimus Fratribus ecclesiæ S. Autberti Cameracensis, vt ad perpetuæ charitatis indicium plenam nobiscum in spiritualibus & temporalibus bonis, si ad nos venerint, habeant societatem perpetuò. Et cùm ad nos de obitu alicuius Canonicorum eiusdem ecclesiæ venerit certus rumor, plenum pro eo in conuentu officium faciemus. Prætereà pro Fratribus vniuersis præfatæ ecclesiæ plenum semel in quolibet anno seruitium faciemus, videlicet 7. Id. Martij; & hoc idem ab ipsis recipiemus. D

CVM PHRONTISTERIO MONTIS S. ELIGII.

Cum Fratribus de monte Eligij talem habemus Societatem, quòd annis singulis vnum plenarium obsequium faciemus pridie nonas Martij, & missam in conuentu. Insuper singuli sacerdotes missam vnam in anno, Clerici 50. psalmos, singuli Conuersi 150. Pater noster, & hoc idem ab ipsis recipiemus.

CVM BERGENSIBVS MONACHIS.

Hæc est Societas inter nos & ecclesiam S. Winoci de Bergis. Pro Fratribus

obeun-


A *obeuntibus fit tricenarius cum præbenda. Quilibet sacerdos vnam missam cantat, clerici 50. psalmos, conuersi quinquagies orationem Dominicam Hoc quoque non ignorandum, quòd si fortè aliquis Fratrum nostrorum, vel illorum, aliqua † impediente aduersitate à proprio claustro discesserit, illis nostrum, & nobis illorum vsque ad reconciliationem licet retinere: si tamen quid, quod omnino veniam non mereatur, non commiserit. Huius familiaritatis Societas de communi assensu vtriusque capituli firmata est, tempore Nicolai huius loci Abbatis, & Domini Ingelmari Bergensis, qui vterque in alterius ecclesiam plenariam Societatem cum successoribus suis debet habere in perpetuum.* Hucusque Catalogus ille Societatum, ex quo plurimum Martianensium Religiosorum tam in viuos, qui per infirmitatem humanam peccauere, quàm in mortuos, quibus absorbendæ sunt pœnæ purgatorij, Christiana charitas relucet.

† forsan, impendente.

B

De reliquis Ordinis S. Benedicti monasterijs.

CAPVT XXIV.



QVÆ nunc alia loca Benedictini nominis viri per Gallo-flandriam incolunt, tria sunt omnino, quorum hic aliquid memoriæ breuiter tradere operæ pretium iudicaui.

In his antiquitate Fiuiensis Prioratus eminet. Iam tum ante tempora Theodorici Elsatij Flandriæ Comitis sacer is locus fundis ac censibus à pijs hominibus donatus fuerat, & à monachis è S. Nicasij monasterio Remensi submissis insidebatur, ac florebat. Exstant enim hodiéque huius Principis litteræ, quibus attributa donandaque ipsi confirmantur. Earum hic partem profero. PRIORATVS FIVIENSIS.

C

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego Theodericus diuina misericordia Flandrensis Comes, Notum fieri volo vniuersis fidelibus tam modernis, quàm posteris, Quòd ecclesiæ Fiuiensi in honore Beatæ Mariæ & sancti Martini constitutæ, & monachis sancti Nicasij Remensis ibidem Deo deseruientibus pro salute mea, & prædecessorum meorum liberè concedo, & sigilli mei impressione confirmo, vt omnia bona eis à fidelibus piâ deuotione iam collata, siue in posterum danda prædictæ ecclesiæ, & monachis, firma & inconuulsa permaneant, etiam de feudo nostro. ita tamen vt seruitium & redditus nostri non minuantur. Terram igitur circa ecclesiam, & atrium &c. Acta sunt hæc apud Insulam *anno Incarnationis Dominicæ* M. C. XXXV. *Indictione* XIIII. *regnante Ludouico venerabili Rege Francorum anno* XVIII. *Comitatus autem Theoderici anno* VIII. *& vt hæc omnia firmius permaneant, approbabilium personarum adtestatione confirmamus. Signum Theoderici Comitis. S. Sibillæ Comitissæ &c.*

D Qui visitur Duaci S. Sulpitij Prioratus in Gallia primò fuit conditus haud procul Dourlenio. Quantam illic ætatem tulerit, non habeo compertum, neque multum ad rem nostram facit. Vt inde Duacum transferretur, bella causam præbuere. Ad primum & septuagesimum post millesimum & quingentesimum Christi annum huc eum traduxit Ioannes Lentailleurius Aquicinensis Antistes, & in quo Prior moraretur, elegans sanè capáxque struere aggressus est ædificium. PRIORATVS S. SVLPITII.

Nuperrimi est operis quod Monasterium S. Gregorij in eadem vrbe Duacensi spectatur. In eo sese virtutibus excolunt, & diuinis nauant laudibus Anglicanæ nationis homines ad strictiorem S. Benedicti regulam exigentes omnia. Cœptum hoc condi ædificium primis annis septimi ac decimi sæculi: eiúsque parentem Asceterij admodum liberalem se præbuit Archimandrita Vedastini apud Atrebates monasterij Philippus Cauerellius. MONASTERIVM S. GREGORII.

In

ABBATIA DOMINÆ NOSTRÆ PACIS.

In quē ſeſe cōcluſerint arctiùs obſtrictæ S. Benedicti regulis Sāctimoniales, vnicū habent Parthenonē Gallo-flandri. Is intra Duacenſis oppidi mœnia iacet loco ſatis cōmodo, & à turbis vrbanis remoto. Eius initia in quartū poſt milleſimū & ſexcenteſimum Domini annū incidere. In nouum illic cœtum coaleſcendi voluntatem induere virgines aliquot Flinenſes, quibus auſterior viuendi ratio placebat. iiſque aliæ mundo nuntium remittentes aggregarunt ſeſe fœminæ, quas idem ardor inceſſerat. Quòd aliunde pauca ſuppeterent, harum præſertim patrimonialibus ſymbolis comparatus eſt ſatis amplus cum domo fundus: anguſtè tamen ſurrexerunt idonea ſanctimonialibus ædificia, tenues admodum cenſus conflati ſunt. Abbatiſſam habet hic locus, & dominæ noſtræ Pacis cœnobium nuncupatur. Quod in eo præcipuum ſit virginei agminis ſtudium, cuncta ex veteri arctiſſimóque S. Benedicti præſcripto peragere, mira prorſus in omnes Belgij angulos inde fama religioſæ diſciplinæ diffunditur. Igitur è variis vrbibus honeſtiſſimæ ac prænobiles puellæ intra parthenonis huius periſtylia concludi quàm maximè optant: at propter multitudinem ingredi certantium complures difficulter admittuntur. Vt tamen multarum alibi votis ardentibus fiat ſatis, hinc iam aliquot ſacrarum virginum emiſſę ſunt celonię quæ magnis in vrbibus Belgij inchoandis præſunt eiuſdem Normæ monaſteriis.

Monaſterium Cyſonienſe à quo, & quando fuerit conditum: qui muneribus, aut priuilegijs id ornauerint.

CAPVT XXV.

POST BENEDICTINOS, S. AVGVSTINI RELIGIOSI, SEV CANONICI REGVLARES IN GALLO-FLANDRIA VETVSTISSIMI. CYSONIENSE MONASTERIVM QVI PRIMVM HIC HVIVS ORDINIS? S. EVERARDVM FVNDATOREM AGNOSCIT.

IAM verò qui ſecundum S. Benedicti Religioſos illigati ſacris numini votis homines in Gallo-flandria ſedem obtinuerunt, ij ſunt omnino, qui D. ſectantes Auguſtinum ex eius placitis vitam moréſque componunt. Eam ob rem vt perluſtratis expoſitíſque rebus ad Benedictini nominis loca pertinentibus, ipſorum quoque perſcrutandis, ac perpendendis originibus, priuilegiis, mutationibus, & incrementis aliquam hîc demus operam, inſtitutus à nobis ordo temporum flagitat. Vt igitur ab vetuſtiſſimo (ſi nimirum prima eius origo, & inſtitutio, non ordinis mutatio, id eſt, è ſæcularibus in Regulares Canonicos transformatio ſpectetur) tam ſancti Patris ac Doctoris aſſeclarum, ſeu Canonicorum ad eius ſe regulam religioſè effingentium domicilio initium ducamus: S. Calliſti, vel Cyſonienſis monaſterij fundatio, S. Euerardum Comitem, & Foroiulij Ducem, auctorem ſuum arceſſit. Quibus hoc factum adeò præcellentis hominis æternæ conſecretur memoriæ, nulla ipſius exſtant tradita litteris particularibus monumenta. Tantùm ex eius Teſtamento id colligere licet, è quo iſta deſumpſi: *Tertius Adalardus, volumus, vt habeat cortem noſtram in Cyſonio, & Canſinium cum omnibus, quæ ibi pertinent, & Græcinam cum omnibus, quæ ad ipſam eccleſiam in ſupradicto loco Cyſonio pertinere diſpoſui; in tali tenore, vt ipſam eccleſiam eo ordine, quo ego conſtitui, ſemper cuſtodiat; & nihil auferri de ijs, quæ ei dedi, permittat per ſe, aut per quemcumque: & Summinium cortem noſtram.* Nam ibi per eccleſiam ipſum ſignificat Euerardus Cyſonienſe templum à ſe conſtructum, cenſibúſque donatum perpetuis. In officio diuino, quod ad eius honorem Comitis huius loci Canonici Regulares perſoluunt, non ſemel conditi ab ipſo huius cœnobij mentio reperitur. Primùm enim hæc habet Lectio quinta: *Atque monaſterium, quod ipſe in partibus Galliarum occiduis in prædio ſuo, quod Cyſonius dicitur, in pago Tornacenſi, nobiliter ſtruxerat.* Dein Reſponſorium octauum his verſibus conſtat:

Sanctus in hac ſede conſtructa digniter ædè,
Huc vigili cura congeſſit prædia multa,

Marty-

A *Martyris huc Christi transponens ossa Calixti.*

Dum memoriam huius cœnobij proponit Flodoardus in historia Remensi, hunc in modum loquitur: *Adnotat etiam, qualiter Euerardus Marchio S. Calixti Papæ & Martyris venerabile corpus à Romana sede impetrauerit, atque in eius honore monasterium in prædio suo constituerit.* Verùm hæc eius auctoris verba non ita sunt intelligenda, vt non prius cœnobium Euerardus construxerit, quàm D. Callisti corpus obtinuerit. Id siquidem aliunde certissimum habetur, antè conditum ab eo monasterium fuisse, quàm de petendis S. Callisti Reliquiis ad eam, quam ædificauerat, ecclesiam decorandam, consilium iniuerit: tantùmque post eius translationem corporis templum latius construxit. Apud Iacobum Meierum in Annalibus Flandriæ de huius initiis. Monasterij hæc reperiuntur ad Christi annum 838. *Hac tempestate Euerardus Comes Cisoniensis coniuge, ac liberorum progenie, ad hoc opibus, clientelis, peritia rei militaris, vitæque sanctimonia illustris est habitus, initiumque dedit Cisoniensi Cœnobio iuxta Insulam.* Quæ sanè ad mentem Gislæ S. Euerardi coniugis dicta mihi videntur. Ea namque cœptum à marito Monasterium se suis absoluisse numeris testatur ijs in litteris, quas *Fiuis mallo publico* scripsit anno Caroli Calui Franciæ Regis fratrisque sui trigesimo primo, *Adstantibus Renhelmo Episcopo Nouiomensi, & Comite Odelrico.* En promptum ex his locum: *Pro sepultura tam mea, quàm pignorum meorum, cunctæque cognationis meæ, in vsum Luminarium Basilicæ Monasterij à me in Cisonio perfecti.* Audétque ideò alijs in litteris hæc proferre: *Apud Monasterium fisci Cysonij, in honore Domini nostri & Saluatoris, Sanctæque Mariæ eiusdem genitricis à me situm.* Lib. 4. c. 6. Lib. 2. B GISLA S. EVERARDI CONIVX IDEM PERFECIT.

Ad augendam loci huius dotem nonnihil impertiuisse Adalardum Euerardi ac Gillæ filium, inde non obscurè deprehendo; quòd ea, quæ pater ipsi testamento reliquerat, in monasterij possessionem venerint, vbi pòst exactam sanctissimè vitam cælibem in eius æde humo mandatus est; vt inferiùs è sacro diplomate patebit cœlestini Romanorum Pontificis, in quo pagorum ecclesiæ ac decimæ huic obnoxiæ Monasterio numerantur. DOTEM EIVS AVXIT ADALARDVS EVERARDI FILIVS. C

Qui simul cum istis multum laboris & operæ contulerit ad huius fabricam dotémque Monasterij, ac suas etiam ei res donauerit, Walgarium sacerdotem, primúmque Comitis sacellanum, vetera loci eius monumenta indicant. Quibus suas ei possessiones, & supellectilem contradidit, iuuat hic litteras in medium proferre, prout è Cysoniensi Phrontisterio accepi, etsi mendis scriptio non careat. AD IDEM ALIQVID CONTVLIT VVALGARIVS: CVIVS HÆ LITTERÆ.

Aduocatio Walgarij Sacerdotis, quam fecit Ecclesiæ Cisoniensi, & Capellæ de Heert-berghe.

† *Ille benè possidet res in * seculo, * quoniam sibi de caducis mansura, de terrenis cælestia mercatur. Idcirco ego in Dei nomine Walgarius indignus sacerdos ob absolutionem delictorum meorum, ac pro præmio paternæ retributionis, aliquas res meas legitimo iure ac labore multo ad propriam dominationem acquisitas trado, atque transfundo ad monasterium, quod dicitur Cysonium; in quo à fundamentis plurimum desudaui laborando, in pago Tornacensi situm; quod est constructum in honore Sancti Saluatoris, & beatæ Mariæ genitricis eiusdem; in quo Beatus Calixtus Papa & Martyr Christi corpore quiescit. Ergo dono in iam dicto pago Tornacensi, in loco, qui dicitur Wernetlmigus, ecclesiam vnam cum ornamento ibidem competenti. Vbi adiacent inter terram arabilem & pratum bunaria triginta, & mansum vnum cum casa superposita, seu & cætera casticia. In pago verò * Pastensi, in loco qui vocatur Holteum, mansum vnum cum castitijs supra positis; in quo Ragemarus residere videtur: vbi appendunt de terra arabili bunaria quatuor, & mancipia quatuor, videlicet mulier eiusdem Ragemari, & filij eius duo, & vnus nepotum eius; & de silua in eodem loco bunaria triginta. In fabricaturis quoque, quæ inibi in promptu cernuntur, misi de proprio iure, de argento libras octodecim, & de auro vncias octodecim; & pecora quàm plurima, scilicet iumenta viginti & † burdonem vnum, boues decem, vaccas viginti septem, & minora animalia viginti, * veruices centum & octoginta. Libros etiam infrà scriptos, videlicet bibliothecam vnam: Omelias per annum, missale, Moralia Iob, Sacramentorum libros,*

* sæculo. * qui. D An hic idem cum ...abulensi; * vervecces.

† Suas etiam hoc modo litteras inchoat Macarius, quibus anno 885. pagum Condrensem ecclesiæ Cameracensi concedit: *Benè possidet ille res in hoc sæculo, qui de terrenis atque caducis comparat præmia sempiterna.* Vnde prauitatem scripturæ harum litterarum colligas.

† Burdo, vel burdus Laur. Valle hinnulus est equo patre, asina matre genitus: Ioan. Marianæ, mulus ex asina nat⁹: Cœlio Rhodig. ex Porphirione, mannus, vel mannulus, id est equus paruus & præmiis Nicolaus Decarius eum inter iumenta & mulos numerat, aitque mannum etiã vocari.

Passio-

A

Paßionalem, de vita honesta libros octodecim, Vitas Patrum, Bedam super Apocalipsim, & super septem Epistolas Canonicas, Librum officiorum, Glosarium vnum, de diuersis sententijs in præcipuis festiuitatibus legendis librum vnum, Antiphonarios duos, Omelias Gregorij in Ezechiel prophetam. Insuper vtensilia omnia, quæ vsui necessaria comprobantur. Ista omnia superius commemorata, tali tenore ac ratione trado, atque confirmo, vt ipsa ordinatio, quam iubente Domino meo Eurardo per chartam ordinaui, atque sub manu custodis constitui, de statu altaris huius inconuulsa seruetur. Et vt mihi mansio vna ibidem concedatur, & quotidie dentur duo panes, quales ipsi Canonici accipiunt, & paria pulmenta, & quotidie de ceruisia * *sectarius maior, & de vino libræ duæ, & omni anno in vestimento solidi quinque, &* * *cansil 1. Et vt Oldericus meus quondam* † *curtile, in quo sedet, quod sibi ad ipsum monasterium* * *concambiañ, licenter diebus vitæ poßideat, & vnum hominem de ipsa familia Rogerum nomine, vt in loco, in quo illum constitui, deseruire liceat, & illam* † *Fresiam Hetgardam nomine, vbi nunc hospitatur, permanere liceat,* Volo, *vt ita fiat. In ea vero ratione ista omnia super nominata dono, trado, atque perpetualiter transfirmo, si petitio mea ad effectum perfectionis venerit: sin aliter, sua cuique iure debentur. Si verò, secundùm quod expeto, in omnibus adimpletur, ea ratione suprà dicta omnia ad istum sanctum Cysonij locum condono, vt à die præsenti hæc donatio, atque traditio intemerata, atque inconuulsa seruetur. Et si deinceps* * *(quod futurum esse non credo) si ego ipse (quod absit) aut qualibet opposita, vel extranea persona contra hanc donationem venire, aut infringere, aut calumniare præsumpserit; à liminibus sanctæ Dei ecclesiæ sequestratus ac separatus sit. Et insuper ante tribunal Christi hac de causa se iudicari cognoscat; & quod repetit, nullo modo euindicare præualeat: sed præsens donatio ista manu nostra firmata, ac testimonio plurimorum roborata, firmata, maneat inconuulsa. Actum Cysonio &c.* Hactenus sacerdos Walgarius haud leuiter liberalis: cuius aliqua verba non erit abs re paullò diligentiùs expendere, vt aliis simul etiam lucem aliquam afferamus. Vides igitur hic in primis ecclesiam Cysoniensibus Canonicis donari, quæ postmodum altare dicitur; conuenienter sanè iis, quæ superiùs de altaribus vel ecclesiis tum Canonicis, tum monachis olim donatis docuimus: vt tam longè repetendum huius rei exemplum agnoscas. Circa verò ea, quæ cum ecclesia tribuuntur ab Walgario, hæc accipe, vt nonnulla etiam, quorum alibi fit mentio, clariùs intelligas. Quæ *Bunaria* hîc nominantur, aliis in diplomatibus nunc *Buna*, nunc *Bunaria*, & *Bonarij* nuncupantur: ac quædam sunt terræ portiones. Gallicæ Belgij prouinciæ *Bonniers*, Teutonicæ *Bunders* vocitant. Mille ac sexcentos pedes in quadrum obeundo vt plurimum singula continent. De *Mansi* significatione varia est sententia. Iacobo Spiegelio in lexico Iuris, vernacula vox est Italorum *Mansus*, agrúmque, seu fundum significat, qui bobus duobus ad annuum laborem sufficit. Hæc sumpsit Iacobus, vt videtur, è Iure Canonico. Nam de Censibus cap. Sancitum, sic habetur: *Sancitum est, vt vnicuique ecclesiæ vnus mansus integer, absque vllo seruitio tribuatur.* Vbi Glossa: *Mansus dicitur in vulgari Italicorum quantitas terræ, quæ sufficit duobus bobus in anno ad laborandum.* Apud Gratianum eadem vox habetur 23.q.8.c.24 ex Parisiensi Concilio: *Secundùm Canonicam auctoritatem, & constitutionem domini Imperatoris Ludouici de agro & manso.* Ad quem locum à Glossa notatur: *Mansus verò appellatur, vnde percipitur frumentum & vinum ad Eucharistiam conficiendam, vt extra de Censib. c. sancitum est. Vel mansum appellat dotem ipsius ecclesiæ. Nam dos talis debet esse, vt ecclesia poßit inde sustentari de Consec. di. 1. nemo. Sed mansus dicitur secundum vulgare, vnde vnus rusticus cum sua familia poßit sustentari.* Vides igitur hinc tria *Mansi* nomine in Iure Canonico significari. Quin aliquando præter hæc aliud *Mansus* indicet, vel *Mansum* (in variis enim diplomatibus Principum vtrumque genus vsurpatur) nullo dubitari modo potest. Etenim Balduinus Insulensis Flandriæ Comes iis in litteris, quibus Insulensi dotem ecclesiæ attribuit, perfrequenter *Mansos terræ* numerat assignátque variis in vicis, quibus maiorem bonario terræ portionem innuere videtur. Neque desunt in Belgicis monumentis exempla, quibus probetur, mansum esse habitationem, vel hæreditatem domicilio exornatam. Certe propiùs Insulam dynastia cernitur, cui

B C D

Left margin notes:

* non dubito scribendũ esse, *concambiaui*: vt sit sensus; quod cũ ipso mutaui pro Monasterio.
† quid propriè hæc vox significet, nõ mihi constat. Apparet saltem fuisse aliquod ædificium.

HARVM LITTERARVM QVÆDAM EXAMINANTVR.
ECCLESIÆ DONATIO.

BVNARIA.

MANSVS ET MANSVM.

Right margin notes:

* sextarius.
* quid hoc sit, nõdũ reperi.
† hortum & in eo domunculam.

* quis.

Gallicè

A Gallicè nomen *Beau-manoir*, Latinè *Bello manso* datū est; vnde quondam, vt arbitror, Thomas de bello manso S. Petri Insulēsis Canonicorum Prępositus claruit. Inter ea, quæ Flandriæ Princeps Ioanna Virginibus Marquettēsibus donauit, de simili *manso* mentionem suis in litteris, agit dum ait: *Concessimus præterea ad opus hospitalis eiusdem mansum nostrum situm iuxta monasterium memoratum, cum fossatis, & omnibus ædificijs lapideis, vel ligneis, factis, vel faciendis à nobis, & cum terra extra fossata &c.* Iā diu antè Carolus rex in admonitione, quam Pistis habuit, hęc scripserat: *Vt quoniam quibusdā in locis coloni tam fiscales, quam de casis Dei, suas hæreditates, id est mansa quæ tenent, non solùm suis paribus, sed & Clericis vendunt, & tantummodò cellam retinēt; & hac occasione sic destructæ sunt villæ, vt non solùm census debitus inde non possit exigi, sed etiam quæ terræ de singulis mansis fuerunt, non possunt cognosci: Constituimus, vt præcipiatur à nostris ministerialibus, & à ministris, vt hoc nullo modo de cætero fiat, ne villæ destructæ atque confusæ fiant. Et quidquid de singulis mansis sine licentia dominorum, vel magistrorum, per quoscūque venditum est, recipiatur. Et iuxta qualitatem, vel quantitatem terræ, vel vinearum ad singulos mansos pertinentium, postquam restaurati fuerint, ab vnoquoque manso census ad*

B *partē dominicam exigatur.* In quodam diplomate Henrici Imperatoris, quod Lazius refert, ista reperiuntur: *Vnū regalem mansum cum omnibus suis pertinentijs, & vtriusque sexus mancipiis, terris cultis, & incultis, areis, ædificiis, pratis, pascuis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, syluis, venationibus, saginationibus, cum omni vtilitate, quæ aut scribi, aut nominari potest, in proprium tradidimus.* Quæ sanè quàm aptissimè iis congruunt, quæ noster Walgarius de mansis à se Cysoniensi monasterio donatis hîc memorat. Etenim alteri casam & castitia superposita fuisse asserit; alteri cum casticiis annexa fuisse terrę arabilis & siluæ bunaria, quędámque mācipia testatur. Vnde certè non leue munus eius fuisse percipias. Ad *Casam* quod attinet, nihil per eam hîc humile ac tenue innui putes. Domum siquidem hoc loco *Casa* significat, quæ præcipua erat in *Manso* heri habitatio. Vt enim hodiéque Hispani pro domo etiam nobiliū & principum hanc vocem vsurpant: sic ætate media qui Latinè in Galliis scripsere, perquàm frequenter *Casam* eodem significatu posuerunt. Indéque *Casati homines* aut *Vasalli* sunt nuncupati, qui olim intra Casam, vel aulam Principi seruiebant, vt notat CASA.

C Pithoeus in Glossario. Iam verò *Castitiorum* voce nihil frequentius apud Mediæ auctores, vel diplomata, ætatis. Liber V. Capitularium Cap. XXLVIII. *Intelligant non solùm claustra monasterij, vel ecclesiæ, atque castitia ecclesiarum sub immunitatis defensione consistere.* Epistola Episcopp. dioeceseos Rem. atque Rothomag. ad Ludouicum. *Iudices &c. ædificent villas suas moderatis castitiis* diploma Carolomanni: *Cum omnibus appendicijs ad eundem mansum pertinentibus, & aspicientibus castitiis.* Appendix Concilij Suess. *In castitiis, & siluis custoditis.* Codex monasterij S. Germani à Pratis: *Habet in valle vitriaco mansum dominicatum cum casa & alijs castitiis sufficienter.* Macarij litterę in Chronico Cameracensi l. 1. c. 51. *Mansum dominicatum cum castitiis.* Verùm quid tandem *Castitia*? De his suam in Glossario sententiam Pithoeus non aperit: Et quid ea significēt, fatetur ignotum sibi Coluenerius Balderici voces obscuras explicans. Ego quid cēseam (rectène tamen, alij iudicent) paucis expediam. Quin ea sint structuræ quædam, vel ædificia; nihil dubito. Id prorsus significatum hac voce è verbis suprà positis colligitur: *Ædificent villas suas moderatis castitijs.* Quæ verò structiones, CASTITIA.

D vel ædificia fuerint, tum ea quæ Walgarius hoc loco, tum ea quæ S. Germani codex citatus repręsentant, arguere videntur, cùm à casa distinguant. Existimo igitur *Casam* fuisse domum in manso ædificatam, vbi dominus eius sedem haberet: *Castitia* verò cetera minoris notæ ac ordinis ædificia, vel iunctim, vel separatim in eodem constructa: qualia sunt stabula, horrea, & hatæ,

Ceterùm quos initio huic ecclesiæ S. Euerardus imposuerit, Canonicósne sæculares, vt vocant, an Regulares, quidam vidētur in dubium velle reuocare. Quod enim apud Flodoardū Rodulphus Euerardi filius huius loci Abbas vocetur; dein ab Walgario & aliis ea monasterium nominetur ecclesia: quodam modo data est ansa censendi, Religiosos illic intra septa fuisse conclusos. Verùm inde nihil admodum colligi potest, quod aliquem meritò in eam pertrahat opinionem. Primùm enim, vt iam CANONICI SAECVLARES IN HAC ECCLESIA PRIMVM COLLOCATI.

vidimus, eos, qui Cysonij diuino nauabant officio, Walgarius Canonicos simpliciter appellat, quæ dictio sine adiuncto semper de sæcularibus accipitur. Deinde nouum, nihil est, eum qui sæcularibus Canonicis præficitur, Abbatis nomine nuncupari. Certe cùm Iuris Canonici interpretes, & quarundam ecclesiarum priuilegia excutio, nõ pauca sese mihi offerunt, quibus pateat, multis in locis Clericos Abbates ecclesiis præesse. Primum siquidem nonnullarum ecclesiarum rectores seu prçlatos, Abbates vocari ostendunt Innocentius & Ostiensis in Cap. ex tramissa, de Renunciar. Quo in Cap. nominatur ecclesia S. Nicolai de Ceparano, cuius antistes Abbas fuerit sæcularis. & Ostiensis ibidem loquitur de Abbate S. Felicis Valentini, ac de Abbate ecclesiæ Claromontanç: adiicítque in Hispania tales multos Abbates reperiri: ac de simili Abbatiæ dignitate in ecclesia S. Petri de Burgo Valentinæ vnita Præposituræ in delphinatu (quæ est maior post pontificem) tradit Bertrandus Carpentoractensis in Consil, 2. par. 3. & in Belgio nostro Mechliniæ quondam ecclesia S. Rumoldi Abbatem habuit sçcularem; quales etiam numeratç in Leodiensi diœcesi ecclesiæ D. Virginis Traiectensis, Tungrensis, ac Dionantensis, & pleræque aliæ. Deinde monasterij nomen, quod aliàs notauimus, à mediç scriptoribus ætatis de iis passim ecclesiis fuit vsurpatum, quibus sæculares inerant Canonici: vt multis apud Baldericum locis deprehenditur in Cameracensi Chronico, dum Ecclesias subditorum Cameracensi episcopo Canonicorum enumerat. Ad extremum Willelmus Remensis Archiepiscopus iis litteris, quas exarauit anno Christi 1190. disertè satis significat, nullos prius Cysonij Canonicos Regulares consedisse, quàm Raynaldus eiusdem Remensis ecclesiç pontifex, Herimanno Prçposito & sociis flagitantibus permisit, vti regulam D. Augustini profiterentur. Sic enim ibi loquitur ipse: *Ordinem autem Canonicum à prædecessore nostro Raynaldo in ecclesia vestra primitus institutum perpetuis ibidem temporibus firmiter præcipimus obseruari.* De Cysonio igitur ita statuendum principio Canonicos habuisse sçculares ex B. Eurardi fundatione, horúmque initia ad Christi annum 838. referenda; quibus in commune viuentibus & simul habitantibus (quemadmodum ex Walgari litteris clarum est, cùm de cibo, potu, veste, & mansione agit, quç sibi, vt Canonicis, dari desiderat in cœnobio) Abbas præfuerit; deinde portionibus in singulos Canonicè diuisis, prçpositus: ac tum denique horum loco Regulares D. Augustini Canonicos in cœtum & claustra ibidem coiuisse. Quonam autem hoc tempore, qua ex causa, quoue modo fuerit perfectum, ordo postulat, vt nunc inquiramus, expediamúsque.

QVANDO IBIDEM POSITI FVERINT REGVLARES CANONICI.

E veteribus Cysoniensis Archiui monumentis hoc in primis accepi, quod ab aliquo eius monasterij Religioso fuit memoriç consecratum. *Canonicus ordo Cysoniensis ecclesiæ quo tempore cœperit, compendioso scripturus* * *eulogio Deum fontem totius boni, totiúsque scientiæ inuoco meo præesse studio, Superna námque dispensatione prouisum est, vt bona præfatæ ecclesiæ, quæ prius diuisa & dispersa fuerant, in quandam vnionem, & communionem redigerentur, & Congregationi Fratrum, quibus esset anima vna, & cor vnum in Deo iuxta Apostolica decreta distribuerentur. Quippe iustus Deus, pius & misericors ecclesiam suam dignatus est visitare, & iacentem & languentem ad elegantioris Ordinis statũ sublimare. Mortuo siquidem Amalrico Præposito, qui eã prout potuit in vita sua rexit: Herimannus Insulanus ad obtinendum Præposituræ honorem contra volũtatem Clericorum & communem electionem ipsorum accessit. Vnde inter eos diutina litigatio exstitit. quã ille per industriã & munificentiam suã aliquatenus mitigauit. Erat enim vir dapsilis, affabilis, abundans diuitiarum, ducens originẽ ex numero* * *militum Gregariorum. Tũc duo Cysoniẽses Canonici dominus videlicet Lethardus, & dominus Robertus dominũ Herimannum cœperunt frequentare, benignè eum alloqui, cum ipso in platea sedere; multa de contemptu huius mundi eidem intimare. Erátque eorum cõfabulatio huiusmodi: Vsque quo terrenarum sequimur desideria voluptatum, quæ nequaquam queunt hominem efficere beatũ? Quid in extremo Dei iudicio nobis conferet fastus & elatio? Quid nobis prodest, si totum mundum lucremur, animarum verò nostrarum detrimenta patiamur? Vita hominis non est diuturna: salus ipsius non est continua, hodie est, cras non est: hodie viuit, cras interit, hodie proficit, cras deficit. Friuola ergo & transitoria relinquamus, vt gaudia cælestiũ patriæ possideamus. Locus iste quãto*

* eulogio.

* Videtur hic aliquid deesse, ac scribẽdum existimo: *militum non gregariorum*: Cum enim videatur auctor velle significare, nobilem fuisse Herimannũ, ideóque & diuitem lautúmque extitisse; quid illi cum militib⁹ gregarijs, quibus neque opes, neque lautitiæ conueniunt? Igitur per milites non gregarios, aut milites ordinum ductores, aut viros equestri donatos ordine, vel dignitate, acceperim: vt maiores eo fulgentes honore habuerit Herimannus.

pro

A *pro Reliquijs Sanctorũ est reuerentior, tantò Ordini esset cõpetentior. Dũ hæc, aut iis similia præfati sacerdotes sæpenumerò loquerẽtur, dominus* Herimãnus *tandem illis respondit: Verum est, inquam, quod dicitis. Bona est vestra exhortatio, nec in aliquo falli potest vestra locutio. sed si certitudinem intentionis vestræ super hac re cognoscerem: forsitan consilio vestro voluntarius acquiescerem. Date igitur fidem, nominate diem.* * *Remis eamus, vt illic omnia, quæ locuti estis, opere compleamus, Quid multa?* * *Mouinum Tornacensis ecclesiæ Canonicum quartum sibi socium asciuerunt: sermonem suum fide confirmauerunt. Post modicum tempus Remis * abierunt, Et causam aduentus sui Archiepiscopo exposuerunt. Tunc* Herimannus *in præsentia Archiepiscopi, multorúmque virorum religiosorum, qui ibi aderant, primus ipsi Præposituram suam reddidit: Lethardus verò & Robertus suas prabendas communi vitæ distribuendas. Protinus dominus* Anselmus *S.* Dionysij *Remensis Canonicus ab omnibus eligitur, & licet inuitus, licet nolens, licet multum renitens apud* Cysonium *consecratus Abbas adducitur.* &c. Ea enim de Anselmo sequuntur, quæ nos anteà memorauimus, dum Cysonienses laudaremus antistites. Pergit verò posteà idem Religiosus: *Inthronizatio autẽ prædicti Abbatis Anselmi facta est à Clero & populo Cysoniensi in*
B *sacratissima die Epiphaniæ Domini, anno ab Incarnatione Domini 1129. exacta 28. cõcurrente, Indictione 7. Honorio Papa 2.* * *Archisterio Petri præsidente, Ludouico verò sexto Monarchiam totius Galliæ tenente, sub temporibus* † *Reginaldi Remensis Archiepiscopi & Simonis Nouiomensis Episcopi, Domino nostro Iesu Christo regnante in pace cum Patre & Spiritu sancto per omnia secula Amen.* Hactenus auctor ille Anonymus, cui prorsus ea consonant, quæ laudatus anteà Raynaldus Remensis Archiepiscopus suis inseruit litteris, quarum hæc copia.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sãcti. Amẽ. Raynaldus Dei gratia Remensis ecclesiæ humilis minister, dilecto filio Anselmo ecclesiæ Cysoniensis Abbati, & Fratribus eius in eadem B. Calixti ecclesia Canonicam vitam professis, eorumque successoribus in eadem obseruantia permansuris, salutem atque in Religionis proposito perseuerantiam. Quod ad salutem animarum, & religionis augmentum pertinere cognoscimus, impigra sollicitudine, auctore Deo, pontificalis officij auctoritate adimplere iustum esse perpendimus. Herimannus siquidem Præpositus & Thesaurarius Cysoniensis ecclesiæ
C *(cuius fundum iuris prædecessorum nostrorum Remensium Archiepiscoporum, & nostri ab antiquis temporibus fuisse, & esse cõstat) vitam suam emendare volens, & vt prædicta ecclesia secundum regulam B. Augustini ordinaretur, cum nonnullis Canonicis suis deuotissimè supplicans, Præposituram & Thesaurariam, quam de manu nostra susceperat, in eadem manu nostra abdicauit. Postmodùm autem tibi in Christo fili charissime, in regularem Abbatem eiusdem ecclesiæ canonicè electo ecclesiam ipsam, & prædicta officia Præposituræ videlicet, & Thesaurariæ concessimus: ita nimirum, vt decentibus eiusdem ecclesiæ Clericis, loco ipsorum, alios constituas, qui diuina aspiranti gratia mores suos sub regularis vitæ disciplina coërcere, ac communiter secundùm sanctorum Patrum institutionem omnipotẽti domino deseruire proponãt.* * *Tuis itaque, ac multorum Religiosorum iustis petitionibus debita benignitate annuentes, vitæ Canonicæ ordinem, quem professus es, in prædicta ecclesia præsentis priuilegij auctoritate firmamus, ac ne cui post professionem exhibitam propriũ quid habere, néue sine Abbatis, vel Congregationis licentia de claustro discedere liceat interdicimus: & tam vos, quàm vestra omnia sedis Metropolitanæ protectione munimus. Vobis namque vestrisque*
D *successoribus in eadem Religione permansuris ea omnia perpetuò possidenda sancimus, quæ in præsentiarum prædicta ecclesia iustè possidet, quæcumque etiam futuris temporibus legitimè poterit adipisci. Præterea eadem auctoritate decernimus, vt quicumque in eadem ecclesia canonicè electus fuerit in Abbatem, nobis, nostrisque successoribus, & Remensi ecclesiæ præsentetur, & ius nostrum futurorúmque Remensium Pontificum recognoscat, & inuestiatur, Vt autem huius priuilegij pagina rata permaneat, & inconcussa, sigilli nostri impressione, ac probabilium virorum testimonijs eam muniri fecimus. S. Odonis Abbatis S. Remigij. S. Richardi Mosomen. Abbatis. S. Inguerrani Altiuillaren. Abbatis S. Guillermi Abbatis S. Theodorici. S. Albrici Abbatis S. Basoli. S. Gisleberti Abbatis S. Dionysij. S. Hugonis Archidiaconi. S. Frederici Præpositi. S. Geruasij Cantoris. S. Hugonis Thesaurarij. S. Alberti, Henrici, Gregorij, & Rogeri presbiterorum. S. Guuardi, Leonis,*

* Remos

* Remos.

* Isne fuerit Mouinus ille, qui Cantor ecclesiæ S. Mariæ Tornacensis anno Domini 1130. sacerdotalia duo beneficia ibidẽ fũdauit, quẽadmodum notat Coussinus l. 3. c. 42.

* Ita quidem scriptum reperi: sed non dubiè vox ea nec Græca, nec Latina est; quæ tamen hic pro principatu, vel pontificatu ponitur.

† seu Reynaldi utroque enim modo scriptum eius Episcopi nomen.

LITTERÆ RAYNALDI ARCHIEPISCOPI REMENS: ORDINEM CANONICORVM REGVLAR. IN CYSONIENSI MONASTERIO CONFIRMANTIS.

* Eius.

 Drogonis,

Drogonis, Bosonis, & Ioannis Diaconorum. S. Girardi, Guidonis, Iofridi, Albrici, & Halderici, Subdiaconorum. Actum Remis anno incarnati Verbi 1129. Indictione 7. regnante Ludouico Francorum Rege gloriosissimo: Archiepiscopatus autem Domini Raynaldi Archiepiscopi secundi anno quinto. Quod verò de fundo ecclesiaque Cysoniensis monasterij Archiepiscopis Remẽsibus obnoxiis asserit his litteris Raynaldus, ex hoc id Flodoardi loco pendet, de Rodulfo B. Euerardi, quem diximus hoc cœnobium fundasse, filio, & Cysoniensi Abbate loquentis: *Qui res ipsas simul cum † memorati martyris gleba, vitæ suæ in diebus absque vlla contradictione tenuerit; & de seculo migraturus easdem res cum monasterio, & corpore sacro Remensis S. Dei genitricis ecclesiæ delegauerit, eandémque rerum suarum heredem instituerit.* Ceterùm ex Raynaldi sententia Willelmus etiam Remensis Archiepiscopus iis in litteris, quibus ordinem regularem Cysonij confirmat anno 1190. sic quòque loquitur: *Cùm ab antiquis Cysoniensis ecclesia de fundo & mensa nostra fuisse, & esse noscatur:* Ac deinceps aliis in litteris anno 1200 scriptis: *Cùm ecclesia Cysoniensis a primis fundamentis, & omnia ad eam spectantia specialiter & præcipuè in temporalibus nostra sint.*

A

† id est, corpore S. Callixti.

B

Qui Pontifices Romani susceperint patrocinium Cyson. Abbat.

Stabilito igitur Cysonij Regularium Canonicorum Ordine, mirùm sanè est, quàm multorum etiam maximorum hominum in Religiosos illic degentes studium exarserit. E Romanis Pontificibus Alexander eius nominis Tertius hos primus, eorúmque successores, ac possessiones insigni Bulla sub Apostolicum recepit patrocinium, ipsisque non pauca impertiit priuilegia. Cælestinus deinde Tertius ad Sedem Romanam euectus præclaro eosdem patrocinio defendendos suscepit. Idémque posteà fecerunt horum aliquot successores, quorum diplomata etiamnum seruantur. Cælestini solius litteras in medium hic placet producere.

Bulla Cælestini.

*Cælestinus Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs Abbati Cysoniensis ecclesiæ, eiúsque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris Regularem vitam professis, in perpetuum. Cùm sitis Regularem vitam Domino inspirante professi, paci vestræ paterna consideratione prospicimus, & ne possitis malignorum vexationibus fatigari, Apostolicum vobis patrocinium exhibemus. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatam ecclesiam S. Calixti, in qua diuino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis Recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt Ordo Canonicus, qui in ecclesia vestra per bonæ memoriæ Raynaldum quondam Remensem Archiepiscopum secundùm regulam B. Augustini, & institutionem Fratrum ecclesiæ B. Dionysij Remensis institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis, vestris quoque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. Locum, in quo vestra ecclesia sita est, cum decimis, & liberis hospitibus, ita quòd super eos nullus * aduocationem habeat. Ecclesiam, grangiam, & terram de Louilio cum integritate decimæ, & hospitum totius villæ. Nemus præbendarum, malum alnetum, nemus quod dicitur Salengretum, & possessionem eiusdem villæ, & Cysonij in terra arabili, pratis, siluis, maresco, & aquis, sicut ab antiquo possidebat. Cursum quoque fontis de Burgela, quem ecclesia potest ducere per necessaria sua absque alicuius prohibitione.*

C

D

* quid sit Aduocatio, nos latè docemus lib. 5. ca. 20.

Ecclesiam

A

*Ecclesiam de Asli cum integritate decimæ, terra arabili, & * manso presbyteri. Ecclesiam de Basni cum integritate decimæ, grangia & hospitibus. Ecclesiam de Camphain cum integritate decimæ, & hospitibus. Ecclesiam de Bouuines cum integritate decimæ, & manso, grangia, tam in terra & * curte beati Amandi, quàm in alijs terris. Ecclesiam de Gruson cum integritate decimæ. Ecclesiam de Genech cum integritate decimæ & manso, & grangia. Ecclesiam de Cobriu: Ecclesiam de Summinio cum integritate decimæ, & terragio totius villæ, hospitibus, & libero manso. Capellam de Hornen cum integritate decimæ, & terragio. Curtem de Beaurepaire cum nemoribus, aquis, marisco, viuario, terra arabili. Curtem de Vitri cum terra, hospitibus, & eo iure quod habetis in redditibus & decimis eiusdem villæ. Ecclesiam de Cheren. Ecclesiam de * Fys, Ecclesiam de Toufles. Capellam de Heestberga. Curtem de Cresselan. cum terragio, hospitibus, & tota villa, ita quòd in ipsa nullus nisi solus Abbas iustitiam, vel aduocationem exerceat. Domum lapideam in monticulo Tornacensi, vt redditus ipsius vsibus infirmorum ecclesiæ perpetuò deputentur. Domos de Messines. Quinque solidos, quos Comes Flandrensis soluit pro arboreto. Sanè noualium vestrorum, quę proprijs manibus, vel sumptibus colitis, siue de nutrimẽtis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce, diuina officia celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus: vt eorum deuotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat; salua tamen iustitia illarum ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Prohibemus insuper, vt nullis Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, nisi arctioris religionis obtentu, absque Abbatis sui licentia fas sit de claustro discedere. Discedentem verò absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Liceat vobis clericos, vel laicos, liberos & absolutos à sæculo fugientes ad conuersionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Interdicimus etiam, ne Episcopo, vel Archidiacono liceat in vos, vel ecclesias vestras sine manifesta & rationabili causa, excommunicationis, vel interdicti sententiam ferre, seu vos nouis & indebitis exactionibus fatigare. Obeunte verò te eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum maior pars consilij sanioris secundùm Dei timorem, & beati Augustini regulam prouiderit eligendum. Præterea nihilominus arctiùs interdicimus, ne Episcopo, Archid. vel eorum ministerialibus, Canonicis, seu clericis alijs pro confirmatione, inthronizatione, vel benedictione Abbatis vestri * palefridum, cappam sericam, vel quidquam aliud facultas vel licen. pateat à vobis obtentu cuiuslibet consuetudinis exigendi. Si verò pro ijs à vobis exegerint; cùm detestabile sit, & * obuium rationi, liberè vobis liceat eis, quod postulauerint denegare. Ad hæc paci & tranquillitati vestræ paterna sollicitudine prouidere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus ne infra clausuram locorum vestrorum vllus violentiam, vel rapinam, seu furtum facere, vel homines tenere, capere, vel interficere audeat.*

B C D (margin letters)

* hîc, & in sequentibus locis videtur mansi nomine domus indicari. Vide quæ diximus ad litteras VValgarij.

* hæc vox, vt hîc, ita sæpè alibi pro villa ponitur. Apud Flodoardum: *Quidam presbyter de Bouonis curte, sic enim villa vocatur.*

* Lys.

* ea consulas, quæ suprà circa priuilegia eccl. Martian. expendimus. Ceterùm hæc aduersus etiam aduocatos huius Abbatiæ dicta videntur, qui olim palefridum sibi vendicare conabantur.

* contrarium.

 Decernimus

Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: sed omnia integra conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura. Salua Sedis Apostolicæ auctoritate, & diœcesani Episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularísue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundò tertióue commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, pietatis honorísque sui careat dignitate: reámque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat vltioni. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Sic signatum. Ego Cælestinus Catholicæ ecclesiæ Episcopus &c.

Inter alia litteris aliis concessa Cysoniensibus Religiosis ab Romanis Pontificibus priuilegia, duo breuiter hîc commemoranda mihi videntur. Horum vnum ab Alexandro Tertio profectum fuit, quo facultatem iis impertiit, ecclesiastica bona, quæ dudum fuerant distracta, redimendi. Eius priuilegij hoc initium; vt iustam agnoscas causam postulati, impetratique. *Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs A. Abbati, & Fratribus ecclesiæ Cysoniensis salutem & Apostolicam benedictionem. Ex transmissa vestra relatione nuper comperimus, quod sæculares Canonici, qui ante vos in ecclesia vestra fuerunt, terras ipsius distrahere, & alienare præsumpserunt. Vnde nos volentes.*

ALEXANDRI III. PRIVILEGIVM DE BONIS REDIMENDIS.

Alterum Clemens III. priuilegium donauit, vt nimirum Cysonienses Canonici in eorum bona, qui Religionis apud eos institutum arripiunt, possint succedere. Cùm enim hac de re sacrum diploma conscriberet, illos *possessiones, & alia bona mobilia & immobilia, quæ personas liberas Canonitorum* eius cœnobij, *mundi relicta vanitate ad monasterium conuolantium, & professionem facientium* pro dominis haberent, adire concessit.

CLEMENTIS III. PRIVILEGIVM DE BONIS RELIGIONEM CAPESSENTIVM ADEVNDIS.

Iam verò ex Remensibus Archiepiscopis post Raynaldum Wilelmus suo aduersus Cysonienses Religiosos officio minimè defuit. Iis enim primùm sacro suum diplomate patrocinium addixit: cuius hic partem aliquam Lectori placet repræsentare.

Willermus Dei gratia Remorum Archiepiscopus sanctæ Romanæ ecclesiæ tit. sanctæ Sabinæ Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, dilectis filijs Simoni Abbati, totique Capitulo Cysoniensi in perpetuum. Cùm ab antiquis temporibus Cysoniensis ecclesia de fundo & mensa nostra fuisse & esse noscatur: hanc inter alias nostræ diœcesis ecclesias libertatem semper obtinuit, quòd nulli nisi nobis, & prædecessoribus nostris subiectionem exhibuit. Nos verò pari & indemnitati, necnon libertati vestræ paterna sollicitudine prouidere volentes, eandem libertatem, quam ab antiquo habuistis, & eundem Ordinem Canonicum, quem bonæ memoriæ Rainaldus quondam Remensis Archiepiscopus in ecclesia vestra instituit; sicut sanctæ recordationis Alexander *Papa Tertius, secundum scriptum ipsius autenticum, confirmauit, saluo iure nostro, & nostrorum successorum, vobis benignè concedimus, vt vos & eundem ordinem, & possessiones vestras, tanquam nostras proprias, in custodia & protectione nostra suscipimus; & sicut in autenticis Raynaldi prædecessoris nostri, & Alexandri Papæ tertij scriptis continetur, clementer vobis annuimus, & ne scripta eorum immutentur, Metropolitana auctoritate interdicimus. Nobis autem ius patronatus, & repræsentationem personæ retinemus. Sanè noualium vestrorum &c.* eadem enim ferè omnia post enumerat priuilegia, quæ priùs in Cælestini litteris perspeximus. Subdit autem denique: *Ordinem autem Canonicum à prædecessore nostro Raynaldo in ecclesia vestra*

VVILLELMVS REMENS. ARCHIEPISCOPVS PRO CYSONIENSIBVS SCRIBIT.

A *primitus institutum perpetuis ibidem temporibus firmiter præcipimus obseruari, nec à quoquam, nisi de conscientia nostra, vel successorum nostrorum, & conueniam totius capituli nostri, volumus immutari. Volentes igitur vt hæc omnia rata permaneant, necnon perpetuæ firmitatis robur obtineant, præsentis scripti pagina communimus, & sigilli nostri auctoritate confirmamus. Statuentes, & sub interminatione anathematis firmiter inhibentes, ne quis hanc nostræ confirmationis paginam audeat infringere, aut ei in aliquo præsumptuosa temeritate contraire, saluo in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Actum anno Dominicæ Incarnationis 1190. Datum per mannum Lambini Cancellarij nostri.*

Studuit etiam postmodum idem Willelmus Cysoniensis Abbatiæ Canonicorum iisque subiectorum hominum spirituali bono ac deuotioni. Cùm enim illi propter Aduocatorum suorum crimina cogerentur à diuinis in æde sua cessare, itaque redundanti ex sacrosanctis mysteriis fructu simul cum parochianis priuarentur: id omnino fieri prohibuit; hásque ideo ad ipsos litteras scripsit.

B *Willermus Dei gratia Remensis Archiepiscopus sanctæ Romanæ ecclesiæ R. S. Sabinæ Cardinalis, dilectis filijs Abbati & Conuentui Cysoniensi salutem in vero saluatore. Cùm ecclesia Cysoniensis à primis fundamentis, & omnia ad eam spectantia specialiter & præcipuè in temporalibus nostra sint; miramur plurimùm, & arguimus errorem vestrum super hoc, quòd à diuinis cessare præsumpsistis occasione Aduocati Cysoniensis: & cùm ad vos, vel ecclesiam vestram nihil pertineat causa, vel correctio delicti eius. Mandamus igitur vobis, & districtè præcipimus, ne vnquam de cetero occasione ipsius, nisi fortè delinquat aduersus vos, vel etiam alterius, nobis inconsultis, cessare præsumatis. Quòd si fortè* C *parochia Cysoniensis pro delicto prædicti Aduocati fuerit aliquando interdicta, *..... quòd vos, tam ipso, quam familia ipsius, & hospitibus suis exclusis, clausis ianuis, diuina solenniter celebretis, hospitibus vestris liberis immò nostris, plenum Christianitatis solatium exhibeatis. Alioquin errorem istum in vobis grauiter puniemus, & à vobis inobedientiæ, ac præsumptionis culpam requiremus & pœnam. Datum per manum Matthei Cancellarij. Anno gratiæ 1200.*

[Margin: Eiusdem ad eosdem litteræ.]

[Margin: * deest hic verbum aliquod, nimirum, *Volumus*, vel, *mandamus*.]

È Tornacensibus Episcopis non defuerunt aliqui, quorum fauorem, & patrocinium experti sint Cysonienses Religiosi. Non diu post institutum eorum in cœnobio regularem ordinem Gerardus eius pontificatus moderator electus anno 1149. quem priùs Villariense monasterium antistitem habuerat, suam eis protectionem addixit etiamnum vitam Anselmo, qui primus ipsis præfuit, agente. Earum litterarum, quibus hoc Asceterium in suum recepit patrocinium, eiúsque bona confirmauit, initium hîc profero.

[Margin: Quidam Episcopi Tornacenses Cysoniensibus patrocinantur.]

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Ego Giraldus diuina dispositione Tornacensium Episcopus, cunctis fidelibus in perpetuum. Æquum arbitramur, pro amore eius, qui nos prior dilexit proprium fundens sanguinem, D *in argumentum dilectionis, iustis petitionibus quorumcumque Religiosorum piè aurem accommodare. Notum igitur sit, tam præsentibus, quàm futuris, quòd ecclesiam Cysoniensem beati Calixti martyris precibus Anselmi eiusdem ecclesiæ reuerendi Abbatis, atque Fratrum Regularium ibidem diuino obsequio mancipatorum, sub beatæ Dei genitricis Mariæ, & ecclesiæ Tornacensis, nostráque protectione clementer suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus, Statuentes &c.*

[Margin: Ac in primis Gerardus.]

Cùm exactis inde pluribus annorum temporibus Cysoniensem ecclesiam Ioannes Cysoniensis toparcha vehementer infestaret; Walterum de Maruis Tornacensium Antistitem eam protegendi ardor illuc perpulit, vt insignes pro ipsa litteras ad Ferrandum Flandriæ Comitem dederit: quarum hæc copia.

[Margin: Deinde Walterus Maruisius.]

A W. Dei gratia Episcopus Tornacensis Illustri viro, & amico, in Christo charissimo Fratri Flandren. & Han. Comiti salutem in domino. Cùm vir nobilis Ioannes dominus de Cysonio plurimas violentias ecclesiæ Cysoniensi inferre præsumpserit, comminando eiusdem familiæ, ne auderent terras ecclesiæ excolere, cùm tamen huius res absque graui damno non caperet dilationem: verba etiam contumeliosa, & facta per se, & per hominem suum B. Canonico Cysoniēsi intulerit, & super hoc monitus monitioni nostræ non paruerit: ipsū sententiæ subiecimus excommunicationis. Propter quod dictus Ioannes manum suam aggrauans, pontem Canonicorum ipsis Canonicis * interdicens: ob quod delictum quum ipsum viua voce moneremus, & citaremus ad feriam secundam post oculi ad nostram præsentiam emendandum; idem Ioannes prædicta corrigere, & ad dictum diem comparere, vel mittere, penitùs renuit, & neglexit. Quare iteratò in ipsum Ioannem, crescentibus delictis & contumacia, prout decuit, sententiam tulimus excommunicationis. Propter quod sæpè dictus Ioannes in dictos Canonicos Cysoniensis ecclesiæ exasperatus crudeliter, & sæuiens, quendam ex Canonicis dictæ ecclesiæ feria tertia post oculi fecit, sicut intelleximus, vsque ad mortem grauiter, & enormiter vulnerari. Vnde cum in tali casu ad sæculare brachium recurrere compellamur, cùm scelus superadditum sit sceleri in contemptum Dei, ecclesiæ, & nostrum, dilectionem vestram rogamus, exhortantes propensiùs, & monentes, quatenus dictum Ioannem hominem vestrum, talem habeatis, vt in breui ad cor rediens familiæ prædictæ ecclesiæ terram suam in pace arare permittat, & alia commissa sine dilatione corrigat, & emendet ad honorem Dei & ecclesiæ; cum circa prædicta mora ad se periculum trahere dignoscatur. Datum anno Domini 1228. fer. 3. post oculi.

* interdixit.

B

Principes, qui Cysoniensi Cœnobio fauerunt.

Iam verò è principibus viris Philippus cognomento Pulcher Franciæ Rex suum erga Cysoniensem ecclesiam studium desiderari non permisit. Quippe rogatus suum quoque patrocinium & fauorem ipsi non grauatè impertiit his litteris, quas Saluam Gardiam Cysonienses nuncupant.

Philippus Pulcher Franciæ Rex.

C *Philippus Dei gratia Francorum Rex notum facimus vniuersis tam præsentibus, quàm futuris, quòd cùm Religiosus vir Abbas Cysoniensis Tornacensis diocesis ad nostram accedens præsentiam, pro se & conuentu suo dudum se, & omnia bona sua nostræ submiserit voluntati, nobisque fidelitatis præstiterit sacramentum, nobis supplicans, vt eos, & temporalia bona in protectione nostra recipere dignaremur: Nos ipsius Abbatis supplicationibus inclinati, dictum monasterium cum personis & bonis eiusdem in protectione nostra duximus admittendum, dantes omnibus iustitiariis regni nostri tenore præsentium in mandatis, vt dictos Religiosos, & eorum bona ab iniurijs, oppreßionibus, & violentijs manifestis defendant: Nec eisdem permittant in personis, aut bonis grauamina, vel indebitas nouitates inferri. Quod vt firmum permaneat in futurum, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Fontem Bleaudi mense Decembri anno Domini 1302.*

Philippus Audax Burgundiæ Dux.

Ad vtilitatem quoque huius Phrontisterij non parum vigilauit Philippus Audax Burgundiæ Dux. Is enim cùm animaduertisset, absumptam incendio fuisse maximam ædificiorum ipsius partem; multas quoque res maleuorum expilationibus ablatas; eásque ob causas præsertim grauissima fuisse contracta nomina, & ob maximam egestatem vix alimoniam cœnobitis suffici posse: ingens equidem ipsum monasterio subueniendi, & ad Dei gloriam nouas condendi substructiones ardor perculit. Igitur per litteras illicò mandauit, vti bona, quę supererant, tres in partes diuiderentur; harum vna in subministrandum Religiosis victum cederet; instaurandis secunda ædificiis impenderetur; tertiâ sensim soluerentur debita. Quæ sanè tanti Principis prudentia & vigilantia effecit, vt post aliquod tempus in antiquum splendorem, opésque veteres restitutum fuerit cœnobium. D

Balduinus toparcha de Wallincourt.

Inter nobiles viros Balduinus Wallincuriæ dominus in hunc locum minimè vulgariter affectus fuisse videtur. Etenim cum in eius fauorem litteras anno 1226. scriberet, hæc ipsis inseruit: *Vt vectura, quæ res ecclesiæ deferunt, liberæ sint à Winagio per totam terram meam.*

Phano-

A

Phanopinense, seu S. Christophori monasterium à quibus fundatum, restitutum, ornatúmue fuerit.

CAPVT XXVI.

HOc alterum Regularium Canonicorum Asceterium, quod habet Gallo-flandria, passim Phalempinense, vel Phanopinense nuncupatur à vici nomine, vbi constructum cernitur. Præfert etiam D. Christophori nomen, propter dedicatam eius nomine diui ædem. Qui primus condidit Saswalo dicebatur. Is nobili loco natus, factis ingentibus famam sibi conciliauerat: & quantum monumenta vetera suggerunt, inter primos Insulensem Castellaniam adeptus est Flandriæ Comitis voluntate. Sed opes malignè tam magno generi, officióque respondebant. Vt igitur dignitatem tueretur Summi Pontificis venia, & volente Flandro Comite, Curialem Phalempinensis ecclesiæ aram obtinuerat, eique census obnoxios: vt vicario quodam sacerdote diuina mysteria peragente, & sacramenta populo impertiente, cui nonnihil pecuniæ tribuerat, præcipuos ipse fructus perciperet. Erat hoc altare diuo Christophoro nuncupatum: idque propter graues tandem stimulos Saswalonis animo Deus iniecit eo se protinus exuendi. Igitur ille cùm arbitraretur haud satis consentaneum esse militari viro sacris censibus pollere: id sacerdotium in manus Hugonis Episcopi Nouiomensis & Tornacensis restituit: ac de suis facultatibus quaidam etiam adiecit, vti coactis in cœtum Phanopini sacris hominibus, eóque clausis ædificio quod parabat, census annui suppeterent. Et mox eum locum Abbatiæ vel monasterij nomine (vt frequens erat, tum temporis) Clerici obtinuerunt anno post Christi natalem millesimo & trigesimo nono. Hæc omnia idem pontifex Hugo iis litteris comprehendit, quibus & munus Saswalonis accepit, eúmque locum & cœtum Clericorum priuilegiis impertiit. Eas hic proferre allubet.

PHANOPINENSIS MONASTERII AVCTOR SASWALO.

B

C

✠ A. *In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus sancti. Apostolo attestante nihil est præstabilius caritate. Námque iniquitas liquescit ea interueniente, & inter virtutes dona Dei dispensat primaria sede. Hæc est, quæ credentibus intonat dicens, Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Proinde reuera nos Domini nostri Iesu Christi præuenti sumus dilectione, cuius & nos Fratres eo perhibente, & filij Dei facti sumus benignissima adoptione, vt diligamus nos inuicem ea perfectissima charitate, qua prior dilexit nos coagulatus humanitati nostræ sine fastidio parientis & virili semine. Hic est Iesus Christus, qui ad vitam prædestinatis dicturus est in mundi fine; Esuriui, & dedistis mihi manducare; nudus fui, & operuistis me. Hac itaque diuina veritate compulsus Saswalo vir timoratus, Dei clementia prouidente, qui omnem creaturam vult in agnitionem veritatis venire, & vitam beatam promittit diligentibus se, ad humilitatem paruitatis nostræ venit, qui deputatus sum indignus procurator * Nouiomensis & Tornacensis ecclesiæ: & postulans, quatenus & eius petitioni fauere, & Deo vota ipsius satagerem offerre. Idcirco notum fieri volumus tam præsentibus filijs ecclesiæ, quàm posteritati futuræ, & successoribus Sedis in præsentiarum nobis commissæ, quòd eidem Saswaloni succenso cælesti amore, & territo peccatorum suorum immensitate, ego prædictarum immeritus ecclesiarum pastor Hugo nomine, & consensu Clericorum, necnon & fidelium laicorum nostrorum, ex Sanctorum patrum traditione, & sacrorum Canonum auctoritate concessimus collibentiam cum corroboratione potestatis ecclesiasticæ. Deprecatus est siquidem, vt * altari libertatem concederemus, quod est in villa Phalempin in † Comitatu videlicet*

LITTERA HVGONIS EPISCOPI DE FVNDATIONE COENOBII PHALEMPINENSIS.

* rarissimè videris aliter vel ab Episcopis, vel à Capitulo Tornacensis ecclesiæ scribi: etsi videātur hæ duæ ecclesiæ vnā modò sedem post coniunctionem a morte S. Eleutherij factam, constituisse. Ipsis nimirum Episcopis sedit, aliquam Tornacensibus prærogatiuam permittere, vt Tornacensibus fuit constitutū semper ostendere veteris sui monumentū Episcopatus.

D

* paro... Po... ...erasi. † ... tractu.

Carembant.

*Carembam, quatenus ibi ędificaret Abbatiam in honore B. martyris Christophori, & ibi statueret pauperum Christi † clerimoniam. eámque sub obtentu charitatis dotaret appendicijs terrarum atque familiarum, vnde haberent ipsius Abbatiæ Clerici alimoniam. Annuentibus itaque voto suo * Balduino Marchione, necnon & Adela † regali Comitissa eius coniuge, † absoluendum decreuimus ea videlicet ratione, vt amodò careat omni venditione, & qualibet commutatione, & pristina seruitute, duos tantummodo solidos singulis annis soluat ad Synodum Episcopalis censuræ. Curam animarum Episcopus electo ab ipsis Fratribus Priori delegabit ipsius caterulæ, & sic erit libera ab omni reliqua conditione, necnon & Principis potestate. Hęc sunt igitur, quæ liberaliter attribuit fauente prędicto Principe idem Saswalo eidem Abbatiæ, terras optimè fertiles in villis videlicet Willeradi Prato, Rinolcourt, Burhung. Hęc autem sunt nomina seruorum per familias eidem Abbatiæ concessa, Dodo & vxor eius cum infantibus, Bernardus cum vxore & filijs, Forbertus cum vxore & filijs, Dauid, Tetiuum, Algis, Berengarius, Tetricus, Heibertus, Gunterus, Erembertus, Alguerus, Girhardus, Wille, Rodulphus, Rainaldus, Rainerus, Constantus, Alaldus, Bernardus. Si quis igitur posthac (quod absit) temerarius filius Belial cōtra hęc instituta insurrexerit, irā incurrat omnipotentis, & deleatur nomen eius de libro viuentium, & cum iustis non scribatur. Actum Tornaco pontificali Sede, regnante in æternum Domino nostro Iesu Christo, anno Incarnationis eiusdem M. XXXIX. indictione septima, imperante gloriosissimo rege Henrico anno XII. Hugone præsulatum agente anno IX. † Hugonis Episcopi. Fureli Archidiaconi, Malboldi Abbatis cœnobij S. Amandi cum reliquis Fratribus; Hugo Tornacensis ecclesiæ Cancellarius scripsit ✠ Balduini Marchionis, Athalæ regiæ prolis filiorum eius Balduini & Roberti, Eustachij Comitis, Rodgerij Comitis, Roberti Atrebatensis, Walteri Cameracensis. Hugonis. Amaldi. Rodulphi. Anselmi. Reingauldi, Saleconis.*

A

† a clerico[illegible] mo[illegible]

* Balduino Pio, vel Insulensi, Flandrię Comite.
† eo quòd esset Francię regis filia.

† vide q[illegible] supra de altaribus diximus ad litteras de fu[illegible]tione [illegible] Petri Insul.

B

De mancipiorum donatione in gratiam ecclesiarũ facta vide lib. 3. vbi de mancipijs agitur. c. 21.

C

PHANOPINENSEM ABBATIAM BENEDICTVS PONTIFEX ROM. CONFIRMAT.

Postquam verò ad Benedictum IX. Pontificem Romanum hac de reomniidem Hugo Episcopus retulit, is & acceptum habuit factum Saswalonis, & ad eum has litteras misit:

Benedictus Episcopus seruus seruorum Dei Sauualoni salutem. Carissime cum benedictione Apostolica: Quidquid diuinitus inspiratur, humana corroboratione meritò confirmatur. Ab Episcopo igitur tuo & priuilegium & litteræ missa sunt, vt nostra Apostolica auctoritate Abbatiam à te constructam in villa Phalempin tibi confirmaremus. Quod quidem libenter facimus, vt hoc desiderio & alij inardescant. Confirmamus autem tibi Abbatiam illam in honorem Dei Patris & Filij & Spiritus sancti, sanctíque martyris Christophori, vt ab omni conditione, & potestate mundana permaneat libera & quieta. D

CANONICI SÆCVLARES INITIO PHANOPINI FVERE.

HI PRIMI PRIOREM, DEINDE PRÆPOSITVM PRO SVPERIORE HABVERVNT.

Igitur quemadmodum ex Hugonis litteris patet principio Phanopini fuere Canonici, vt vocant, sæculares, qui tamen in commune viuerent: vnde & ipsi Fratres ab eodem Hugone Episcopo sunt vocati; eorúmque Collegium & habitatio Abbatiæ nomen accepit. Id quod expressum satis fuit ab eodem Antistite Tornacensi, cùm impositos huic Abbatiæ Clericos asseruit, eorúmque alimoniam vno verbo Clerimoniam nuncupauit. Neque verò hi Canonici Abbatem vel Cysoniensis, vel aliarum ecclesiarum, de quibus actum priùs fuit, exemplo, superioris loco sortiti sunt: sed initio Priorem, deinde Præpositum. Prioris quidem mentionem facit ipsemet Hugo

his

A his verbis in diplomate, quod iam retulimus: *Curam animarum Episcopus electo ab ipsis Fratribus Priori delegabit ipsius caterulæ.* Verùm posteà Radbodus etiam Tornacensis Episcopus ei Collegio veniam dedit Præpositum sibi deligendi, qui curam susciperet animarum, ac Episcopi mandatis obnoxius ei canonicam tum pro se, tum pro suis rationem redderet: vti fidem faciunt eius litteræ anno 1091. conscriptæ. Immò iam tum Præpositi nomine aliquem eis Canonicis præfectum inuenio, cùm hoc scriberet Radbodus. Quippe Robertus Frisius Flandriæ Comes ecclesiæ Phanopinensis bona suo diplomate confirmans, eo nomine caput Canonicorum disertè nuncupat: iisque litteris subscribit Ioannes primus Phalempini Præpositus. Libet hoc loco, partim ideò, partim alias ob causas id diploma totũ in medium adducere.

In nomine Dei summi Genitoris, & Geniti, & vtriusque Spiritus Paraclyti. Quoniam Dei disponente clementia ad hoc pastor in ecclesia sublimatur, ad hoc iudex populo præficitur, ad hoc denique Princeps patriæ principatur, vt quod populi ignorantia delinquitur, cura pastoris emendet; quod stultorum imperitia molitur, iudicialis seueritas eneruet; quod prauorum contumacia machinatur, principalis potentia conculcet: quod autem piorum votis incipitur, prælatorum pio consensu ad effectum rationis deducatur: Ego Robertus per gratiam Dei Flandrensium Marchio, præsens præsentibus denuncio, & vt notum fiat, generationi omni, quæ ventura est, litteris annotari facio: quod Rogerius Islensis Castellanus diuini gratia respectus multo rogatu, digno etiam famulatu à nobis quæsierit, quæsitum impetrauerit, libertatem dari ecclesiæ de Phalempin, quam antecessorum suorum deuotio construxerat, & hereditario iure ad se deuenerat: quámque quorumdam malignantium tyrannide attritam, & prauitatis consuetudine viderat exinanitam. Nos igitur illud Gregorianum attendentes: Valdè peccamus, si aliorum benè gesta non diligamus, omni seruitute, omni consuetudine, omni prorsus nostri iuris exactione remota, libertatem, quæ Islensi, ceterísque liberis attributa est ecclesijs, ecclesiæ illi concedimus, concessam firmamus, firmatam litteris mandamus: vt videlicet quęcumque à Saswalone primo ipsius fundatore sunt data, vel posteà concessa, siue in posterum concedenda, quiete habeat, securè teneat, liberrimè possideat. Illud etiam non ab re annectendum censuimus, vt quando Prępositus ex hac vita decesserit, Aduocatus, ad quem Præpositura danda pertinuerit, illi, quem Fratres communiter elegerint, absque alicuius exactionis siue pecuniæ, siue seruitij ambitione, iuxta pręceptum Domini lucidum, gratis gratanter concedat. Ne quis autem successorum meorum, siue ipsius Rogerij, nec Dominum timens, neque hominem reuerens ipsam libertatem infringere, vel in aliquo conetur imminuere, hanc paginam priuilegij prędictæ libertatis testem Clericorum & Principum meorum nominibus subnotatis consignamus, insuper & sigilli nostri eam impressione corroboramus. Walteri Archidiaconi, Wibaldi Prępositi Siclniensis, Ioannis Præpositi primi de Phalempin. Engrandi Decani Islensis. Canonicorum Islensium, Siclniensium, & Falempinensium, Euerardi, Ramberti, Lamberti, Galefridi, Fulcardi, Bertgeri, Widonis, Ioannis Decani Siclniensis. Signa laicorum, Rogerij Castellani, Engelberti, Isaac, Ostonis, Geraldi, Frumaldi, Aluulphi, Gerrici, Amalrici, Desiderij. Datum apud Insulam v. Kal. Maij, anno Dominicæ Incarnationis M. XC. *Indict.* XIV. *exacta* XVII. *anno regis Philippi* XXII. *Episcopatus Domini Radbodi* XXI. *Ego Ramibertus subscripsi* ✠

ROBERTI FRISII PRO PHANOPINENSIBVS DIPLOMA.

Letters B, C, D in the margin: B C D

Maneat igitur Præpositum habuisse Canonicos Phalempinenses, cùm Frisius hæc memoriæ traderet. Nunc à nobis duo sunt discutienda, quorum mentionem ingerit Robertus. De Aduocato ecclesiæ Phalempinensis prius est, de ipsius oppressione alterum. Quod enim aliis ecclesiis, & monasteriis olim vsu venit, id etiam obtigit huic Collegio, vt Aduocatum seu defensorem aliquem habuerit, cuius potentia viribúsque aduersus inuasores defenderetur. Qui sic protegeret, ac tueretur Canonicos Phanopinenses, Insulensem Castellanum fuisse comperio. Id quidem hoc loco innuere videtur Frisius, cùm dicit ad Rogerium Islensem Castellanum hereditario iure Phalempinensem ecclesiam deuenisse. Non enim arbitror, id velle Robertum, vt bona & fructus eius ecclesiæ ad Rogerium spectauerint; sed eorum defensio per hereditatem ad ipsum deuenerit. De litteris autem Guilelmi, & Ioannis Castellanorum Insulensium apertè huius rei veritatem haurio. Ille siquidem anno 1234. scripsit: *Et le Castelain doit l'eglise de Phalempin, & toutes ses appendāces deffendre, & vuarandir en bonne foy, comme Auoës de l'eglise.* Ioannes verò datis anno 1271. litteris Aduocatum se, & equitem S. Christophori nominat. Et certè in quæ mox afferemus, Franciscus Pietinus Rogerium, de quo agit Frisius, cœnobij huius Aduocatum nominat.

Quis fuerit aduocatus Phanopinensis.

A

B

Quod alterum duximus examinandum, de ipsius est Abbatiæ ruinis, & quorumdam vel maleuolorum hominum in eam tyrannica inuasione, vel ignauia & malis Canonicorum artibus. Hoc enim prorsus significant ea verba Roberti: *Quámque quorumdam malignantium tyrannide obtritam, & prauitatis consuetudine viderat exinanitam.* Eam huius ecclesiæ calamitatem fusè deplorat Franciscus Pietinus in Chronico Phanopinensi, cuius anteà quædam verba protulimus; eique profectò respondent, quæ Baldericus Tornacensis Episcopus in eo breuiter scribit, quod posteà proferam, diplomate. Idem verò Pietinus mox asserit, non multò pòst in huius ecclesiæ instaurationem laboris plurimum gnauiter impensum. Eius hæc verba: *Quam calamitatem miserati aliquot viri probitate conspicui, de eo rursus instaurando cogitare cœperunt. Anno igitur millesimo centesimo octauo tanti dux fœmina facti. Ogiua vidua pia & sobria, quales Deus amat, præfati Rogerij huius cœnobij Aduocati olim vxor, mariti virtutem ac benignitatem æmulata, Odonem Cameracensium Episcopum, cuius suprà meminimus, Ioannem Morinorum, & Lambertum Atrebatium itidem Episcopos litteris conuenit de hac nostri cœnobij extrema fortuna, apud eos grauiter questa, eorúmque opem flagitans. At illi, vt erant viri pietate insignes, & monasticæ vitæ amantissimi, ei negotio animum adijcientes, non priùs destiterunt, quàm eius ruinæ instaurarentur, illique Abbas & monachi addicerentur. Adeuntes enim Baldricum Nouiomensem & Tornacensem Episcopum, ad quem huius cœnobij peculiaris cura pertinebat, rogauerunt, vt eius bona venia ac fauore id sibi instaurare liceret. Quod cùm ille multò libentissimè annuisset, & Ioanni Morinensi Episcopo sua probitas nonnihil familiaritatis cum Paschale eius nominis secundo summo Pontifice iam pridem conciliasset, eius fauore fretus Episcopatus sui anno nono, à Christo autem nato 1108. Lambertum Clericum & familiarem suum huic cœnobio Abbatem dedit.* Hæc ille paullò fusiùs. Sed nolim istam Pietini narrationem sic accipi, vt non priùs huius cœnobij instaurationi nauatum fuerit, quàm id tempus appeteret. Etenim non dubito Rogerium Insulensem Castellanum Ogiuæ maritum adhuc in viuis agentem ad id opus incubuisse, & iam respirare cœpisse id Canonicorum collegium. Nam primò Frisius Comes anno Christi 1090. eius ecclesiæ bona confirmat, libertatem ei maximam concedit; de eligendo eius Præposito statuit; eáque omnia Rogerio flagitante perficit. quæ sanè non egisset, nisi iam tum erigi cœpisset id cœnobium. Deinde anno sequenti Radbodus Nouiomensis & Tornacensis Episcopus suo diplomate res eiusdem ecclesiæ stabilit, & ordinat, veniámque facit Præpositum deligendi. Quò igitur hæc omnia, si tum temporis adeò iacuisset, & pessumdata fuisset? Quod itaque Rogerius primùm instituerat ac cœperat facere, id Ogiua iam vidua perfecit, vt & prorsus erigeretur hoc cœnobium, & pro sæcularibus, Canonicos regulares acciperet: vt primùm Baldericus Tornacensis Episcopus, dein Paschalis Pontifex Romanus suis in litteris apertè significant. Iuuat igitur in

De Phanopinensis Abbatiæ destructione: quis eius causa fuerit.
Lib. c. 26.

Quis eam instaurauerit: Ogiua, vel Rogerius?

C

D

primis

A primis hoc totum Balderici verbis proponere: hoc enim eius diploma de Phalempinensi archiuo depromptum.

In nomine summæ & indiuiduæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti. Baldricus Dei gratia Noviomensis & Tornacensis Episcopus omnibus sanctæ religionis cultoribus gaudere feliciter in cælestibus. Diuina siquidem misericordia nos ad hoc suæ præfecit ecclesiæ, vt si quæ bona sunt, fideliter nutriamus; & quæ correctione fuerint digna, cum omni diligentia emendare studeamus. Vniuersis itaque sanctæ matris ecclesiæ filijs notum esse volumus, quandam parochianam nostram nomine Ogiuam pro Fanopinensi ecclesia quæ eo in tempore ferè ad nihilum erat redacta, consilium & auxilium nostrum obnixiùs postulasse, B *Fratribus & Coëpiscopis nostris Odone Cameracense, Domino Ioanne Morinense, Domino Lamberto Atrebatense, multísque venerabilibus personis pro illa postulantibus. Illa quippe ecclesia ab antecessoribus præfatæ mulieris fundata, Fratribúsque deputata, seculari tamen ditioni quasi hereditario iure erat subiecta. Post hoc verò Dei gratia succurrente, ipsa quoque muliere cum viro suo Rogero Islensi Castellano suggerente, & Roberto Comite Flandrensi annuente, ab omni laica potestate liberata, & à predecessore nostro Radbodo Episcopo ab omni debito soluta sub professione Canonica Canonicæ libertatis fuit priuilegio sublimata. Ex humili igitur & deuota sępè dictæ mulieris querimonia audientes ipsam ecclesiam ad tantam deuenisse miseriam, quòd Canonicus in ea nullo modo ordo teneretur, sacerdos etiam vel leuita in ipsa minimè inueniretur: prędictorum* C *Coëpiscoporum consilio dignum duximus ipsius deuotionem confouere, & ad restaurationem memoratæ ecclesiæ officij nostri curam impendere. Proinde ergo Dominum Ioannem Taruanensem Episcopum adiuimus, & quemdam ipsius clericum, nomine Lambertum, quem ad pastorale regimen necessarium esse audieramus & vtilem, ab eo postulatum desolatæ ecclesiæ pręfecimus; cui curam & prælationem illius commendauimus, ea videlicet ratione, vt sub communis vitæ proposito ibidem tam prælatus, quàm subditi Deo seruire studeant, Lamberto nimirum Archidiacono nostro, & Clericis nostris assentientibus. Nos igitur auctore Deo sicut à prædecessore nostro Radbodo venerabili Episcopo illam confirmatam multorum testimonio cognouimus, ita etiam nostri sigilli impressione eandem munire, & corroborare decreuimus, & possessiones ipsius ab omni aliena persona intactas permanere statuimus. Alodium scilicet totum S. Christophori, circa atrium, cum tota decima eiusdem villæ, Alodium de Firino, Alodium de* D *Marcha, Alodium de Warēdino, Alodium de Wilcaredo prato, & Rualcurte, Alodium de Anetiers, & Formestrali, curtem ad Templuuium. Quicumque ergo hanc nostri decreti paginam infregerit, excommunicatus, & alienus à corpore & sanguine Domini Iesu Christi, donec resipuerit; fiat, Amen. Baldrici Episcopi. Lamberti Archidiac. Segardi Abbatis S. Martini Tornac. &c. Actum Tornaci anno* M. C. VIII. *Indict.* I. *regnāte Ludouico rege, Roberto minore † principante.*

De instauratione monasterii Phanopinensis, etiam constitutis in eo Canonicis Regularibus, Baldrici Episcopi litteræ.

Alodium, vel Alode fundus est, aut hereditas pleno iure ad dominum pertinēs: estque vocabulū Gallicum, vide Glossar. Pithoei.

† in Flandria scilicet.

Igitur rebus huius cœnobij in statum meliorem erectis, & cōstituto Canonicorum Regulam D. Augustini professorū Abbate Lamberto, Paschalis Secundus Pontifex Romanus, qui per relationē Baldrici Episcopi hæc omnia didicerat, summa prorsus lætitia perfusus est, hásque litteras ad Lambertum antistitem dedit, quibus & factum Baldrici approbat, & confirmatis cœnobij bonis quædam impertitur.

PASCHALIS ROMANVS PONTIFEX REGVLAREM ORDINEM PHALEMPINI CONFIRMAT.

Paschalis seruus seruorum Dei, dilecto in Christo Lamberto Abbati, & eius Fratribus in ecclesia S. Christophori de Phalempin Canonicam vitam professis, eorúmque successoribus in perpetuum. Deuotionẽ vestrã ex venerabilium Fratrũ Ioannis Morinensis, & Baldrici Nouiomensis Episcoporũ relatione cognouimus, quia in ecclesia de Phalempin ad regularis disciplinæ obseruãtiam largiente Domino concaluistis: religiosorũ etiam coniugum Rogerij & Ogiuæ desiderium percepimus, qui locum vestrũ omni potestatis suæ iugo liberũ facientes Canonicos illic secũdùm B. Augustini regulã ordinari desiderauerũt. Nos igitur & illorũ voto, & Fratrũ nostrorũ, qui prænominati sunt, Episcoporum, petitionibus annuentes, vitæ Canonicæ ordinem, quem professi estis, in eodem loco in perpetuum cõseruandam auctoritatis Apostolicæ robore stabilimus. Quãobrem statuimus, vt quæcũque prędia, quęcunque bona vel ab ipsius ecclesiæ fundatoribus, vel à supradictis coniugibus, vel à quibuscumque fidelibus Dei suo iure in eandem ecclesiam oblata sunt, vel in posterum offerri contigerit, vobis, vestrísque successoribus firma semper & quieta permaneant. Præcipimus itaque, & penitus interdicimus, ne pro chrismate, pro catechumenorum vel confirmandorum oleo, vobis à Decano seu ceteris matricis ecclesiæ clericis, molestia inferatur. Concedimus etiam vobis in ecclesia parochiæ vestræ presbyterum ad regendum parochiam constituere, salua tamen Tornacensis Episcopi reuerentia &c. Datum Laterani Incar. Dom. an. M. C. X. *Indict.* III. V. *Idus April. Pontific. nostri anno* XI.

CONGREGATIONI ARROASIANÆ ADIVNGITVR HÆC ABBATIA.

Rebus autem siue religionem, siue fortunas spectes, ex animi sententia succedentibus, intra breue tempus hæc Abbatia summopere cœpit efflorescere. Ac ne benè cœpta sensim effluerent, placuit statuta complecti Arroasianæ Congregationis, & in eam coïre societatem, quæ tum temporis multa virtutis & austeræ disciplinæ ac religionis fama grassabatur, diuis etiam Bernardo & Malachia eam vltrò ambientibus. Ab celeberrimo Artesiæ monasterio D. Augustini regulis obstricto, quod Arroasiam nuncupant, nomen & initium eius congregationis profluxit: vel quòd illud tantæ Societatis caput esset, vel quod eo loco antistitum congregationis consessus (qui sanè magnus erat, multis eadem instituta complexis monasteriis) haberi oporteret pridie S. Matthæi.

ALEXANDER III. PONT. ROMAN. EAM CONFIRMAT;

Lætus eo successu Phalempinensis cœnobij Alexander Romanorum Pontifex eius nominis Tertius, binis Hemfredum Abbatem tertium & Canonicos Fratres litteris ornauit; quarum primæ sub protectionem Sedis Apostolicæ ipsos & cœnobium recipiunt; aliæ priuilegia quædam concedunt. Vtrarumque partem hîc affero. Prioribus quidem ita loquitur Pontifex: *Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatam ecclesiam, in qua diuino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes vt ordo Canonicus, qui secundùm Dei timorem, & B. Augustini regulam, & Fratrum Arrouasiæ institutionem in ipsa ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis tẽporibus ibidem inuiolabiliter obseruetur* &c. *Datum Anagnæ* &c. *Incarnat. Dom. an.* M. C. LXI. At posterioribus hæc impertit: *Sanè noualium vestrorum, quæ proprijs manibus & sumptibus colitis, siue de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas præsumat exigere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis ianuis clausis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, summissa voce diuina officia celebrare. Interdicimus etiam, ne cui Episcopo, vel Archidiacono, vel alij ecclesiasticæ aut sæculari personæ à vobis pro electione, benedictione, seu inthronizatione Abbatũ vestrorum palefridũ, aut aliquid aliud exigere, vel extorquere, liceat, cùm aliquid ex debito pro his exigi, vel exsolui Symoniacũ cõprobetur. Ad hoc præsenti scripto arctius inhibemus, ne cui Episcopo vel Archidiacono, seu alij ecclesiasticæ personæ liceat vobis, vel ecclesiæ*

ET PRIVILEGIIS EXORNAT.

vestræ

A *vestræ nouas & indebitas exactiones imponere, sed ecclesiam ipsam in ea libertate de cetero manere decernimus, in qua noscitur hactenus permansisse. Sepulturam quoque eiusdem loci liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni, vel extremæ voluntati, qui se illic sepelire deliberauerunt (nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint) nullus obsistat: salua tamen iustitia illarum ecclesiarum, è quibus mortuorum corpora efferuntur &c. Dat. an. M. C. LXX. VII. Dominic. Incar. Pontif. verò Domini Alexandri Papæ tertij anno XX.*

Et placuit compluribus ecclesiæ Tornacensis pontificibus aliquo cœnobium istud fauore prosequi. Nam inter eos, qui vel priuilegiis, vel aliqua rerũ cõfirmatione, vel muneribus id ornarunt, Lãbertum, Simonẽ, Anselmum, Gerardum, Walterum, Stephanũ, Eurardum, Ioannẽ, ac Guilelmũ Ventadoricum deprehẽdo apud Pietinum. QVI TORNACENSES EPISCOPI CYGONIENSIBVS RELIGIOSIS FAVERINT.

Neque defuerunt aliqui Flandriæ Comites, qui res huius monasterij suis litteris stabilirent. Nam præter Robertum Frisium, Theodoricus Elsatius eas suo diplomate roborauit, dum Christi annus 1155. & 1162. verteretur. Idem fecit filius eius Phi-B lippus variis quoque rescriptis. dein Ioannes Guidonis Flandriæ Comitis filius, idemque Flandriæ Cancellarius, ac Brugensis & Insulensis Canonicorum Præpositus, anno post millesimum & ducentesimum octauo & septuagesimo. QVI FLANDRIÆ COMITES EOSDEM SINT ALIQVA PROSEQVVTI GRATIA.

Visumque est monasterio S. Nicolai iuxta Tornacum in pratis ad Scaldim sito, animaduersis huius Asceterij sanctis & illibatis moribus, in perpetuam secum societatem, ipsum Abbatem & Fratres adscribere, vt ex iis clarum est litteris, quas supra in medium adduximus. MONASTERIVM S. NICOL. PRAT. CVM IIS SOCIETATEM INIT. *Lib. 1 c. 26.*

Et vero Castellanis Insulensibus iniuriam irrogare viderer, si non hîc eos breuiter cõprehenderem, quorum donationibus huius ecclesiæ bona creuerũt: quandoquidẽ horũ princeps Salwalo primus auctor eius exstitit. Igitur quę apud Franciscũ Pietinũ in Chronico Phanopinensi, vel alibi reperiuntur, auctorũ ferè verbis repræsentabo. QVI CASTELLANI INSVLENSES IN EOSDEM MVNIFICI FVERINT.

Qui post parentes Rogerium seniorem & Ogiuam in hoc monasterium fuit mu-C nificus, Rogerium secundũ Pietinus memorat his verbis: *Anno autem 1143. dedit huic cœnobio duos manipulos decimæ in parochia à Tumeriis apud Bellincampum, quod domum vna cum agris ac redditibus Bonifonci & Maisnilij ab eodem nobis dono datis, anno 1161. Alexander Tertius confirmauit.* Vbi tamen lapsus memoria videtur, cùm eius munus manipulos facit. Nam ad Robertum eius filium natu maximũ id potiùs referẽdum, quãdoquidem Simon Episcopus Tornacensis anno 1143. suis testatur litteris ab Roberto Insulensi Castellano id donum Phanopinensibus concessum. Ab eodem autẽ Rogerio in singulas hebdomadas tantum ligni datum video, quantum currus duo comprehenderent: vt ex litteris Hemfridi Abbatis colligitur, cuius hæc verba: *Quos Robertus Castellanus frater eius Ierosolymam proficiscens ecclesiæ in eleemosynam dederat, & duo plaustrata nemoris, quæ pater eorum singulis hebdomadis ecclesiæ concesserat.* ROGERIVS II.

Robertus filiorum huius Rogerij primogenitus, præter eos, de quibus dictum est, manipulos, etiam in perpetuum annuatim decẽ & quatuor auenę modios liberaliter concessit, quemadmodum iisdem litteris Hemfridus Abbas testatur, dum ait, *Quos Robertus Castellanus frater eius Ierosolymam proficiscens ecclesiæ in eleemosynam dederat.* ROBERTVS.

Reynaldus, qui proximè Robertum fratrem iam laudatum, absque liberis vita de-D functum excepit, etiam, vt inquit Pietinus, *Beneficus erga hoc cœnobium fuit fratris liberalitate inuitatus. Nam cùm è sua silua cadua singulis hebdomadibus tantum lignorũ pẽderet eius parens Rogerius, huic cœnobio, quantum duo currus vehere possent, non contentus hac munificentia, hanc ipsam siluam dono dedit cœnobio. Ea quatuor boneria, quæ vocant, complectebatur, vulgo az Prouuiers dicta. Id actum est anno 1157. Adiecit præterea cliẽtes sex, quos hospites vocant.* De nemore, cuius hic fit mentio, Philippi Elsatij Flandriæ Comitis hęc sunt verba: *Illud quoque nolo præteriri, quòd Renaldus prædictus Castellanus moriens me præsente, & concedente, coram fratribus suis Hugone & Rogero, & sorore hoc ipsum concedentibus, præfatæ ecclesiæ dedit, nemus scilicet quatuor ferè boneriorum.* Verùm priusquam hæc faceret, idem Reynaldus anno 1155. cùm ab Hemfredo Abbate modios auenæ, & plaustra ligni, quorum antè facta est mentio, repetiisset, inque vicem eorum terram aliquam ei attribuisset: anno proximè secuto & hæc & illos rursus insigni liberalitate donauerat. RAINALDVS.

HVGO.

Reinaldi frater Hugo, vt habet idem Pietinus, *Ab auita benignitate haud degenerauit, verùm pium monumentum, quo se aliquando vixisse testaretur, huic cœnobio reliquit. Nam illud donauit quotannis sex modiis nostratibus, hoc est 144. medimnis Atticis auenæ Phanopini.*

ERMENTRVDIS.

Ab eodem de Ermentrude Hugonis coniuge, ac filio eius Ioanne sic accipe: *Ermentrudis Castellana Insulensis ea tempestate claruit, quæ hoc cœnobium donauit mensura terræ, quod boneriũ dicũt, quódque huius cœnobij Abbas in clientelam Castellani haberet, hoc nomine eius beneficiarium sese professus. Reliquit præterea vnà cum Ioanne filio, de quo posteà dicemus, 48. medimnos Atticos auenæ, qui Insulanæ mensuræ viginti quatuor raserius efficiunt, quæ omnia à nobis confirmauit* Alexander *Tertius anno Domini* 1177.

IN IDEM COENOBIVM LIBERALIS FVIT GILARDVS DE QVATREMARS. ITEMQVE VVALTERVS DES ESPINCELLES.

Inter alios nobiles viros, qui suam erga hoc Phrontisterium liberalitatẽ exercuere, duos tantùm hic memorabo, quorum meminit Pietinus. De priore apud eum sic lego: *His præterea diebus vixit ille Gilardus Quatremars in hoc cœnobium vnicè beneficus, à quo dono accepit 16. boneria, vt vocant, siluæ ceduæ.*

De altero hæc eiusdem sunt verba: *Huius etiam Abbatis* (Hemfredi) *ætate vixit ille vir generosus, eques honoratus, quem militem vocant, Walterus des Espincelles, cum vxore sua Ogiua, erga hoc cœnobium apprimè munifici, quibus domicilium, Phanopini fuit eo loci, qui hodie des Espincelles dicitur, quique nostrum cœnobium donarunt agro ab eo loco dicto des Espincelles, ab Theodorico Elsatio Flandriæ Comite vnà cum alijs nonnullis bonis confirmato anno* 1156.

Abbatiæ B. Virginis De Bello loco siue Sinensis origo, & progressus.

CAPVT XXVII.

SANCTIMONIALES SINENSES PRIMVM IN DECIENSI NOSOCOMIO HABITARVNT.

DE Sinensis, seu B. Virginis de bello loco Abbatiæ primordiis, & nomine, hæc inuenio. Est in vici Decyensis finibus primo ab vrbe Duaco lapide vetus hospitale S. Nicolai, quod olim viri nobiles variis ac pinguibus sanè censibus donauere, excipiendis tractandísque peregrinis, ac morbidis hominibus, quos angustè res premunt. Id cum plurimis iã annis à sacerdotibus, & sacris virginibus S. Augustini placita complexis, ac separatim commorantibus insideretur, illique ad aras operarentur, & sacramenta impertirent, hæ peregrinis & aduersa vtentibus valetudine ad corporum curationem fomentáque operam impenderent: sanctimonialibus iniecta est tandem diuinitus voluntas regularem vitam complectendi, & sub disciplina D. Augustini in S. Victoris Congregatione arctiùs sese comprimendi. Et verò ad hoc institutum capessendum ab Honorio Tertio Romanorum Pontifice facultatem impetrarunt anno vertente, vt post Gaugericum Bouquel Attrebatensis ecclesiæ Archidiaconum vult Franciscus Barius, supra millesimum & ducentesimum octauo & decimo. Sed priusquam id, quod animo voluebant perficerent, duo ipsis aduersata sunt grauiter. Horum vnum fuit inter eas & sacerdotes Nosocomij exorta de censibus eius loci, & administratione contentio. Ea cum difficulter sine arbitris sopiri posse videretur: eius arbitrium ad S. Petri Duacensis Decanum, aliósque viros prudentes vtriusque partis consensu delatum est. Post initas multiplices eam componendi controuersiam rationes, id visum est illis optimum vt portio quædam presbyteris tribueretur, vnde tum ipsi viuerent, tum egenis viam facientibus & ægris necessaria sufficerentur: altera cum portione virgines eo de loco migrarent aliò, & quod in votis habebant, diuino se numini sub D. Augustini regula & Victorinæ Congregationis instituto manciparent: eáque litteris tradita est confirmatáque partitio, cùm flueret Christi annus millesimus ducentesimus & vigesimus quintus, quarum hoc exemplar:

INDE MIGRANDI, ET S. VICTORIS INSTITVTA COMPLECTENDI VENIAM DAT IIS HONOR. III. NE TAMEN INDE DISCEDANT, DIV IMPEDIT CONTROVERSIA CVM SACERDOTIBVS MOTA. QVÆ TAMEN DENIQVE SOPITVR A DECANO ET CAPITVLO S. PETRI DVACENSIS.

Dominus

A *Dominus Decanus, & Capitulum B. Petri Duacensis, omnibus præsentium inspectoribus salutem in Domino. Vniuersitati vestræ notum fieri volumus, quòd habita diu controuersia inter presbyteros confratres hospitalis S. Nicolai de Deci ex vna parte, & sanctimoniales eiusdem loci ex altera; tandem inter eos amicabiliter est compositum in hunc modum. Dicti confratres pro bono pacis dederunt, & concesserunt dictis sanctimonialibus quinque modios terræ arabilis, & duas marcas pagamenti Duacensis, & vnum modium bladij annuatim Duaci percipiendas, & mansionem suam in domo de Deci à Pascha proximo præterito vsque ad tres annos. excepto hoc tempore tenentur viuere de suo proprio, & elapso termino memorato, fide præstita à domo de Deci tenentur exire. Præfatæ* B *verò sanctimoniales domum antedictam, & omnia bona domus, quæ vel secum attulerant, vel simul cum Fratribus emerant, vel acquisiuerant, memoratis confratribus quittauerunt in perpetuum. In cuius rei testimonium ad petitionem partium sigilli nostri munimine vnà cum sigillo Domini Rad. Decani legis ciuitatis in Duaco præsens scriptum emisimus communitum. Actum anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto, mense Iunio.*

QVORVM HÆ LITTERÆ.

Interim quod alterum vehementer sanctimonialium desiderio remoram afferebat, à Pontio Atrebatium Episcopo iuris retinendi gratia profectum est. Cùm enim eæ virgines supplices ipsi factæ fuissent, vt cum bona eius venia D. Augustini regulas complexæ Parisiensium sese Victorinarum Congregationi adiungerent: harum iste multa conatibus opposuit, tantumque permisit Pontificia vti facultate, postquam recepissent, nihil vnquam se, nisi ex ipsius præscripto facturas, prorsúsque ab eius vo- C luntate penderent, vel cùm esset antistita legenda, vel cùm in earũ numerum aliquæ cooptari fœminæ cuperent. Id cùm duriùs videretur sanctimonialibus, quæ liberas sese agnoscebant Maximi Pontificis indulto, Romam ipsæ ad Honorium scripsere, vti per eius potestatem sibi liceret Victorinis aggregari, quamuis id Pontius pergeret impedire. Petitionem eorum Pontifex Maximus suscepit: sed priusquam pro ipsis summo iure ageret, id munus S. Autberti Cameracensis Abbati & Priori, ecclesiæque Cameracensis Cantori per litteras imposuit, vt Atrebatensium Episcopo persuaderent, iis Virginibus ne se vlteriùs opponeret. Quod tunc scripsit diploma Honorius, hunc in modum loquitur.

SED ALTERVM PONTIVS ATREB. EPISC. IMPEDIMENTVM OBIICIT.

QVOD AVFERRE HONORIVS CONTENDIT.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Abbati & Priori S. Autberti, & Cantori Cameracensis salutem & Apostolicam benedictionem. Dilectæ in Christo filiæ Priorissa & Sorores S. Nicolai de Diciaco Atreb. Dioc. nobis litteris nunciauerunt, quòd hospita *cum hospitale pauperum in eodem loco fuerint ab antiquo Sorores, quæ pauperibus seruiebãt ibidem: tamen vt se arctius diuinis obsequijs obligarent, habitum regularem, & institutiones* D *Ordinis B. Victoris assumere satagentes, super hoc consensum venerabilis Fratris Atreb. Episcopi humiliter petierunt; sed eum non potuerunt aliquatenus obtinere, nisi promissione primitus sibi facta, quòd absque suo consensu & licentia speciali, nullam sibi in Abbatissam seu Priorissam eligerent, nec sororem, conuersum, seu conuersam reciperent, nisi suo consensu petito primitus, & obtento. Quare nobis humiliter supplicarunt, vt cùm, etsi de dicti Episcopi benignitate non dubitetur, suorum tamen temporibus successorum videatur ex hoc graue sibi posse dispendium euenire, & augmentum ipsius loci spiritualiter & temporaliter impediri: ad remittendam eis necessitatem eiusmodi, cùm in omnibus alijs sibi velint lege Diocesana subesse, ipsum Apostolicis precibus inducere conaremur. Cùm ergò earum petitio rationi consona videatur, eundem Episcopum rogandum duximus* &c. Nam posteà nominatis prius viris iniungit, vt cum Pontio congrediantur, eúmque à sententia dimoueant, ac Sororibus æquiorem reddant. Has cùm scripsisset litteras Honorius Laterani nonis Maij, alias posteà dedit, quibus significat eundem Episcopum permisisse, vt dictæ Virgines ad Parisienses Victorinas adiungerentur; earúmque confirmat institutum. Harum partem præcipuam hîc profero.

DVM MOLIENDO PONTIO HAS SCRIPSIT LITTERAS.

HONORIVS PONTIFEX CONCESSVM A PONTIO VIRGINIBVS SINENSIBVS INSTITVTVM VICTORINVM CONFIRMAT.

Honorius Episcopus Seruus Seruorũ Dei dilectis in Christo filiabus Priorissæ ac Sororibus hospitalis S. Nicolai de Diciaco salutem & Apostolicã benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus fauorem beneuolum impertiri. Ex parte siquidem vestra fuit nobis humiliter supplicatum, vt cum olim venerabilis frater noster P. Atrebat. Episcopus loci diœcesanus ad supplicationem vestrã prouida deliberatione statuerit, vt hospitalis vestri Sorores nullum ordinem antè professæ, secundum B. Augustini regulam, & institutionem ac obseruantiam ecclesiæ S. Victoris Parisiensis in eodem loco domino deseruirent, statutum huiusmodi Apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod ab Episcopo ipso super hoc piè ac prouidè factum est, vt in ipsius Episcopi litteris plenius dicitur contineri, auctoritate Apostolica confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. &c. Datum Laterani II. *Id. Maij Pontific. nostri anno 8.* A

An. 1224

Et post dies paucos idem Pontifex Honorius easdem Sanctimoniales, ipsarúmque res omnes Apostolica protectione est prosecutus. Eius sacri diplomatis, quo id fecit, hoc excerptum: B

IDEM EAS SVB APOSTOLICAM PROTECTIONEM RECIPIT.

Ea propter dilectæ filiæ vestris precibus inclinati personas vestras, & domum, in qua diuino estis obsequio mancipatæ, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum iustis modis præstante domino poterit adipisci, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem locum, in quo eadem domus fundata est, possessiones, reditus, & alia bona vestra, sicut ea omnia iuste, canonicè, ac pacificè possidetis vobis ac per vos hospitali vestro, auctoritate Apostolica confirmamus, ac speciali scripti patrocinio communimus. &c. Datum Laterani XVI. *Kal. Iunij Pontific. nostri anno* 8. Ita Honorius antequam ex hospitali Decyensi sanctimoniales hæ discederent, ac nondum facta, vt apparet, bonorum partitione, cuius antè meminimus.

FRIGINDO MONASTERIO FVNDVM DEDERE S. PETRI DVACENSIS PRÆPOSITVS ET CANONICI.

Vbi verò composita fuit omnis inter Sacerdotes hásque virgines orta prius controuersia, & in possessionem assignatæ sibi portionis Sorores venere: de commodo ipsis loco legẽdo, vbi cœnobium exstrueretur, deliberatum est. Is plurimum placuit in Sinensis agri finibus, quem à situ bellum nominabant, ibique sedem ponere statuerunt. Ad Præpositum & Collegium Canonicorum S. Petri Duacensis spectabat is fundus. Haud difficulter tamen ab iis cum libertate obtentus hic locus: scriptæque sunt huius cessionis litteræ anno supra millesimum & ducentesimum vigesimo septimo; quas eodem anno ratas habuit Atrebatensis Pontifex Pontius. Iis verò Præpositus & Canonici decem terræ, vt vocant, *raserias*, cum dimidia concesserunt ea conditione, vt modium dumtaxat vnum quotannis virgines in perpetuum iis penderent. Illuc igitur cùm migrassent paratis nonnullis ad commodam habitationem ædificiis sanctimoniales, in patronam electa est Deipara virgo, eíque monasterio datum nomen vel Belli loci, vel virginis Belli loci. Ac tunc Honorio Tertio ad cælos euocato, qui successit in summo ecclesiæ magistratu, Gregorius Nonus primo sui pontificatus anno, eodémque Christi 1227. Eius Parthenonis Priorissam ac virgines, harum possessiones & domicilium sub D. Petri ac suum recepit patrocinium; easdémque sanctimoniales ad vitam regularem ex D. Augustini placitis degendam adhortatus est vehementius; vtque Victorinis Parisiensibus, secundùm datam prius potestatem, adiungerent sese, mandauit: ipsis etiam Abbatissæ legendæ, & Virginum suam in familiam recipiendarum facultatem impertiit. Haud tamen priùs tam liberali Pontificis Maximi venia vsas video, quàm viuentium numero Episcopus Atrebatensis Pontius subtraheretur: id quod in annum supra millesimum & ducentesimum trigesimum primum incidit. Igitur omni sublato per Pontij mortem impedimento libertatis (semper enim is visus his virginibus metum iniicere) in Abbatissam Aalidem sacer is cœtus sibi præposuit, & cum S. Victoris Parisiensibus monialibus iniit societatem. Delectatus posteà huius monasterij felici successu Innocentius Papa eius nominis Quartus primùm anno partæ salutis 1246. insigni diplomate id muniuit, & multa ipsi liberaliter indulsit: eadémque consecuto proximè anno scriptis aliis confirmauit litteris. C D

GREGORIVS NONVS PAPA HVIC PARTHENONI PATROCINATVS, EIQVE MVLTA IMPERTIT PRIVILEGIA.

QVIBVS TAMEN NONNISI POST MORTEM PONTII VSÆ SVNT MONIALES.

SEA ETIAM HVIC LOCO PRIVILEGIA CONCESSIT INNOCENTIVS IV.

Iam plusquam duo annorum sæcula effluxerant, cum anno millesimo quadringentesimo

A gentesimo & octogesimo inhibita fuit his sanctimonialibus cum Parisiensibus Victorinis communicatio & consortium. Etenim ardentibus inter Francos Belgásque bellis grauissimis, ita vix omnes Parisios ducentes obseptæ vel militibus, vel latronibus fuerunt, ac Principum tanta exorta est discordia, vt hinc in Franciam, inde huc nulla commeandi daretur facultas. Cùm igitur à Parisiensibus nullum possent sperare subsidium, & omni destituerentur spirituali directione: ne quam disciplina religiosa iacturam pateretur, omnino permissum est Petro Rancicurtio Atrebatium Episcopo, vt his virginibus operam impenderet, eásque suæ iurisdictioni subiiceret. Fluxit ab eo tempore in huius successores ea potestas, & nunquam posteà cum Victorinis illis vlla permissa est Sinensibus sanctimonialibus societas. Anno tandem post millesimum & sexcentesimum secundo ac vigesimo, huic virginum cœtui facultatem Episcopus Atrebatensis concessit Duacum se suáque transferendi, ac sedem ibi perpetuam collocandi, quò denique migratum est mense Septembri; B cum Mansfeldici exercitus fama cunctis terrorem Hannoniæ & Artesiæ finibus incuteret.

QVANDO, AC QVAM OB CAVSAM A VICTORINIS DIVVLSÆ, ET EPISCOPO SVBIECTÆ FVERINT SINENSES VIRGINES: AC DVACVM MIGRAVERINT.

Quando, & à quo fundata fuerit Laudensis, seu B. Mariæ de Laude Abbatia, et qui erga ipsam fuerint benefici.

CAPVT XXVIII.

AT nunc tempus est, vt Cisterciensis ordinis monasteria, quæ Gallo-flandriæ finibus clauduntur, inuisamus. Ea quippe post D. Augustini cœnobia pro- C ximè cõdi cœpere. ex iis quod plus vetustatis obtinet, ipsum est Laudense Phrontisterium, quod etiam Beatæ Mariæ de Laude nuncupatur. Qui longissimè proiiciunt huius exordia, millesimum centesimum & trigesimum Christi annum eius initiis attribuunt. Huius opinionis eum fuisse comperio, qui Claromariscense Chronicon scripsit. Eo certè anno cœptũ habitari Vallicellense monasteriũ in Cameracẽsi agro, apud Anselmum Gemblacensem antistitem video. Sic enim eius ad Sigebertum Appendix in Orteliano Codice: *Conuentus monachorum cum Abbate suo Radulpho ex Anglia oriundo venit ad locum, qui vocatur Valcelle, Kalendis Augusti, hos adduxit S. Bernardus Abbas Clareuallensis.* Potuit fortassis eo tempore S. Bernardus conserto cum Flandriæ Comite Theodorico Elsatio, & aliis nobilibus viris sermone, occasionem aliquam fundandi his in locis Monasterij præbuisse, quod paucis inde annis cœptum condi fuerit. Qui verò seriùs multò velint exstructum hoc cœnobium, auctores minimè desunt. Anno 1152. hæc habet Iacobus Meierus; *Conditum hoc eodem anno iuxta Insulam cœnobium Laudis Cisterciensis ordinis.* Contrà D cœnobitis huius loci medium aliquod tempus arridet, quo datum fuerit initium eius molitioni. Ipsi námque ad salutis annum supra millesimum centesimum, & quadragesimum septimum cunabula eius referunt. Quippe memorant eo tempore ab Religiosis Clareuallensibus emptum de Bernardo Anckino fundum eum, vbi primùm eius templum, quod admodum exiguum fuit, & S. Marci nomine dedicatum inuenio, construeretur: eámque emptionem permissam, ac litteris consignatam à Theodorico Elsatio Flandriæ Comitatus habenas moderante, cùm flueret domini annus post millesimum & centesimum septimus & quadragesimus. Eius Comitis hoc diploma.

DE INITIIS LAVDENSIS MONASTERII VARIÆ OPINIONES.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego Theodoricus Dei gratia Flandriæ Comes notum fieri volo, tam præsentibus, quàm futuris, quòd monachi de Clareualle emerunt ad opus ecclesiæ S. Mariæ apud Loz terram Bernardi de Annekin, quam ipse tenuit in feodo de Petro de Bargas, & idem Petrus eandem terram tenuit de me. Et vt hoc stabile, & inconuulsum præfatæ ecclesiæ in perpetuum permaneat, sigilli mei impressione, & scripto assignans

A

confirmaui in remißionem peccatorum meorum, & sub testimonio sufficienti. Signum Rogeri de Vafrin, & Petri de Maisnil, & Hugonis de Loz, & Derbaldi fratris eius, & Lāberti filij, & Ioannis Pulchri. Actum Insulis anno M. C. XLVII. *in vigilia Pentecostes, dum secunda vice pergerem ad sanctam Hierusalem.*

Paullùm ab huius Abbatiæ monachorum opinione videntur discedere Cistercienses. Etenim horum monasterij tabulæ fundatum *anno Domini* 1149. 18. *Kal. Ianuarij* Laudense monasterium ostentant. Verùm hoc tempus eò potiùs reuocandum putant Laudenses, vt tunc denique ipsorum Asceterium & Abbatem acceperit, & in numerum Cisterciensis ordinis fuerit relatum. Ego verò ex productis in medium Theodorici Comitis litteris minimè verear dicere, cœptam paullò ante Christi annum supra millesimum & centesimum septimum & quadragesimum condi Laudensem Abbatiam. Cùm námque is Princeps hoc cœnobium iam tum vocet ecclesiam S. Marię haud dubiè pars eius tunc fuerat ædificata, & nomen ipsi S. Mariæ Laudensis tributum erat: vt paratis ad habitationem monachorum quibusdam ædificiis, tunc denique hoc anno ædiculę struendæ emptum fuerit solum. nisi malimus affirmare prius inditum fuisse vocabulum, quam cœperit hoc monasterium. B

QVI FVNDAVERINT HOC MONASTERIVM. AN THEODORICVS ELSATIVS?

His igitur de tempore primordiorum huius Asceterij discussis, qui fuerint eius conditores, videamus. Fundatorum nomine duos præsertim ipsi Laudenses Religiosi decorant. Horum prior est Theodoricus Elsatius Flandriæ Comes, quem suprà laudauimus. Hunc enim primùm sedem condendo cœnobio dedisse asserit Liber defunctorum his verbis ad XVI. Kal. Ianuarij: *O. Theodoricus Comes, qui dedit sedem Abbatiæ.* Deinde filius eius natu maior Philippus etiam Flandriæ Comes eum struxisse monasterium expressè significat, dum in eo, quòd posteà proferemus, diplomate sic loquitur: *Abbatiæ & Ecclesiæ B. Mariæ de Loz, quæ de Claraualle exijt, quam pater meus Theodoricus, & mater mea ædificauerunt.* Idem posteà huius loci Ascetis octo modios frumenti, & septem raserias (genus est in Belgio mensuræ) anno 1152, aliáque aliis temporibus liberaliter indulsit. Ad extremum ea videtur sententia Ioannæ Flandrorum Principis, dum in illo diplomate, quo res omnes Laudensis Abbatiæ complectitur & confirmat, eius Comitis munera primo enumerat loco C

AN IOANNES BELLVS?

Alter verò conditorum fuit Ioannes Bellus, aut Pulcher, magno vir natus loco: cuius ita mentionem facit Obituum liber ad XVI. Kal. Aprilis: *O. Ioannes Bellus fundator ecclesiæ de Laude.* Quæ tamen verba sic accipe, vt non fuerit ipse totius cœnobij conditor, at illius tantùm ædiculæ, quam S. Marci nuncupauere; quámque solam initio canendis laudibus diuinis, & sacris peragendis mysteriis monachi Laudenses habuere: cui fortassis muneri quædam alia superadiecit. Etenim Alexander Papa, quem ante nominauimus, non eum fundatorem Laudensis Abbatiæ, sed benefactorem duntaxat appellat. Is verò Ioannes Bellus omninò fuerit, qui prolatis iam Theodorici litteris subscripsit.

QVI DONIS SVIS ADIVVERINT FVNDATIONEM. PHILIPPVS ELSATIVS FLAND. COMES.

Inter alios autem, qui suis hunc locum muneribus affecere, Philippum Elsatium Theodorici patris æmulatorem iure primum collocabimus. De ipso hæc vetus Kalendarium Monasterij *Kal.* Iunij: *Obijt Philippus Comes Flandriæ. dedit* LX. *solidos pro pane & vino ad missas, & piscariam à ponte Haubourdino vsque ad molendinum de Quesnoit, & multa alia.* En ipsum diploma, quo magnam monachis libertatem is indulsit, paternúmque munus confirmauit. D

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego Philippus Dei gratia Comes Flandriæ notum facio omnibus tam modernis, quàm futuris, quòd libertatem, & confirmationem, quàm pater meus Theod. domno Bernardo Abbati, ac domui eius Clareuallensi in eleemosynam concessit, & in perpetuum contradidit, & ego simili modo concedo Abbatiæ & ecclesiæ de Loz, quæ de Claraualle exijt, quam pater meus Theodor. & mater mea ædificauerunt, & ei maximè inter ceteras in perpetuum pro anima mea, & pro antecessoribus meis, libertatem concedo, vt per totam terram meam, & omnes transitus dominationis meæ, vel mei Comitatus, in eundo & redeundo, à thelonio, & passagio, & omni exactione omnimodis sit libera. Quod quatinus stabile in perpetuum, & inuiolabile Fratribus prænominatæ ecclesiæ

per

A *per totam terram meam permaneat, & nullus statutum meum confringere præsumat, sigilli mei impreßione, & authoritate confirmaui.* A*ctum anno* M. C. L X X V I.

Huius exemplum secutus est Gerardus frater eius (qui postquam hoc in monasterio plusculum temporis inter Nouitios egisset, duabus Præposituris Canonicorũ S. Donatiani Brugis, ac S. Petri Insulæ fuit ornatus) & quædam Laudensibus donauit veteris domicilij ergo.

GIRARDVS ELSATIVS.

Neque vero ab vtriusque recessit liberalitate soror eorum Gertrudis quam Philippus frater Morianensem Comitissam in litteris quibusdam nominat; Vrbanus pontifex Romanus Maurianensem Comitissam, & Laudense Regestum Comitissam de Moriana inscribunt. Etenim ab ea quædam etiam in hanc domum beneficia fluxere, vt vetera memorant monumenta Laudensis Asceterij.

GERTRVDIS ELSATIA.

Ex aliis Flandriç Comitibus hoc etiam monasterium sua non parum munificentia decorarunt Balduinus Constantinopolitanus, eiúsque coniux Maria Campaniæ Comitis filia; & his parentibus exortæ Ioanna & Margareta, quarum hæc Guilelmum Dampetræum, illa Ferrandum Lusitanum maritos habuere, Guido Margare-
B tæ filius, Mathildis Bethuniensis Roberti Guidonis filij coniux. Etenim horum omnium, propter erogatas in eos eleemosynas, apud Laudenses litteris mandata non desunt monumenta.

QVIDAM ALII FLANDRIÆ COMITES.

Et suis in hanc Abbatiam muneribus rex Franciæ Philippus cognomento Pulcher obtinuit, vt in ea quotidie sacrum pro ipsius animç refrigerio celebretur.

PHILIPPVS PVLCHER FRANCIÆ REX.

E Castellanis Insulensibus etiam aliqui nomen benefactorum istic non mediocre sibi compararunt: in quibus hi præsertim, Guilelmus S. Petri apud Insulenses primùm Prępositus, dein etiam Castellanus Insulensis, cuius corpus intra Laudense claustrum ad templi ostium iacet; huius nepos Ioannes Insulensis & Peronnensis Castellanus, qui iuxta Guilelmum sepulturam sortitus est; ac denique Rogerus.

CASTELLANI ALIQVOT INSVLENSES.

Venit etiam in partem auctę dotis huius Phrontisterij pernobilis domus Wauriniа: quandoquidem Robertus primùm quinquaginta libras, dein decimam ei donauerit; postmodum Rogerius, eiúsque coniux Sybilla, & filius Hellinus nonnulla
C etiam concesserint.

VVAVRINIENSIS FAMILIA.

Hæret quoque in monumentis Laudensibus non leuis Ioannis Luxemburgij Haubourdini toparchæ, itémque Cauli Luxemburgij memoria, propter ea, quę monasterio impertierunt munera.

IOANNES ET CAVLVS LVXEMBVRGII.

Et recoluntur istic anniuersariè donationes, quibus è familia de Duremort Wallerandus, Reynerus, & Ioanna hoc Asceterion affecere. De ceteris nobilibus viris, qui nonnullos quoque census, terrasúe ad augendas huius monasterij possessiones contulere, non est necesse quidquam sigillatim memorare, prolixitatis vitandæ gratia.

FAMILIA DE DVREMORT.

Nunc, si placet, ad Pontificum Romanorum, ac principum aliquorum priuilegia, quibus Laudenses Religiosi fruuntur, oculos animúmque conuertamus.

Vt igitur ab summis ecclesiæ moderatoribus initium ducatur; Alexander eius nominis Tertius pōtifex binis hoc Monasterium litteris sub S. Petri Sedisque Apostolicæ patrocinium recepit eiúsque bona confirmauit: quarum priores anno 1164.
D posteriores anno 1175. scriptæ sunt. Huius exemplo Innocentius Tertius primùm, dein Gregorius Octauus suũ quoque patrociniũ istius ecclesiæ Religiosis bonísque addixere: ac ille quidem longiori paullò diplomate singuli tum ab se, tum à præcessoribus concessorum priuilegiorum capita complexus est; hic verò vnico ferè verbo, quæ priús ab aliis indulta fuerant, roborauit. Ex his omnibus Innocentij tantùm litteras hoc loco legentium oculis subiicere placet, quòd eæ cuncta comprehendant sacra priuilegia. Sic autem ipse loquuntur.

PONTIFICES ROMANI QVORVM PRIVILEGIIS HÆC ORNATA FVIT ABBATIA.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Stephano Abbati monasterij de Los, eiúsque Fratribus tam præsentibus, quàm futuris, Regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam eligentibus vitam Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis,

INNOCENTII TERTII DIPLOMA PRIVILEGIA OMNIA CONTINENS.

gionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & monasterium Sanctæ Dei genitricis & Virginis Mariæ de Los, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt ordo monasticus, qui secundum Deum & B. Benedicti regulam, atque institutionem Cistercensium Fratrum in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunque possessiones quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis præstante Domino poterit adipisci: firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfatum monasterium est, cum omnibus pertinentijs suis. Grangiam Abbatiæ cum omnibus pertinentijs suis. Grangiam de Marcha cum omnibus pertinentijs suis. Grangiam de Duremort cum omnibus pertinentijs suis. Grangiā de Brebāt cum omnibus pertinētijs suis. Grangiam de Esquælio, cum omnibus pertinētijs suis. Grangiā de Anconio cum omnibus pertinentijs suis. Grangiā de Rogirsart cum omnibus pertinentijs suis. Grangiam de Templouio cum omnibus pertinentijs suis. Sanè laborum vestrorum, quos proprijs manibus, aut sumptibus colitis, tam de terris cultis, quàm incultis siue de † ortis, & virgultis, & piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos liberos & absolutos è sæculo fugientes ad conuersionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, vt nullis Fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit absque Abbatis sui licentia de eodem loco discedere: discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis forte retinere præsumpserit, licitum vobis sit in ipsos monachos, vel conuersos regularem sententiam promulgare. Illud districtiùs inhibentes, ne terras, seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum, liceat alicui personaliter dari, siue alio modo alienari absque consensu totius capituli, vel maioris, aut sanioris partis ipsius. Si quæ verò donationes, aut alienationes aliter quàm dictum est, factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc etiam prohibemus, ne aliquis monachus, vel conuersus sub professione vestræ domus adstrictus, sine consensu & licentia Abbatis & maioris partis capituli vestri pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat vltra pretium capituli vestri prouidentia constitutum: nisi propter manifestam domus vestræ vtilitatem. Quod si facere præsumpserit, non teneatur conuentus pro his aliquatenus respondere. Licitum præterea sit vobis in causis proprijs, siue ciuilem, siue criminalem contineant quæstionem, Fratrum vestrorum testimonijs vti, ne pro defectu testium ius vestrum in aliquo valeat deperire. Insuper auctoritate Apostolica inhibemus ne vllus Episcopus, vel alia quæcumque persona ad synodos, vel conuentus forenses vos ire, vel iudicio sæculari de propria substantia, vel possessionibus vestris subiacere compellat: nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel conuentus aliquos publicos conuocandi, venire præsumat: nec regularem electionem vestri Abbatis impediat, aut de instituendo, vel remouendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statum Cistercensis ordinis se aliquatenus intromittat. Si verò Episcopus, in cuius parochia domus vestra fundata est, cum humilitate ac deuotione, qua conuenit, institutum Abbatem benedicere, & aliqua, quæ ad officium Episcopale pertinent, vobis conferre renuerit; licitum sit eidem Abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios monachos benedicere, & alia, quæ ad suum officium pertinent, exercere, & vobis omnia ab alio Episcopo percipere, quæ à vestro fuerint indebitè denegata. Illud adijcientes, vt in recipiendis professionibus, quæ à benedictis, vel benedicendis Abbatibus exhibentur, ea sint Episcopi forma & expressione contenti, quæ ab origine ordinis noscitur instituta: vt scilicet Abbates ipsi saluo ordine suo profiteri debeant, & contra statum ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus verò altarium, vel ecclesiarum, siue pro oleo sancto, vel pro quolibet alio ecclesiastico sacramento, nullus à vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio quolibet modo quicquam audeat extorquere, sed hæc omnia gratis vobis Episcopus diocesanus impendat. alioquin liceat vobis quemcumque malueritis Catholicum adire antistitem, gratiam & cōmunionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatis impendat. Quòd si sedes diocesa-

A B C D

† hor[tis]

ni Epis-

A *si Episcopi fortè vacauerit: interim omnia ecclesiastica sacra à vicinis Episcopis accipere*
libere, & absque contradictione possitis; sic tamen vt ex hoc in posterum propriis Episcopis
nullum præiudicium generetur. Quia verò interdum propriorum Episcoporum copiam non
habetis, si quem Episcopum Romanæ sedis, vt diximus, communionem habentem, & de quo
plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum & ve-
stium, consecrationes altarium, ordinationes monachorũ auctoritate Apostolicæ Sedis reci-
pere valeatis. Porrò si Episcopi, vel alij ecclesiarũ rectores in monasteria vestra, vel personas
inibi constitutas suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgauerint
siue etiam in mercenarios vestros, pro eo, quòd decimas non soluitis, siue aliqua occasione eo-
rum, quæ ab Apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros, pro eo, quòd
aliqua vobis beneficia, vel obsequia ex caritate præstiterint; vel ad laborãdum adiuuerint in
illis diebus quibus vos laboratis, & alij feriantur, eandem sententiam protulerint: ipsam tã-
B *quam contra Sedis Apostolicæ indulta prolatam, duximus irritãdam: nec litteræ illæ firmita-*
tem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis Ordinis, & contra tenorem priuilegiorũ consti-
terit impetrari. Paci quoque & trãquillitati vestræ paterna in posterũ sollicitudine prouide-
re volentes, Auctoritate Apostolica prohibemus, vt intra clausurã locorum, vel grangiarũ
vestrarum nullus rapinã, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, homines te-
mere capere, seu violentiã audeat exercere. Præterea omnes libertates, & immunitates à præ-
decessoribus nostris Romanis Pontificibus ordini vestro cõcessas, necnõ & libertates, & exẽ-
ptiones sæcularium exactionũ à Regibus & Principibus, vel alijs fidelibus vobis rationabi-
liter indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communi-
mus. Decernimus igitur, vt nulli omnino hominũ liceat præfatũ monasteriũ temerè perturba-
re, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fa-
tigare: sed omnia integra cõseruentur eorũ, pro quorũ gubernatione, & sustentatione concessa
sũt. vsibus omnimodis profutura. Salua Sedis Apostolicæ auctoritate. Si quis igitur in futurũ
C *&c. Datũ Romæ apud S. Petrũ per manũ Ioan. S. Romanæ Ecclesiæ Subdia. & Notarij, XV.*
Kal. Decẽb. In d. VIII. Incar. Dom. anno M.CC.IV. Põt. verò Domini Innoc. PP. III. anno VII.

Postquam sacrum hoc diploma scripsisset Innocentius, nonnulli homines eò te-
meritatis & audaciȩ proiecti fuere, vt quoad *labores* huius monasterij, quorũ is Pon-
tifex mentionem facit, eius verba sinistrè sint de *noualibus* interpretati, atque ideò ab
monachis Laudensibus decimas extorquere cõtenderint. Quod cùm grauiter pien-
tissimo sanctissimóque prȩsuli displiceret, has pro dictis Religiosis litteras vulgauit.

EIVSDEM INNOCENTII LITTERÆ ADVERSVS EOS, QVI DECIMAS A LAVDENSIB. MONACH. MALE EXTORQVEBANT.

Innocentius episcopus seruus seruorũ Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Remẽsi,
suffraganeis eius, & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & alijs ec-
clesiarũ prælatis per Remensem prouinciã cõstitutis, salutem & Apostolicã benedictionem.
Audiuimus, & audientes mirati sumus, quod cùm dilectis filiis Abbati, & conuentui de
Laude Cisterciẽsis ordinis, à patribus & prædecessoribus nostris concessũ sit, & à nobis postmo-
dũ indultum, & etiam confirmatum, vt de laboribus, quos proprijs manibus aut sumptibus ex-
colunt, nemini decimas soluere teneãtur: quidam ab eis nichilominus contra Apostolicæ Sedis
indulgentias decimas exigere, ac extorquere præsumunt; & praua ac sinistra interpretatione
Apostolicorum priuilegiorũ capitulum peruertẽtes, asserunt de noualibus debere intelligi, vbi
D *noscitur de laboribus esse scriptum. Quoniam igitur manifestum est omnibus, qui rectè sa-*
piunt, interpretationẽ huiusmodi peruersam esse, & intellectui sano cõtrariam, cùm secundũ
capitulum illud à solutione decimarũ tam de terris illis, quas deduxerunt, vel deducunt ad cul-
tum, quam de terris etiam cultis, quas proprijs manibus, vel sumptibus excolunt; liberi sint pe-
nitus & immunes; ne vllus contra eos materiam habeat malignandi; vniuersitati vestræ
per Apostolica scripta mandamus, quatinus omnibus parochianis vestris auctoritate Apo-
stolica prohibere curetis, ne à memoratis Fratribus de noualibus, vel de alijs terris, quas
proprijs manibus, vel sumptibus excolunt, seu de nutrimentis animalium vllatenus decimas
exigere præsumant, vel quomodolibet extorquere. Quia verò non est conueniens, vel hone-
stum, vt contra Sedis Apostolicæ indulgentias temere veniatur, quæ obtinere debent inuio-
labilem firmitatem: mandamus vobis, firmitérque præcipimus; vt si qui Monachi, Canonici,
clerici, vel laici contra priuilegia Sedis Apostolicæ memoratos Fratres super decimarum
exactione grauauerint: laicos excommunicationis sententia percellentes, Monachos, Cano-

nicos,

A

nicos, siue clericos, contradictione, dilatione, appellatione cessantibus, ab officio suspendatis, & tam excommunicationis, quàm suspensionis sententiam faciatis vsque ad dignam satisfactionem inuiolabiliter obseruari. Ad hæc præsentium auctoritate vobis præcipimus, quatinus si quis eorundem parochianorum vestrorum in sæpè dictos Fratres violentas manus iniecerit, eum candelis accensis excommunicatum publicè nuntietis, & tanquam excommunicatum faciatis ab omnibus cautius euitari, donec eisdem Fratribus satisfaciat competenter, & cum litteris Diocesani Episcopi rei veritatem continentibus Apostolico se conspectui repræsentet. Datum Laterani 11. Kal. Nouemb. Pontific. nostri anno quartodecimo. An. 1211.

Pro iisdem Religiosis contra infestatores scribit Honorius Papa.

Verùm tametsi vigilantissimus & religionis amantissimus hic Pontifex istis priuilegiis Laudensium monachorum quieti ac indemnitati consuluisset: nihilominus tamen exstitere nonnulli parum aduersus vel indulta Pontificia, vel homines votis religionis obstrictos affecti, quorum infestationibus damni multum ij & molestiæ passi sint. Id quod postquam Honorius Pontifex cùm per litteras, tum per querelas dictorum Ascetarum cognouisset, non diu distulit, quin eorum causam suo patrocinio per litteras defenderet, quarum hoc exemplar est.

B

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus Fratribus Remensi Archiepiscopo & suffraganeis eius, & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, & alijs ecclesiarum prælatis in Remensi prouincia constitutis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis, & plurima turbatione didicimus, quòd ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissoluitur, & canonicæ sententiæ seueritas eneruatur, vt viri religiosi, & hi maximè, qui per Sedis Apostolicæ priuilegia maiori donati sunt libertate, passim à malefactoribus suis iniurias sustineant & rapinas: dum vix inuenitur, qui congrua illis protectione subueniat, & pro fouenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filij Abbas & Fratres de Laude Cisterciensis ordinis Tornacensis diocesis tam de frequentibus iniurijs, quam de ipso quotidiano defectu iustitiæ conquerentes, vniuersitatem vestram litteris petierunt Apostolicis excitari; vt ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustijs, quas sustinent, & pressuris, vestro possint præsidio respirare. C *Ideóque vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatinus illos, qui possessiones, vel res, seu domos prædictorum Fratrum, vel hominum suorum irreuerenter inuaserint, aut ea iniustè detinuerint, quæ prædictis Fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsos Fratres contra Apostolicæ Sedis indulta sententiam excommunicationis, aut interdicti, præsumpserint promulgare; vel decimas laborum de terris habitis ante Concilium generale, seu nutrimentorũ ipsorũ, spretis Apostolicæ Sedis priuilegiis extorquere: monitione præmissa, si laici fuerint, publicè candelis accensis excommunicationis sententia percellatis; si verò clerici, vel Canonici Regulares, seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio & beneficio suspendatis: neutram relaxaturi sententiam, donec prædictis Fratribus plenariæ satisfaciant; & tam laici, quàm clerici sæculares, qui pro violenta manuum iniectione anathematis vinculo fuerint innodati, cum diocesani Episcopi litteris ad Sedem Apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolui. Villas autem, in quibus bona prædictorum Fratrum, vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint, quamdiu ibi sunt, interdicti sententiæ supponatis. Datum Laterani 11. Id. Febr. Pontific. nostri anno primo.* An. 1217.

D

Eorundem tranquillitati, et quieti aliis idem studet litteris.

Paucis inde annis cùm Abbas Priórque Laudensis Monasterij multum sibi de studio perfectionis, & religiosa quiete subtrahi multorum vel iudiciis, vel arbitriis negotiorum animaduerterent, quæ sibi à plerísque Romanis Pontificibus finiendis controuersijs committebantur: ad eundem supremum Ecclesiæ moderatorem scripsere; vt his procul excussis, intra domesticum secessum sacro sibi otio ad res diuinas quietiùs meditandas frui liceret. Ac non difficulter equidem hoc ab eo rescriptum impetrauere.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Abbati & Priori de Los Cisterciensis ordinis, Tornacensis diocesis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum sæpè contingat propter causarum cognitiones, quæ vobis frequenter à Sede Apostolica committuntur, in vobis sanctæ contemplationis otium impediri, & monasterium vestrum non mo-

dicam

A *dicam inde læsionem incurrat: nos vestris inclinati precibus, & quieti vestræ providere misericorditer, & indennitati eiusdem monasterij super hoc præcauere volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ne de causis aliquibus auctoritate Apostolica in posterum cognoscere inuiti, nisi obtinendæ ad vos litteræ plenam de hac indulgentia fecerint mentionem: saluis tamen commissionibus ad vos hactenus impetratis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, &*
1117. *Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani* X V. *Kal. Febr. Pontif. nostri anno vndecimo.*

Atqui de Pontificum Romanorum priuilegiis Laudensi monasterio concessis hęc sufficiant. Nunc aliqua principum diplomata obiter consideremus, quorum indulto eiusdem loci Religiosis impensa fuit tum libertas, tum gratia. Ab ipso incipiendum videtur fundatore, cuius sanè multa tam liberalitatis, quàm fauoris in hanc Abbatiam exempla manauere. Quin vnas è litteris eius nunc proferam litteras, facere nequeo, quibus non leuem impertiuit gratiam. E PRINCIPIBVS, LAVDENSE MONASTERIVM HI PRIVILEGIIS ORNARVNT.
B

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Theod. Dei gratia Flandriæ Comes, & Sibylla Comitissa, videntes omnem sæculi nitorem in seipsum deficere, & fine molesto concludi, nobis & nostris, Deo aspirante, in salutem prospeximus. Ecclesiæ nánque & Abbatiæ Claræuallensis ordinis de Los terram, quam Walterus de Duremort de nobis tenuit, de Galtero verò Stephanus de Primcka, prece Stephani & salute nostra compassi, sub censu duorum solidorum in perpetuam possidendam, & alias etiam terras, quas in præsenti possident, liberè possidendas annuimus. Hanc etiam libertatem ecclesiæ donauimus, vt Monachi in ea Deo seruientes ita propriæ custodiæ nostræ & tutelæ addicti sint, vt nulla sæcularis persona in aliquid eorum, quæ in Comitatu nostro vel possident, vel in futurum possessuri sunt, vllam potestatem habeat. Præterea hoc dignitatis priuilegium conuentui prænominatæ ecclesiæ concessimus, vt de quocunque negotio THEODORICVS ELSATIVS FLAND. COM.
C *cum eis & sæculari quolibet agatur, tantùm in præsentia personæ, quæ Flandriæ præerit, responsuri veniant. Quod ne qua futurorum aduersitate imposturari valeat, sigilli nostri testimonio corroborauimus & subscriptorum Baronum testimonio, Philippi filij nostri, R. Brugensis Præpositi, R. Brugensis Castellani, Roberti de Templo, Gisleberti Dapiferi, Rogeri de Wafrin, & Eustacij Camerarij. Actum est hoc anno* M. C. L I I. *Datum per manum Gateri Capellani & Notarij.*

Huius Principis filius Philippus Elsatius, quæ Flandriæ quoque Comitatum tenuit, præter illud diploma, quo magnam vt vidimus superius Laudensibus Ascetis libertatem indulsit, aliud etiam exarauit, quo paterna suáque priuilegia, & aliorum munera iisdem confirmauit, cuius hoc initium: *Ego Philippus Dei gratia Flandriæ Comes & Viromandiæ, pro salute animæ meæ, vt pereunte mundo ipsa non pereat, sed ad vitam æternam perueniat, concedo in eleemosynam ecclesiæ B. Mariæ de Los in hereditatem liberè possidendum, & ratum esse volo, quidquid oblatione fidelium, vel alio rationabili modo prænominatæ ecclesiæ Fratres vel viuente patre meo, vel me annuente acquirere potuerunt &c.* omnia etenim postea dona & priuilegia enumerat, *Ad extremū verò subijcit: & vni-* PHILIPPVS ELSATIVS FLAND. COM.
D *uersa quæ ipsorum sunt, sub mea tutela, & heredum meorum esse censeo. Atque vt hæc omnia, quæ conscripta sunt, rata & inconcussa Fratribus prænominatis in perpetuum & cum omni pace maneant, & mei tam in morte, quàm in vita memoriam in beneficijs & cordibus suis retineant. &c. Actum verbi Incarnati anno* M. C. L X X V I I.

Balduinus Constantinopolitanus inter Flandriæ Comites cognominatus, Theodorici & Philippi vestigia consectatus, donatam ab his ecclesiæ Laudensi libertatem istis etiam litteris roborauit. BALDVINVS CONSTANTINOP. FLAND. ET HAN. COMES.

Ego Balduinus Flandriæ & Hainoiæ Comes notum facio tam præsentibus quàm futuris, quòd eandem libertatem, quàm prædecessores mei, videlicet Comes Theodoricus, & piæ memoriæ dominus & auunculus meus Comes Philippus ecclesiæ B. Mariæ de Los contulerunt, ego simili modo concedo, hanc videlicet, vt per totam terram meam, & omnis transitus ditionis meæ, vel mei Comitatus in eundo, vel redeundo, à thelonio & passagio, & omni exactione omnimodis sit libera, in his videlicet, quæ ad vsus spectant ecclesiæ. Vt autem hoc

 ratum

ratum & inconcussum permaneat, præsentem paginam sigilli mei impressione, & testium annotatione confirmaui. Testes Castellanus de Duaco, Polo de Vileirs, Robertus Auunculus de Sengin. Actum apud Insulam anno Domini M. C. XCI. A

IOANNA FLANDRIÆ ET HANNON COMITISSA.

Ioanna huius filia, quæ Flādris & Hannoniis imperauit, insigni diplomate omnia Laudensis Abbatiæ priuilegia & omnes eius possessiones complexa est, ac sua etiam auctoritate firmauit, quod ipsa sic orditur: *Ioanna Flandriæ & Hain. Comitissa vniuersis præsentem paginam inspecturis salutem. Nouerint vniuersi, quod nos priuilegia monasterij de Laude virorum illustrium prædecessorum nostrorum Comitum Flandriæ sigillis solemniter confirmata, diligenter inspeximus, in quibus continebantur expreßè ea, quæ inferius annotantur: &c. in hunc verò modum concludit: Nos igitur, quæ speciali affectu diligimus monasterium memoratum, omnia iura ipsius semper in omnibus volumus salua fore; & prædicta omnia, quæ per priuilegia prædecessorum nostrorum, & per nostra eidem monasterio concessa sunt, & hactenus pacificè obseruata, approbamus, & præsenti priuilegio confirmamus. &c. Actum anno Domini* M. CC. XXXIV. *mense Aprili.*

Ab eadem nobilissima muliere hoc aduersus homines istud cœnobium eiúsque Monachos grauiter infestantes rescriptum prodiit. B

Ioanna Fland. & Hain. Comitissa vniuersis Bailliuis, Præpositis, & hominibus suis salutem in domino. Cùm bonæ memoriæ pater meus Balduinus Fland. & Hain. Comes, & prædecessores mei Th. & Ph. Comites Fland. Ecclesiam B. Mariæ de Laude Cisterciensis ordinis specialiter dilexerint, & sub sua protectione susceperint contra malefactores & iniuriatores quoslibet defendendum; & ego similiter eorum exemplum prosequi desiderans, & mercedem apud Deum assequi cupiens in hac parte, mando vobis, præcipio, & volo finaliter, quatinus prædictam ecclesiam & eius personas cum omnibus bonis suis ab omnibus malefactoribus incursibus defensare, & manutenere in omnibus satagatis; iura ipsorum tanquam propria mea essent, vbique viriliter conseruantes illæsa: nec sustineatis eis inferri ab aliquo molestiam vel grauamen; scituri pro certo, quod quidquid eis honoris, vel beneficij fuerit exhibitum, vel molestiæ aut grauaminis illatum, michimet ipsi factum penitùs reputabo, & volo, vt & vos similiter reputetis. Sciatis etiam, quòd ego pro salute animæ meæ, & antecessorum & successorum meorum, prædictam ecclesiam ab omni exactione Wienagij, passagij, thelonei, rotagij, ponderationis, & consuetudinum huiusmodi, de ijs, quæ pertinent ad proprios vsus suos, tam in nundinis, quam extra, per totam terram meam, quantum ad me pertinet, omnino emancipatam & liberam esse volo penitùs, & immunem. Datum anno Domini M. CC. XLIII. *mense Maio.* C

Eadē cū Thoma Sabaudo marito suo hanc pro iisdē Religiosis vulgauit sāctionē.

Thomas Fland. & Hain. Comes, & Ioanna vxor eius Comitissa vniuersis præsentes litteras inspecturis salutē. Nouerit vniuersitas vestra, quòd nos concedimus, & volumus, quòd de terris & alijs possessionibus, quæ sunt, aut erunt de dominio ecclesiæ de Laude Cisterciensis ordinis, si eas ab hominibus & hospitibus dictæ ecclesiæ vendere contigerit, vltra quadraginta dies elapsos eorum proximi ad terras, aut possessiones venditas redire non possint, nec venditionem factā modo aliquo reuocare: ita tamen, si, antequā facta fuerit, venditio publicetur. Ad hanc autem concessionem nostram denunciandam coram hominibus nostris, Thomam Bailliuum nostrum Insulensem ponimus loco nostro. Datum Insulæ anno Domini M. CC. II. *Mense Decembri.* D

PHILIPPVS PVLCHER FRANCIÆ REX.

Extremum hîc occupet locum, quod verbis istis pro Laudensibus diploma Philippus cognomento Pulcher Franciæ Rex conscripsit.

Philippus Dei gratia Francorum Rex. Notū facimus vniuersis tam præsentibus, quàm futuris, quòd nos dilectorū nostrorū Abbatis & Conuentus monasterij de Laude prope Insulā in Flandria ordinis Cisterciensis supplicationibus annuētes, eisdē, ac ecclesiæ, seu monasterio suo duximus concedendum: Quod ipsi conquesta ab eis suæ ecclesiæ nomine facta à tempore retroacto vsque ad tempus concessionis huiusmodi in feodis, retrofeodis, & allodijs nostris, aut subditorum nostrorum in quantum ad nos spectat, tenere poßint perpetuò, absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, vel præstandi nobis financiam pro eisdem. Item quòd bona eorum mobilia non capientur, vel iustitiabuntur in aliquo casu per iustitiam sæcularem. Item quod in casu, vbi licitè bona ipsorum * *immobilia capi contingeret,*

* forsan scribendum, mobilia.

A *es consumi, vel destrui non liceat, aut expendi: quòd si fiat, id ante omnia faciemus emendari, & eos indempnes seruari: & quod si ad ipsorum bonorum saisinam, vel custodiam seruientes deputari oporteat, vnus tantummodo seruiens in Abbatia, & in qualibet domo ipsorum deputetur, qui de stipendijs suis viuere teneatur, prout in nostris continetur statutis. Item quod recognitiones & aduocationes nouæ, quæ ab ipsorum Religiosorum subditis nobis fiunt, nullatenus admittentur, & factas de nouo faciemus penitus reuocari. Item quod Balliui, & alij officiales nostri teneantur iurare, quòd mandata sibi facta, & facienda per litteras nostras pro ecclesia illa, & personis eiusdem absque difficultate fideliter exequentur. Item quòd non impedientur, aut inquietabuntur super possessionibus, siue redditibus emptis per ipsos in feodis, retrofeodis, aut censiuis suis, in quibus omnimodam, altam & bassam habent iustitiam: quin possessiones & redditus taliter acquisitos perpetuò tenere* B *valeant, absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, aut prestandi nobis financiam pro eisdem. Item quòd tollantur grauamina eis per gentes nostras illata, ac nostra iam concessa statuta seruentur, & ea Balliui nostri iurare teneantur se firmiter seruaturos. Item quod ad opus garnisionum nostrarum bona eorum vel subditorum suorum eis inuitis non rapientur. Item quòd pro grauaminibus similibus corrigendis, de quibus liquebit, auditores non suspectos eisdem, cum requisiti fuerimus, concedemus, qui vice nostra ceteris complementum iustitiæ super hæc fideliter exhibebunt. Item quòd non puniantur pro delictis monachorum, aut conuersorum, aut familiarium suorum, nisi quatenus sunt propter hæc puniendi de iure, vel de consuetudine patriæ, cui subsunt. Item quòd non impedientur personis suæ Abbatiæ, & earum mobilia cum armis moderatè, vel sine armis, ac delinquentes in sua Abbatia, seu loci ipsius capere, quatenus facere consueuerint. Quod vt firmum & stabile permaneat, salno in alijs iure nostro, & in omnibus alieno, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini M. CCC. IV. mense Iunio.*

C

Abbatiam Pratensem, seu B. Mariæ de Pratis, quis condiderit. eane semper Duaci constiterit.

CAPVT XXIX.



QVo nunc loco Pratense Monasterium Cisterciensis ordinis Virginum spectatur Duaci, olim duplicibus hominum generibus deliciæ fuerunt. Fundus enim illic (qui tunc extra muros vrbis cernebatur) Campi floridi nomen obtinuerat, ob picta per vernam tempestatem variis floribus prata. eoque plerique ciuium Duacensium itabant nunc verno, nunc æstiuo tempore, fallendi laboris, & curandi suauiter corporis gratia. Et præbuit tamdiu lasciuis ac luxu- D riantibus mortalibus is locus voluptatem; donec honesti viri ac ciuis Duacensis filiæ tres: quibus nomina fuere Fulcedis, Sancta & Ruelsella, cognomen de Hala, sub tectum illic angustum coëuntes vitam suam & laborem Deo, ac sanctissimæ virgini Mariæ dicauerunt. Hæ namque deliciis cęlestibus admodum inhiantes hunc sanctitate campum ac virtutibus florentem reddidere. Ac primùm quidem annos aliquot hic Beginarum more vitam agitarunt: dein post multas exhaustas difficultates accepto, Pontificis Maximi venia, Cistertiensis Ordinis habitu velóque sacellum ædificauere; quod B. Mariæ Virginis nomine fuit dedicatum, eo ferè loco vbi nunc crux lapidea iuxta flumen extra vrbem conspicitur. Verum successu temporis, cum sensim illic numerus sanctimonialium glisceret, ac plerique hominum fundos, villasque harum sustentationi attribuerent; paullùm inde, & ab vrbe remotiùs (tunc enim Duacum angustioribus muris & pomæriis circumscriptum erat) præclarum extrui cœptum est monasterium, quod à pratis in quibus conditum fuit, etiam Pratensis cognomen accepit: adeóque ædificiis ædificia tandem insigni mole superaddita sunt, vt ipsis aliquando ciuibus, in hodiernam amplitudinem circumductis vrbi

INITIA PRATENSIS MONASTERII QVO LOCO, ET A QVIBVS POSITA.

QVAMOB CAVSAM, ET QVANDO HÆC ABBATIA INTRA VRBEM DVACENSEM POSITA?

A

muris mœnibúsque, formidini esse cœperint. Et sanè cùm mutuis sese odiis Franci & Burgundiones insectarentur, exortóque bello grauissimo plerique Francorum occiso Duce Carolo infestis agminibus Artesiam & Gallo-flandriam penetrarent, cladibúsque multis afficerent: ne monasterio potitus hostis aduersum vrbem sese muniret; ac ductis propugnaculis infensus grauiter ingrueret: haud sine facultate Flandriarum Principis Mariæ Burgundicæ totum id Duacenses ab fundamento demoliti fuere anno Christi supra millesimum & quadringentesimum septimo ac septuagesimo. Noluit tamen pia Princeps incommodo graui damnóue monialium id fieri. Vt enim aliquo modo impendia sarcirentur, primùm eis Campum floridum, qui tum intra mœnia vrbis spectabatur, & in quo morabantur Beginæ, omnésque harum possessiones attribuit: dein alia quamplurima de suo liberaliter donauit. Sic igitur denique factum est, vt in antiquum is cœtus vel fundum, vel domicilium quasi postliminio reuerteretur. Verùm hoc ita perfectum reperio, vt floridi Campi nomen exstinctum voluerit Maria Princeps, veterique nouum monasterium appellatione induerit, ac B. Mariæ Virginis de Pratis nuncupari mandauerit: quo nomine extra vrbis mœnia vocabatur. Iuuat hoc loco Rythmum veterem in medium adducere, quem de libro manuscripto & antiquo Pratensis monasterij descripsi; vt totum illud, quod initio de exordio huius Parthenonis breuiter dixi, penitiùs percipiatur: dein à Burgundiorum Duce, & Flandrorum Comite Maria conscriptum diploma proferre, quo & Campum floridum Virginibus Pratensibus donat, & pleraque alia concedit, noménque nouo tribuit monasterio. Sic igitur habet Rythmus ille perantiquus.

B

RYTHMICI VERSVS INITIA, ET PROGRESSVS HVIVS PARTHENONIS PRODENTES.

Pro tribus Dei puellis istam tractaui scedulam,
In qua non scribam ex illis quod vertatur in fabulam.
Hæ sorores in Duaco ortum suum assumpserunt.
Iuxta villam, quam prædico, Virgini deseruierunt,
Quæ protulit Saluatorem virgo tamen incorrupta;
Quæ cælitus dat splendorem, magis quàm oculis ruta. C
Sancta, Ruessella, Fulcedis sua fuerunt nomina:
De Hala cognomen illis, & quælibet Deo digna.
In loco dicto de Pratis mansum & mansiuncula
Erant. benè vellent, quòd hìc fierent habitacula.
Qui dictus Mules, Werinus tunc dictum locum possedit.
Vt Deo ferretur hymnus, his liberè mansum dedit.
Erat illic fons emanans, & pratum odoriferum,
Et in illo sæpè cantans multitudo mulierum.
Illic choreas iuuenes ducebant, & illecebras
Mundi, per quas infernales se deducunt ad tenebras.
Hæ extirpantes vrticas, oraculum instruxerunt, D
Et orationis spicas toto nisu plantauerunt.
Illic simul permanserunt pauca cum societate.
Beginæ námque fuerunt à prima sui ætate.
*Post hæc illis aduenerunt * Francka & Freescendis.* *aliquid deest rythmo explendo
Et hìc de bonis emerunt sibi tempore tradendis.
Hac Freëscendis, quam prædixi, multas perturbationes
Sustinuit, vt audiui. proferam occasiones.
Habebant paucos reditus, atque terras arabiles,
*De quibus his erat victus, & cibi parum * abiles.* * habiles.

Habe-

A

Habebant enim famulam, quæ omnibus ministrabat,
Et de iuuantibus vitam eis auxilium dabat.
Ibant enim illæ mane ad Albini sanctum templum;
Deum * orant, nec inane de foris dabant exemplum.
(Tunc non habebant in loco, vbi manebant, capellam,
Nec quid sacratum in illo, sed habebant solum cellam.)
Inde casam repetebant, & accipiebant colum.
Otiosum tempus spernebant, nullum cogitantes dolum.
Sæpè veniebant probi, qui easdem confortabant,
Et munimen consilij illis pro Iesu donabant.
Hugo li Masuriers dictus, atque Nicolaus Miles
Dictus Willekins, Willelmus, & Werinus dictus Miles,
Cum Dei adiutorio dictum locum fundauerunt;
Quod habebant de proprio, hic pro Deo legauerunt:
* Vt impetrassent citiùs Cistertiensem Ordinem.
Sed passæ fuerunt priùs multam ingratitudinem.
Nam erga S. Amati Canonicos litigarunt.
Pietate nondum nota has ad litem conuocarunt,
Quia loci patronatum Canonici possidebant:
Et sic per ius sibi datum, cœnobium hic nolebant.
Vnus tamen inter illos prędictarum ius seruabat;
Et vt leo leuans pilos, contra omnes decertabat.
Ille Deo notus erat, Ioannes Pucketé dictus:
Pro illis passus fuerat sæpè, tamen nunquam victus.
Freescendis priùs dicta post hæc multum passa fuit.
Baltheo virtutum cincta Romæ viam arripuit.
Bis perrexit ad Curiam formam nequiens habere.
Paucam habebat monetam, poterat nihil prębere.
Et qui nihil potest dare, non est opus in Curia.
Bonum facit variare plures, atque pecunia.
Hęc sic multas corde constans malas portauit diętas.
Pro se, cùm esset remeans, multos mouebat pietas.
Sed cùm esset huc reuersa, plures illi insultabant.
* Hanc mala gens & peruersa multotiens exprobrabant;
Dicebant, quòd nullo modo hoc staret monasterium:
Et sic erat communis vox Clericorum & ciuium.
Hoc referebant aliqui pro pauca possessione:
Exspectare nesciebant auxilium veri Ionæ.
Episcopus tunc temporis ipsemet illud volebat
Pro compassione cordis, non tamen illud sperabat.
Sed confidentes in Deo non timebant paupertatem.
Exorabant corde vero indiuisam Trinitatem:
Desiderabant admitti ad pœnas & ad laborem,
Per quæ possent adipisci regni superni rectorem.

* Videretur reponendum orabant, si locus hic esset editioni.

C

* huic.

D

A

Sic fuerunt per plurimos annos, sed nescio summam:
Virgini dixerunt hymnos, quæ prolem protulit summam.
Sed post temporis spatium breue hos remunerauit
Prece sua. Capitulum Pneuma Sanctum illustrauit.
Nam quatuor probi dicti litem in pacem verterunt,
Et vtramque partem illi in pace restituerunt.
Exinde fiunt litteræ ob bonam efficaciam,
Quæ de pacis qualitate veram ferunt notitiam.
Cùm hæc fierent benignè, exultantes orauerunt,
Et matri lucis diuinæ laudis salutem dederunt.
Hæc Freêscendis iteratò suum resumpsit baculum,
Romam adijt tertiò secum deducens famulum, B
Qui suos pannos portauit, cùm fatigaretur via.
Cardinali obuiauit, quandò fuit in Curia.
Probus erat & fidelis, & miserebatur ei.
Descendebat negotijs eius ob amorem Dei.
Enarrauit ei pacem, atque formam concordiæ.
Hanc legit chartam veracem heres misericordiæ
Et vt eam perlegerat, fideli gaudens animo,
Hanc monebat, & dicebat: Confidas in altißimo.
Post faciens scribi formam, iussit eam roborari.
*Nullus increpabat eam, * nec volebat condemnari.* * vel
C
Hęc discedens à Curia corde lęto remeauit.
Secum referebat ea, quæ multùm desiderauit.
Cùm peruenisset ad Pratum, vnde prius discesserat,
Dicens, nobis est concessum, quod quęlibet optauerat:
Dixerunt vnanimiter, ad Deum ora soluamus,
Et canamus solenniter omnes Te Deum laudamus.
Statim sumpserunt habitum Cistertiensis Ordinis,
Qui facit spernere mundum, humana iungit diuinis.
Statim fama per patriam discurrit, atque rumores.
Quærebant ad Prata viam iuuenes ac seniores.
Illæ, quæ diffamabantur, fugiebant in aurora,
Et ne per mundum fallantur, † viserunt ibi corpora. † miserũ
D
Aliquæ præcucurrerunt, vt prima loca caperent.
Illic Deo seruierunt, vt meliùs euaderent
Diem magni iudicij, quæ cunctis est per horrenda,
Et iram Dei filij, quæ plus adhuc est tremenda.
Erat locus placens valdè. omnes hîc esse captabant.
Nolebant multas sumere, mendicare dubitabant.
Hinc extra domicilium acceperunt Abbatissam:
Non tamen per scrutinium, neque commouerunt rixam.
Elysendis vocabatur. erat benè litterata.
Dominium illi datur. moribus erat ornata.

Priorissam

A *Priorissam elegerunt florentem sapientia.*
Dum viueret, habuerunt bonum in abundantia.
Diligebat hæc conuentum, multotiénsque monebat,
Pro his orare Dominum, de quibus bonis viuebat.
Tunc cœperunt à quibusdam eleemosynas rogare,
Quibus possent ecclesiam Virginis ædificare.
Instruxerunt capellulam, & suum dormitorium.
Exinde per paucam moram fecerunt refectorium.
Acceperunt Capellanum virum probum & honestum,
B *Bernardum de Waldi dictum. Consolabatur cor mæstum.*
Hic diuina celebrauit, illique confitebantur.
Tanquam pater has nutriuit: omnes hunc venerabantur.
Sic cœperunt pœnitere, & horas decantauerunt;
Ieiunarunt & fleuere; sic & Deo placuerunt.
Tenuerunt silentium, & sæpè confitebantur.

Hactenus ex Rythmo quæ pertinent ad huius Abbatiæ initia, & fundationem. Ex quo etiam hi versus, vnde tempus ædificati piorum hominum eleemosynis eius templi colligatur.

Annus incarnati Verbi millesimus ducentenus,
Atque debet addi illi numerus octauus denus,
C *Cùm instruxerunt præfati ecclesiam Genitricis*
Illius, qui paradisi suis dat regnum amicis.

QVO TEMPORE STRVCTVM FVERIT HVIVS ABBATIÆ TEMPLVM, ET DATA HVIC ANTISTITA. *In histor. ec. cles. Belg.*

Hinc igitur manifestum erroris videas Guilelmum Gazæum, qui non priùs ab his Sanctimonialibus Abbatissam delectam pronuntiat, quàm Christi annus post millesimum & trecentesimum decimus inierit: ac consequenter longè tardiùs, quàm vel Rythmus, vel Pratensium ferat traditio, velit hoc monasterium inchoatum. Quem sanè errorem inde videtur hausisse, quòd existimet Anetensem, vel Brayellensem Parthenonem, vnde prima Pratensis Antistita fuit sumpta, solùm anno Domini millesimo ducentesimo & quinquagesimo primo à Michaële Antoingij & Harnarum domino conditum. Sed in hoc quoque non leuiter ipse peccauit, quoniam diu antè id cœnobium fuit fundatum. Certissimum enim habent huius loci moniales longè altiùs originem suam esse reiiciendam. Quod vt persuadeant, duobus aliis in locis parthenonem suum priùs constitisse asserunt: ac primum hunc in Flandria fuisse constitutum: inde posteà translatum in Artesiam, & alio, quàm nunc, loco positum: post secundam denique migrationem illic sedem à maioribus suis collocatam, vbi Anetum, vel Asnayam iuxta conspicitur: priùs Brayellense, postmodum etiam Anetense monasterium nuncupatum: ac tunc præsertim Harnarum reguli Michaëlis, D eiúsque coniugis Philippæ expertas se munificentiam. Notat alicubi Franciscus Barius ad millesimum ducentesimum & tertium partæ salutis annum referenda huius Parthenonis initia. Et vix dubitem etiam vlteriùs proiicere, ob tam varias locorum mutationes. Certè quod nuper ex Archiuo huius Abbatiæ sacri diplomatis exemplar accepi, meam prorsus sententiam confirmat. Id verò tale est.

Hugo Dei miseratione Abbas S. Petri Gandensis, totúsque eiusdem loci Conuentus vniuersis Christi fidelibus, ad quos litteræ istæ peruenerint in perpetuum. Omnibus vobis notum esse volumus, quòd domina Ada nobilis matrona de Harnes, Constabularia Flandrensis, crebris & humilibus à nobis postulationibus impetrauit, vt in loco, qui dicitur Braelle iuxta Crucem de Sobry mansionem ad colligendas religiosas mulieres, capellam ad ministrandum Deo, ab omni subiectionis ligamine absolutam, quantum ad nos, de assensu & permissione nostra construere liceret; & inter cetera precibus suis

 impleuit,

A * forsan impetrauit.

* *impleuit, vt ab omni decimatione, quæ nos infra ambitum eiusdem mansionis contingeret, & a portione, quæ nobis ad prædictam capellam in oblationibus peruenire deberet, domum illam liberam, & exemptam esse sustineremus. &c. Nos itaque pium prædictæ matronæ propositum nullatenus infirmare, sed promouere & corroborare cupientes, sicut in præsenti carta continetur, benignè concedimus, & sigilli nostri auctoritate confirmamus. Actum anno Domini millesimo centesimo nonagesimo sexto.*

Iam ad rem nostram quod attinet plus etiam ætatis Pratensi cœnobio, quam suo Marquettenses virgines tribuunt: quibus tamen Ioanna Flandriæ Princeps anno 1225. vel 1226. struere cœpit, ex quorumdam sententia, phrontisterium. Ad hæc numerus Abbatissarum, quas triginta fuisse comperio, plus temporis, quàm Gazæus assignat, sibi vendicat: cùm præsertim earum aliquæ diuturnum gesserint Magistratum, vnàque tantùm has superent Marquettenses, vt sit verisimile non diu post ædificatam ædem è Braëllensi monasterio virgines antistitam vocasse. Verum ista de huius parthenonis exordiis & fundatione sufficiant. B Nunc ad loci mutationem procedamus, eámque partim ex diplomate Mariæ Burgundicæ, partim ex monumentis Pratensibus lectorum oculis subiiciamus. Quas Maria litteras Gallicè scripsit, eæ causam deiecti veteris monasterij, & necessariæ Monialium in vrbem Duacensem transmigrationis aperiunt, deinde nonnulla Virginibus impertiuntur. Has ita sermone Latino vestiuit Franciscus Barius.

HVIVS PARTHENONIS IN VRBEM DVACENSEM TRANSLATIO.

Maria Dei gratia Ducissa Burgundiæ, Lemburgij, Luxemburgij, & Gueldriæ; Comitissa Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ, Palatina Hannoniæ, *Hollandiæ, Zelandiæ, Namurciæ, Zutphêniæ, Marchisa Sacri Imperij; Heroina Frisiæ, Salinæ, & Methliniæ, omnibus has litteras visuris salutem. Cùm ob factiones, & calamitates belli in hac regione grassantis, ac Comitatu Artesiæ, atque in cæteris ditionis nostræ prouinciis, prouidendum nobis sit,* C *ne quid detrimenti capiat* Duacena *vrbs nostra, & nostri fidi amici subditi, si fortasse hostes oppidum illud obsidione cingerent; denique ad maiorem totius territorij tuitionem; habito super hac re maturo iudicio, in maius commodum ipsius oppidi, vicinorúmque locorum vtilitatem, claustrum, infirmaria, atque septa totius monasterij dominæ nostræ Pratensis, ordinis Cisterciensis, siti apud Duacum, (quod fundatum, atque humano commercio à nostris maioribus Comitibus, & Comitissis Flandriæ exemptum fuerat) solo æquata fuerint: & si iste persistat tumultus bellicus, atque deuastatio hostilis; necesse erit, etiam templum dictæ Abbatiæ diruere, præsertim etiam nunc cùm eò redactum sit, vt sanctimoniales ceterique ecclesiæ ministri ibi non queant commodè habitare, atque horarias preces persoluere; vnde ipsi monasterij locus planè desertus relinquitur: eam ob rem æquũ est, ac diuino honori omnino congruũ, quò pensũ horariarum precum ab ipsis sanctimonialibus indies absoluatur, vt eis de alio loco & habitatione prouideamus. Notum itaque sit omnibus, quòd nos volentes, ac desiderantes, vt diuinum obsequium continuetur, magisque augeatur, quàm ex parte minuatur, sicque & nos & nostri successores piarũ precum & orationum, quæ ibidem ad Deũ fundentur, ab ipsis* D *monialibus, simus participes: atque super hac re habito consilio intimorum ac fidelissimorum amicorum,* Herois *Fiennensis consanguinei nostri, atque* Petri de la Vacquerie *subpræfecti nostri Gubernatoris Insularum atque Duacensis; nos, inquam, proprio motu, ac scientia atque auctoritate, liberâque potestate, supradictis Religiosis, earúmque deinceps successoribus concessimus, & tradidimus, atque hisce præsentibus concedimus ac damus locum, seu territorium Beghinarum, domúmque hospitalem, ædificia, ac denique integrum circuitum, atque territorium totius Beghinarij; quod situm est in ambitu, ac septis oppidi nostri Duaceni, vocántque* Camp florij.i. *campum floridum. Hunc itaque locum ac hospitale Beghinarum, fundum, ac proprietatem omnem, vti nunc extenditur, ac clauditur, ita vt nihil omnino dematur, aut excipiatur ex omnibus chartis, priuilegijs, iuribus reditibus, possessionibus, annuísque pensionibus ad dictum Xenodochium & Beghinarium pertinentibus, in quibuscunque locis consistant, ab omni humano iure libera, vel non libera; hæc, inquam omnia etiam nunc tradimus; atque per traditionem harum præsentium in possessionem inducimus atque collocamus supradictas Abbatissam & Moniales, vt ipsæ, earúmque successores ac ministri ecclesiæ ipsarum hæreditariè possideant perpetuò, & in æternum; vtque ibidem*

consistant,

A *consistant, habitent, ædificent, diuinúmque peragant seruitium, ac reliquum vitæ illic*
peragant cum omni pietate & religione iuxta præscriptum ordinis illarum. Insuper nostram
augentes gratiam, ad perpetuam rei memoriam, ac in compensationem ac remunerationem
dictæ vastationis; volumus, vt nomen Beghinarum & Campi Floridi ipsarum illic
omnino abrogetur, ac exstinguatur, atque in præsentiarum abrogamus; ac volumus, vt in
posterum vocetur locus, ecclesia & Abbatia nostræ dominæ à Pratis, in vtilitatem dicti mo-
nisterij, & ipsarum Abbatissæ & Monialium. Hæc vt constitueremus, nos mouit ipsius
Abbatiæ prioris deiectio. Ad hæc concessimus, & concedimus, in fauorem dicti obsequi, &
ipsarum Monialium, in augmentum nominati loci recèns erecti, vt suprà dictum est, vt om-
nes earum agri, possessiones, redditus, pensiones, vsus, priuilegia, iura, asyla, dominia, liber-
tates, quibus gauaent; & quæ ad eas spectabant, ipso die vastationis, sub titulo prædictæ
Abbatiæ suæ, aut aliàs quocunque modo, & cuiussuis respectu, aut ad quæuis loca spectent,
B *aut comprehendantur, cum omnibus iuribus & appendicijs, ea, inquam omnia ipsæ Moniales*
accipiant, vtantur, percipiant, atque recipiant; vel per suos commissarios, vel officiales reci-
pienda procurent, fines, redditus, & pensiones, in commodum & vtilitatem ipsarum ac eccle-
siæ nouæ earumdem, ac loci; vna cum redditibus ac possessionibus, fundis, proprietate, aliisque
rebus, quæ ante hanc remunerationem debebantur dicto loco Beghinarum: atque hæc omnia
in vno collocamus, liberáque ab omni iure humano etiam nunc reddimus, nunc pro tunc, &
tunc pro nunc, ad vsumfructum & vtilitatem ipsius ecclesiæ, supradictarúmque Religiosa-
rum, ac eis succedentium. Volumus itaque, vt hæc omnia ipsis cedant, tanquam in ius eccle-
siæ, vtque res Deo dicata, & ipsi ecclesiæ: atque hoc ius emortui mancipij ex omni parte, &
quam commodissimè fieri poterit, atque in maiorem earum vtilitatem ipsius nouellæ ecclesiæ
à Pratis, volumus, ac promittimus, ratum habere, & vt ratum firmúmque executioni man-
dare in perpetuum sine vlla iniuria. Insuper præter hæc, quæ dicta sunt, volumus, ac damus
facultatem ac licentiam ipsis Abbatissæ *ac* Religiosis, *vt veniant in nouam suam Abba-*
C *tiam & ecclesiam, sortituræ ibidem sedem suam habitationémque in perpetuum. Itémque ru-*
dera, ruinæ, materia, ædificia, supellex aliæque res superioris templi, ac loci vastati, cedant in
earum vtilitatem, vt conuertantur, & applicentur, & accommodentur loco nouello, aliisque
ædificiis ac restitutioni, operibúsque necessarijs & vtilibus erigendæ habitationis, atque au-
gendæ nouæ ecclesiæ, & loci. Attamen ipsis Beghinis, quæ ibidem resident in præsentiarum,
liberum erit illic permanere & consistere; quibus suppeditabuntur alimenta more solito,
quamdiu duntaxat superstites erunt. In posterum autem nullæ nouæ admittentur Beghinæ;
sed vnaquaque moriente, eius præbenda ad Monialium Cisterciensium vtilitatem conuerte-
tur; Saluo etiam iure parochiæ, quale iure cum ratione coniuncto debeatur; ea etiam condi-
tione, vt obligentur suis expensis sanctimoniales Cistercienses prosequi ac obtinere à Sede
Apostolica, & alijs, ad quos spectat, suæ ecclesiæ translationem: Insuper infra annum proxi-
mè venturum, à Patre Abbate *suo reformari, includi, constringi, atque omninò à cæterorum*
hominum contubernio separari, exceptis iis, qui sunt suæ ecclesiæ, ac monasterij, obligentur.
Ipsam verò Abbatiam, ecclesiam, Abbatissam, Sanctimoniales, officiales, familiares, villi-
cos, domus, agros, possessiones, ac quæcumque bona sub nostra protectione ac tuitione speciali
accipimus & collocamus vna cum eorum personis, & conseruatione iurium ipsorum &c. In
D *quorum omnium testimonium iussimus sigillum nostrum his litteris appendi datis in Bru-*
gensi nostra ciuitate 12. die Aprilis *anno gratiæ millesimo quadringentesimo septuagesimo*
septimo post diem Pascha.

Postquam hoc diploma in manus Antistitæ peruenit eáque præsentibus Fiennarum regulo Gallo flandriæ Præfecto, & Laudensi Abbate in concessorum sibi locorum ac fundorum possessionem inducta est; eò curam ipsa contulit & laborem, vt suæ & monialium habitationi opportuna diligenter omnia compararet; ac eodem anno pridie Pentecostes supplici pompa, cœtum suum eò deduxit D. Huberto Koncimo, qui à confessionibus erat, venerabile Christi corpus gestante. Ab eo tempore ientim id cœnobium singulis ferè Abbatissis aliquid vel ad structionem, vel ad splendorem adiicientibus; in hodiernam excreuit amplitudinem ac pulchritudinem.

 A

Abbatiam Reclinatorij B. Virginis, seu Marquettensem, quis fundauerit: quibus ea priuilegijs gaudeat.

CAPVT XXX.



NOMEN HVIVS PARTHENONIS; OC monasterium, vt pleraque docent Ioannæ Flandriarum Principis diplomata: nomen induit Reclinatorij B. Virginis Mariæ: quasi hæc sanctissima Dei parens inter sacros virginum cœtus iucundam illic quietem carpere optauerit. Et quemadmodum à nobilissimis hominibus originem ducit, ita non modò priuilegiis ab Regibus Franciæ, & Flandriæ Comitibus concessis fruitur, verùm etiam ab Summis Pontificibus Romanis multa sibi gaudet indulta. FVNDATORES. Vt ab Ferrando & Ioanna Flandriæ Principibus, ac piissimis coniugibus initium huius Parthenonis arcessam, ipsa me Ioanna suis litteris impellit, quarum aliquas posteà producam in medium. INITIA. Condi cœptum dotatúmque anno 1230. putat Iacobus Meierus his verbis: *Fundatum ab Ioanna principe monasterium apud Marketam iuxta Insulam.* Lib. 8. Annal. Fland. an. 1230. Contrà Chronicon Clarimariscense ad vigesimum quintum supra millesimum & ducentesimum annum huius loci primordia reuocat. Laudensium monachorum & Marquettensium virginum traditio hanc fundationem anno 1226. tribuit. Ego non dubitem paullò superiùs Parthenonis tam nobilis initia referre. Quod enim antè notauimus, in Marquani pagi finibus cœptum fuit hoc monasterium ad viam Cortracensem eo in loco, quem olim veterem Curtem nuncupabant, & cuius meminit Ioanna in litteris infrà proferendis. Aliquot autem illic annos sanctimoniales consedisse, constans est vox omnium, qui Marquettanas res scrutati sunt. Quod illic multum tumultus ob viam propinquam paterentur virgines, alia de sede comparanda conditores egere. C Ea fuit, vbi nunc monasterium cernitur, quam 1227. Christi anno per commutationem à Laudensibus impetrauere, vt hæc testantur litteræ.

Fernandus Dei gratia Flandriæ & Hainoniæ Comes, & Ioanna Comitissa vxor eius, omnibus præsentem paginam inspecturis in Domino salutem. Vestræ notum facimus vniuersitati, nos pari voto ob animarum nostrarum conquirendam salutem excambiasse Abbati & conuentui ecclesiæ B. Mariæ de Laude partem redditus, quem habemus infra Hayam, quæ vocatur ab antiquo Haya Comitis, pro curte, quam habebant apud Markette, sita iuxta Insulam, continente quadraginta bonneria septem quarterones minùs in terra arabili, pratis, & situ loci eiusdem, molendino venti, & ædificijs curtis eiusdem &c. Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo septimo &c. Igitur, vt hinc vides, vix natum fuerat prius monasterium (siue anno 1226. siue 1225. aut etiam paullo superiori ætati incunabula eius attribuantur) cùm de loci mutatione capta sunt consilia, eáque facta est permutatio. Id autem propiùs ad veritatem accedit, quod Marquettanæ virgines tradunt; aliquamdiu post eam noui loci comparationem adhuc in veteri Curte sessitatum fuisse, donec ea, quæ Ioanna moliebatur, ædificia perficerentur. D Non potuisse autem id tempus vltra Domini annum 1236. ex Ioannæ verbis hoc anno scriptis deprehendo, quæ talia sunt: *Sciant ergò tam posteri, quàm moderni, quòd prædictus Dominus Comes, & nos locum, vbi fundatum est ipsum monasterium, acquisiuimus, & locum, vbi sita est vetus Curtis &c.* Hic enim expressè Ioanna significat, iam tum Parthenonem ex veteri Curte in sedem hodiernam translatum fuisse.

Hoc verò monasterium multis admodum priuilegiis, & diplomatibus nobilitatum esse conspicio, è quibus hic aliqua duxi proponenda. Ab iis litteris incipiam, quibus Ioanna suæ liberalitatis testimonium perhibet, eáque simul confirmat, quæ vel emptione, vel aliorum dono eiusdem Parthenonis possessionibus accessere. Sic autem hæc loquuntur:

A

Diploma Ioan. Comit. Fland pro Marquettano Monasterio.

Vniuersis presentem paginam inspecturis I. Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, Salutem in Domino. Ne processu temporis rei gestæ veritas occultetur, expedit gestorum seriem scripturæ committere, quæ posteris ipsorum notitiam repræsentet. Nouerint ergò vniuersi, quòd bonæ memoriæ F quondam dominus & maritus noster Flandriæ & Hanoniæ Comes, & nos pro nostrarum & antecessorum ac successorum nostrorum salute, quoddam iuxta Insulam monasterium inchoauimus, quod Reclinatorium B. Virginis appellatur, & ad prouisionem religiosarum mulierum ibidem sub habitu regulari Cistertiensis Ordinis suo seruientium creatori possessiones, & terras, & redditus, & alia in eleemosy*

B

nam dictus dominus Comes & nos dedimus, & assignauimus ipsi monasterio, quæ pariter præsenti pagina conscribi fecimus, licet alibi diuersis chartis & litteris sint contenta: quędam alia per donationem factam ab alijs, & per emptionem seu alio modo iam dicto monasterio acquisita præsentibus inseri facientes.

Sciant ergo tam posteri, quàm moderni, quòd prędictus Dominus Comes & nos locum, vbi fundatum est ipsum monasterium, acquisiuimus, & locum, vbi sita est vetus curtis, quæ loca cum suis curtibus iustitia sęculari penitùs eximentes plenæ dedimus libertati. I.

Dedimus etiam in eleemosynam ipsi monasterio tredecim modios auenæ de decima, qui solui solebant ad breuia spicarij Insulensis, annis singulis quietè & II.

C

liberè capiendos.

*Dedimus pręstereà in eleemosynam ipsi monasterio vnum * lastalechium, quod singulis annis in festo S. Martini debet accipere apud Mardic.* III.

*Prę ter hæc dedimus in eleemosynam monasterio prætaxato decem modios frumenti redditus annualis ad mensuram Insulensem: quinque videlicet in festo Sanctorum omnium, & quinque alios ad * brandones apud Insulam annis singulis exsoluendos: ad quorum solutionem Petrus de Maisnilio & ipsius heres tenetur pro molendinis de Houpelines, quæ domino Petro de Maisnilio quondam patri ipsius in augmentum sui feodi, quod tenet prædictus P. de nobis, ipse Comes & nos duximus concedenda sæpefato monasterio in ipsis molendinis à nobis priùs iure concesso; propter quod præscripti decem modij frumenti ipsi monasterio solui debent. Itaque si dictus Petrus, vel heres ipsius eundem redditum terminis non redderent assignatis, nos ipsum redditum ad opus ipsius ecclesiæ .... agitare tenemur per eas leges, per quas solent talia fieri in Castellania Insulensi; & ad omnia, quæ idem Petrus & eius heres tenet de nobis, propter hoc trahere possumus & debemus.* IV.

*hæc vox ... andrica ...it, onus, ... sarcinam signi... Hic ... hale ... co... poni... quæ ... ita, vt ... minimũ, ... quatuor ... et à ... prima ... adra... malis ... naij ... odo... da, cu... prima ... sub ... vesperum ... bran... dicibus, id est, fa... cibus ac... censis fe... ... lo... Insu... & ali...

Prætereà cùm Ægidius de Querceto miles decimam de Bersees, quam à nobis V.

D

tenebat in feodum S. vxore sua consentiente coram dicto domino Comite, & nobis per iudicium hominum nostrorum legitimè resignasset, dato eis à nobis ad commodum & voluntatem ipsorum apud .... iuxta portam de Insula in auena & nummis ex cambio competenti, decimam ipsam à iure feodali exemptam, & qualibet iustitia sæculari, monasterio dedimus antedicto liberè & pacificè perpetuò possidendam.

Item dominus Laurentius de Hispania miles iam dicto monasterio in perpetuam eleemosynam contulit & concessit vnum modium frumenti ad mensuram VI.

Insulensem,

Insulensem, quem ad terram suam de Dunckam domino Comite & nobis consentientibus assignauit in festo S. Remigij annis singulis persoluendam. Cùm verò ipso domino Laurentio religionem ingresso ad nos redierit ipsa terra, nos præscriptam eleemosynam approbamus. A

VII. *Preterea dictus* Comes *& nos dedimus eidem monasterio de moro nostro iacente inter Bodelo &* Arteueldæ *vndecim bonaria ad frontem à superiori tam longè, quàm idem extenditur noster * morus, pacificè perpetuò possidenda; volentes vt illam frontem terræ, quæ iacet inter eundem morum, & aquam adeò sicuti morus est, largam, hanc vsque ad * filum aquæ, per quod nauigium ducitur, vt idem morus competentiùs vacuetur.*

*nomen hoc è Teutonica lingua deductum, qua palus Moer dicitur. vnde Morini, quod partim ad paludes habitarent: & apud Anselmum Gemblac. Comes & Comitatus Flãdriæ Morinorum dicitur, quod in huius parte essent Morini.

* phrasi Gallica dictum. Galli enim cursum aquæ rectum *fil de l'eau* nominant.

Item sæpè dictus dominus Comes *& nos ducenta & sexaginta bonaria terræ in nemore de Niepa iacentia contulimus in eleemosynam ecclesiæ prælibatæ quietè & liberè perpetuò possidenda.* B

Preterea dominus Walterus *de Vormesieles miles pro sua & vxoris eiusdem ac antecessorum suorum remedio animarum memorato monasterio in puram & perpetuam eleemosynam contulit, & concessit vnum modium frumenti ad men-*

VIII. *suram Insulensem singulis annis de paratioribus redditibus, quos habet ex suis*

IX. *hospitibus apud Armentiers in festo omnium Sanctorum liberè capiendum: & vt tam ab ipso, quàm à suis successoribus, & alijs quibuscumque hæc donatio firmiter obseruetur, suas inde patentes litteras monasterio contulit antedicto.*

XI. *Preterea cùm dominus* Galterus *de Geslam miles dominus de Bleki de assensu & voluntate vxoris suæ & heredum suorum decimam, quam tenebat in parochia de Bleki domino* Waltero *de Fontanis militi de assensu Abbatis & ecclesiæ S. Gisloni, quæ in dicta parochia ius obtinet patronatus, ab omni iure feodali exemptam legitimè vendidisset, & ipse dominus* Walterus *de Fontanis dictam decimam in manus* Reuerendi Patris *G. Cameracensis Episcopi Diocesani loci, vbi ipsa decima percipitur, resignasset, idem dominus Episcopus decimam ipsam prælibato contulit & concessit quietè & liberè perpetuò possidendam.* C

XII. *Item dominus* Ghilelmus *de* Haueskerca *miles, & Mathildis vxor ipsius viginti bonaria terræ iacentia iuxta domum eorum de Estainbecha, quæ nos dederamus eisdem, de assensu nostro sæpè fato monasterio in puram & perpetuam eleemosynam concesserunt post decessum eorum liberè & pacificè possidenda, si de carne sua heredem legitimum ipsos contingeret non habere.*

XIII. *Preter hæc* Hugo *miles dominus de Spineto vendidit ecclesiæ prælibatæ totum suum allodium, & quidquid habebat apud* Hyrechonwes, *excepta decima vendita ecclesiæ de Gislenghien. Vendidit etiam eidem ecclesiæ triginta bonaria terræ arabilis, & in bonaria triginta sex terræ totum terragium ad septimam glebam, quinquaginta capones, centum solidos in denatas, dimidium bonarium parti, & dimidium agricolæ; decem modios auenæ ad mensuram de montibus, decem & octo hospites, & de singulis istis hospitibus * catallum meliorem ad mortem, & duos solidos de releuio, & iura quædam alia in his hospitibus, & rebus alijs: hæc prædicta vendidit dictus miles ecclesiæ memoratæ, & tanquam proprium allodium eidem ecclesiæ garandire tenetur. quæ omnia vxore sua præsente, & spontaneum adhibente consensum, in manus Abbatissæ ipsius ecclesiæ liberè resignauit* D

* vox Gallobelgica pro supellectili. dicunt enim Gallobelgæ *Catteil.*

sub

A *sub testimonio virorum nobilium iudicantium hęc legitimè scripta esse ad securitatem maiorem ipsi ecclesiæ dans suas litteras cum sui appensione sigilli.*

Item dominus Eustachius de Wanebrechies miles bene & legitimè vendidit ecclesiæ supradictæ triginta & vnam & dimidiam raserias auenę, duodecim capones, viginti duos denarios Flandrię monetæ annui redditus, quę debebat ei Maria relicta Henrici de Becha de terra iacente iuxta Becham. hęc autem vendidit de consensu Nicolai de Willerual domini sui, de quo tenebat in feodum supradicta, eiusdem Nicolai hominibus iudicantibus hanc venditionem legitimè factam esse. Cùm verò dominus Eustachius pręscripta omnia in manus ipsius Nicolai domini sui ad opus prænominatæ ecclesiæ resignasset, ipse Nicolaus hæc eadem in manus bonæ memoriæ quondam domini & mariti nostri liberè resignauit, quæ B *omnia dominus Comes prætaxatæ ecclesiæ contulit pacificè & liberè perpetuò possidenda, nobis consensum præstantibus omnibus supradictis.* XIV.

Ad hæc cùm Ioannes de Bondues miles de assensu nostro in pręsentia nostrorum hominum, & per iudicium eorumdem dicto monasterio legitimè vendidisset circiter quadraginta bonaria terræ de feodo, quem tenebat à nobis, iacentia in parochia de Bondues, de quibus prouenire solebant annui redditus ad valorem quinque modiorum frumenti, & nouem modiorum auenæ; & terram illam cum omni iure quod habebat in ea in hospitibus & in aliis, in manus Comitis ad vsus dicti monasterij reportasset; terram eandem ab omni iure feodali penitùs absolutam præscripto monasterio dedimus perpetuò liberè & pacificè possidendam, nostris hominibus iudicantibus, quòd prædicta omnia benè & legitimè facta erant. XV.

C *Item Robertus de Tebo le becke & vxor eius sæpè fato monasterio legitimè venditerũt quemdam redditum valentem circiter quadraginta raserias auenæ, & in denariis & caponibus, ouis, angariis, & quadam minuta decima ad valorem circiter quadraginta octo solidorum. Dictus verò Robertus præscriptum redditum, & quidquid iuris habebat in eo, vel in terris ad eundem redditum pertinentibus, in manus domini Stephani de Mareschel militis reportauit quæ cùm ipse Stephanus de assensu vxoris suæ, ratione cuius in manus ipsius Stephani dicta reportatio facta erat, in manus Ægidij de Querceto militis reportasset, idem Ægidius in manus dicti Comitis eadem ad opus dicti monasterij reportauit. Ipse verò dominus Comes de nostro assensu dictum redditum, & terras ad eundem redditum pertinentes, à iure feodali penitùs absolutos præfato monasterio contulit in* D *perpetuum liberè & pacificè possidendos.* XVI.

* ageret. *Prętereà cùm bonæ memoriæ Willelmus de Dampetra * ageretur in extremis, ipse & charissima soror nostra M. domina de Dampetra vxor ipsius dederunt in eleemosynam ecclesiæ suprà dictæ tres modios frumenti, & sex modios auenæ ad mensuram Duacensem de redditu annuali, ad opus vnius Capellani, de quo sibi ipsa ecclesia prouidebit. dicta verò charissima soror nostra ipsam ecclesiam de dicto redditu assignauit ad Maiorissam de Orchies, & heredes ipsius, quæ in eodem redditu ipsi dominæ de Dampetra pro sua decima de Orchies annis singulis tenebatur: super quibus suas litteras ecclesiæ contulit antedictæ Reuerendo Patre W. Dei gratia Episcopo Tornacensi in hiis suum adhibente consensum.* XVII.

Item dominus Sigerus de Curtraco miles legitimè vendidit monasterio prænominato XVIII.

minato redditum quinquaginta rasieriarum auenæ, quem Ioannes de Gauera & fratres eius ipsi debebant militi super quamdam decimam iacentem in eodem territorio de Gauera. Idem etiam miles legitimè vendidit eidem monasterio redditũ sex librarum, quem ei debebat Sigerus præpositus ex ponte de Ferlenghien. sæpè dictus verò dominus Comes & nos pietatis obtentu vtramque venditionem gratam habentes præscriptos redditus in manus nostras legitimè resignatas, quitas à iure feodali clamauimus, ipsos, dicto monasterio concedentes perpetuò liberè & pacificè possidendos. A

XIX. *Preterea Walterus filius & heres Lennoti de Gandauo, & vxor eius viuente & cõsentiente bonæ memoriæ F. quõdam domino & marito nostro prenominatæ ecclesiæ legitimè vendiderunt quinquaginta bonaria wastine, & sexdecim bonaria mori iacentia iuxta quamdam curtem S. Petri de Gandauo, quæ vocatur Wachzbecke, & mansionem ibidem constructam; in quibus dictus W. præmisso successerat patri suo, cui à felicis recordationis B. quondam patre nostro Flandriæ & Hannoniæ Comite in feodum concessa fuerant supradicta: quæ cùm dictus Walterus ad vsus prædictæ ecclesiæ sua consentiente vxore liberè werpiuisset nostris hominibus iudicantibus, quòd ipsa venditio & werpitio legitimè facta erat, & quòd ipse vel heres eorum nullum in eis de cetero ius habebant, præassignatæ ecclesiæ concessimus libera ab omni iustitia feodali, & sine omni onere vel seruitio, aut redditu nobis debito, pacificè perpetuò possidenda.* B

XX. *Item dominus Hellinus de Senghin miles homo noster assensu & laudamento Petri primogeniti filij & heredis sui, vẽdidit & werpiuit ecclesiæ sæpiùs nominatæ totam terram, quam de Gerardo de Ruspelli milite apud Gorghenes tenebat in feodum de feodo, qui descendit de nobis, quã cùm in manus dicti G. ad opus ipsius ecclesiæ reportasset, idem Gerardus in his liberè consentiens terram ipsam ecclesiæ reddidit antedictæ ab omni iure feodali, & dominio temporali exemptam, nostris hominibus à dicto G. propter hoc euocatis, cùm sufficientes ad hoc homines non haberet pro iure dicentibus, quòd præfata ecclesia terram ipsam benè & legitimè possidebat, & quòd dictus Hellinus in ea nihil poterat reclamare, nec sui in posterum successores. Nos siquidem in præmissis nostrorum adhibentes consensum eadem duximus approbanda.* C

XXI. *Ad hæc cùm post decessũ piæ memoriæ prædicti domini & mariti nostri essemus in pleno & libero dominio terræ nostræ volẽtes in posterũ Abbatissam & moniales ecclesiæ suprà dictæ maiori pace & libertate gaudere, eis in perpetuam eleemosynam liberaliter cõcessimus, vt per totam terrã potestatis nostræ eant & redeant, ducant & reducant res suas, emant & vendant ad vsus suos proprios per se & familias suas tã in nũdinis, quàm extra absque omni exactione Winagij, passagij, rotagij, thelonei, ponderationis, & huiusmodi cõsuetudinum: nec pro his ab eis, vel nũcijs earum aliquid exigatur. Et insuper molendina, quæ habent, vel habebũt in terra, vel dominio nostro, libera sint similiter ab omnibus consuetudinibus tam de ferris molendinorum accipiendis, quàm de alijs quibuscumque angarijs, quantum pertinet ad ius nostrũ, vel dominium, quæ in talibus cõsueuimus facere vel habere. Volumus insuper, & per testimonium huius chartæ concedimus, vt prædicta ecclesia in omnibus pascuis communibus, & vsuagijs, siue aisancijs terræ nostræ,* D

vbi

A *vbi ipsa ecclesia curtes habuerit, vel nutrimenta habeat, vsuagia & aisancias suas, sicut aliæ communitates locorum ipsorum; nec possint in his ab aliquibus impediri, hoc saluo, quòd si nos, vel aliquis heredum nostrorum vellemus aliquid de pasturis communibus, vel nemoribus ad vsum nostrum proprium conuertere, vel alio modo nostram facere voluntatem, non possimus occasione concessionis istius ab ipsa ecclesia impediri, quin nostram possimus de talibus, sicut priùs, facere voluntatem: & ad hęc omnia firmiter obseruanda, nostri erunt heredes adstricti.*

Item cum à Iacobo Putepiece decimam quandam sitam in territorio de Armentieres, quam de nobis tenebat in feodum, benè & legitimè emissemus per nostros homines pares ipsius Iacobi, facto iudicio, quòd ipsa venditio legitimè facta erat, ita quòd idem Iacobus, vel heres ipsius nihil in ea de cetero poterat reclamare: Nos eandem decimam à iure feodali, & temporali dominio penitùs eximentes ipsam decimam dedimus & assignauimus in eleemosynam ecclesiæ supradictę in perpetuum liberè & pacificè possidendam. XXII. B

Pręthereà nos videntes quòd seruitium Dei per eius gratias in dicto recipiebat monasterio laudabile incrementũ, cùm ibi multæ religiosæ & nobiles honoribus abiectis mundialibus & diuitijs, se iugo deuotè subijcerent regulari, regi regum iugiter seruituræ: pro nostræ ac felicis memoriæ prędicti domini & mariti nostri, & antecessorũ ac successorum nostrorum animarũ salute, ab ipso domino Comite & à nobis hoc eodem dudũ dispósito nomine testamenti, dedimus & assignauimus in eleemosynam ecclesiæ sępè fatæ redditus, qui inferiùs exprimuntur, videlicet in Castellania Brugensi, mille & ducentos . . . . auenæ, quadringentos sexaginta tres agnos, centum & octo pensas casei, & totum redditũ denariorum ad nos in dicta Castellania pertinentem, qui quondã ad Castellanũ pertinere solebat. In villa quoque de Withebruech quindecim libras Flandrenses, & totum nostrum redditũ auenæ, exceptis centũ & sexaginta . . . . . auenæ, quos ibidem monialibus de bello prato duximus concedendos. XXIII. C

Assignauimus pręthereà præfatæ ecclesiæ de Reclinatorio B. V. terrã quandam cum quodam prato iacentem iuxta domũ nostram de Insula, quæ terra cum prato vinea appellatur. horum verò donationes fecimus eo modo, quòd ipsa ecclesia ad ea teneatur reddenda, ad quæ tenebamur eis, qui ius habebant aliquod in prædictis. XXIV.

Item cùm dictus Comes & nos terrã illam cũ appendicijs suis, quæ versus mare iacet vltra diccum illum, qui fuit, & est vltra terram quandam Andreæ Baillliui nostri, intra quã terrã videlicet illa terra, quæ Caluekinscura dicitur, ad diccandum in eleemosynam dedissemus, nos pietatis intuitu ipsi donationi volentes addicere, dedimus & concessimus in eleemosynam ecclesiæ supradictæ totam terram nõdum diccatam à loco qui nomine ipsius ecclesiæ diccatus est, vsque ad locũ illum, qui appellatur la pescure, & quidquid diccari potest, ac poterit, & acquiri versus villam d'Arbemborch, in totum, quod ibidem habemus, eidem ecclesiæ plenariè concedentes, vt diccet quidquid poterit, & acquirat, ab ea quietè & pacificè perpetuò possidendam, nobis tamen & nostris successoribus iustitia remanente. XXV. D

Ad opus quoque vnius hospitalis, quod infra ambitum eiusdem monasterij inchoauimus, ducentarum librarum redditus in eleemosynam cõtulimus, monasterio sępedicto in vsus pauperum infirmorum in eodem hospitali decũbentium sumendos annuatim de paratioribus prouentibus ad Breuia nostra Insulensia pertinentibus. XXVI.

Ad opus etiam duorum Capellanorum in eodem hospitali perpetuò seruientium, quadraginta librarum redditus aßignauimus annuatim soluendos ad nostra Breuia de Gandauo. Nos tamen & successores nostri prędictos ducentarum librarum redditus, quos dedimus hospitali, si voluerimus, rehabere poterimus pro excambio competenti faciendo secundum ęstimationem Reuerendi Patris nostri Tornacensis Episcopi, & viri religiosi Abbatis de Laude. Ipsum verò hospitale cum omnibus ad ipsum pertinentibus semper erit membrum de corpore præfati monasterij, & in omnibus tam temporalibus, quam spiritualibus ipsius monasterij prouisione regetur: possessiones tamen vel bona, quæ à nobis, vel ab alio ipsi collata sunt, vel fuerint hospitali, non poterit ipsum monasterium suis vsibus applicare. quòd si faceret, nec desisteret, ad submonitionem Domini Tornacensis nos & successores nostri ad omnia quæ eidem contulimus, manum licitè mittere poterimus, vt sic ad vsus pauperum infirmorum illibata perpetuò conseruentur. A B

XXVII. *Conceßimus præterea ad opus hospitalis eiusdem mansum nostrum situm iuxta monasterium memoratum cum fossatis, & omnibus ædificijs lapideis vel ligneis, factis, vel faciendis, à nobis; & cum terra extra fossata, quæ videbitur necessaria ad vsus hospitalis eiusdem, prout expreßiùs ordinabimus Domino concedente. Mansum autem præscriptum cum omnibus eius appendicijs ab omni eximimus iustitia sæculari à præfato monasterio nomine hospitalis iam dicti cum libertate qualibet perpetuò poßidendum.*

XXVIII. *Nos igitur omnia, quæ scripta sunt superiùs, approbãtes, eadẽ nostris præsentibus litteris iam dictæ ecclesiæ confirmamus, nos tanquam terræ dominã obligando ad garandiam omnium præmissorũ, volentes specialiter, vt si supra, vel in nostris alijs litteris prædictæ conceßis ecclesiæ, aliqua minùs plenè dicta fuerint, vel obscurè; semper in dubijs fiat interpretatio pro ecclesia sæpè dicta, cùm nostræ affectionis existat, vt quæ habet ipsa ecclesia, vel est habitura, deinceps ei permaneant illibata. Dicta vero charißima soror nostra M. domina de Dãpetra omnia suprascripta fauorabiliter approbans in signum sui liberalis assensus sigillum suum duxit præsentibus apponendum. Datum anno Domini* M. CC. XXX. *sexto mense Maio.* C

Hæc igitur sunt, quę partim de condito ab se monasterio, partim de collatis ad eius dotem muneribus & possessionibus Ioanna perscripsit: quorũ occasione hîc aliquid de Ioannæ ipsius quibusdam operibus ad hunc Parthenonem spectantibus dicendũ arbitror. Cùm enim ea plurimũ voluptatis inter virgineos cœtus caperet, & magno virtutis desiderio teneretur: duo hîc facere decreuit, quorum vnum sibi; alterũ pauperibus infirmis solatio foret. Quippe domum insignem intra pomœrium Abbatiæ iuxta virginum ædificia cõstruxit, quo se frequẽns reciperet, cùm cælestibus animum rebus pascere optaret, aulæque turbis & tumultibus sese subducere. Deinde quod egenis aliqua pressis infirmitate tectũ & necessitates sufficeret, Nosocomium ibidẽ moliri occœpit. Verùm haud multò pòst & quã sibi domũ ædificauerat, monialibus ipsa cõcessit; & de sapientum hominum cõsilio Nosocomij sedem aliò transtulit. Ac domũ quidẽ virginibus donauit anno Christi 1233. mẽse Decẽbri, vt fidẽ faciunt quas tũc scripsit litteras. Et hęc forsan illud mãsum est, cuius in gratiã hospitalis virginibus donati, in recitato iam diplomate Ioanna mentionem fecit. Deinde hospitalis onere curáque monasterium liberauit tertio post anno. Eius rei testes litteras hîc profero. D

I. Flandriæ & Haynoniæ Comitissa vniuersis tam præsentibus, quàm futuris salutem. Nouerint vniuersi, quòd cùm de communi assensu charißimarum in Christo religiosarum mulierum Abbatissæ & Conuentus monasterij de Marketa Cistertiensis Ordinis, quod Reclinatorium B. Virginis appellatur, domum hospitalis pauperum infirmorum de sæculo,

quam

A *quam decreueram infra ambitum ipsius monasterij construendam, de prudentum virorum consilio fecerim extra locũ eiusdem; Abbatissã & Conuẽtum ipsius monasterij ab omni cura, & regimine hospitalis, quod in eo facere proposueram, volo esse penitus absolutas, & ab omnimodis alijs ad idem pertinentibus hospitale, cum renunciauerint redditibus & alijs, quæ sibi occasione ipsius hospitalis aßignata fuerunt & concessa. Sciendum autem quod domum meam cum fossatis eius, & omnibus appendicijs, quam fieri feci iuxta monasterium antedictum, concessi & dedi eidem monasterio absolutè & liberè; ita quod postquam decesserim, eam cum omnibus suis pertinentijs habeat & possideat perpetuò pacificè & quietè ab omni exemptam dominio temporali. In cuius rei testimonium & munimen præsentes litteras fieri fecimus, & sigilli nostri appensione muniri. Actum anno Domini* M. CC. XXX. *sexto mense Februario.* Verùm ne quis putet has litteras priùs ab Ioanna conscriptas, quam longum id diploma donationes omnes complexum dederit, quo & Nosocomium erigere decreuit, censúmque annuum ac domum suam ei attribuit: id per B transennam dicendum iudico, veteri stylo vtrobique tempus adscribi, quo constat cursum annuum à Paschate exorsos maiores nostros, vti Iacobus Meierus semper fecit: qua certè computatione eiusdem anni Februario prior est Maius.

Iam verò ad *Curtem Veterem* quod attinet, cuius his in litteris fit mentio, & quæ primam huius Parthenonis sanctimonialibus in Marquensis pagi finibus habitationem præbuit, non leuis meum subit animum dubitatio, ecquid ea fuerit significatum. Equidem certum habeo, *curtem* olim iam inde à minùs Latinæ linguæ studiosis, ac minùs tersis æui medij auctoribus, pro villa fuisse vsurpatam, tracto à chorte, quam Nonius intra maceriam villarum esse spatium ait, vocabulo. Etenim lib. capitul. 19. legitur, *& curtes nostræ remanent desertæ*; & in diplomate Hludouici: *Curtim nostram Turegum in Ducatu Alemanico*: & in S. Vendiciani pro Atrebatensi S. Mariæ ecclesia litteris à Ioanne Papa confirmatis, *Friscini curte nostra cum omnibus appendicys*: & sic alibi passim variis in diplomatibus Pontificum & Principum. Ideóque à Flodoardo scriptum fuit: *Quidam presbyter de Bononis curte: sic enim villa vocatur.* C Verum ne pro villa *curtem* hoc loco accipiamus, aliqua videntur prohibere. Etenim animaduertimus, vbi *fundum* & *veterem curtem* nominauit, Ioannam illicò subiicere: *Quæ loca cum suis curtibus*: vt maius aliquid *veteris curtis* nomine intelligendum significet. Ego sanè crediderim locum aliquem hoc innui vocabulò, in quo Ioanna interdum resederit, ibique aulam, vel palatium habuerit. Ducit eò me loquendi modus Virginum Marquettensium, quæ dum eius loci mentionem faciunt, semper *la vielle Cour* Gallicè nuncupant. Et verò interdum pro aula vel palatio *Curtis* nomen vsurpatum video. Balduinus siquidem Insulensis Flandriæ Comes quibusdam litteris à se scriptis Atrebati subiici curauit: *Actum Atrebati curte publica* (Franci dicunt: à cour ouuerte) *in capella S. Benedicti*: vt alias nunc mittam citationes. QVID FVERIT VETVS.

Quod paullò pòst de *Breuibus Spicarij Insulensis* sequitur, non paruam exigit moram, vt à nobis expendatur expliceturúe. Apud Iacobum Marchantium quæ lucem afferant, in primo Flandriæ libro hæc reperio: *Ad dominicas rationes procurandas pertinent Quæstores, siue receptatores Feudatarij Spicariæ, Vaccariæ, Lardarij, Bre-* D *uium, similiúmque Principis* (id est Flandriæ Comitis) *canonum prouentuúmque: quæ tributa sunt agrorum perpetua, & poßidenti ineuitabilia: Spicarum, hoc est frumenti, auenæque; vaccini casei, & Lardi, numorúmque, culinæ Comitis importanda.* & mox: *Hac in classe Quæstoria emicant, Præpositus D. Donatiani, ob eam dignitatem, quæ amplissimæ potentiæ est, atque hæ familiæ: Croya, Walla, Bera, Vandereyka, Vtenhoua, Zomerghemæ; ob spicarias Curtraci, Harlebecæ, Feurnæ, Dixmudæ, Ruplemondæ, Alosti: Niuernia, Claerhouta, Ghenta, ob breues, siue litteras, Lokeras, Maldeghemias, Alerias: Noyella, Burchia, Scotta, ob Lardarium Brugæ, Feurnæ, Bergæ: Lanrina, ob vaccariam Feurnensem.* Igitur, vt vides, *Spicarium*, vel *Spicaria*, certus est reditus Flandriæ Comiti frumentum & auenam ex agris in panem, & equorum pabula subministrans, à spicis formato nomine: ac nunc intelligis, huiusmodi reditus non modò iis ab vrbibus collectos, quas Marchantius enumerat; verùm etiam ab Insula; quandoquidem *Insulense Spicarium* hîc nominat Ioanna. De *Breuibus* hæc accipe. *Breue,* QVID BREVIA, ET SPICARIVM?

ſeu *Breuis*, ſcriptura dicitur paruam ſummam rerum continens, ſiue commentariolus, vt Budęo in Pandectas ſcribenti placuit. Item quælibet breuis ſcriptura poteſt etiam *Breue* vocari c. humanæ in fine, 22. quæſt. 5. Vnde ſcripturam continentem modiorum ſalis numerum, & quantitatem breui conſcriptam *Breuet* vocant ordinaria Regia, vt notat Pet. Rebuff. Prax. benefic. p. 3. tit. de Breui Apoſt. & aliis. Vetus vocis huius in iſta ſignificatione vſus eſt. In gloſſar. veteri hoc ſenſu reperitur πιττάκιον, pittacium, breuis. S. Benedicti Regula cap. 32. eandem exhibet: vnde apud viri huius aſſeclas, cùm de mortuis fit mentio, conſuetudinem inualuiſſe, vt defunctorum nomina per *breuem* aliis ſocietate iunctis monaſteriis indicentur, perſpicio. Sic Capitularium lib. 3. cap. 84. legitur, *Sed etiam fiſci noſtri deſcribantur in breue.* & in appendice 2. cap. 9. *Vt miſſi noſtri, qui iam breues detulerunt de adnuntiatione.* Sic Anna Alex. καὶ τὰ βιβλία εἰς μέσον τῶν, χαῦτα προὐτίθετο, βρέβια ταῦτα ἡ συνήθεια οἶδε καλεῖν, ἐν οἷς ἀναγράφεται τὰ ἐν ἑκάστῳ τεμένει ὄντα κειμήλια. Iam autem cognita *Breuis* ſignificatione, nunc quid Ioanna Flandriæ Princeps, quid alij Comites variis in litteris Breuium nomine intellexerint facilè percipiemus. Etenim Breuium vocabulo eos litteras indicaſſe certum eſt, in quibus breuiter erat annotatum, quam quiſque locus quantámue pecuniam ad culinarias Flandriæ Comitis expenſas tribueret. Quòd verò Marchantius eiuſmodi litteras tantummodo *Maldeghemias*, *Lokeas*, & *Altrias* numeret: non debes extemplo arbitrari tribus dumtaxat locis annexas fuiſſe. Haud enim tantùm Ioanna hoc in diplomate teſtatur tum *Inſulæ*, tum *Gandaui* huius ſe generis habuiſſe *Breuia*: ſed etiam ſoror eius Margareta expreſsè Brugis fuiſſe aſſeruit, dum pro Monialibus de Nemore ſcripſit, *Sexaginta ſolidos ſingulis annis de Breuibus, quæ maius officium appellantur, Brugis in S. Chriſtophoro recipiendos.*

QVI PRINCIPES ET PONTIFICES HVNC PARTHENONEM LITTERIS ET PRIVILEGIIS ORNAVERINT S. LVDOVICVS FRANCIÆ REX.

Porro S. Ludouicus Francię Rex eius nominis nonus ea omnia comprobauit, quę Ioanna diplomate ſuo comprehendit huic monaſterio donata. Sic enim iis in litteris, quas ideò conſcripſit.

In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Ludouicus Dei gratia Francorum rex. Nouerint vniuerſi, quod nos litteras dilectæ conſanguineæ ac fidelis noſtræ I. Flandriæ & Hainoniæ Comitiſſæ cum ſigillo ſororis ipſius M. Dominæ de Dampetra. vidimus in hæc verba: Vniuerſis præſentem paginam inſpecturis I. Flandriæ, & Hainoniæ Comitiſſa &c. Nos autem donationes, aſſignationes, & conceſſiones præſcriptas, & rerum adeptiones ſuperiùs expreſſarum volentes & approbantes, & ad petitionem iam dictæ Comitiſſæ ac ſororis ſuæ, quoad ea, quæ ad nos pertinent, & de noſtro mouentur feodo, confirmantes. præſentem paginam ſigilli noſtri munimine & regij nominis charactere inferiùs annotato duximus roborandam. Actum Pariſius anno Domini M. C C. *trigeſimo ſexto, regni verò noſtri anno decimo. &c.*

MARGARITA FLAND. COMITISSA.

Idem poſteà fecere Margareta Ioannę ſoror Flandriæ & Hannonię Comitiſſa, eiúſque filius natu Maximus Guilelmus de Dampetra datis eò litteris anno Chriſti 1248. menſe Iul.

INNOCENTIVS 4. PONTIF. ROM.

Innocentius Quartus Pontifex Romanus huius monaſterij protectionem Sedi Apoſtolicæ hoc diplomate addixit anno partæ ſalutis 1243.

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conuentui monaſterij de Reclinatorio B. Mariæ de Marketa Ciſtertienſis Ordinis Tornacenſis diœceſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Sacroſancta eccleſia Romana deuotos & humiles filios ex aſſuetæ pietatis officio propenſiùs diligere conſueuit, & ne prauorum hominum moleſtijs agitentur, eos tanquam pia mater, ſuæ protectionis munimine confouere. Ea propter dilectæ in domino filiæ veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas & monaſterium veſtrum, in quo diuino eſtis obſequio mancipatæ, cum omnibus bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidet; aut in futurum iuſtis modis præſtante domino poterit adipiſci, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter autem terras, poſſeſſiones, & alia bona veſtra, ſicut ea omnia iuſtè & pacificè poſſidetis, vobis & per vos eidem monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſenti ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Anagniæ 11. *Kal. Octob. Pontificatus noſtri anno primo.*

Quibus

A Quibus verò priuilegiis hoc cœnobium ab variis Principibus, & Pontificibus Maximis decoratum fuerit, paucis expediam. Quæ fundauit Ioanna Flandriæ Princeps primùm iis litteris, quas scripsit anno 1233. Nouembri mense, dein anno 1236. in eo diplomate, quod iam retulimus hæc indulget, cùm de Abbatissa & monialibus Marquettensis Abbatiæ loquitur; *Vt per totam terram potestatis meæ eant & redeant, ducant & reducant &c.* quæ tu vide numero vigesimo primo. Et hæc omnia confirmauit Ioannæ soror Margareta, eiúsque filius Guido datis ideò litteris anno 1246.

IOANNA FLAND. PRINCEPS.

Walterus Quesnarum regulus anno Domini 1241. hæc in fauorem eiusdem Parthenonis memoriæ mandauit: *In eleemosynam contulimus, & perpetuò quitauimus Abbatissæ monialium de Marckete Cistertiensis Ordinis totum Winagium quod nobis debebant transeundo per terram nostram pro vsagio domus suæ* &c.

VVALTERVS AVESNENSIS.

Innocentius Quartus Pontifex Maximus anno Christi 1246. Dum Lugduni ageret hoc priuilegium impertiit: *Ea propter dilectæ in Domino filiæ vestris iustis precibus grato concurrentes assensu, vt de blado, vino, lana, lignis, lapidibus & alijs quæ aliquoties*

INNOCENT. 4. PONTIF. ROM.

B *vendere, aut emere, vos contigerit, nulli pedagia, winagia, roagia, & alias consuetudines, quæ pro his à sæcularibus exiguntur, soluere teneamini, auctoritate vobis præsentium indulgemus.*

Item anno 1244. sexto Idib. Februar. de decimis ita constituit Abbatissæ & Conuentui monialium rescribens: *Auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt in parochijs illis in quibus vobis veteres decimæ sunt concessæ, noualium quoque, de quibus aliquis hactenus non percepit, pro portione, qua veteres vos contingunt, percipere valeatis.*

Idem eodem anno duodecimo Kalend. Martij: *Cùm autem sitis per priuilegia Sedis Apostolicæ à præstatione decimarum de animalium nutrimentis immunes, & sicut vobis referentibus, intelleximus, quidam ecclesiarum Rectores, in quorum parochijs oues vestræ pascuntur, à vobis de lana, lacte, & agnis earumdem ouium decimas exigere moliantur, Nos vestris iustis precibus inclinati, auctoritate præsentium inhibemus, ne quis contra eadem priuilegia de prædictis à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.*

C Idem anno 1245. sext. Kal. Iulij, hoc concessit iisdem priuilegium: *Vt ad vendendum, vel alienandum possessiones monasterij vestri, quas in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis poteritis adipisci, cogi per aliquem non possitis, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus.*

Idem eodem die: *vobis auctoritate præsentium indulgemus, vt ad receptionem, seu prouisionem alicuius in pensionibus aut ecclesiasticis beneficijs per litteras Sedis Apostolicæ, vel legatorum ipsius compelli de cetero non possitis absque mandato Sedis eiusdem faciente plenam de hac indulgentia, & vestro monasterio mentionem.*

Idem anno 1245. quinto Non. Iulij, *Vt possessiones & alia bona mobilia, & immobilia, quæ personas Sororum ad monasterium vestrum mundi relicta vanitate volantium, & professionem facientium, in eodem si remansissent sæculo contigissent, percipere, & retinere libere valeatis, vobis auctoritate præsentium indulgemus.*

Ludouicus Franciæ rex cognómento Pius anno 1255. *Abbatissæ & Conuentui de Marketa Cistertiensis Ordinis diuinæ pietatis intuitu concessimus, vt ipsæ de vinis ad opus*

LVDOVICVS PIVS FRANCIÆ REX.

D *ipsarum emptis, & in proprios vsus earum conuertendis, quæ per terram nostram adducentur, ab omnibus pedagijs, & côstumis per omnia pedagia propria nostra, quittæ sint in perpetuum & immunes &c. Actum apud Insulam an. Domini 1255. mense Decembri.*

Clemens Quartus ecclesiæ moderator supremus omnia priùs isti cœnobio vel à Pontificibus Romanis, vel à Principibus indulta priuilegia, concessásque libertates & immunitates suo diplomate confirmauit anno Christi 1268. tertio Kal. Octob. Idem fecit Gregorius decimus anno 1271. quinto Kal. Dec.

CLEMENS 4. PONTIF. ROM.

Philippus Valesius rex Francorum ab decimi denarij subsidio exemit hoc monasterium anno 1331. vltimo die Octobris. Idem posteà præstitit Carolus Quintus etiam Franciæ rex anno 1371. die octauo & decimo Aprilis: dein Carolus Sextus eiusdem regni moderator anno 1408. Martij vigesimo primo, ac subinde anno 1412. die Septembris vigesimo septimo.

PHILIPPVS VALESIVS FRANCIÆ REX.

A

Abbatia Honoris B. Virginis, seu Flinensis, quam habeat fundatricem, & quando condita fuerit.

Capvt XXXI.

Qvando strvi coeperit hic Parthenon.

Mvltorvm fuit opinio, Flinense, vel Honoris D. Virginis monasterium anno Christi post millesimum & ducentesimum quadragesimo fundari cœptum esse à nobilissima muliere Margareta Ioannæ Flandriæ & Hanoniæ Principis sorore. Verum ab his grauiter in hac sententia peccatum fuisse, vel ipsius Margaretę diploma fidem facit: cùm eius Parthenonis initia in annum millesimum ducentesimum & trigesimum quartum reiiciat. Priusquam tamen eius principis fœminæ litteras in medium proferam, monendum breuiter duco lectorem, non Felinis primùm hoc Asceterium à Margareta conditum fuisse: verùm in suburbano Orchiacensis oppidi loco, vbi nunc Theonmolinense Nosocomium cernitur. Cùm igitur frequentissimè degeret Orchiaci Margareta, aptissimum ibi fundum condendo est monasterio arbitrata, quod iam animo, sororis exemplo permota, moliebatur. Et cùm illud aggredi opus cœpisset, has fundationis & donationis testes litteras conscripsit.

Vbi primvm steterit. B

De eivs fvndatione Margaretæ Flandrorvm Comitissæ litteræ.

Ego Margareta domina de Dampetra notum facio vniuersis tam præsentibus, quàm futuris, quòd pro remedio animæ meæ, & domini Willelmi de Dampetra, quondam mariti mei, necnon & omnium antecessorum meorũ, locum qui dicitur Honor B. Mariæ, sitũ prope villam de Orchies in diocesi Tornacensi, cum omnibus appendicijs suis contuli in eleemosynam B. Bernardo, & Ordini Cistertiensi ad hoc, quod sit in perpetuum Abbatia monialium eiusdẽ Ordinis, & specialis filia Clareuallis. In cuius rei testimonium præsentes litteras sigillo meo duxi roborandas. Actum anno Domini 1234. in die S. Dionysij. C

Exstat etiam huius liberalissimæ & perillustris fœminæ diploma, quo multa ei de quo agimus, Parthenoni augendæ dotis gratia concedit anno Incarnati verbi supra millesimum & ducentesimum primo & quadragesimo. Quod fortasse ansam prębuit iis, quorum antè mentionem fecimus, arbitrandi, conditum hoc fuisse anno quadragesimo cœnobium.

Cvr et qvando Felinas e svbvrbiis Orchiacensibvs transtvlerit hoc monasterivm Margareta.

Verumenimuerò cum graues admodum difficultates eius Asceterij virgines à Tornacensis ecclesiæ Canonicis paterentur: eum cœtum monialium aliò transferendi consilium iniit Margareta. Et postquàm in Atrebatensi diœcesi opportunum ei constituendo locum nacta est iuxta Felinas, cum Atrebatensis Episcopi, & Canonicorum B. Mariæ venia insignem ad moliendum ibi monasterium laborem & sumptum contulit.

Quando verò id acciderit, posset aliquo modo controuerti. Supersunt enim litterę Tornacensis B. Mariæ Capitulo, in quibus cum de Landastensibus decimis anno post millesimum & ducentesimum sexagesimo agitur, etiam Orciensis hæc Abbatia nuncupatur. Certissimum nihilominus est, diu ante hoc tempus ex eo loco Felinas migrasse Honoris B. Virginis moniales, postquam transeundi potestatem fecit Ioannes Clareuallensis antistes. Primùm enim quæ cœtum illum regebat Oda de Maigny, eámque ex Orchiacensi suburbio in nouum deduxit Asceterium, ex Flinensi Parthenone ad moderandas Marquettenses moniales anno Christi 1257. fuit euocata. Deinde Præpositus, Decanus, & Canonici Atrebatensis ecclesiæ suis testantur litteris anno 1251. secum de migratione actum fuisse: quorum hæc sunt verba: *Vniuersis præsentes litteras inspecturis I. Præpositus, W. Decanus, totúmque Atrebatensis Ecclesiæ Capitulum salutem in Domino: Cùm Abbatissa & moniales de Orchies Cistertiensis Ordinis Tornacensis Diocesis Abbatiam suam transferre proponant, propter grauamina & difficultates quasdam, quæ ibi sustinent, intra fines parochiarum de Flines, & de Raisce Atrebatensis diocesis &c.* D

Ad

A Ad extremum ipsa Princeps Margareta dum scriberet anno partæ salutis millesimo ducentesimo & quinquagesimo tertio, iam tum factam asseruit transmigrationem. Partem eius diplomatis hic profero:

Margareta Flandriæ & Hanoniæ Comitissa vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem: Nouerit vniuersitas vestra, quod nos ecclesiam seu monasterium sanctimonialium de Honore B. Mariæ virginis Cistertiensis Ordinis, quod nos pro remedio animæ nostræ & domini Willelmi de Dampetra, quondam mariti mei, necnon & omnium antecessorum successorumque nostrorum, iuxta Orchies primò fundauimus, ac postmodum ipsum transtulimus iuxta Felines, specialius in Domino diligentes: maximè cùm in dicto charissima filia nostra Maria se in Christi perpetuum dedicauerit famulatum. Cæterùm hæ sunt ipsæ litteræ, quibus eadem Comitissa huius monasterij bona confirmauit. Istis enim postea verbis subiecit: *Bona quędam, quæ dicto monasterio in perpetuam contulimus eleemosynam, ac alia quædam, quæ per emptionem, vel donationem, vel modo alio iusto dictum acquisiuit monasterium, in præsenti scripto duximus exprimenda, & confirmanda: vt ea in perpetuum*
B *liberè ac pacifice possideat &c.*

Quando cœperint hîc erigi, & à quibus fundata fuerint Ordinis Prædicatorum domicilia.

CAPVT XXXII.

HACTENVS Abbatiarum Gallo-flandriæ initia, conditores, progressus, quantum licuit ex obscuris vetustatis tenebris eruimus, & in lucem non sine multo labore dedimus: vnde prorsus pateat non modò antiquior, ve-
C rum etiam recentior huius regionis hominum religio. Nunc ad ea denique progrediendum est monasteria, & religiosa domicilia notæ minoris, quę vel viri, vel Virgines insident, S. Dominici, D. Francisci, & aliorum Sanctorum regulis obsequentes: tum vt eorum primordia post diligentem indagationem proponamus, tum vt parentes eorum in multorum veniant cognitionem. In quibus quidem omnibus pertractandis illum mihi modum præscribam, vt priùs temporis ordinem persecter, quo cuiusque religionis familiæ in hunc terræ tractum receptæ sunt: deinde tantùm ea latius in medium producam, quæ plus habent splendoris; cetera breuiter expediam.

Cum igitur inter omnia hæc Asceteria plus antiquitatis ea sibi vendicent, quæ sancti sunt Dominici Sectatoribus attributa, nostrum ad ipsa nunc illustranda primò laborem conferemus.

Quod huius ordinis virorum Insulæ domicilium visitur, S. Iacobi nomen obtinet, eóque maiorem famam meretur, quòd nullum huius familiæ cœnobium
D toto Belgio id ętate pręcesserit. In annum Christi 1224. eius fundatio reiicitur, cuius moliendi occasio tribus antè circiter annis arrepta fuerat. Qui fundum struendis ędificiis dederint, ad fundationem operam contulerint, viros religiosos ab Summo huius ordinis magistro impetrauerint, Guilelmum Ploichium ecclesiæ S. Petri Insulensis Præpositum, eiusdémque loci Decanum & Canonicos antiquitas laudat. Tam nobilis & fructuosi operis vnde fluxerit causa, placet ex eo depromere libello, quem de Belgicis Ordinis Prædicatorum diuis F. Hiacinthus Choquetius domo Insulensis, & in familia Dominicana Doctor Theologiæ concinnauit. Sic igitur is paullò altiùs ab Ioanna Flandrorum Principe repetens narrationem loquitur. *Ioanna suam in Deum religionem multis vtriusque sexus exstructis monasterijs, amplis etiam relictis opibus, comprobauit. Illa ergo pro sua piètate Ordinis Prædicatorum viros in Flandriam aduocat, nouos apud numen intercessores, qui magnis meritis patriæ succurrerent, & pro Ferdinandi reditu Deum exorarent. Is quoque Lutetiæ detentus, & cominùs*

[Margin: S. IACOBI MONASTERIVM ORDINIS PRÆDICATORVM INSVLÆ QVANDO ÆDIFICATVM?]

[Margin: HVIVS FVNDANDI OCCASIO.]

[Margin: Cap. 2.]

rarum

raram noui instituti sanctitatem conspicatus, atque verisimiliter permisso cum illius viris A
colloquio expertus: vt in Belgium, suámque imprimis Flandriam irent, exorauit. Quare Gandauum Dominicani vocati, & missi intendunt, rectáque Insulas Flandriæ vrbem adueniunt. ibi humanissimè à primoribus suscepti, pauperis sagi vestitu, aspectu modestiæ, ac pietatis pleno, verbisque humanum nihil, sed diuina sonantibus, conceptam de sua sanctitate opinionem & admirationem apud omnes auxerunt. Insulenses nunquam non ad pietatem faciles, tanto virtutis exemplo accensi, eò progressi sunt, vt pro religione cum ipsis Principibus veluti certasse videantur.

Perpetua apud nos traditio est, eiúsque meminit Antonius noster Senēsis in Chronico folio 35. Dominicanos Gandauum properantes, ab Insulensibus detentos, atque ex pietate coactos ibi subsistere, & domicilium figere. Hoc ipsum noster Stephanus Sampayus in Stemmate Ordinis Prædicat. pag. 227. sic scribit: In eodem ferè tempore (videlicet circa annum 1221.) Belgicis efflagitantibus, missi sunt aliqui Apostolici viri in illam prouinciam, qui per Insulas transeuntes, deuotione plebis ibidem detentæ, verbum vitæ disseminare, atque Conuentum extruere cœperunt; proindéque necesse fuit alios de nouo Fratres in Belgicam destinare, qui B
Gandauensem, Louaniensémque Conuentus voluntarijs populi expensis: & non minori lætitia inchoarent. Porrò insigne est Insulis Canonicorum ad S. Petri Apostolorum Principis ædem Collegium; in quo omni ætate floruerunt viri pietate præstabiles, eruditione conspicui, atque in rebus agendis prudentia industriáque summi. Ij præcipuè auctores fuerunt, vt fratres Gandauum, quò destinati erant, ire prohiberentur. Fratrum siquidem sanctitatem venerabiles illi ac sapientissimi viri singulari affectu colebant; eúmque splendida fundi donatione testati sunt. Etenim locum cœnobio ædificando aptissimum, amplum, & intercurrente flumine semper irriguum ac fœcūdum, in ipso vrbis Pomario vltrò dedere, in quo ad S. Iacobi Maioris inuocationem domus est exstructa, in eáque quanquam non semel maior ædificiorum pars conflagrauit, nostri perstitere vsque ad annum 1579. quo ob bellorum tumultus in vrbem ipsam commigrarunt. Hactenus F. Hyacinthus partim suis, partim aliorum verbis occasionem conditi Insulæ sui Ordinis domicilij explicans, ac de fundatoribus eius nonnihil commemorans, nullius tamen fundatorum expresso nomine, C
nullóque certo assignato inchoati monasterij tempore. Non erit igitur, credo, ingratum Lectoribus si oculis ea proponam, quibus alius paullò antiquior huius Conuentus Alumnus ante annos sexaginta hæc multò particularius exhibuit.

A QVIBVS PETITVM, CONCESSVM, ET FVNDATVM FVERIT HOC PHRONTISTERIVM.

Viuente B. Dominico, ac fama eius, ac fratrum suorum Prædicatorum per vniuersum orbem terrarum volante, venerabilis dominus ac vir religiosus Guilelmus de Ploycio insignis ecclesiæ S. Petri Insulensis Præpositus ac circumspectus vir, & dominus Guilelmus N. præfatæ ecclesiæ Decanus scripserunt B. Patri nostro Dominico, supplicantes & petentes Fratres ad Conuentum fratrum Prædicatorum in suo patronatu ædificandum, offerentes locum, & quæcumque possent obsequia & fauores. Sed ipso sanctissimo Patre moriente, quod petebant, non obtinuerunt. Sed tandem iteratas supplicationes porrigentes M. Iordano successori B. Dominici, quod optauerant obtinuerunt, & anno 1224. à præfato S. M. Iordano ex Conuentu S. Iacobi Parisiensis primi Fratres missi sunt Insulas, in hoc loco, vbi nunc est Conuentus extra portam S. Petri: & ipsi verbo & exemplo, fama & fauore populi suis laboribus Conuentum ædificauerunt. Qui optimè ædificatus statim in suppositis creuit nume- D
ro & merito. ita quòd alijs Conuentibus vicinis nondum ædificatis, nec tunc inchoatis, profuerunt auxilio. Hactenus scriptor ille, quem non est vt putes Sampayo pugnare, cùm diuersum ab eo tempus assignat. Etenim Sampayus tantùm datam struendo monasterio occasionem anno 1221. attribuit: alter verò concessi, & inchoati Conuentus annum indicat. vt hinc deprehendas, aliquamdiu nonnullos è Prædicatoribus nondum impetrata paratáque stabili sede commoratos Insulæ.

Quantum autem ex Guilelmi Præpositi litteris colligo, is omninò constituerat intra vrbem, & in parochia S. Stephani fundum huic condendo cœnobio attribuere. Hæc enim ab eo exarata comperio: *Viris venerabilibus & dilectis in Christo Magistro P. Ordinis Prædicatorum Priori in Francia, & eiusdem Ordinis Fratribus Parisius constitutis, W. diuina miseratione Præpositus Insulensis Salut. & indesinenter Iesu Christi vestigijs inhærere: Gratiarum actiones vobis referimus copiosas, quòd ad habendam*

A *Conuentualem domum apud Insulam, benignum adhibuistis assensum. Nos igitur de consensu Capituli nostri, ac parochialis presbyteri, si domum vestram in personatu nostro infra parochiam S. Stephani decreueritis construendam, eam à iure parrochiali decreuimus liberam, ac cemiterium vobis concedimus sub eadem, qua & alibi libertate gaudetis &c. Actum anno Domini M. CC. vigesimo quarto, mense Decemb.*

Quibus sanè consentiunt ea, quæ Tornacensis pontifex Walterus Maruisius in hanc scripsit sententiam. *Walterus Dei gratia Tornacensis Episcopus. Nos autem deuotionem memorati Præpositi plurimùm commendantes, libertates ab ipso domui Prædicatorum apud Insulam construendæ concessas, prout in præmissis litteris exprimuntur, ratas habemus & gratas: & vt perpetuum robur obtineant, præsentis scripti pariter & sigilli nostri testimonio confirmamus. Datum Tornaci anno M. CC. XXIV. mense Decembri.*

Verùm extra muros iacienda fuere huius Asceterij fundamenta, quantum arguitur, propter vrbis angustias Senatu facultatem intra mœnia ædificandi negante: in eóque structum id fuit loco, quem Guilelmus Præpositus concesserat. Id quæ testentur, Decani & Capituli ecclesiæ S. Petri litteras profero. *Wilelmus Decanus, & Capitulum B. Petri de Insula, vniuersitati vestræ notum facimus, quòd ad vsum domus Prædicatorum apud Insulam construendæ venerabili Præposito nostro Domino W. de Ploichio sub annuo redditu sex librarum concessimus partem pomerij, quàm dilectus concanonicus noster dominus* Willelmus *de Auelim tenebat de nobis. Concessimus etiam ad vsum dictæ domus eidem domino Præposito terram quandam iacentem inter vetus pomerium & mansum Ogiuæ &c. Actum an. Domini M. CC. vigesimo quarto.* CVR IN SVBVRBIO ID CONDITVM? B

Postquam autem & conditum, & instructum fuit hoc monasterium, magnum erga ipsum semper affectum patefecit Ioanna Flandriæ Comes, ex iisque viris clarissimis, qui tum illic degebant, B. Zegherum, & F. Iacobum de Hala coluit maximè. De Zeghero fidem faciunt ea, quæ priùs de ipso memorauimus. De F. Iacobo & donum, & epistolium eiusdem Principis idem testantur. Epistolæ donum exprimentis hæc copia: *Ioanna Flandriæ & Han. Comitissa vniuersis præsentes litteras inspecturis Sal. Nouerint vniuersi, quòd nos imaginem nostram* B. *Virginis eburneam cum capsulis argenteis & reliquijs, quæ in eis sunt, contulimus donatione inter viuos Fratribus Ordinis Prædicatorum de Insula, retento nobis vsu ad vitam nostram, & hanc donationem fecimus viuente adhuc fratre Iacobo de* Hala. *Datum anno M. CC. XLIV. in vigilia* B. *Andreæ.* IN HANC DOMVM IOANNÆ FLAND. COMIT. ET SORORIS EIVS MARGARETÆ AFFECTVS. *Lib. 1. c. 6.* C

Post Ioannæ mortem soror eius Margareta Flandriæ Comitatum adepta, non sustinuit quidpiam Religiosis hic habitantibus sui fauoris & auxilij deesse, vt ex Ioannis Franciæ Prouincialis epistola colligo: vt hinc forsan ansam arripuerit Iacobus Meierus, ac post eum Ioannes Cousinus eam monasterij fundatricem nuncupandi, dum res Tornacenses memorat, eiúsque Principis sacras fundationes breuiter exponit libri primi capite sexto & decimo.

Et sanè non leuem initio experta fuit Walteri Maruisij Tornacensium Episcopi fauorem hæc Prædicatorum familia. Is enim & facilè consensum ei stabiliendæ præbuit, & concessas ipsi à Præposito & Capitulo S. Petri libertates confirmauit: dein multos è suis libros ei donauit vtendos. Quas de libris litteras conscripsit, hîc in medium profero. ITEMQVE WALTERI TORNAC. EPISCOPI. D

Walterus Dei gratia Tornacensis Episcopus: ex testimonio dilectorum in Christo Priorum & Fratrum Prædicatorum S. Iacobi de Insula, constare potest de facili, quòd libros ecclesiæ, & libros glosatos ferè omnes, & quosdam alios, qui in eadem domo habentur, fecimus comparari de propria nostra pecunia, seu de quadam pecunia nostræ ordinationi commissa: & quod fratres ad voluntatem nostram habent vsum & custodiam prædictorum librorum &c. Dat. Parisius anno Domini M. CC. XXXII.

Fluxit etiam non vulgaris in hoc monasterium fauor Franciæ Regis Caroli cognomento Pulchri. Suum siquidem anno 1322. ei patrocinium litteris promisit, ac in suam, vt loquitur, Gardiam specialem, id recepit. NONNVLLIS INFORTVNIIS AFFECTVM HOC MONASTERIVM.

Porrò quamdiu in suburbiis constitit hæc D. Dominici familia, non leuibus ea

fuit cladibus afflictata. En quæ iam citata cuiusdam Religiosi scita proponit: *Successu autem temporis propter bella inter Francos & Flandros pluries fuit destructus* (hic scilicet Conuentus) *& per paucos fratres post varias deuastationes in luto & stipula reædificatus fuit anno Domini 1457. in festo S. Francisci sub Reuerendissimo Magistro ordinis Martiale Auribelli in vita regulari, ac bonis operibus, & viuis lapidibus reformatus, ac materialiter reædificatus, sicut hac luce videmus anno 1554.* A

Quam primò stragem senserunt huius Patres cœnobij, eam Chronicon S. Martini Tornacensis anno 1297. assignat; cuius hæc verba, cùm de Philippo Franciæ rege Insulam obsidente memorat: *Combusta sunt suburbia circumquaque, domus Fratrum & Sororum de Ordine Prædicatorum, quæ erant magnificæ extra muros, & villæ campestres vndique destructæ.*

Ex litteræ, quas alius Francorum rex Philippus anno 1343. scripserat, hæc inter alia continent: Paucis antè annis templa vtriusque Dominicani monasterij ob metus bellorum subtus fuisse ductis cuniculis debilitata, & trabibus sustentata, vt hostibus accedentibus disiicerentur: & non multò pòst obsidionem minantibus Flandris igne corrupta fuisse. B

QVI LABORAVERINT, VT INTRA VRBEM INSVL. HIC CONVENTVS TRANSFERRETVR.

Hoc igitur animaduerso frequenter incommodo, à viris magnis sæpenumerò fuit agitatum, vt in vrbem id domicilium transferretur. Laborauit cum primis in eo peragendo negotio Roubaisiæ regulus anno Christi 1362. Postquam enim huic religioso cœtui suam in Hameriæ vico sitam domum promisit liberaliter, libellum supplicem Senatui obtulit, vt ei familiam intra muros liceret collocare. Verùm post longam demum disceptationem admissis in consessum octoginta circiter primoribus prudentibúsque ciuibus, in eam Senatus sententiam respondit, nullo vnquam tempore perpetuam Dominicanis Fratribus sedem in vrbe datum iri: tantúmque iis permitti, vt belli tempore intra muros sese recipiant tantisper ibi commoraturi, donec bellorum turbo fuerit compressus. Elapsis tamen paucis inde annis, vt iidem in vrbe locum impetrarent, Robertus Fiennensis toparcha non parum laboris impendit; eóque fundum, quem in vrbe possidebat ipsis attribuit. Et munus eius ratum habuere Carolus Franciæ Rex, maximúsque Pontifex Gregorius eius nominis vndecimus. Quæ nunc è Regis Caroli litteris depromo, huc faciunt: *Carolus Dei gratia Francorum Rex notum facimus vniuersis tam præsentibus, quàm futuris: quod cùm locus Fratrum Prædicatorum villæ de Insula in Flandria, cum ecclesia, domibus, & alijs eius pertinent. qui extra muros dictæ villæ situs erat, occasione guerrarum, & pro securitate dictæ villæ pluries destructus fuerit, & vastatus, sicut est de præsenti, dictique fratres locum ibidem non habeant, vbi commodè pro diuino officio celebrando valeant commorari: & dilectus & fidelis & consanguineus noster Robertus dominus de Fiennis Constabularius Franciæ pro remedio animæ suæ intuitu pietatis, & in meram eleemosynam quandam hereditatem suam sitam in Basso vico ipsius villæ de Insula &c. Religiosis viris Priori & Conuentui Fratrum Prædicatorum dicti loci dare liberè proposuerit, & intendat, prout idem Constabularius nobis viuæ vocis ministerio reserauit; Nos attendentes grata, laudabilia, & accepta seruitia, quæ idem Constabularius nobis & prædecessoribus nostris hactenus fideliter impendit & impendere non cessat cotidie, ipsiúsque salubre & laudabile propositum commendantes, ac votis suis annuere affectantes, eius humilibus precibus, & instantibus supplicationibus inclinati, eisdem Priori, & Fratribus de speciali gratia, & ex nostra certa scientia concessimus, & concedimus per præsentes, vt dictam hæreditatem, cùm eis donata fuerit, vt præfertur, liberè recipere, ipsámque tenere, & possidere perpetuò, & pacificè, necnon vt domos & alia loca quæcumque in ea consistentia, diruere, & ibidem oratorium, seu ecclesiam, cum campanili, campana, cemiterio, & alijs necessarijs officinis fundare, construere, & ædificare, & ibidem morari, conuentum, seu alia in eis fundare & ordinare, prout iustum & rationabile fuerit, ad opus suum, nomen & rem dictorum fratrum dicti Ordinis, licitè valeant &c. Datum apud Wazennes prope Insulam in Flandria die xxj. mens. Septemb. anno Domini M. CCC. sexagesimo octauo, regni nostri quinto.* Hactenus rex ille in S. Dominici Ordinem procliuis, cuius votis laboríque ita subscripsit Gregorius Pontifex. C D

A *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Priori & Fratribus domus Ordinis Prædicatorum Insul. Tornac. Dioc. Salutem & Apostolicam benedictionem. Sacræ vestræ religionis sinceritas, in qua sub voluntariæ paupertatis habitu militantes, in humilitatis spiritu deuotum ac sedulum Domino impenditis famulatum & vitæ regularis, sub qua degitis, honestas, meritò nos inducunt, vt ea quæ vestræ quieti & pacis statum respiciunt, quantum cum Deo possumus, fauorabiliter concedamus. Sanè petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat, quòd locus vester extra muros villæ Insulensis Tornac. Dioces. consistens, propter guerrarum discrimina in illis partibus sæpiùs ingruentium pluries dirutus & destructus exstitit, quódque charissimus in Christo filius noster Carolus rex Francorum illustris vobis & statui vestro pro affectu compatiens, & cupiens aliqua terrena in cælestia, & transitoria in æterna felici commercio commutare, &c.* Nam dicit postea, quòd ad petitionem regis & ipsorum concedat, vt eum locum possideant, ibíque conuentum ædificent. *Datum Auenione Kal. Maij Pontific. nostri anno* 1.

B Verumenimuerò nihil tum temporis etiam ab Senatu potuit impetrari. Igitur tamdiu extra muros his Religiosis degendum fuit, quoadusque anno Domini 1579. propter continuos Belgij motus intestinos diruta sunt eorum ædificia & veniam Senatus concessit in vrbe sedem figendi: quo denique tempore pridie omnium Sanctorum è suburbiis in concessam sibi domum paratámque solenniter migrauere: postquam anno præcedenti ab Rege Hispaniarum Philippo ea conditione hospitalem domum Grimarçorum, eiúsque redditus omnes impetrassent, vti pauperes solito more huc è via diuertentes sub tectum reciperent, & consueta charitatis officia ipsis exhiberent. Illic dum angustè commorarentur, anno post millesimum & quingentesimum octogesimo cœpta sunt partim Senatus, partim aliorum symbolis noua condi aptáque monasterio ædificia: quæ nunc omnino satis eleganter commodéque perfecta sunt.

C Inter alia quibus hoc monasterium olim admodum floruit, id in primis reperio, quòd intra eius septa Conuentus Ordinis Generalis fuerit coactus. Apud F. Hyacinthum de tanto consessu hæc leguntur: *Quartus à B. Humberto totius Ordinis Prædicatorum Generalis fuit B. Nicolaus Taruisinus, qui Comitijs etiam celebrandis Belgicam præ alijs orbis partibus elegit, celebrémque Patrum, quos ex toto orbe aduocauerat Conuentum habuit Insulis anno* 1297. *quem Bonifacius Octauus Cardinalitia purpura non multò pòst ornauit, & in summo Pontificatu successorem habuit, Deus verò maxima virtutum gloria cumulauit, & æternis beatorum Pontificum fastis adiecit.* Hactenus ille Sampayum secutus.

CONVENTVS GENERALIS APVD PRÆDICATORES INSVLÆ.

Et facit ad laudem huius Asceterij, quòd bis facillimè ad sectandam vitæ arctioris disciplinam eius Religiosi sese incitari pertrahíque siuerint. In eius monumentis hæc reperio: *dicta reformatio facta fuit primò sub Prouinciale Franciæ spatio duorum annorum, & deinde continuata sub congregatione Hollandiæ annis* 59. Et verò cùm de diuisione Congregationis Hollandiæ vehementer agitaretur, quòd ea nimium esset diffusa: hic nulla potuit ab ea ratione Conuentus auelli.

AB IISDEM SVSCEPTA REFORMATIO.

D E quibus id pateat, testes litteras eius profero. *Nouerint vniuersi, quòd nos Patres & Fratres Conuentus Insulensis Ordinis Prædicatorum volentes & summoperè desiderantes in hoc nostro Conuentu præfato magis ac magis religionem crescere, ac semper in vigore religionis & pace permanere, attendentésque quòd in Congregatione Hollandiæ longo tempore stetimus, & in eadem professi fuimus, & in ea in decore religionis ad populi ædificationem profecimus, & multorum salutem; separari autem ab ea non esset nobis tutum, sed religionis maxima perditio, ac multorum bonorum non modica iactura: nescientésque quid in illa noua congregatione, quam Gallicanam vocant, futurum sit, & maximè cum adhuc in Conuentibus Franciæ sit plene plantata religionis obseruantia in spiritualibus & temporalibus: hinc est, quòd nos præfati Patres & Fratres iuxta tenorem litterarum Reuerendiss. Magistri Ordinis deliberauimus & deliberamus, & concludimus remanere in nostra antiqua Congregatione cum Patribus venerabilibus Hollandiæ, volentes omnino in ea perseuerare. In quorum omnium fidem, robur & testimonium has litteras mu-*

A *niri fecimus sigillo dicti nostri Conuentus, ac nostris proprijs manualibus signis anno 1514. die mensis Februarij 10.* Ab hinc autem paucis annis accensum est rursus hoc in phrontisterio vitam duriùs & sanctiùs agitandi studium: omninóque hîc inter alia receptum est, interdicto esu carnium vt pisculentis tantùm corpora reficiantur.

COENOBIVM PRÆDICATORVM DVACI QVANDO, ET A QVO FVERIT FVNDATVM.

Duaci paullò seriùs data sedes S. Dominici asseclis Patribus. Franciscus Barius Aquicinensis quondam Prior monasterij, eius domicilij exordia ducentesimo & trigesimo secundo post millesimum anno tribuit. Alij potiùs ad 1271. annum fundationem huius loci reuocant. Ne Bario assentiamur, id efficit, quòd ipsi Patres Dominicani suam hîc agnoscant fundatricem Margaretam Flandriarum Principem, quã manifestum est, non priùs Flandrici Comitatus habenas suscepisse, quàm millesimus & ducentesimus & quadragesimus quartus verteretur annus: nisi velimus arbitrari nondum impositam Flandris dominam fuisse, dum id opus Duaci moliri cœpit, sicut ipsam vidimus anno 1234. iuxta Orciam Honoris B. Mariæ Abbatiam condidisse. Vt tantum cœperit pro his Religiosis laborare Margareta, dum curreret annus post B millesimum & ducentesimum primus & septuagesimus, non facilè admiserim. Etenim constans apud eos est traditio, ipsorum templi dedicationem in annum millesimum ducentesimum & septuagesimum primum incidisse: & quæ sancti Ludouici Francorum Regis munere habent etiamnum hodie ad peragendum missæ sacrificium vestimenta (planetam, dalmaticas, & pluuiale ecclesiastici scriptores nuncupant) iam tum ante hoc tempus aliquem ibi cœtum consedisse arguunt; quandoquidem anno præcedenti mortem is sanctissimus Princeps oppetiit. Ad hęc priusquam ædes consecraretur, sacello S. Crucis ad sacra mysteria conficienda, & impertienda ecclesiæ sacramenta huius Ordinis sacerdotes vtebantur, vti vetera docent monumenta. Ceterum & fundationis, & concessæ libertatis litteras anno tantùm supra millesimum & ducentesimum tertio & septuagesimo exarauit Margareta, quarum hîc exemplar subiicio:

Nos Margareta Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, notum facimus vniuersis præsentes litteras inspecturis, quod nos locum cum fundo situm in villa Duacensi, in vico, qui dicitur Castellum, quem viris religiosis Fratribus Prædicatoribus apud Duacum dedimus C *pro domo sui Ordinis ædificanda ibidem ob nostram & antecessorum, liberorúmque & aliorum successorum nostrorum salutem. In quo quidem loco fuerunt domus Euberti Reguli dicti Pikette, Lauuini dicti Pilatte, Sagatonis, & Engranni filiorum dicti Lauuini, Gerardi dicti le Truie, Wiberti dicti monachi Pikette, Iacobi dicti Hureillon, Lamberti Iuonis, & domus Engranni dicti Pilatte; quæ quidem domus vltimò nominata fuit Walteri de Keri: necnon & vicum, qui est inter memoratas quondam domos prædictorum Wiberti, Iacobi, & Engranni, quæ quondam prædicti Walteri fuerat; ac eorumdem Fratrum nunc ecclesiam, prout extenditur à domo quondam Gerardi dicti le Truie, vsque ad angulum domus prædicti Engranni, quæ fuit præfati Walteri, contiguum viæ, quæ tenditur versus ecclesiam S. Amati, & à prædicto angulo protenditur in latitudine vsque ad angulum domus præfati Euberti contiguum domui prædicti Lauuini recta linea mensurando: quem etiam vicum muro cum porta claudi fecimus, & ipsum cum clausura eisdem Fratribus* D *Prædicatoribus ad sui loci dilatationem & eorum commodum contulimus, & conferimus, per præsentes liberamus & eximimus, ac liberum & exemptum esse volumus, & decernimus in perpetuum ab omni iustitia sæculari, sæpè dictum locum cum fundo tali dantes libertati, qualem alia loca religiosa infra septa monasteriorum, aut ecclesiæ cum suis cimiterijs in terra nostra habere noscuntur. In cuius rei testimonium & munimen sigillum nostrum præsentibus ad perpetuam memoriam duximus apponendum. Et ego Guido dictæ dominæ Comitissæ filius & hæres, Comes Flandrensis, & Marchio Namurcensis præscriptis omnibus, & singulis, quæ superiùs sunt expressa, meum consensum præbeo pariter & assensum: & volo ea omnia tempore inuiolabiliter obseruari. Atque vt perpetuæ robur obtineant firmitatis, sigillum meum vnà cum sigillo charissimæ matris & dominæ meæ prædictæ duxi præsentibus appendendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo tertio, mense Iunio.*

Hactenus de tempore fundationis, deque ipsa fundatrice huius cœnobij. cetera

A nunc obiter proponamus. Non leues hunc locum clades passum aliquando, percepi: ac præsertim anno 1595. fortuitis grauiter flammis deformatum fuisse. Sed insignem affectum in eius Religiosos ciuium exterorúmque liberalitas patefecit, qua paucis mensibus tantum est lignorũ & operæ collatum, vt breuissimo temporis spatio templum & membrum dormitorium, quæ loca præcipuè ignis corruperat, in antiquum splendorem restituerentur. Ad commendationem verò istius Asceterij non parum attulit ille Patrum Conuentus, ad quem ex omnibus Galliæ partibus præcipui nominis viri cum Prioribus aduenere, cùm nati Domini annus post millesimum & trecentesimum octauus & nonagesimus procederet.

At enim Margareta Flandriæ Princeps non modò se Duaci erga Fratres Prædicatores munificam præbuit. Quippe manauit quoque in huius Ordinis Sanctimoniales eius liberalitas, condito in suburbiis Insulensibus Parthenone. Haud procul à porta D. Petri iuxta flumen structum id fuisse monasterium anno salutis millesimo ducentesimo & septuagesimo nono, ac nomen à B. Virgine Maria sortitum esse, habet liber eius priuilegiorum. Labbiettam vocauit hunc locum Ioannes Prior Franciæ Prouincialis, cuius posteà litteras dabimus, & Thomas de Vio Caietanus, dum litteris hæc suis inseruit: *In monasterio dicti oppidi Insulensis Labbietta vulgariter nuncupato.* Latinè forsan meliùs Abbatiolam diceremus: cùm Labbiettæ vocabulum inde sit formatum, quòd vulgò Insulenses hunc Parthenona l'Abbiette, pro l'Abbaiette vocitent. Paullò longiùs loci huius initia protendit Ioannes iam nominatus iis in litteris, quas anno 1276. in hæc verba exarauit: *Vniuersis præsentes litteras inspecturis Frater Ioannes Fratrum Ordinis Prædicatorum in Francia Prior Prouincialis indignus salutem in Domino sempiternam. Quanto affectu Illustris domina Margareta Flandriæ & Hannoniæ Comitissa Ordinem nostrum dilexerit, fauor & gratia, quam apud ipsam habuit dictus Ordo, continuúsque & indeficiens beneficiorum successus, quæ eidem exhibuit dicta domina, quoad vixit, manifestè declarauit. Fuit siquidem diuersorum nostri Ordinis infra suæ terræ terminos patrona magnifica, & fundatrix, Fratrúmque in eisdem seruientium pia mater & sustentatrix, & nutrix indefessa. De nouo insigne monasterium Sororum nostri Ordinis in suo oppido Insulensi fundauit, & redditibus dotauit magnificè & priuilegijs, aliísque specialibus gratijs stabiliuit &c. Datum Insulis anno 1276. mense Maio.* Et verò, vt superiùs etiam huius monasterij cunabula reiiciamus, aliqua nos inducunt. Primùm enim eius de structione seriò cœptum agi fuit anno post millesimum & ducentesimum septuagesimo tertio. Eo námque tempore inter Flandriæ Principem Margaretam, eiúsque nepotem Ioannem Insulensis S. Petri ecclesiæ Præpositum, ac Decanum & Capitulum ecclesiæ prædictæ, tractatum est, vt facta hi permutatione ad duplam fluuium iuxta Beghinarum sedem, *Pratum* cum *grangia*, id est horreo, in condendi monasterij fundum cederent. Earum, quæ tunc scriptæ sunt hac de re, litterarum hoc est initium: *Nos Margareta Flandriæ & Hanoniæ Comitissa, & nos Ioannes* Brugensis *& Insulensis Præpositus: & Flandriæ Cancellarius, notum facimus vniuersis, nos vidisse, & recepisse litteras confectas per nos Præpositum supradictum, & per discretos viros Decanum & Capitulum S. Petri Insulensis, in forma inferiùs annotata. Nos Ioannes filius* Comitis *Flandriæ Brugensis & Insulensis Præpositus, & Flandriæ Cancellarius, Decanus & Capitulum S. Petri Insulensis, notum facimus vniuersis, quòd cùm Illustris domina Margareta Flandriæ & Hanoniæ Comitissa quoddam monasterium Sororum de Ordine Prædicatorum construere proponeret, in Personatu ecclesiæ nostræ S. Petri in parrocia S. Andreæ iuxta Beghinagium Insul. ipsáque domina Comitissa ratione iurium temporalium & spiritualium nobis in dicto loco competentium, nobis offerret compensationem rationabilem & debitam se facturam mediantibus probis viris &c.* Ad hæc certum habeo, Margaretam anno proximè secuto, iam comparato, vt apparet, domicilio, ab Summo Pontifice Gregorio Decimo impetrasse, vt is à Prouinciali Prædicatorum Germaniæ Priorissam mitti iuberet, quæ nouelli gregis susciperet curam, ac regimen. Eius litteras Pontificis, quibus id fiat manifestum, hic profero.

PARTHENON B. VIRGINIS, CVI NOMEN ABBATIOLÆ, QVIS CONDIDERIT.

QVO TEMPORE IS CONDI COEPTVS?

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Priori Prouinciali Fratrum Prædicatorum in Alemannia Salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Comitissæ Flandriæ fuit nobis humiliter supplicatum, vt, cùm ipsa quoddam monasterium in villa Insulensi Tornacensis diocesis, de nouo construxerit, pariter & dotarit, vt in eo habeantur Sorores Ordinis S. Augustini secundum instituta Fratrum Prædicatorum viuentes, Sororibus ipsis aliquam de Sororibus monasterij Vallis B. Mariæ ipsius Ordinis, Treuirensis dicti, secundum instituta prædicta viuentibus, in Priorissam concedi, de benignitate Apostolica mandaremus. Nos igitur ipsius Comitissæ supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus aliquam de prædictis Sororibus dicti monasterij Vallis B. Mariæ, tuæ, vt intelleximus, curæ commissis, litteratam, & sanctæ conuersationis & vitæ, prædictis Sororibus præfati monasterij Insulensis, assumendam per eas in eodem monasterio Priorissam, sine qualibet difficultate, si videris secundum Deum, & animarum profectum expedire, transmittas: vt eius doctrina in obseruantia ipsius Ordinis instruantur. Datum Lugduni VII. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno tertio. Hactenus Papa Gregorius, quem constat anno 1271. Septembris primo die in summum ecclesiæ moderatorem electum fuisse, ac per ieiunium vernum anni sequentis Romæ consecratum: vt tertius eius Pontificatus annus extremo anni 1274. Augusto desierit ex Onuphrij, & Ægidij Buccherij supputatione: nisi chronologiam eorum sequi velimus, qui Gregorij annos à 1272. inchoant. Porrò, vt hoc obiter significemus, primam huius loci Priorissam, Guidonam d'Antoin vocatam fuisse asserunt eius monumenta. Ad litteras fundationis, quod attinet, omnino perspicuum est, eas à Principe Margareta scriptas fuisse anno post millesimum & ducentesimum nono & septuagesimo, haud paruo post cœptam ædificationem tempore, ipsis forsitan perfectis omnibus ædificiis, templóque consecrato. Earum nunc partem depromo.

MARGARETÆ DE HVIVS MONASTERII FVNDATIONE LITTERÆ.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, Margareta Flandriæ & Hanoniæ Comitissa, & Guido filius eius, Comes Flandriæ, & Marchio Namurcensis, Salutem in Domino sempiternam. Vniuersitati vestræ volumus esse notum, quòd dum secreta conscientiæ diligenti meditatione discutimus, ipsámque conscientiam varijs & diuersis excessibus accusari & obrui interdum conspicimus; illud præcipuum credimus superesse remedium, vt per grata beneficia nobis personas obligemus fidelium, quæ pro nobis, & nostris excessibus, pro quibus ad plenum supplicare nequaquam sufficimus, iugiter altissimum misericorditer interpellent. Quia verò quadam specialitate confidimus in vniuersis deuotionis & caritatis operibus, quæ in omni sanctitate vigere semper agnouimus in Ordine Fratrum Prædicatorum, pijs pietatis effectibus salutem zelantium nostrarum (prout vero experimento didicimus) animarum, construendi in terra nostra monasterium Religiosarum mulierum Sororum præfati Ordinis, diu est, firmum concepimus propositum. Quod diuina suadente clementia iam deduci finaliter volumus, & ea deuotione, qua possumus, feliciter ad effectum, vt in vtriusque sexus personas eiusdem Ordinis in terra nostra deuotio fidelium, & cultus diuini numinis laudabiliter augeatur. Igitur pro nostrarum remedio animarum, prædecessorum nostrorum, & specialiter pro remedio animæ dignæ memoriæ dominæ Ioannæ Flandriæ & Hanoniæ Comitissæ, mei Margaretæ Comitissæ dominæ & sororis carissimæ. & materteræ Comitis supradicti, quæ ad constructionem prædicti monasterij pium desiderium, ac promptam, dum viueret, voluntatem habuit; in nomine S. & indiuiduæ Trinitatis dictum monasterium construimus, & fundamus ad honorem beatæ semper Virginis genitricis Dei Mariæ, in loco, qui dicitur B. Mariæ in Insula, & quod monasterium tali nomine in perpetuum volumus nuncupari. Verùm cùm nos deceat, qui sumus huiusmodi monasterij fundatores, ipsum largitionibus dotare decentibus, & ad vsum perpetuum religiosarum mulierum Sororum inibi Domino famulantium liberaliter quoad ius & proprietatem conferimus, & donamus terram &c. Fusè námque posteà donationes enumerantur ac priuilegia, quibus denique ista subiiciuntur. *Ne autem in posterum forsan antedictum monasterium contingat aliquorum, quod absit, molestijs opprimi, aut iniurijs indebitis molestari, ipsum mona-*

A *sterium cum personis & bonis suis omnibus habitis, & habendis, sub nostra protectione,
& defensione suscipimus, & ad protectionem & defectionem huiusmodi nos, & heredes nostros, ac successores nostros Flandriæ Comites tenore præsentium obligamus. In quorum omnium testimonium & munimen Nos Margareta, Flandriæ & Hanoniæ Comitissa, & ego Guido filius eius Comes Flandriæ, & Marchio Namurcensis prædicti sigilla nostra præsentibus litteris apponi fecimus, & appendi. Actum & datum anno Domini M. CC. LXXIX. mense Aprilis.*

Ceterùm vix hunc Parthenonem Margareta condiderat, & variis ornarat priuilegiis: cum plerique tum Pontifices Romani, tum Reges ac Principes suis eundem vel patrociniis tutati sunt, vel immunitatibus & libertatibus donauere. Ex quibus id colligatur, Honorij Quarti supremi ecclesiæ gubernatoris litteras propono. HÆC ABBATIOLA MVLTIS ORNATA PRIVILEGIIS EST.

Honorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissæ & conuentui Monasterij de Insulis Ordinis sancti Augustini, se-
B *cundùm instituta, & sub cura Fratrum Ordinis Prædicatorum viuentibus, Tornacensis Diocesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur, quòd iustum est & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilectæ in Christo filiæ, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, seu alias indulgentias, vobis, & monasterio vestro, necnon libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac alijs Christi fidelibus rationabiliter vobis, & monasterio vestro prædicto indultas, sicut eas iustè, ac pacificè obtinetis, &*
C *nos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Tibure Kal. Octob.*
AN. 1286. *Pontificat. nostri anno primo.*

Exactis inde paucis annis, Francorum Rex Carolus cognomento Pulcher in suam hoc monasterium protectionem recepit, eóque has exarauit litteras.

Carolus Dei gratia Francorum & Nauariæ Rex, notum facimus vniuersis tam præsentibus, quàm futuris, quòd nos summis desiderijs affectantes, vt personæ ecclesiasticæ regni nostri, specialiter illæ, quæ relictis mundanis honoribus, & delicijs, religionis habitum assumpserunt; &, vt liberiùs, & à consortio sæcularium separatæ, possint altissimo famulari, infra loca sua volunt includi, sub tranquillitate pacis adimplere valeant salubriter votum suum, & vt ab inquietatione sæcularium, per quos nonnunquam, instigante maligno
D *spiritu, molestantur, manu nostræ potentiæ tueantur: religiosas mulieres nobis in Christo dilectas, Priorissam & conuentum monasterij B. Mariæ Insulensis de Ordine Prædicatorum, cum familia, gentibus, & bonis suis quibuslibet, præsentibus & futuris, in nostra regia, pro nobis & successoribus nostris Franciæ Regibus recepimus in perpetuum, & recipimus gardia speciali præsentium tenore: Mandantes Bailiuo Insulensi, Tornesij, & Duacensi, qui nunc est, & fuerit pro tempore, ipsiúsque locum tenenti, ceteris iustitiarijs regni nostri, & eorum quilibet: quatenus dictas Religiosas, familiam, & gentes suas, res & bona ipsarum defendant, & faciant defendi ab omnibus iniurijs, violentijs, oppreßionibus, grauaminibus, molestijs, vi armorum, & nouitatibus indebitis quibuscumque, factásque, si quæ fuerint, ad statum debitum celeriter,*

 & de

& de pleno reducant; & illos, quos contra dictam nostram specialem gardiam inuenerint quomodolibet attentasse, ad præstandam proinde tam nobis, quàm dictis Religiosis emendam condignam sine difficultate compellant, ac aliàs eosdem taliter puniant, ciuiliter tamen, quòd vlteriùs talia facere non præsumant; cedereque debeant aliis in exemplum. Et pro præmissis diligentiùs exequendis, præfatis Religiosis tradant, si, & cum ex parte ipsarum fuerint requisiti, vnum de seruientibus nostris in specialem gardiatorem, qui † tantùm de his, quæ causæ cognitionem requirunt, se nullatenus intromittat. Quod vt ratum & stabile permaneat in futurum, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud S. Germanum in Faya, anno Domini M. CCC. XXVII. *mense Septembri.* A

† tantum

CLADES HVIVS COENOBII, INDEQVE OCCASIO IN VRBEM TRANSFERENDI.

Sensit verò aliquamdiu non exiguas calamitates hoc monasterium, quo tempore in suburbijs constitit; vt partim ex iis clarum euadit, quæ priùs de virorum Ordinis huius ibidem condito cœnobio tradidimus: partim his indicat verbis Clemens Romanus Pontifex eius nominis Sextus, dum id in vrbem transferri permittit: *Ex tenore siquidem petitionis vestræ nobis nuper oblatæ percepimus, quòd monasterium vestrum, quod extra muros villæ de Insula, Tornacensis diocesis, situatum existit, propter impetum, & incursum guerrarum in illis partibus, peccatis exigentibus, frequenter ingruentium, graues hactenus sustinuit, & adhuc sustinet molestias & pressuras; & ideo quòd quinquies fuit idem monasterium flammis & ignibus concrematum, & in muris suis, & quasi radicitus, extirpatum.* Vt ex Chronico S. Martini Tornacensis anteà citati percipimus, primùm à Francis omnino flammis corruptus fuit hic Parthenon, dum ij Philippo Pulchro regnante Insulam arctissimè obsederũt anno 1297. Quibus posteà cladem aliquam idem passus sit locus, nondum è libris deprehendi. Tantùm è litteris Philippi Valesij anno 1343. exaratis accipio, haud diu antè vnà cum virorum Phrontisterio, metu obsidionis, rursus incendio pessumdatum fuisse: eam rem denique hunc Regem perpulisse, vti sanctimonialibus facultatem dictis litteris concederet in vrbe sedem comparandi. Igitur paullò pòst, anno scilicet 1345. dum sui Pontificatus annum quartum ageret, in vrbem Insulensem huius monasterij translationi subscripsit Clemens Sextus Romanorum Pontifex. Quò migrarent etiam volente Insulensi magistratu, Balduini Aubecicuriæ domini ædes ære suo virgines emere, ac mox in iis domicilium fixere eo in vico, qui tunc de la Hamerie dicebatur, nunc Abbatiolæ plateæ ab nouo monasterio nomen induit: vbi sensim ea structa sunt ædificia, quæ nunc pro numero monialium satis angusta conspiciuntur.

B (beside line 2 of this paragraph); C (beside lines 12–13)

Facit ad laudem huius Parthenonis duarum eius virginum euocatio, quæ recens conditum in Atrebatensibus suburbiis eiusdem regulæ Sororum Asceterium (Thieuloyam nominant) moderandum formandúmque susciperent.

SEMINARIVM ORDINIS PRÆDICATORVM DVACI.

Verùm vt hinc tandem digrediamur, ac rursus Duacum inuisamus; quod his temporibus Phiteuterion iuuentutis Prædicatorum Ordinis eleganter hac in vrbe strui cœptum est, id multorum symbolis Abbatum, & nobilium virorum eleemosynis assurgit; vt illic tam philosophicis, quàm theologicis disceptationibus ij percolantur, quos omnes Belgij familiæ submiserint. D

PARTHENON ORDINIS S. DOMINICI DVACI.

Eodem in oppido nuper domus comparata, in quam sese Virgines recipiant S. Dominici institutum habitúmque complexuræ: iámque illic sacer cœtus coalescit puellarum à quibus è patrimonio pecuniæ condendis claustralium ædificiorum membris, & parandis censibus conferuntur.

Quo

A

Quo tempore in Gallo-flandriam sint admissi Minores: qui eos exceperint; qui fundum eis dederint & àquibus condita sint Trinitariorum & Cruciferorum cœnobia.

CAPVT XXXIII.



QVI secundum Patres Dominicanos in Gallo-flandriam recepti sint, Religiosos sancti Francisci Assisij geniti sectatores, inuenio. Quænam vrbs primùm eis vel intra muros, vel in suburbiis, sedem permiserit, in dubium à quibusdam vocatur. Plus enim aliqui vetustatis Duacensi, quàm Insu-
B lensi eorum monasterio tribuunt: contrà, plus antiquitatis apud alios Insulensis domus, quàm Duacensis obtinet. Ob hanc igitur controuersiam de Insulensi Phrontisterio priùs aliquid proponam: de quo saltem quidpiam certius reperitur.

Quorumdam Insulensium calculo, ad millesimum ducentesimum vigesimum quintum à Christi natiuitate annum conditi in suburbio Insulensi Minorum monasterij primordia referuntur: vt fortassis ad Ioannam Flandriæ Principem, cuius etiam liberalitate fundata fuit horum Ascetarum domus Valentianis, eius exstructio referri possit. Verùm his obstat quàm plurimùm Franciscus Gonzaga, qui fuit huius Ordinis minister Generalis. Hic enim dum maximum de sui Ordinis Prouinciis, & cœnobiis opus conderet, hæc Andreanæ Prouinciæ inseruit: *Insulæ vrbs est & emporium clarissimum, & toti Belgio, atque exteris regionibus notissimum sub Comitatu Flandriæ. Conuentus Fratrum Minorum huius oppidi magna ex parte mœnibus cinctus*
C *erectus atque fundatus fuit anno Domini 1250. mense Augusti per illustrissimam Margaretam Flandriæ & Hannoniæ Comitissam.* Mihi quidem, vt verùm fatear, parū arridet Gonzagæ opinio. Primùm siquidem Ascetarum huius loci sententia est, anno post millesimum ac ducentesimū sexto & vigesimo iacta fuisse domus eorum suburbanę fundamina: quo tamen id factum sit auctore, vel conditore, haudquaquam produnt. Deinde certissimum est è litteris Gardiani Conuentúsque Insulensis anni 1249. vel, vt hodiernus habet stylus 1250. Ianuario mense conscriptis (quarum posteà partem dabimus) antequam anno 1250. cœnobij, in quod tunc erant migraturi, recenter ab se constructi libertatem à Comitissa Margareta impetrarent, aliquamdiu alio in loco extra parochiam S. Stephani, extráque muros vrbis Insulensis, hanc familiam consedisse. Ad hæc Margaretæ Principis diploma, cuius Gonzaga mentionem facit, non de fundatione eius quidquam asserit: verùm tantummodo libertatem ab ipsa cœnobio nuper ædificato concessam fuisse asseuerat. Hæc igitur ad veritatem proximè accedunt. Suburbanum in locum anno partæ salutis millesimo ducentesimo & vigesimo sexto receptos minores: auctore nondum cognito illic eos
D tamdiu commoratos fuisse, donec in vico Fullonum nouam domum struxissent fundum magistratu præbente, vt ex eius litteris anno 1253. scriptis, apparet: vt in hoc asceterium pacificè migrarent, cum Præposito, Decano, & Capitulo S. Petri, in quorum se patronatum conferebant, certis legibus pactos fuisse: Walterum Maruisium Tornacensem Episcopum horum pactiones gratas & ratas habuisse anno 1250. paucis inde mensibus id monasterium insigni donasse libertate Margaretam. Vt maiorem ista fidem habeant. Walteri primùm litteras ea, quæ Gardianus & Conuentus pepigere, complexas proponam, dein illas proferam, quas dicta Flandriæ Princeps conscripsit. Sic igitur Tornacensis Pontifex loquitur.

W. Dei gratia Episcopus Tornacensis vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Nouerit vniuersitas vestra, quòd cùm Fratres de Ordine Minorum Insulen. transferre se vellent, à loco, in quo hactenus Insulensem extra portam de Diergnau morabantur, ad parochiam S. Stephani Insulensis in vico Fullonum; quædam inter ipsos Fratres ex

vna parte, & venerabiles viros Th. de Bello *manso Præpositum*, W. *Decanum*, *& Capitulum ecclesiæ S. Petri Insulensis ex altera, conuentio intercessit, prout in ipsorum Fratrum litteris super hoc confectis plenius continetur, quarum tenor talis est*: Vniuersis præsentes litteras inspecturis Frater Th. Fratrum Minorum Insulensium Gardianus, & seruus, totúsque eiusdem loci Conuentus salutem, & pacem in Domino sempiternam. Nouerit vniuersitas vestra, quòd nos Fratres domus Insulensis transferre nos vellemus à loco, in quo hactenus morabamur, ad parochiam S. Stephani Insulensis in vico Fullonum, talis inter nos ex vna parte, & venerabiles viros Th. de Bello manso Præpositum, W. Decanum, Ecclesiæque Insulensis Capitulum ex altera conuentio intercessit &c. Datum anno M. C C. quadragesimo nono, mense Februario. *Nos itaque dictarum litterarum tenore inspecto conuentiones, & promissiones in eis contentas approbamus, & eas auctoritate pontificali ad dictarum partium instantiam confirmamus, sine iuris præiudicio alieni. In cuius rei testimonium præsentes sigilli nostri munimine duximus roborandas. Datum anno Domini* M. CC. L. *mense Aprili*. Hactenus litteræ Maruisij: quæ dum tempus litteris Minoritarum subsignatum referunt, ita sunt accipiendæ, Romano scribendi more nunc recepto, vt eundem annum vtræque significent, quòd ipsæ secundum Belgas tunc annum à Paschate ineuntes tempus adscriptum habeant. Nunc autem Margaretam loquentem audiamus.

Margareta Flandriæ & Haynoniæ Comitissa vniuersis præsentes litteras inspecturis Salutem. Nouerit vniuersitas vestra, quòd nos intuitu diuinæ pietatis, & † salute animæ nostræ, ac antecessorum nostrorum animarum remedio, locum, in quo ædificauerunt Fratres Minores Insulis commorantes, in vico, qui dicitur vicus Fullonum infra villam Insulensem, cum omnibus appendicijs suis, ab omnibus tallijs, & alijs exactionibus, & etiam sæcularibus iustitijs, quamdiu dicti Fratres ibidem commorari voluerint, franchisamus. Et hæc in perpetuum volumus inuiolabiliter obseruari. In cuius rei testimonium, præsentes litteras sigilli nostri fecimus appensione muniri. Datum Valenchenis anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, Dominica post Assumptionem B. Virginis.

† pro salute.

Ceterum diu extremis temporibus arctè satis hîc habitarunt huius loci cœnobitæ, postquam præsertim ad muros vrbis terrei aggeres, circumducendis introrsum munitionibus, educti sunt. Verùm his tandem in plana deiectis, ac longiùs inde vrbis nouæ fundatis mœnibus, concessum sibi à Senatu locum benè capacem muris cinxere, vbi variis arboribus hortum conserant, auris ad sanitatem iucundiùs captandis.

DVACENSE FRANCISCANORVM DOMICILIVM QVANDO FVERIT CONDITVM.

Qui velit Duacum inductam virorum S. Francisci familiam, dum flueret Christi annus à millesimo & ducentesimo trigesimus, Franciscum Gonzagam eius Ordinis Ministrum Generalem reperio. Is enim in eo volumine, quod de Prouinciis, & domiciliis sui Ordinis conscripsit, ita loquitur: *De Conuentu in vrbe atque Alma Vniuersitate Duacensi Cathuacorum, ad Scarpi fluminis ripam exstructo, nihil antiquum neque in Archiuis Conuentus, neque in vrbis Annalibus inueniri potuit, quòd Conuentus ab hinc triginta annis fortuito incendio conflagrarit: domus etiam ciuica cũ omnibus antiquitatis monumentis & libris, ante annos ferè centum, simili damno fuerit affecta. Attamen quantum ex vetustissimis quibusdam sepulturis marmoreis conijcere licet, videtur initia habuisse circa annum Domini* 1230. *opera & eleemosynis quorumdam nobilium & piorum ciuium*. Verùm aliter sensit F. Amatus de Ricquebourt Duacensis quondam cœnobij alumnus, ea vir ætate, vt à professione religionis annos plusquam quinquaginta exegerit. Anno siquidem millesimo ducentesimo, & quinquagesimo tertio initia sui monasterij assignat. Seruatur hodiéque in huius Conuentus Archiuo libellus eius manu conscriptus, in quo inter alia hęc leguntur: *Anno Domini* 1253. *recepti sunt Fratres Minores Duaci, & locus habitationis illis assignatus, anno videlicet* 27. *post obitum S. Francisci.*

IN DIFFICVLTATIBVS PRO MINORIBVS LABORAT CONRADVS ARCHIEP. COLON.

Quas verò difficultates, quæ infortunia passi sint huius domûs Ascetæ, ac in iis quam Conradi Coloniensis Antistitis protectionem & operam experti, apud eundem ita reperio: *Eodem tempore dominus Conradus Archiepiscopus Coloniensis, Ordinis, &*

priui-

A *priuilegiorum conseruator, scripsit litteras Abbati S. Nicolai de Pratis iuxta Tornacum, vt nomine & vice eiusdem defenderet Fratres istius Conuentus Duacensis, quos molestabant Decanus, Curatus, & Clerici ecclesiæ S. Petri Duacensis.* Posset aliquis arbitrari hæc ad eas Belgij turbas esse reuocanda, quibus Parochos, & Mendicantium Ordines acerrimè digladiatos refert Iacobus Meierus anno supra millesimum & ducentesimũ octuagesimo quinto. Sic enim is habet: *Cùm Fratres Iacobitæ & Minoritæ intermiscerent se officijs Pastorum, motum in ecclesia concitauerunt. Confessiones enim laicorum absque consensu pastorum audire sibi sumpserant, adeòque turpis hinc nata est rixa, vt in apertas erumperet contumelias, non absque magno totius ordinis ecclesiastici dedecore. Hinc tot inuectiuæ, tot apologiæ, rixosi famosique tunc temporis conscripti libri.* Verùm si Democharis catalogum sequamur, nondum eo tempore Conradus Coloniensem erat pontificatum adeptus (quanquam, vt posteà videbimus, parum ad temporum numeros huius auctoris exactus est index:) éstque vero similius aliã ob causã ab iis, B quos diximus, affectos molestiis Minoritas. Certè cùm ea litteris F. Amatus mandasset, quæ iam protulimus, hæc continuò subiecit: *Et Episcopus Atrebatensis Iacobus nomine concessit eisdem Fratribus liberam sepeliendi facultatem pro ijs, qui sepulturam apud eos eligerent.* Vt omninò detur nobis occasio cogitandi, ob sepulturam quorumdam in templo Franciscanorum religiosorum humo traditorum exortam fuisse aduersus eos contentionem. Fuisse verò hunc pontificem quo de agitur, Iacobum Dinantium mihi persuadeo, quem constat infulis Atrebatensibus donatum anno post millesimum & ducentesimum quadragesimo septimo, è viuis autem sublatum eiusdem sæculi anno sexagesimo. Etenim ab eo nullus alius nominis huius antistes reperitur, qui pontificatum Atrebatensem administrauerit, priusquam Iacobus Conimbricensis ad eum fuerit euectus, quem magistratum anno 1452. iniuisse, & paucis mensibus tenuisse referunt Atrebatenses tabulæ. Vt verò ad Conradum Coloniensem Archiepiscopum reuertamur, ex Ioanne Tritthemio clarissimum euadit, *In Chron. Hirsaug.* C cum anno partæ salutis millesimo ducentesimo & trigesimo septimo Coloniensi ecclesiæ admotum fuisse, anno deinde sexagesimo viuis exemptum, vt planè magistratus eius omnes Iacobi Dinantij pontificatus annos fuerit complexus. Igitur quidquid causæ Decanus & Pastor S. Petri arripuerint vexandis Duacensibus Minoritis, tantùm abest vt ad quintum & octogesimum dicti sæculi annum potuerit prorogari, vt etiam infra sexagesimum reuocari debeat, quo vitam quoque amisit Iacobus Dinantius, cùm Fr. Amatus & patrocinium Conradi aduersus Decanum aliósque, & priuilegium eiusdem Iacobi eisdem videatur temporibus tribuere. Si quis autem ista existimet ad Christi annum 1257. referenda, quo potissimè generalis aduersus Dominicanos & Minores persecutio grassata est: nòn inficiabor equidem potuisse tunc propter præbitas excipiendis pœnitentium peccatis aures nonnihil pati Duaci Minores; quòd hoc inter alias exortæ oppugnationis causas censeretur.

Ceterum idem F. Amatus dum huius Asceterij calamitates scribendo prosequitur, hæc de luctuoso eius incendio proponit: *Item anno 1553. mensis Aprilis sexta die circa* D *horam secundam mediæ noctis igne fortuito lignarium in medio claustri situm succensum fuit, & spatio trium horarum cum dimidia, templum, duo dormitoria, sacristia, refectorium, campanile cum quinque campanis, aquila ænea in choro sita, omnia candelabra, & singulæ altarium tabulæ consumpta sunt; manente tamen diuino miraculo pala integra, & vase intacto, in quo inclusum erat augustissimum Christi corpus. Præseruata etiam fuit peluis, siue vas, in quo asseruatur aqua lustralis in naue ecclesiæ. Et ceteris altarium tabellis in cinerem redactis, sola tabula sacelli Conceptionis remansit intacta, quæ adhuc hodie propter singularem picturæ & pictoris excellentiam ab omnibus conspicitur ad maiorem filij matrisque virginis Mariæ gloriam.* Et paullò pòst: *Tale verò infortunium opinione aliquorum superstitum accidit malitia Germanorum, Duaci tunc temporis existentium, qui vt latrocinia sua facilius exercerent, dicuntur ignem in lignarium prædictum iniecisse.* Non leuem porrò Duacensis populi aduersus hoc cœnobium liberalitatem arguit adeò festinata contignationum & tectorum instauratio, vt breui spatio in ligna structu-

A
ſtructurámque impenſis ferè duobus & viginti florenorum millibus (quæ tum erat grandis pecunia) elegantiùs quàm anteà monaſterium erigeretur. Cùm laberetur Incarnati Domini annus poſt milleſimum & quadringenteſimum ſeptimus & trigeſimus, inſigni hoc Aſceterium è totius Galliæ domibus miſſorum Patrum conſeſſu floruit.

TRINITARII DVACENSES.

Iam autem, vt à S. Franciſci aſſeclis ad cetera religioſarum familiarum domicilia progrediamur, quæ duo propoſui monaſteria paucis expediam verbis. Horum priùs eſt eorum ſacrorum hominum quos Trinitarios appellant, quíque ex Ioannis de la Mathe inſtituto vitam traducunt, & Chriſtianis apud Turcos in ergaſtula & triremes coniectis è diriſſima ſeruitute aſſerendis operam impendunt ſingularem. Id Duaci collocatum eſt anno circiter milleſimo ducenteſimo & quinquageſimo ſecundo. Parentem eius ferunt Eurardum à S. Venantio inſigni virum virtute, & ſtemmatis nobilitate præditum. Exigua fuerunt eius initia. Et quibus nunc ſurgit, ædificia quædam nondum ſæculum vnum patiuntur, quædam ſtructa ſunt nuperrimè. B

CRVCIFERI LANNOYENSES.

Alterum habet monaſterium Lannoya, quod Cruciferi admodum pauci cum Priore incolunt. Fundatorem hi ſuum agnoſcunt Ioannem Lannoyum, qui aureo fulgens vellere arcem oppidúmque Lannoyanum condidit, vitámque anno 1492. exuit. Præter domum templúmque à parente ſuo parum accepere. Aliunde plus cenſuum ipſis prouenit.

De Beginis, D. Claræ virginibus, ſanctæ Magdalenes Pœnitentibus, Leucophæis ac Nigris Sanctimonialibus.

C

CAPVT XXXIV.

NVNC verò etſi non ſim neſcius Beginas inter religioſos Sanctimonialium cœtus minimè his in partibus cenſeri: quia tamen nonnulla his eas proximè coniungunt (quandoquidem veſtis aliquid religionis oſtentet, cælibem ipſæ ducunt vitam, in contuberniis, vel intra ſepta, commorentur, & quoſdam orationis gratia conuentus habeant:) non putaui quidquam alienum ab inſtituto meo me facturum, ſi quid hîc de earum in Gallo-flandriæ tractu initiis & fundatione inſeram. Pluribus hîc olim quàm hodie locis Beginas conſediſſe reperio.

BEGINÆ DVACENSES.

Suas enim Orchienſes habuere. Quæ nunc Duaci conſpiciuntur, longam ferunt ætatem. Harum originem à tribus iis repetere licet Sororibus, quas Duaci ortas initium dediſſe Pratenſi monaſterio diximus, ac in eo extra muros vrbis campo, quem Floridum vocabant, ſedem primo fixiſſe. Quos enim Rythmos de Pratenſis Parthenonis primordiis ſuprà retulimus, hæc ij diſertè de ipſis proponunt: D

Illic ſimul permanſerunt pauca cum ſocietate,
Beginæ námque fuerunt à prima ſui ætate.

Qui præcipua liberalitate contubernium illic conſtituendi occaſionem præbuit, Werinus Mules fuit appellatus. Is enim illis quam eo loco domum habebat, ſponte donauit, vt hi Rythmi fidem faciunt:

In loco dicto de Pratis manſum & manſiuncula
Erant: benè vellent, quòd hîc fierent habitacula.
Qui dictus Mules Werinus tunc dictum locum poſſedit.
Vt Deo ferretur hymnus, his liberè manſum dedit.

Quia verò ex monumentis Duacenſibus in confeſſo eſt Werinum aliquem cognomento Mules, vita nudatum fuiſſe, cùm milleſimus ducenteſimus & ſeptuageſimus

Chriſti

A Christi annus procurreret: nulli dubium esse possit, quin admodum diu ante hoc tempus si cum nostro idem fuerit, dictis virginibus id munus impertierit; ac ideò longissimam duxerit vitam: cùm satis è Rythmis iam citatis colligatur, ante Christi annum post millesimum & ducentesimum octauum & decimum memoratas virgines loci iam nominati possessione donatas fuisse. nisi velimus (quòd verius esse arbitror) eiusdē nominis & cognominis virum alium, ac forsan eius, quo de agimus, filium, assignato demum tempore mortem oppetiisse. Postquam autem quæ primę locum eum insederant, Cistertiensem Ordinem Beginæ sunt adeptæ, alibíque monasterium in proximo struxere: alię atque aliæ in eodem fœminę Beginarum nomine institutóque florentes commoratę fuerunt. Verùm elapsis annorum plurimorum curriculis, cum denique anno virginei partus millesimo quadringentesimo & septuagesimo septimo in vrbem Pratenses Virgines deducere Flandrorum Principi Marię placuisset, ínque veteri Campi floridi domicilio, quod iam intra mœnia vrbis B conclusum erat, rursus constituere: Beginis inde loci demigrandi necessitas fuit iniecta: ab eóque tempore contubernium incoluere, quod hospitale des Wes prius vocabatur.

De Insulensibus Beginis ad S. Petri portam in suburbio degentibus hæc accipio. Eas anno à Christi natalibus millesimo ducentesimo & septuagesimo septimo institutas. Locum eis censúsque Margaretam Flandriæ Comitem dedisse. Huius filium Guidonem, qui matrem in Flandriæ Comitatu excepit, à vectigalium & tributorum pensione immunes fecisse, dummodo neque negotientur, neque ciues sint Insulenses, neque possessionibus ab Insulensi magistratu pendentibus fruantur. INSVLENSES BEGINÆ.

De Sanctimonialibus quæ curam ægrotorum in Nosocomiis Comitissæ, S. Saluatoris, S. Ioannis Baptistæ, intra muros Insulenses; Theonmolino iuxta Orchiacum; ac D. Virginis prope Siclinium, & Cominiensi suscipiunt, diuíque Augustini regulas sectantur; dein etiam de virginibus Leucophæis, quæ Duaci ægris in C S. Thomæ Valetudinario dant operam; ac Nigris Sororibus quæ morbidas mulieres curant Roubaisiæ, nihil modò dicere institui: quod de ipsis opportunior scribendi occasio dabitur, cùm de Nosocomiis ab ipsis insessis erit dicendum.

Igitur nunc ad eas sanctimoniales transeo, quæ D. Claræ institutis sese percolunt, & summa gaudentes paupertie carnium esu abstinent, nudísque pedibus incedentes visitantium se & alloquentium vultibus interiecto velo facies subtrahunt. E duobus harum domiciliis plus habet ætatis id quod Insulæ conspicitur. Ad Christi annum millesimum quadringentesimum & trigesimum quartum eius initia referuntur: ipsúmque permissu Senatus Insulensis Philippi cognomento Boni Burgundiæ Ducis vxor condidit. Angusta fuerunt principio ædificia, quòd in frequentissimo vrbis tractu hoc situm sit monasterium. Nunc multò pluribus & commodioribus tectis assurgit, productis denique latiùs terminis partim Senatus, partim ciuium impensis ac sumptibus. CLARANÆ INSVLENSES.

Longè recentius est huius Ordinis cœnobium, quod intra mœnia Duacum osten- D dit. Id nuperrimè Senatus admisit, cùm supra millesimum & sexcentesimum tertius ac decimus verteretur annus. Merchemij dominæ liberalitas eius inchoandi parthenonis occasionem præbuit. Ea se ex Gyneceo Serenissimæ Belgarum Principis Isabellæ, cui magna cum laude præerat, dum in Claranum Audomaropoli domicilium recepisset, eodémque è liberis filiam duxisset, multa aureorum millia D. Claræ familiarum in Belgio moderatori supremo liberaliter obtulit in aliquod pium opus eroganda. Quòd plerique arderent huius Ordinis latiùs promouendi desiderio, ac nusquam alibi, quàm Duaci opportunior erigendi monasterij locus daretur: in ea hic vrbe domicilium statuendi mentem concepit, nullóque negotio facultatem id peragendi obtinuit. Igitur ea, quam Merchemia tribuerat, pecunia ædes hortíque protinus comparati, & coloniam eò Stegrensis Comes Audomaropoli deduxit mense Iunio. Vix fama increbuerat cœpti huius Parthenonis, cùm multæ virgines partim opulentæ, partim nobili ortæ loco, ad eum capessendæ reli- CLARANÆ DVACENSES.

gionis

gionis gratia conuolarunt: quò sanè perfectum est, vt non leuia is paucis admodum annis incrementa cœperit. A

GRISEÆ SORORES BASSEÆ.

Inter cœtus virgineos quibus D. Francisci regulam complexis habitus Grisearum vel Leucophæarum cognomen attulit, primam, ni fallor, antiquitatem is obtinet, quem Bassea ostentat. Eius originem si repetamus, ante millesimum, quadringentesimum & quinquagesimum erit perquirenda. Ferunt enim paullò priùs tres eius oppidi viduas mulieres eam animo mentem induisse, vt collatis in vnum bonis omnibus suis, xenodochium excipiendis peregrinis exstruerent, ibíque horum necessitatibus operam ipsæmet impenderent. Postquam ex tolerato aliquamdiu hospitalitatis exercitio, vitam cum morte mutarunt, in pios Senatum vsus eius loci redditus ex animi sententia expendisse. E Flandria postmodum Basseam venisse virgines D. Francisci regulam professas. hîc iuxta xenodochium iam dictum sedem exiguam magistratus venia incoluisse, ac impositum sibi munus peregrinos excipiendi curandíque suscepisse. Hæc parua igitur initia parthenonis huius reperio. Progressus verò insignes primùm Margaretæ de la Fosse, quæ mater cœtum eius annos 42. egregiè moderata est, debentur; deinde sorori Adrianæ Meluniæ, ac parentibus eius Hugoni Vicecomiti Gandauensi, & Ioannæ Horniæ; quorum certè liberalibus eleemosynis data est occasio Margaretæ pulcherrima struendi ædificia, & postmodum Adrianæ, cùm eius in locum successisset, nonnulla moliendi, postquam præsertim eius mater in idem se monasterium recepit. Floret sanè hic locus & insignium virginum cœtu, & multa præclaræ disciplinæ ac virtutis opinione: vixque vnquam virginibus insigni nobilitate fulgentibus caruit. B

GRISEÆ SORORES ARMENTERIÆ.

Vt generis huius Sanctimoniales Armenteriæ constituerentur, anno millesimo quadringentesimo & octuagesimo primo cœptum est agitari vehementiùs. Id Iacobus Luxemburgius Fiennarum & Armenteriæ toparcha perficere instituerat. Priùs tamen hic è viuis morte sublatus est, quàm religiosum id propositum ex animi desiderio exequeretur. Neque verò antè Iacobus paternarum heres ditionum, qui Villæ dominam matrimonio sibi iunxerat, id quod parens facere intenderat, compleuit, quàm post Christi natiuitatem millesimus quadringentesimus & nonagesimus quartus inierit annus. Tunc enim demum is effecit, vt S. Francisci virgines Armenteriæ collocarentur, iísque Hospitalis peregrinorum cura commendaretur. Quæ primæ hîc cum Sorore Margareta de Rosimbos sedem capesserent, ex Wisebeca, vel Brugeletta virgines deductæ sunt. C

GRISEÆ SORORES INSVLÆ.

Data est ab Senatu potestas Griseis Sororibus Insulæ domicilium figendi anno millesimo & quingentesimo, cùm eam Regulus Moulenbaisius Gallo-flandriæ Gubernator, & M. Guilelmus Domessent Rationum Curiæ Præses flagitassent.

GRISEÆ SORORES ORCHIACI.

Vbi nunc Leucophææ virgines spectantur in Orchiacensi suburbio, Beginis olim sedes fuit. Verùm anno supra millesimũ octauo & trigesimo ex Briffoliensi Parthenone Franciscanas tertiæ regulæ Sanctimoniales euocare placuit, quibus id domicilium donaretur. stabilitáque his ea possessio est à Sedis Apostolicæ Legato, dum Christi annus millesimus quingentesimus & sexagesimus sextus procurreret.

SORORVM GRISEARVM S. IVLIANI DOMVS DVACI.

Anno præteriti nuper sæculi octuagesimo in Duacensem vrbem admissæ sunt eiusdem Ordinis virgines, quibus à S. Iuliano inditum cognomen est. Eæ priùs in Flandria morabantur. Verùm exortis Belgij tumultibus intestinis inde fuerunt depulsæ. Qui præcipuam fundatoris earum laudem meruit, is fuit Ioannes de la Fosse Courcellarum regulus, à quo pars templi nobilior exstructa est. Secundùm eum magnis hanc domum eleemosynis prosecutus est D. Warnerus Dauræus Aquicinctensis monasterij Antistes, ob necessitudinem sanguinis, quam cum primaria earum sanctimonialium habebat. D

POENITENTES D. MAGDALENES INSVLÆ.

D. Magdalenes Religiosæ, quas vulgò Pœnitẽtes, quòd è cœno vitiorum ad vitam se honestam recipiant, solẽt nuncupare, suum Insulæ fundatorem agnoscunt Ioannẽ de le Cambe, aliàs Gantoisum nominatum, magna virum pietate præditũ, & multis pollentem opibus. Ad Christi annum millesimũ quadringentesimum & octogesimũ primũ ędes hic iis attribuit prębente cõsensum Senatu, & curam eius loci recipiente.

Quæ

A

Quæ ſunt apud Gallo-flandros Collegia Societatis Ieſu, à quibus condita, & fundata?

CAPVT XXXV.

Duacense Societatis Iesv Collegivm qvis fvndaverit.

EORVM quæ Societas Ieſu in Gallo-flandriæ vrbibus habet, domiciliorum eſt vetuſtiſſimum Duacenſe Collegium. Parentem id obtinuit Ioannem Lentaillieurum Aquicinctenſis monaſterij Archimandritam, placidiſſimis, & ſanctiſſimis moribus florentiſſimum, eiúſque loci Conuentum. Is Abbas cùm eſſet Pariſiis, in hominum dictæ Societatis cognitionem deuenit, ac ſæpenumerò cum iis amicè, & familiariter conuerſatus, non leuiter eorum virtutibus
B ſcientia, & ſuſceptis adiuuandi populi cauſa facinoribus ad Societatis amicitiam impelli ſe ſenſit, & laboribus eius in Belgio fruendi latiùs deſiderium. Cùm igitur anno poſt milleſimum & quingenteſimum ſecundo & ſexageſimo Romanorum Pontificis venia, & Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis decreto in vrbe Duacenſi ſtudiorum vniuerſitas erigeretur, magna hunc Antiſtitem Socios in partem eius Academiæ aduocandi, & quod exſtruere parabat, iis Gymnaſium ad erudiendam iuuẽtutem tribuendi, cupido inceſſit. Et non leuis erat ipſi ad hoc inchoandum peragendúmque incitamẽto Ioannes Venduillius Gallo-flander, qui primarius Doctor è pulpito publico Ius explicabat. Hæc enim de ipſo ſcripſit Nicolaus Zoëſius, cùm vitam eius litteris mandaret: *Torquebat eum intereà Vniuerſitatem Duacenſem nobili carere membro, Collegio Societatis Ieſu, in quo iuuentus litteras cum pietate doceretur. Quamobrem ſummo ſtudio egit apud præſtantiſſimum Abbatem Aquicinctinum D.*
C *Lentailleur, cui charus, & officijs erat coniunctus, Vt docendi prouinciam in Collegio à ſe erecto Patribus demandaret. Placuit optimo Abbati nonnullis obſtantibus, & reclamantibus conſilium, quibus dominus Venduillius magnò fortunularum ſuarum diſpendio obuiam iuit, cunctáque obſtantia prudentia ſua, Vigilantiáque diſſipauit: quòd Videret conſilium iſtud ſalutare eſſe, Patréſque in eo Collegio facturos fructum longè maximum, probans Vehementer totius Societatis negotia omnia.* Ita quidem Nicolaus non ea certè mente, vt iam tum ab initio conditi ab cœnobiarcha Gymnaſij curam noſtræ Societatis hominibus impoſitam, eámque ab his ſuſceptam velit. Nihil enim tunc ab eo pientiſſimo viro, varias ob cauſas, eorum, quę ardenter deſiderabat, perfici potuit. Fruſtráque anno eiuſdem ſæculi quarto & ſexageſimo è Sociis Duacum adierunt inchoandi Societatis Ieſu Collegij cauſa P. Euerardus Mercurianus: & P. Balduinus ab Angelo: quòd multa tum etiam multis erumpentibus difficultatibus ſpes affulgeret, domicilium ibi ſtatuendi, & aperiendi gymnaſium. Plus oblatum ſpei videbatur in ſcholas iuuenes ab Sociis cogendi, cum biennio pòſt è ſacerdotibus noſtris duo propter Iconoclaſtas Tornaco profugi Duacum iuere: ibi-
D que partim publicè controuerſis noſtro ſæculo quæſtionibus, & ſacris è pulpito concionibus populum imbuerent: partim litteris humanioribus intra priuatos parietes iuuentutem inſtituerent. Vt enim nonnullorum aliorum proborum hominum deſideria, ſic Ioannis Abbatis publici boni cupidiſſimi animum hęc vehementer accenderunt, vt Socij eius Gymnaſij cuius auctor erat, lectionibus pręficerentur. Iis tamen, quos diximus, Patribus ab Superioribus inde reuocatis, alióque tranſmiſſis, noua omnes noſtræ Societatis cupidos homines mœſtitia inuaſit. Duóque prorſus anni effluxerunt, priuſquam in partem excolendæ iuuentutis Academicæ Sociorum aliqui conceſſerint. Cùm igitur & Collegium Aquicinctinum, & aliquod Societati domicilium ſtruere cœpiſſet Archimandrita, & conſentientibus monaſterij ſui Religioſis, aliquos ei cenſus conſtituiſſet anno milleſimo quingenteſimo & ſexageſimo octauo, ſub finem Octobris à Sociis nouam, ſed arctam domum inſidentibus, in Aquicinctenſis gymnaſij variis exedris doceri cœptum eſt:

Qvando fverit inchoatvm Dvacense Collegivm, et qvando ab Sociis coeptvm doceri.

eodémque tempore humaniores litteræ ab quinque Societatis præceptoribus gratis, ab externis hominibus philosophorum placita cum Minerauli (hoc enim fuit Artium facultati concessum, quæ magnopere contendebat tunc, ne Socij Philosophicas haberent lectiones, quòd absque didactris munus philosophiæ candidatos instruendi vellent suscipere) ab vno è Patribus de rebus diuinis quæstiones explicatæ sunt. A

Vix natum id erat Collegium Societatis, cùm Summus Pontifex Pius eius nominis Quintus eius libertati patrocinatus, hoc diploma conscripsit.

HVIC COLLEGIO LIBERTATEM IMPERTIT PIVS V. PAPA.

Pius Papa Quintus Dilectis filijs Rectori & Collegio Duacensi Societatis Iesuitarum. Dilecti filij salutem & Apostolicam benedictionem. Quia Societatis vestræ Collegia, quæ apud multas variarum Prouinciarum ciuitates constituta reperiuntur, animarum saluti fideique Catholicæ tum propagandæ, tum conseruandæ, tum restituendæ magnoperè vtilia accommodatáque esse, intelligimus; idcircò Collegium vestræ Societatis sumptibus monasterij Aquicinctensis, eiúsque Abbatis, nuper istic constitutum esse cognoscentes, & magna ex ea re lætitia affecti sumus, & monachorum eorum, qui in opere B *tam egregio perficiendo de Religione quàm optimè meruerunt, pietatem, charitatem, deuotionémque vehementer in Domino commendauimus. Eius enim opera non solùm eadem animæ lucra, Domino adiuuante, prouentura speramus, quæ ex reliquis eiusdem Societatis Collegijs & anteà prouenisse, & nunc quàm maxima prouenire compertum habemus: sed etiam vniuersitati ipsi in ista ciuitate nuper institutæ magnum ornamentum vtilitatémque allaturum esse iudicauimus: à cuius quidem Vniuersitatis iurisdictione prædictum Collegium, quod ex viris religiosis constat, non solum quoad ipsorum personas, & bona, sed etiam quoad scholas siue Grammaticæ, siue humanarum litterarum, siue Rhetoricæ, aliarúmque liberalium artium, liberum, immune, exemptúmque esse volumus, & harum litterarum Apostolica auctoritate decernimus, atque statuimus: sic vt neque eiusdem Collegij magistri vllo iuramento Vniuersitati obstricti sint, & quæ sunt eorum consuetudinis institutique propria, hæc omnia nullo* C *impediente retinere & conseruare possint. Quòd si eidem Collegio cum vniuersitate conuenerit, vt eius ipsius Vniuersitatis pars sit, hoc tamen sine vllo prædictæ ipsius immunitatis, exemptionísque præiudicio fieri volumus, & mandamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 3. Nouembris 1568. Pontificatus nostri anno quarto.*

Secuti proximè anni principio Aquicinctinus Abbas Ioannes id quod antè facere constituerat, erga Socios vehementiori perculsus in dies amoris affectu, perfecit. Etenim consentientibus cœnobij sui Religiosis, & Collegium & certos redditus annuos Societati donauit in perpetuum. Cuius insignis sanè piique muneris testes litteras hoc loco in medium proferre non grauabor, tum quòd eæ plenæ sint zeli Christiani ac religionis, tùm quòd minimè nos deceat id publico sepelire obliuio, cuius perpetuam nos alere memoriam grati animi officium postulat. In hunc igitur eæ modum scriptæ fuerunt.

LITTERÆ FVNDATIONIS COLLEGII SOCIETATIS IESV DVACENSIS.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, Amen. Notum sit omnibus præsens instrumentum inspecturis, præsentibus & futuris, quòd nos Ioannes *Lentailleur Abbas, & Religiosi Conuentus S. Saluatoris Aquicinctensis, Ordinis sancti Benedicti, Diœcesis Atrebatensis iure Ordinario eidem subiecti, iam pridem non absque animi nostri dolore considerantes temporum, in quæ incidimus, calamitatem, tot animas, pro quibus Christus Dominus & Deus noster mortuus est, perire, tot periclitari, esse tantam raritatem eorum, qui huic malo subuenire possint, vel velint, tantam paucitatem eorum, qui ritè ad Clericatus, & pastoralis curæ statum vocari, vel promoueri possint: & iuuentutis institutionem negligi, quæ si pijs & Christianis moribus cum* D

litteris

A litteris coniunctis instituatur atque informetur, certum ac præclarum seminarium sit, vnde Respublica Christiana restauretur, ac floreat, pestilénsque hęreticorum doctrina euitetur, atque confutetur: hæc, inquam, non sine magno dolore apud animum nostrum considerantes, & recenti etiam hæreticorum impietate atque insania, maiorem in modum aucto; nuper communi hoc nostro zelo atque desiderio rationem inire cœpimus, qua pro nostra mediocritate huic tanto malo possemus, Christo propitio, opitulari. Animo itaque concepimus in Vniuersitate Duacensi, loco, vt opportuno & studijs dicato, ita non longè à nostro Monasterio distanti, quatuor Collegia, seu domos erigere, ac fundare; vnam quidem ac primam, in qua minores, & qui adhuc virga reguntur, habitent, salutaríque, & illis conuenienti disciplina contineantur. Secundam, in qua sint grandiores, ac ij præsertim, qui decurso philosophicorum studiorum curriculo, animum iam ad sacros ordines, & pascendum aliquem gregem dominicum adiecerunt. Tertiam eis destinatam, quibus sua, quod aiunt, quadra, vel ob fortunæ tenuitatem, vel quacumque alia ex causa viuere erit commodius. Hisce tribus quartum Collegium adijcere constituimus, in quo Præceptores habitent, qui vniuersam nostram iuuentutem piè, fideliter, & gratis, sine didactris doceant, minores quidem Grammaticam ab ipsis rudimentis, litteras politiores, Rhetoricam, linguam Græcam, vsque ad Logicam Aristotelis exclusiuè, idque vt minimum quinque classibus: maiores verò, & qui ea studia pretergressi ad sacros Ordines se iam parant, quæ ad doctrinam Christianam populo proponendam, & curam pastoralem pertineant. Cùm autem difficultas sese offerret idoneos Pręceptores reperiendi ad iuuentutem in litteris iuxtà ac pietate instituendam: occurrerunt nobis Patres Societatis Iesu, quibus (quòd iuuentutem præter bonas litteras pijs ac Christianis moribus erudire passim soliti sint) quartum istud Collegium Professoribus destinatum offerre & donare decreuimus, in quo vna eadémque opera & trium prædictorum Collegiorum studiosos, & promiscuè omnes, qui ad eorum scholas venire voluerint, gratis, & sine vllis didactris, piè & Christianè (vt dictum est) instituant. Modus autem ac ratio futuræ huius fundationis sic à nobis concepta est: primùm vt domum ædificemus Duaci Patrum habitationi commodam cum area & horto: locum item satis amplum adijciamus, iam à Patribus designatum, in quo templum possit ædificari, ac potestatem eis fieri procuremus eius ædificandi, cùm res ipsorum & facultates ferent. Dabimus etiam operam, vt sacellum commodum impetremus in proximo templo, vbi liberè Patres Societatis exercere possint sua ministeria spiritualia, donec templum ipsorum fuerit ædificatum. Addemus verò etiam, & eorum Collegio applicabimus in huius fundationis initium, annui & perpetui census florenos mille, quorum quilibet valet viginti stupberos monetæ Flandricæ; qui redditus si vel in totum, vel ex parte eius sint conditionis, vt numerata pecunia aliquandò redimi, & exstingui possint, ídque euenerit, eiusdem redditus pretium confestim deponi volumus apud viros bonos, quos de consensu nostro & successorum nostrorum prædicti Patres Societatis elegerint, prima quaque opportunitate in consimilem redditum necessario & sine mora (ne quid Societati ex cunctatione nas-

catur dispendij) refundendum. Itaque quod sit ad maiorem Dei gloriam, multarúmque animarum salutem, & Ecclesiæ. Nos Ioannes Lentailleur & Religiosi prædicti donamus dictæ quartæ domui, & Collegio Duacensi, quod erit Societatis Iesu, mille florenos annui census aßignatos iuxta tenorem duorum instrumentorum desuper confectorum anno Domini 1568. prioris 15. Octobris pro summa quingentorum viginti vnius florenorum septemdecim stupherorum & sex denariorum; posterioris verò 15. Februarij pro summa quadringentorum septuaginta octo florenorum duorum stupherorum & sex denariorum; quibus volumus vt e Societate, vt minimum, tredecim alantur. Atque hos redditus, quandò à nobis, vel nostris successoribus continget augeri, vt iuxta proportionem eandem plures alantur; ex quibus omnibus octo erunt, vt minimum, qui huic susceptæ prouinciæ sufficere poßint docendæque iuuentuti: reliqui verò præter operarios, officiales, & ministros Collegij nostri, sint studiosi de Societate posteritatis seminarium. Applicamus prætereà & donamus nunc pro tunc, & tunc pro nunc domum commodam cum horto iam muris cincto, & area, cum onere tamen minutorum censuum, qui non excedunt summam trium florenorum, in qua Patres & Fratres habitare poßint, iam inchoatam, & à nobis primo quoque tempore perficiendam & locum prætereà pro templo ędificando. Confirmamus ad hæc, & promittimus nos bona fide curaturos, vt liberum & commodum vsum capellæ alicuius in templo S. Iacobi pro Patribus impetremus, in qua sua exercitia spiritualia tantisper exercere poßint iuxta suum institutum, donec templum ipsis commodum cum dicta potestate à nobis impetranda erectum fuerit. Illos autem redditus, & quæ diximus omnia applicamus & donamus Collegio consentiente Reuerendißimo Episcopo Atrebatensi domino Francisco Richardoto superiore nostro, sperantes breui confirmationem cùm à Summo Pontifice, tum à Serenißimo Rege nostro, quo ad res postulabit. Reseruantes nihilominus nobis nostrísque successoribus reliquarum trium domorum seu Collegiorum proprietatem cum omni eorum administratione, ac dispositione, sic vt nihil omninò iuris in illa prædicti Patres sibi vendicare poßint; relicto tantùm Societati prædicto docendi, & iuuentutem ad pietatem informandi gratis (prout habet ipsorum institutum) & sine vllis didactris officio. Si verò Patres per se munus docendi prorsus intermitterent, nec moniti resumerent, & in quocunque euentu ipsi Collegium desererent: tunc volumus domum eorum cum dote integra ad nos successoréſque nostros redire, alijs tradendum institutoribus. Et proinde vt prædicti Patres in munere suo docendi iuxta suum institutum meliùs perpetuò contineantur, nec ab eo deficiant, satis arbitrati sumus nostro Collegio in Vniuersitate Duacensi fundato esse prospectum, si leges studiorum & disciplinæ scholasticæ remedia, aut cautiones contra eiusmodi defectus & pericula perpetuò habituri simus, communes cum Collegijs Societatis Iesu, Parisiensi scilicet, Louaniensi, & totius Belgij. Volumus itaque, vt quidquid remedij, vel cautionis huiusmodi, vel etiam priuilegij, de quo legitimè constiterit, alicui istorum Collegiorum, Louaniensi scilicet & Parisiensi, & omnium Collegiorum Belgij per Præpositum Generalem Societatis, aut Congregationem generalem in professionem Grammaticæ,

A *humaniorum litterarum, & Rhetorices donatum est, aut in posterum donabitur, etiam huic nostro proportionaliter censeatur esse donatum aut concessum, ita vt his vti possimus. Et si fortè quædam animaduersione querelàque digna eueniant, quibus his legibus, aut cautionibus occursum non esset, vel omninò vbi res animaduersione digna videretur; volumus nobis, nostrísque successoribus semper liberum esse, pro eiusmodi coram quocumque Societatis iudice competente, superioribus scilicet Societatis, vel Summo Pontifice agere, & correctionem pro rei qualitate vrgere. Denique singulare est istud, quod cupimus Patribus Societatis diligenter commendatum, tamquam præcipuam huius nostri instituti partem, & intentionem, vt iuuentus pijs Christianísque moribus in timore Dei instituatur, & qui ad pastoralem functionem aliquandò apti videbuntur, ita*
B *informentur institutione Catechismi, aliorúmque, quæ hoc munus requirit, vt ecclesiæ Dei vtiles efficiantur. Sed quia spiritualia eiusmodi exercitia ipsius Societatis instituto sunt propria, nos ab his aliam obligationem non requirimus. Atque hæc eorum summa est, quæ per Dei gratiam Nos Ioannes Lentailleur, Abbas, & Religiosi Conuentus S. Saluatoris Aquicinctensis pro nostro in Rempublicam studio, Societati Iesu super oblato à nobis Collegio proponenda indicauimus, Reuerendum P. Franciscum à Borgia eiusdem Societatis Præpositum Generalem rogantes, vt dicti Collegij applicationem, donationem, dotationem à nobis hunc in modum factam, cum prædictis aliquando augendi, non grauatim ad Dei honorem & gloriam, reipublicæ Christianæ salutem recipiat atque admittat, animúmque adijciat, vt id rectè, & pro noua*
C *Academiæ dignitate instituendum curet. Aquicincti 17. Ianuarij anno Domini 1569.*

Has litteras cùm scripsissent, ac Sociis tradidissent Ioannes Archimandrita & Cœnobitæ Aquicinctentes, nihil antiquius habuit Societas, quàm vt eas Franciscus Richardotius Atrebatensis Pontifex suo firmaret assensu; impetratúmque facilè ab eo est, vt in hæc verba Ioannis Præsulis & Monachorum votis subscriberet:

EASDEM LITTERAS APPROBAT EPISCOPVS ATREBATENSIS.

Nos Franciscus Richardot Dei & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Atrebatensis hæc suprascripta visa priùs diligenter attestamur fuisse probè discussa, & legitimè transacta; quæ & nos auctoritate nostra approbamus, & confirmamus, teste signo nostro manuali & sigillo nostro appositis. Die 21. Ianuarij anno 1569. Erat eo tempore Duaci P. Franciscus Costerus qui Belgicam Societatis Prouinciam administrabat. Igitur is cùm à P. Generali Francisco Borgia potestatem haberet eius nomine Duacense Collegium acceptandi; hoc syngrapho postridie testatus est, Abbatis & Religiosorum se munus amplecti.

DVACENSE COLLEGIVM NOMINE P. GENERALIS ACCEPTAT P. COSTERVS.

D *Cùm finis Societatis Iesu sit in salutem, & perfectionem proximorum diuina gratia incumbere, atque ad eum non parum conferat Christianæ iuuentutis in litteris ac bonis moribus pia institutio: libenti, vt æquum est, & grato animo amplectimur ea Collegia, quæ ad hoc ipsum præstandum offeruntur ab ijs, qui zelo Dei impulsi hac in re operam eius desiderant. Quare cum admodum Reuerendus D. Ioannes Lentailleur Abbas, & Conuentus Aquicinctensis diuino instinctu ad Dei gloriam & ecclesiæ vtilitatem Duaci Societati prædictæ Collegium erexerint, in quo Præceptores habitent, qui iuuentutem, tam quæ in tribus adiunctis ipsorum Collegijs aget, quàm quæ aliunde veniet, gratis & sine didactris vllis doceant; atque illud Collegium redditibus mille florenorum dotauerunt, prout latiùs in instrumento fundationis continetur. Ego Franciscus Costerus Prouincialis Societatis Iesu per Inferiorem Germaniam, qui à Reuerendissimo P. N. Francisco de Borgia Societatis eiusdem Præposito Generali per patentes litteras ad hoc Collegium admittendum & acceptandum expressam potestatem accepi, admitto,*

 & ac-

& accepto prædictum hoc Collegium Duacense in Societatem Iesu, volóque hac auctoritate mihi concessa, vt virtute huius acceptationis nostra Societas obligata sit & adstricta omnes conditiones seruare, quæ in prædicto instrumento donationis habentur. Quod futurum speramus eo, quem optamus, animorum fructu, aspirante nobis Dei omnipotentis gratia, ad cuius gloriam hæc omnia referuntur. In quorum fidem has litteras mea manu subsignaui & sigillo communiui. Duaci 23. Ianuarij anno 1569. A

Franciscus Costerus Prouincialis, vt suprà.

Hæc igitur Duacēsis initia Collegij fuere, vt in plerisque religiosis aliorum ordinū domibus fieri solet, oppidò parua, seu locum, seu census, seu personas consideres. Exiguus scilicet tunc numerus Sociorum familiam constituebat: vt præter eos, qui domui præessent, & iuuentutem in Scholis instruerent, admodum pauci censerentur ad cetera munia necessarij, vel quos domesticæ necessitates, vel quos ciuium adiuuandorum studia deposcebant. Angustè nihilominus tam exiguo cœtui principio ædes fuere, admodúmque curta supellex, & parum competens nummorum prouentus. Verùm inter eas domesticæ rei difficultates cùm animus Sociis non deesset, adspirante numinis fauore, neruos eò contendendi, tum vt sese subigerent B patiendo, tum vt proximis eorum nihil deesse paterentur auxiliorum, quibus sese Societas vtilem studet publicis rebus præstare: equidem sensim cælesti munere perfectum fuit, vt superatis exstinctísque compluribus aduersitatum molestiis hoc denique Collegium in meliorem ac florentiorem statum euaserit: ac quodammodo naturam ilicis æmulatum per crebras sibi difficilésque tum paupertatis, tum aduersariorum oppugnationes plus virium & auctoritatis ad obeunda feliciter munera Societatis comparauerit. Si numerum hodiernum cum eo componamus, quem primis annis arctissimi parietes clausere, paullò minùs centum capitibus hæc familia proponet: quòd præter variarum disciplinarum præceptores nouemdecim, ac multos qua sacerdotes ad curam vrbis spiritualem incumbentes, aut domesticis negotiis & officiis implicitos, quà Socios tractandis tantum temporalibus, corporumque religiosæ curationi necessariis rebus destinatos; tam philosophicis, quàm sacris C subtilitatibus nauantes operam iuuenes non paucos comprehendat. Vnde frugalis & consecratis numini viris congruens victus vnà cum amictu, ac supellectili suppeditet tam frequenti cœtui, quamquam ipsi census non paullò, quàm priùs, auctiores, minimè sufficiant; haud desunt tamen diuino fauore nonnulla tum à Senatu Duacensi (cuius imprimis beneficio colligendorum è vino ac ceruisia vectigalium immunitatem hoc Collegium obtinuit) tum à plerisque præsulibus, ac nobilibus viris, ac interdum à ciuibus aliísque, non leuis momenti munera. Erectum inde nimirum à fundamentis est benè capacis altíque templi ædificium, & superbo lacunari, variísque diuorum statuis & imaginibus ornatum, ac multiplici instructum cimelio. structa indidem pleraque domus membra: & nunc insigni opere Sociorum habitationi noua moles assurgit. Vt prima lectionum incunabula reuisamus, eáque cum hodierna magistrorum frequentia conferamus: minimè Sociis per quorumdam factionem tunc licuit adolescentes in Philosophiæ adyta deducere, eósque ex Aristotelis placitis subtilibus Logicæ quæstionibus acuere, ac tum arcanorum D naturæ cognitione, tum sapientia morum instruere; vt varia fulti scientia, & tot animi præsidiis muniti, prudentiùs ac feliciùs vitæ curriculum emetirentur. Iam verò duplex Sociis apertum est Gymnasium, vbi copiosam admodum iuuentutem philosophicis opinionibus ac effatis imbuant octoni: Postquam enim animaduertisset Martianensis Archimandrita Ioannes du Ioncquoy iam inde ab eo tempore, quo remota fuerant lectionum philosophicarum impedimenta, Societatis Præceptores florentissima semper in Aquicinctensibus scholis iuuenum frequentia celebratos fuisse, dum Philosophiæ partes omnes è pulpitis explicarent; varias ob causas occlusis Grammatices, ac humaniorum studiorum exedris, è Societate quatuor sibi viros concedi flagitauit, quibus iuuentutem Philosophicis præceptis effingendi officium in obnoxio sibi Gymnasio ex suorum sententia monachorum committeret.

Igitur

Collegii Societatis Iesv Insulensis initia.

A Igitur ad Insulensis Collegij primordia me confero. Hæc in annum Christi millesimum quingentesimum, & octogesimum nonum incidêre. Desiderium Societatis in ciuium Insulensium animis duo præsertim è Sociis sacerdotes accenderunt, qui paullò antè sacris è suggestu adhortationibus, doctrinæ Christianæ capitum explicatione, peccata per exhomologesim egerentibus aures præbendo, primùm admirationem, dein etiam fructus spirituales pepererant. Non modicum deinde laboris Ioannes Venduillius Tornacensis pontifex (cuius nos anteà non semel mentionem fecimus) ab Italia iam reuersus impendit, tum vt maiorem Societatis apud ciues cupidinem excitaret, tum vt familiam eiusdem Ordinis secundùm Generalis ipsius Claudij Aquauiuæ voluntatem & veniam, intra muros Insulenses constitueret. Erátque ipsi prorsus in votis, eò Senatum Insulensis oppidi verbis impellere, vt assignato ex ærario publico censu perpetuo, iam tum Scholas à Sociis permitteret aperiri. Verùm eo tempore à Magistratu alioqui in Societatem propensissimo, & beneuolentissimo tantùm impetrari potuit, vt sedem Socij muros intra figerent, ac B tantisper bono essent animo, donec is alienum æs, quo ciuitatis ærarium ob continua bella grauiter opprimebatur, dissolutis nominibus, exoneraret. Vt initium Residentiæ Sociorum daretur, per opportunè P. Gulielmus Hangouartius, domo Insulensis, in Belgium nuper Roma rediuerat ea mente, vt quas ædes Insulæ, & possessiones variis in locis habebat, Societati attribueret. Igitur obtenta istic commorandi facultate, in conductitiam primò domum, ac subinde in P. Gulielmi ædes eo, quem diximus, anno de Sociis sacerdotes aliquot Fratrésque immigrarunt, & solitis Societatis muneribus, ad ornandos Christianis moribus & virtutibus animos, incubuere: iisque P. Gulielmus est præfectus. Vix tertius inde annus iniuerat, cùm plurimos ciuium nouus ardor corripuit Societatis scholas à Senatu flagitandi: omninóque visum iis factu est optimum, si per sacros Curiones vrbis ad eas sibi concedendas illum vehementer adigerent, perquàm efficacibus propositis rationibus. Fecere quod rogabantur, quódque ipsi peroptabant, Parochi admodum feruenter: adeóque res C secundùm eorum & ciuium vota feliciter successit; vt non modò id, quod petitum fuerat, Senatus concederet, verùm etiam publicum vrbis Gymnasium Societati donaret, milléque annuos in perpetuum ex publico ærario florenos ei constitueret ab Senatu & Societate initus tunc contractus his mandatus litteris fuit.

Qvibvs conditionibvs in erectionem hvivs Collegii conventvm fverit.

Omnibus præsētes litteras visuris, vel audituris R. Pater Oliuerius Manare Societatis Iesu in Belgio Prouincialis, R. Pater Guilelmus Hangouart dictæ Societatis Superior in ciuitate Insulensi, Scabini, Consilium & Octouiri eiusdem ciuitatis, salutem. Cùm dominus Reuerendiss. Tornacensis ab hinc aliquot annis, & Pastores quidam præfatæ ciuitatis Insulensis iam à paucis diebus exposuissent nobis Scabinis, Consilio, & Octouiris dictæ ciuitatis Insulensis, quòd dicti Patres Societatis Iesu essent admodum exercitati, & vtiles institutioni, & educationi iuuentutis, tam ratione doctrinæ, quàm pietatis; cupientes dicti Pastores pacisci nobiscum Prouinciali & Superiore antè nominatis super medijs, quibus in dicta ciuitate posset erigi Collegium prædictorum Patrum præfatæ Societatis dictæ iuuentutis institutioni: declarantes Pastores antedicti, se rogatos à multis non infimæ conditionis ciuibus D *incolisque supradictæ ciuitatis prædicta exponere, & requirere: quod (curia in hoc vocata) deliberatè expensum, vtile foret iudicatum: & post multas communicationes, in hoc fuit conuentum, & pactum. Quod nos videlicet Scabini, Consilium, & Octouiri dicto Patrum Collegio Societatis antenominatæ in dicta ciuitate erigendo præstabimus annuè summam mille florenorum aur. quorum singuli asses viginti efficient, idque duobus terminis; prædicta pensione tunc inchoanda, cum prædicti Patres dictam institutionem prænominatæ iuuentutis aggredientur: Ampliùs ædes, in quibus pro tempore habetur Schola Latina huius ciuitatis, quæ per magistrum Iacobum Empis occupantur, dictæque ciuitati competunt, quibus frui possit antè nuncupatum Collegium erigendum hereditariè & semper, tanquam proprijs, & quatenus extenduntur, & comprehenduntur. Quibus mediantibus nos Patres Prouincialis & Superior antenominati, promittimus sub bono placito Reuerendissimi Patris dicti Ordinis Generalis, curare in dicta ciuitate erectionem vnius Collegij dictorum Patrum Societatis, quos secundum suas institutiones docere oportebit, prout faciunt in alijs ciuita-*

ciuitatibus, in quibus habent Collegia. Atque hæc pacta sub ea conditione, quòd si in posterum in præfato Collegio cessaret dicta institutio, & prænominatæ iuuentutis disciplina, dicta ciuitas prædicta pensione mille florenorum annua liberaretur, eáque sopiretur, & exstingueretur: simul dicto Collegio foret necesse reddere ac restituere dictæ ciuitati præfatas ædes, vel illarum precium, & valorem, si tunc fortè essent alienatæ. Præsens conuentio facta sub bono placito suæ Maiestatis, si illi placuerit dicto Magistratui concedere auctoritatem elocandi summam 16000 florenorum procedentem ex gabellis impositis ad exsolutionem, & luitionem debitorum dictæ ciuitatis, in emptionem alicuius census mille florenorum annui, vel alterius rei, quæ possit dictæ mille florenorum pensioni sufficere. Quæcumque supra dicta fuere nos Patres Prouincialis & Superior antedicti, Scabini, Consilium, & Octouiri supradictæ ciuitatis Insulensis promittimus facere satis, implere, & complere, per obligationem, dicti nimirum Patres bonorum dictæ Societatis, & dicti Scabini, Consilium, & Octouiri bonorum dictæ ciuitatis Insulensis. In quorum fidem nos Pater Prouincialis iussimus apponi præsentibus sigillum, quo vtitur dicta Societas in Belgio, & nos Pater Hangouart sigillauimus præsentes sigillo Collegij Societatis dictæ ciuitatis Insulensis; & nos Scabini, & Consilium sigillo ad causas dictæ ciuitatis. Actum 17. Aprilis 1592.

QVANDO FVERIT INSVLÆ COEPTVM A SOCIIS DOCERI.

SENATVS INSVLENSIS SOCIETATI COLLEGIVM A FVNDAMENTIS ÆDIFICAT.

His ergo iactis Collegij fundamentis, sub finem eius anni humaniorum litterarum exedras quinque placuit aperire, tingendis doctrina puerorum animis. Exactis subinde annis propemodum tredecim, cum anno partæ salutis millesimo & sexcentesimo quinto Senatus operam daret nouis ad occasum Austrúmque circumducendis vrbi nouæ muris ac mœnibus: is eò se deduci passus est, vt secundùm Comitis Anappij Gallo-flandriæ Gubernatoris (quem Societas semper sibi fauentem experta fuerat) desiderium, ad supplicem P. Ioannis Herennij Collegij Rectoris rogationem, in ea parte, quam moliebatur vrbi veteri adiungere, templum, Scholas, & domicilium Sociis à fundamentis construeret. Statimque omnia ingentis huius fabricæ initiis necessaria adeò celeriter sunt comparata, vt per Maium anni sequentis Sociorum domicilij, Scholarúmque, magna Gubernatoris ac Senatorum voluptate iacta fuerint fundamenta; dein Iunio mense primum templi lapidem Episcopus Atrebatensis Ioannes Richardotius (quòd enim aduersa valetudine impediretur, hoc ei munus Tornacensis pontifex Michaël d'Esnæus permiserat) solito ritu collocauerit: & sextus inde annus (erat is supra millesimum & sexcentesimum vndecimus) totum istud ædificium, ingens profectò firmúmque, impositis culminibus, & rebus ferè omnibus ad insessionem necessariis vtcumque perfectis, absolutum perspexerit. Igitur cùm decimo septimo Kalendas Nouembris sacra ædes in honorem D. Virginis Mariæ fuisset ab Episcopo Tornacensi dedicata: ipso S. Lucæ festo cum insigni apparatu venerabile Christi corporis Sacramentum ac diuorum Reliquiæ per publicam ac celeberrimam supplicationis pompam è veteri sacello Societatis in nouum id templum summa omnium voluptate sunt portata. Tertióque post die noui Gymnasij apertæ sunt exedræ. Nondum tamen omnia quę Senatus ad huius ædificij vel ornatum, vel instructionem publicis impensis fieri decreuerat, erant perfecta: omninóque tantùm anno post millesimum & sexcentesimum quinto & decimo suis cuncta sunt numeris absoluta. Vt igitur perpetua tam magnifici & liberalis Senatus, qui tum temporis huius Collegij nobis donationem & possessionem suis publicè tabulis asseruit, exstaret memoria, præter alias gratiarum actiones, hoc iussus sum Elegidium pangere, eíque nomine Societatis offerre.

IN ID SOCII E VETERI DOMO TRANSEVNT.

Insuleos supra muros findebat amico
Aëra pennarum remige Mercurius.
Dúmque videret opes, quas ingens arca flagellat,
Queîsque vrbis rident tecta superba noua.
Ah miser ah! dixit, loculos qui stringis in arca!
Quanta paras auidis gaudia vulturijs!
Contrà, qui pulchras educis in aëra moles,

Quàm

A *Quàm bene honoris amans vtere diuitijs!*
Ast vbi tam magnæ defixit lumina moli,
Qua modo defruitur Musa superba domo:
Scilicet admirans celeri delabitur ala,
Atque oculis lætus cærula tecta legit.
Nec potuit doctæ frenare silentia linguæ,
Dum videt in scutis lilia puniceis.
Rectè habet, Insuleæ qui flectitis vrbis habenas.
Nempe, ait, hoc vestrum fama loquetur opus.
Quid possit toto consurgere ditius orbe?
Pulchrius aut lustret Phœbus vterque rota?
B *Parcite, iam loculos fugiam si fortè malignos.*
Ista mihi sedes lętior est loculis.
Hîc ego sim sapiens, hîc pollens diuite lingua,
Hîc retegam arcani symbola docta Senis.
Quàm benè discetis post tempora pauca, beato
Cum nummis linguam iungere connubio!
Ac vos tanta quibus cesserunt munera molis,
Ite modò in grates, quas dabit almus amor.
Dixit, & aufugiens proiecit Punica mala,
Quæ manibus virgæ gesserat ipse loco.
Quid tandem inde rear? quibus hinc certemus, an istęc
C *Grati in vos, Proceres, symbola sunt animi?*
Ridet amor malis: & nostrum pectus amore:
Vt poma hęc, noster sic quoque fœtus amor.
Cernitis, vt mali cortex sinuetur in orbem?
Et claudat loculis plurima grana suis?
Nos etiam magno, ceu cortice, claudimur orbe:
Tot gerimus grates, poma quot hęc acinos.
Hinc igitur quotquot Sociorum continet orbis,
Affluimus toto lętiùs ex animo.
Vt grates persoluat amor, certétque fauore
Vobiscum innumero, poma quot hæc acinis.
D *Viuite felices; vt rident mala coronis*
Punica, vos etiam dia corona manet.

Cùm posteà septimus ac decimus post millesimum & sexcentesimum annus laberetur, recurrente S. Lucæ festo die, in Collegij templo, consuetis Societatis ritibus, & apparatu publico eosdem vrbis Insulēsis Senatores Prouincialis Præpositus P. Ioannes Herennius tam pręclaræ domus fundatores declarauit, iisque grati animi testem primò cereum porrexit: cùm ipsi iam Archiducum venia, post alia pleraque munera, mille rursus florenorum annuos census in dotem perpetuum addixissent. Ac tunc denuò mihi mandatum fuit, vt hoc eorum liberalitatem carmine prosequerer, vnaque gratias ipsis persoluerem.

Sic est: canendis fulget honoribus
Cedri æuiternæ, quàm Libanus polis
Infert iugo superbienti,

Insulei Ordo sacer Senatus. A
Ergò tacentem sume lyram modò,
Aptáque lætis Melpomene sonis
Quod entheatus propter altam
Psalmographus cecinit Sionem.
Audisne? Sanctum iam video senem
Tentare chordas fatidica manu,
Rursúmque lætas inter auras
Ætheris attonitum sonare,
Quod hausit, alta vi sapientiæ
Imbutus, Horis de melioribus
Æui futuri. Pro! secunda B
Quàm face, quàm roseis capillis.
Titan micabit, cùm ætheris arbiter
Quæ membra sumet sanguine tinxerit
Multo, triumphatáque morte
Ad superos remearit axes!
Tunc imber orbi defluet aureus,
Fœcunda reddat qui iuga montium,
Et vallium depressa læto
Induat in segetem liquore.
Quàm pulchra latè brachia porrigent,
Quámque alta celsis verticibus petent C
Cedri minantes, quas niuenti
Panxerit in Libano benignus
Rerum parens! Hìc sub viridantibus
Ingens volucrum vis folijs sibi
Nidos parabit; hìc sonoris
Vocibus inter opes, cibósque
Guttur resoluet. hìc capiet, feri
Securus hostis, munera mellei
Passer soporis, nec furentes
Hunc Zephyri excutient, nec Austri:
Diuine vates desine carminum D
Iam nunc tuorum. Iam satis haurio
Quidquid sagaci mente, fœto
Quidquid amas operire cantu.
Permitte, sensus vt retegam sacros,
Quibus redundas. Nam quis eos neget
Pares cedrorum, qui potentes
Diuitijs opibúsque, nullis
Nummos aceruant in loculis; manu
Sed liberali munera porrigunt,
Gaudéntque constructis egenos

In pene-

A In penetrallibus educare?
Testis meorum es maxime carminum
Vrbis Senatus Insuleæ, Cedrum
Sic ęmulatus, latè odorem
Vt iacias operum tuorum.
Te candicanti scilicet in iugo
Recti irretortum constituit potens
Rerum sator, Cedris vt ęquus
Tangere multimoda labores
Virtute cęlum, vt consilij catus,
Magnóque mentis robore prȩditus
B Per dura rerum, turbinésque,
Mole tua grauibus resistas
Mundi procellis. Sat tibi cognitum,
Quò liberali munificus manu
Te copiâ Deus beârit
Innumera vel opum, vel artis,
Vterque Titan quam videt euehi
Introque ferri mœnibus Insulæ.
Hinc ergo, ramos vt Cedrorum
Plurima gens auium capeßit
C Nidis parandis, & cedridas cibo
In his requirit; grex hominum prece
Te multus ambit, & repulsæ
Nescius auxilio potitur.
Sensere semper prodiga munerum
In rebus arctis brachia pauperes;
Sensere numini sacrorum
Sponte inopes hominum phalanges,
Quas claudit altis Insula mœnibus.
Sed quâ sonabo munera barbito,
Quibúsue plectris illa percurram
Illa tui monumenta summi
D In nos amoris? Parce, precor, tibi
Si quid canendi, deterat, impotens,
Tot musa laudes. Námque pugnant
Ore cani, tabulísque claudi
Quæ solis implent innumerabiles
Vtramque sedem. Dum cuperet tuos
Inire muros, & laborum
Grande humeris onus hìc subire
Grex noster; illis captus odoribus
Intaminatis, sparser..t vrbibus
Quos gnauus olim Galliarum,

A

Queisque sibi vario ciebat
Labore famam nominis inclyti.
Istis in oris, Oceanus strepit
Quâ belluosus, asperique
Bella mouent Boreas, Notúsque:
Viam dedisti. Cúmque salubribus
Plebem erudiret vocibus edita
De sede personans; vt ora
Imbueret iuuenum Latino
Sermone, mentes moribus optimis,
Vnum id studebas: quòd caperes satis,
Vim consilij expertem, grauémque B
Diuitijs, per acuta rerum
Nil posse: sanctis moribus omnia
Tutò expediri. Sic igitur tua
Ope incitati, mox Lycæum
Ingredimur, variásque gnaui
Artes docemus. Sed quoties tibi,
Angusta dum per scammata puluere
Non indecoro sordidamur,
Seu faciant pueri laborem,
Seu maior ætas in studium vocet
Mentis reformandæ; quoties tibi C
Venit pudendus, & timendus
Ille locus, nimios laborum
Stringebat arctis qui penetralibus?
Ergo laboras claudere dum nouis
Maiora muris oppidi po-
meria, stat simul eleganti
Magnóque nobis velificarier
Domûs labore. O quantus erat viris
Equísque sudor, dum ligone
Rustica gens aperit, solúmque
Rimatur altè! dum lateres vehunt D
Et saxa currus! dum latomus iacit
Cæmenta fundandis profundè
Molibus, aut latices auaro
Educit haustro baiulus, impigris
Ne mixti arenis totum opus obruant!
Io triumphe. Vicit vndam
Ipse labor, subitóque in auras
Surrexit ingens machina. Quis putet
Imposta sole hæc culmina septimo
Tam grandibus, latísque membris

Ædificij

A *Ædificij! quis opes labori*
Sic affluentes? Æmula scilicet
Regum ista moles, quæ ciet Italos,
Gallósque, & accolas Iberi,
Quique bibunt auidè bicornis
Fluenta Rheni: nec sinit inclytæ
Abire parcos laudis. Ad *vltimos*
Hæc Seras, Indó*sque inuidendo*
Nunc operis penetras nitore.
Ne perge porrò. munificentiæ
Satis supérque est. Quis tamen imperet
B *Tibi tot inter magna lęto*
Munera? deproperare certum est
Nummos amicis, queis caueas graui
Necessitati; queis parias nouos
Tibi gradus honoris. Eia
Iam dabimus titulos merenti,
Quos tanta poscunt munera, quos dare
Iubemur. Harum dicimus ædium
Te conditorem, te parentem
Dicimus, atque tuas sub vmbras
Lęto volatu perfugimus, Cedro
C *Digna apprecantes.* Inter *vt arbores*
Nidis volucrum amica Cedrus,
Nec cariem patitur senecta:
Hæc te Patronum *percipiat domus,*
Fidúmque Tutorem: *nihil atteri*
Persentiat curæ prioris,
Nil opis, aut manuum negari.
At vos matinæ quid trahitis moras
Apes? niuentem fingite sedulæ
Ceram. stat arte dedalæa
Ferre facem, hácque meo Patrono
D *Præbere amoris pignora. Pectoris*
Testabor ardens lumine gaudium,
Curámque didendi per orbem
Nobilis hunc titulum Senatus.

Nunc autem qui de eadem Societate Scotorum Seminario pręsunt Duaci, eam presertim prouinciam suscepere, eiúsque primum moliti sunt ędificium anno Domini supra millesimum & sexcentesimum decimo tertio. DVACENSE SCOTORVM SEMINARIVM.

A

Quando Patres Capucini, Augustinienses, Carmelitæ discalceati, Minimi, Brigittanæ, & Annuntiatæ virgines in Gallo-flandriam venerint.

CAPVT XXXVI.

CAPVCINI DVACENSES.



VI post Iesu Societatem in Gallo-flandriam admissi proximè fuerint, è D. Francisci religiosis sectatoribus Patres Capucinos video. Hi Duacum intrarunt anno salutiferi partus millesimo quingentesimo, & nonagesimo primo. Præparando ipsis domicilio ea domus hospitalis à Canonicis Amatensibus concessa, in quam Boni, vt vocabant, Pueri recipiebantur.

INSVLENSES. B

Biennio pòst data huic Ordini sedes Insulæ, A fundamentis cuncta eius ædificia Senatus extruxit commodè laxéque.

ARMENTIERENSES.

Paucis inde annis permissum est iisdem Patribus, vt Armenteriam ingrederentur, ibidémque sibi domum conderent.

ORCHIACENSES.

Orchiacum eos vltimum excepit annitente Iacobo Carlier, quem suum agnoscunt fundatorem.

BRIGITTANÆ VIRGINES INSVLÆ.

Apud Insulenses permissus est locus Brigittanis Sanctimonialibus cùm flueret annus post Virginis partum millesimus & sexcentesimus quartus. Vendangij regulus, qui posteà primus Stegrarum Comes fuit creatus, auctor iis exstitit huc commigrandi; eásque non leuiter promouit. Quæ nunc habent structa recenter ædificia, ipsis præsertim ciuium, aut virginum religiosam illic vitam aggredientium eleemosynis surrexêre: indidémque præsertim census earum comparati.

ANNVNTIATÆ DVACENSES. C

In vrbem Duacensem anno millesimo sexcentesimo & decimotertio receptæ sunt Annuntiatæ virgines, quæ Ioannam Valesiam Ludouici Franciæ regis vndecimi filiam & Biturigum Ducissam sui fundatricem Ordinis venerantur. Occasionem huc commigrandi, & sedem statuendi opportuno satis loco præbuit domina du Wacca, cuius ædes dono acceperant.

AVGVSTINIENSES INSVLANI.

Anno post millesimum & sexcentesimum decimoquarto data est potestas Eremitis Augustiniensibus Insulæ considendi, etsi paullò seriùs cœtum hic coëgerint. Nondum ipsi fundatorem inuenere. Liberalibus ciuium eleemosynis domum insignem sibi compararunt, vbi laudibus diuinis nauantes, sacra populo impertiuntur, & iuuentutem litteris excolunt.

CARMELITÆ DVACENSES.

Eodem anno permissum est Patribus Carmelitis, qui Theresianum amplexi sunt genus viuendi, Duacum incolere. Sedem initio ipsis præbuit in S. Sulpitij Prioratu Aquicinctinus Archimandrita Ioannes Faueanus. Nunc in eo percommodè habitant, quod nuper monasterium à fundamentis condidere.

CARMELITÆ INSVLENSES. D

Paullo pòst inducti sunt Insulam eiusdem ordinis Religiosi, Archiduce Alberto id præsertim fieri optante. In qua tantisper considerent, donec cœnobium ædificaretur, domum suam & sacellum Abbas Laudensis Vincentius Longuespeus concessit. Quod nunc ipsis construitur, ædificium ferè totum culmen accepit iuxta portam Cortracum ducentem ad nouæ vrbis mœnia. Partim Senatus, partim aliorum muneribus & fundus ædificationi opportunus, & structionis materies omnis comparata. Habitari cœptum æstate anni 1623. hoc Asceterium.

MINIMI INSVLENSES.

Octauo & decimo supra millesimum & sexcentesimum currente anno, S. Francisci Paulinatis Asseclis veniam dedit Senatus intra muros Insulenses domicilium constituendi. Quod nondum ædes haberent, in quas sese reciperent, Phanopinensis Antistes Adrianus Bauwins hospitium suum eis vtendum permisit. Nunc eleemosynis quorumdam ciuium, iuxta domum, quam toparcha Desplanqueus ceris vltimis ipsis donauit, coëmptis vtcumque laxis ædibus habitationem sibi comparant: ibique à paucis mensibus commorantur.

A Data nuperrimè facultas est Augustiniensibus mendicantibus, vti seminarium Ordinis sui studiosis adolescentibus piorum hominum erogationibus instruant. AVGVSTINIENSIVM SEMINARIVM DVACI.

Quæ sint apud Gallo-flandros egentibus, peregrinis, & morbidis subsidia, domúsue: & à quibus hæc vtraque profecta.

CAPVT XXXVII.

B HACTENVS ea, quibus Religionis studium, & pietatis ardorem Gallo-flandri patefaciunt, exposui: quædam etiam, quibus mutuam animorum charitatem ostendunt, tetigi. Nunc quoniam non satis est Christianis & religionis, & internæ charitatis nexibus iungi, verùm etiam externa quædam tum misericordiæ, tum beneuolentiæ opera mutuum prodant animorum consensum & amorem sit necesse: statui vno, vel altero capite paullò latiùs ostendere, quàm insignem eo virtutis genere sese probet Gallo-flandria. Igitur eò quæ faciunt, tria præsertim afferam; qui scilicet pauperum necessitatibus, vel priuatim, vel publicè subueniatur; quæ loca morbo affectis, egentibus, & peregrinis pateant; quę scholas adeuntibus auxilia, vel domus suppeditent.

Ab iis autem exordiar, quibus aduersa valetudine laborantibus Nosocomia temporariam sedem præbent, & necessitates sufficiunt, donec vel sanitatem adiuti recuperent, vel morbi vis eos è viuis auferat. VALETVDINARIA GALLOFLANDRIÆ.

C Duo sunt huiusmodi valetudinaria Insulæ oppidò magna & elegantia. Vnum Comitissę Hospitale vulgò dicitur, quoniam id Ioanna Flandrię Comitissa in aliqua sui parte palatij condidit. Multorum id capax ægrotorum; & quæ plurimis fouendis sufficiant, opes habet. Quòd in honorem B. Virginis Mariæ fuerit fundatum, etiam B. Mariæ Nosocomium vocatur. Moniales D. Augustini regulis obstrictæ nunc inhabitant, quibus ex officio incumbit morbidorum necessitatibus operam dare. Olim etiam iis aderant ex eodem Fratres instituto, qui sacra ipsis & ęgrientibus procurarent: quorum iam loco sacerdotes aliquot sacra peragunt, & sacramenta impertiuntur, laudésque diuinas concinunt quotidie. NOSOCOMIVM D. VIRGINIS MARIÆ, VEL COMITISSÆ, IN VRBE INSVLENSI.

Primùm Ioannæ Principis studium, primúsque conatus fuerat, cùm Marquettense monasterium Reclinatorij B. Virginis nomine conderet, intra fines eius hoc ipsum Nosocomium erigere paullùm ab Insulensi oppido remotiùs. Iamque & quædam eò struxerat, ædificia, & census attribuerat iniecto eius Abbatiæ
D sanctimonialibus suscipiendorum tractandorúmque ægrorum onere, cùm Christi annus iniuisset trigesimus ac sextus supra millesimum ac ducentesimum. Quibus id comprobem hæc eius verba, cum eiusdem anni mense Maio Marquettensis bona Parthenonis confirmat: *Ad opus quoque vnius Hospitalis, quod infra ambitum eiusdem monasterij inchoauimus, ducentarum librarum redditus in eleemosynam contulimus monasterio sæpedicto in vsus pauperum infirmorum in eodem hospitali decumbentium sumendos annuatim de paratioribus prouentibus ad Breuia nostra Insulensia pertinentibus. Ad opus etiam duorum Capellanorum in eodem Hospitali perpetuò seruientium quadraginta librarum redditus assignauimus annuatim soluendos ad nostra Breuia de Gandauo, &c.* Et paullò pòst: *Ipsum verò hospitale cum omnibus ad ipsum pertinentibus semper erit membrum de corpore præfati monasterij, & in omnibus tam temporalibus, quàm spiritualibus ipsius monasterij prouisione regetur. possessiones tamen, vel bona, quæ à nobis, vel ab alio ipsi collata sunt, vel fuerint Hospitali, non poterit*

monasterium suis vsibus applicare. quòd si faceret, nec desisteret, ad submonitionem domini Tornacensis, nos & successores nostri ad omnia quæ eidem contulimus, manum licitè mittere poterimus, vt sic ad vsus pauperum infirmorum illibata perpetuò conseruentur. Concessimus prætereà ad opus hospitalis eiusdem mansum nostrum situm iuxta monasterium memoratum cum fossatis, & omnibus ædificijs lapideis vel ligneis, factis, vel faciendis à nobis, & cum terra extra fossata, quæ videbitur necessaria ad vsus hospitalis eiusdem &c. A

Verùm paucis pòst mensibus cùm animaduerteret Ioanna multùm viris prudentibus, ipsisque virginibus Marquettanis displicére, quod intra cœnobij septa Valetudinarium perficere instituerat; iámque satis perspiceret, plurimùm id sancti quietem loci obturbaturum: aliò tandem consilia, opúsque conuertit. Quibus hoc ipsa litteris mandauit, verba nunc depromo: *Ioanna Flandriæ & Hainoniæ Comitissa vniuersis tam præsentibus, quàm futuris salutem: Nouerint vniuersi, quòd cum de communi assensu charissimarum in Christo Religiosarum mulierum Abbatissæ & Conuentus monasterij de Marketa Cisterciensis Ordinis, quod Reclinatorium B. Virginis appellatur, domum hospitalis pauperum infirmorum de sæculo, quam decreueram infra ambitum ipsius monasterij, construendam, de prudentum virorum consilio fecerim extra locum eiusdem, Abbatissam & Conuentum ipsius monasterij ab omni cura & regimine hospitalis, quod in eo facere proposueram, volò esse penitus absolutas, & ab omnibus alijs ad idem pertinentibus hospitale, cùm renuntiauerint redditibus & alijs, quæ sibi occasione ipsius hospitalis assignata fuerant, & concessa.* B

Cum verò statuisset intra muros Insulenses eadem nobilissima & liberalissima fœmina Nosocomium condere, minùs ei placuit vicinus ædi S. Saluatoris locus, licet quidam, vt ibi statueret, essent auctores, quòd is paullò editior parum aquæ sufficeret. Quò plùs igitur suam erga pauperes morbo affectos sollicitudinem, & aduersus Deiparam matrem, ad cuius honorem id opus moliebatur, amorem patefaceret: palatij sui partem, quæ fluuio Dupla ponè alluitur, opulentósque redditus ei fundando ac dotando perlibenter attribuit: Deinde Christi parentem, vt patronam ei præfecit, & præclaras ad optimum regimen scripsit leges. En litterarum partem quibus id ipsa cum marito testatum nobis faciat: C

Ego Thomas Flandriæ & Haynnoniæ Comes, & Ioanna vxor eius Flandriæ & Hannoniæ *Comitissa omnibus præsentes litteras inspecturis salutem: desiderio desideramus ardenti, vt Hospitale, quod apud Insulam iuxta domum nostram in vsus pauperum infirmorum lecto decumbentium ad honorem S. Mariæ fundauimus, laudabiliter & secundùm Deum futuris temporibus gubernetur. Quocircà de consilio proborum virorum duximus statuendum, quòd nos & successores nostri, qui ad sustentationem ac promotionem eiusdem hospitalis semper erimus specialiter obligati, singulis annis ante festum S. Ioannis Baptistæ vnam personam ecclesiasticam substituemus loco nostro, & Capitulum S. Petri de Insula vnum presbyterum Canonicum suum, quem nos & successores nostri postulabimus, nobis concedere tenebitur, & substituere loco sui. Et illi duo quolibet anno instituti erunt* Prouisores *Hospitalis in his quæ ad officium eorum pertinebunt. Si verò ante festum S. Ioannis nouos Prouisores non acceperimus, illi, qui vsque ad festum S.* Ioannis *Prouisores fuerunt, remanebunt Prouisores. Ad officium verò Prouisorum specialiter pertinebit, instituere de consilio* A*bbatis de Laude Magistrum in ipso hospitali residentem, & de consilio eiusdem Abbatis eumdem Magistrum destituere, si inueniretur manifestè culpabiliter negligens, vel remissus. Magister autem institutus, si non sit presbyter, debet quàm citiùs poterit in presbyterum promoueri; qui habebit plenam administrationem in temporalibus hospitalis. Omnia tamen maiora negotia de consilio Prouisorum facere tenebitur, & de consilio antiquorum & discretorum Fratrum & Sororum hospitalis, vel maioris partis ipsorum. De consilio quoque prædictorum Prouisorum, vel alterius ipsorum, ac de consilio Fratrum ac Sororum Magister recipiet Fratres ac Sorores, sed non plures, quàm exigit necessitas hospitalis.* De *consilio etiam eorumdem magister assumet sibi Capellanos & Clericos, sed non plures, quàm sufficiant Hospitali. Capellanos autem &* Clericos Canonicè *non instruat, nisi in ipso Hospitali habitum religionis assumant.* Ca- D

pellani

A *pellani tamen & Clerici, qui religionis habitum non acceperint, quamdiu manebunt in Hospitali, vsum Hospitalis obseruabunt, ferentes exterius superpellicia, siue nigras cappas. Prouisores etiam cum Abbate die ad hoc de conscientia Abbatis statuta, debent semel vel bis in anno in præsentia Magistri & Fratrum & Sororum visitationem facere, & audire computationem de expensis hospitalis, & receptis per annum, corrigentes quæ inuenerint corrigenda. Nec ad institutionem, vel destitutionem Magistri, vel ad visitationem faciendam debent procedere, vel diem assignare, nisi sciente ipso Abbate. Si autem die statuta Abbas non venerit, nec pro se miserit, Prouisores ad prædicta tractanda possunt procedere: sed si inter se discordes fuerint, oportebit, quòd Abbatis præsentia exspectetur. Et tunc standum erit sententiæ Prouisoris illius, qui Abbatis consilio adhærebit. Capellani autem & Clerici horas & missam in ipso hospitali coram infirmis cantabunt congruo tempore ad commodum Hospitalis. Et omnibus sanis & infirmis in ipso Hospitali, & infra ambitum ipsius iacentibus, vel manentibus in vita ipsorum Capellani hospitalis omnia iura Christianitatis exhibebunt. Regula quoque viuendi ad petitionem nostram instituetur in hospitali*

B *per dominum Episcopum Tornacensem, quam regulam prædicti Prouisores facient firmiter obseruari. Magister quoque manere tenebitur infra ambitum hospitalis, & Capellani cum ipso: nec proprijs negotijs exire poterit vltra duos dies, vel tres, nisi de licentia Prouisorum. Præcipua autem & principalis sit intentio omnium, vt plurimi infirmi pauperes libentissimè recipiantur ibidem, & charitatiuè eis necessaria ministrentur. Et maximam semper curam & sollicitudinem Capellani, Fratres & Sorores exhibeant erga infirmos pauperes in his, quæ ad salutem pertinent animarum suarum, vt scilicet diligēter audiantur confessiones eorum, & frequenter salutaria monita fiant eis &c. Actum anno Domini* M. CC. XXXVIX. *mense Septembri.*

Alterum Insulæ Nosocomium S. Saluatoris nomen obtinet à proxima S. Saluatoris æde parochiali, cui prorsus adhæret, membris ædificiorum elegantibus & insigni facello spectandum. Par est multis mortalibus infirmis excipiendis tractandisque. Ad horum solatia & subsidia cum Magistro insunt Virgines D. Augustini re- INSVLENSE VALETVDINARIVM S. SALVATORIS.

C gulas complexæ. Huius initia Christi anno post millesimum & ducentesimum sexto ac decimo tribui comperio. Cum præcedenti valetudinario Ioannam Flandriæ Principē agnoscit. Fuerat huic nobilissimæ mulieri cōstitutum, hoc loco præcipuam domum ægrotis struere, ac in ea lectos quinquaginta ponere: verùm aquæ fluentis penuria, vt primum eiusmodi Nosocomium in Marquettensi Parthenone moliri occeperit, deinde ad D. Petri Insulæ condiderit iuxta flumen, effecit. Ne tamē prima voluntas penitus exstingueretur, sex hic lectos curandis egenis morbo afflictis instituit, fundo vtcunque magno, ædibúsque attributis: quibus septimum Ferrandus eius maritus adiecit: ad quæ omnia cum piorum muneribus ciuium, tum virginum ægris laborem impendentium, ac præfectorum, quos magistros vocitant, diligentia & industria sensim facta est insignis censuum accessio: vt non modò Sanctimoniales aliquot illic commodè cum Magistro vitam viuere queant; verùm etiam ægroti complures haud tenuiter habeantur.

Vnum etiam Duaci huius generis paratum est morbo laborantibus ædificium, ac DVACENSE D. THOMÆ NOSOCOMIVM.

D in eo S. Francisci Virgines ęgris obsequuntur. Diuus Thomas nomen imposuit. Vtcumque magnum est, capax, & ipsis ædium membris eleganter constructis, opibúsque commodum. A ciue quodam Duacensi quem Galterum Belamy nominatum accipio, huius initia fluxere, qui non parum opibus florens, primò tres lectos tribus ęgris fouendis domi instruxit, iísque suam impendit operam: deinde domum in vsus pauperum morbis afflictorum, & aliunde aduenientium testamento legauit, eique census non paucos addidit tolerādorum sumptuum causa. Factum est deinde quorumdā hominum religione commotorum opera, vt initio Beginæ ac Franciscanæ posteà Sanctimoniales ibi collocarentur, quarū labore iuuarētur infirmi. Id cùm animaduerterēt plerique Abbates, nonnullā ipsi ad construenda is commoda ædificia pecuniam & operā contulere, Senatus Duacēsis precibus impulsi. In his ex Aquicinctensi monasterio Guilelmus Dostrel, & Carolus Kopin emicabant: quibus auxiliares se præbuerunt Hasnonienses, Martianenses & Viconienses Antistites.

NOSOCOMIUM ORCHIACENSE, SEU THEONMOLINUM.

Eiusdem rationis alterum Valetudinarium extra muros Orchiacenses visitur haud procul à via Tornacensi, Theonmolino factum est ei nomen à proxima, vt creditur, Theonis mola. Ex præscripto D. Augustini viuentes virgines habet, quæ morbo laborantibus exhibeant obsequium; dein opes non modicas, insignem ædium laxitatem, potissimam harum partem fossis aqua tumidis latè ambientibus, & magnis assidentibus hortis, qui tam monialibus, quam aliis ad voluptatem faciant. Franciscus Pietinus existimat initium huic Nosocomio datum à Margareta Ioannæ Flandrorum Principis sorore, cùm verteretur annus Christi supra millesimum & ducentesimum secundus & quadragesimus. In quo sanè non parum is peccauit. Etenim si de prima fundatione loquitur, quam instituit eadem Margareta, Parthenonem illic condens Cistertiensis Ordinis, qui posteà fuit Felinas translatus: ea potiùs ad annum Domini millesimum ducentesimum & trigesimum quartum est referenda, vt anteà docuimus. Sin verò agit de tempore, quo deductis Felinas Virginibus Cistertiensibus, is locus, quem deserebant, ægrorum commodis, & Augustinianis Sanctimonialibus eos curaturis datus est: etiam supra millesimum ducentesimum & quinquagesimum annum ea donatio est reuocanda; cùm satis constet ante id tempus nondum Felinas Honoris B. Virginis Abbatissam vnà cum cœtu suo migrauisse. Quod igitur veriùs est, sic inuenio: Margaretam *Ambitum loci, vbi priùs monasterium fuerat, cum fossatis & ædificijs* in hospitalis ius transcripsisse anno 1257. Eandem anno 1260. *Modios sex, & decimam, quam Theobaldus Maior de Orchies miles, & Ioannes de Castello de Orchies de ipsa tenebant, eidem donasse:* Anno 1262. Fratribus & Sororibus in eo iam tum regulariter Nosocomio degentibus Ioannem Buchiauum Tornacensem Episcopum Insulensis Hospitalis regulas præscripsisse.

In Phanop. Chronic.

SICLINIENSE HOSPITALE D. VIRGINIS.

Aliud item eius, quem diximus modi, ægrorum domicilium habent Siclinienses extra viam & tumultum commodo situm loco. Quæ suam ægrientibus operam impendant, aliquot ibi morantur Augustinianę virgines: quibus olim etiam aderant aliquot eius Fratres instituti. Ibidem etiam sedem habent, Magister, Capellanus, & clerici. His omnibus & infirmis ædificia sunt opportuna, & quibus non parcè habeantur, opes magnę suppetunt. Huius mentionem dum facit eiúsque fundatricis Margaretæ Flandrorum Comitissæ, Franciscus Pietinus hęc in Phanopinensi chronico habet: Anno 1247. *Siclinij Parthenona exstruxit tota Flandria & Picardia celebrem ob medicam potionem quotannis in eo confici solitam, cuius potu à morbis grauissimis immodico labore contractis plurimi quotidie reualent. Auctus Clericorum Regularium numero, qui sępe horas Canonicas, & sacrum quotidie canunt, sic nostro æuo floret, vt nunquam antehac magis.* Ita Pietinus, ex quo id animaduertas, non multos effluxisse annos, ex quo nulli ampliùs illic Fratres, aut Regulares Clerici cōsistunt; quandoquidem is anno 1556. ad superos migrauerit. Libet hic partem earum litterarum proferre quas eadem Princeps Margareta conscripsit, dum ei dotem assignaret anno supra millesimum & ducentesimum quinquagesimo.

Margareta Flandriæ & Haynoniæ Comitissa omnibus præsentes litteras inspecturis, Salutem in Domino. Cùm dominus in iudicio hijs, qui pietatis operibus habundauerint, sit dicturus, Esuriui & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; infirmus, & visitastis me: venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: desiderio desideraui benedictionis huius particeps fieri, & in subsidium egenorum hospitale quoddā iuxta Siclinium fundare decreui in honore B. Mariæ Virginis gloriosæ; ad cuius inchoationem pro salute animæ meæ, & pro animabus antecessorum & successorum meorum in perpetuam eleemosynam confero, quæ inferiùs subsequuntur: Mansum scilicet meum, quod est iuxta Siclinium, & fundum eius, in quo idem Hospitale est inceptum, cum terris & pratis eidem fundo adhærentibus. Redditum etiam decem & septem modiorum frumenti cum decem modijs auena, & viginti solidis Flandrensibus ad spicarium nostrum in villa Insulensi. Ita tamen quòd eundem redditum septemdecim modiorum frumenti cum decem modijs auenæ & viginti solidis Flandrensibus, si voluero, in vita mea rehabere potero pro excambio competenti ad commodum Hospitalis à me assi-

gnando,

A *guando, secundum æstimationem Reuerendi P. domini nostri Episcopi Tornacensis. Et si ego in vita mea excambium illud ad plenum non fecero, successores mei illud post decessum meum non poterunt facere, nisi Hospitale ipsum benignè voluerit consentire. Confero etiam hospitali centum bonaria tam nemoris, quàm terræ arabilis cum redditu triginta librarum, vndecim solidorum, & sex denariorum Flandrensis monetæ in Nepa apud Viesbrekin. Redditum quoque quindecim millium hallecium, apud Mardik. Prædicta omnia ante memorata Hospitali aßignauimus in perpetuum liberè & pacificè poßidendum &c.*

NOSOCOMIVM COMINIENSE.

Suo etiam Valetudinario minimè caret Cominium, vbi Moniales eiusdem ordinis curam ęgrorum sustinent. Adhæret oppidi cœmeterio, & quamuis non adeò laxas ædes habeat, eæ tamen satis sunt & Virginibus, & ęgrotis commodæ pone alluente fluuio Lisa. Magnam satis ætatem fert eius fundatio.

BASSEENSE.

Basseam aliud ornat cui nomen S. Ioanni, & Grisearum Sororum domui iunctum est. Eius originem ad tres viduas referunt, quæ collatis patrimoniis in eo se loco simul continuere, & iam ab annis prope ducentis in pauperes transeuntes B hospitalitatem exercuere vnam eos noctem tecto excipientes, eisque alimenta subministrantes. Factum posteà vt etiam ibi suus infirmis locus concederetur.

HAVBOVRDINIENSE.

Quod visitur Haubourdinij contemnendum minimè arbitror siue locum spectem, siue commoda ægrorum. Vetustatem ostentat ædificium opere lateritio non ineleganter, & firmiter constructum, & suo instructum sacello.

VVAVRINIENSE.

Waurinienſe nouo, & meliori, quàm anteà, nuper ędificio surrexit, cui etiam suum adiunctum est sacellum.

NOSOCOMIVM S. IOANNIS BAPT. INSVLÆ.

Neque verò pauciora spectantur in hoc tractu Nosocomia, in quibus perpetuùm sede, victu, & cura fruuntur, vel quos paralysis membrorum viribus & officio destituit, vel quos ipsa senectus perculit. Huius generis tria Insulæ comperio. Præcipuum D. Ioannis Baptistæ nomen obtinet, quamquam frequentiùs Gantoisum nuncupetur ab ipso conditore Ioanne de le Cambe etiam Gantois vulgariter nominato. Vt minimum annorum centum & sexaginta patitur ætatem. Illic pręsertim mulieres C effœtæ, vel membrorum vsu captæ, ideóque parum laboribus idoneæ (interdum etiam viri aliquot) ex legibus fundationis tredecim sedē & victum impetrant, adempta prorsus domum redeundi libertate, postquam semel eo receptæ tecto fuerint. Earum curam fœminarum obeunt virgines D. Augustini pręscripta sectantes quæ primùm sex octóue, nunc etiam vltra duodecim numerantur.

PARALYTICARVM HOSPITALE IBID.

Alteri nomen factum Valetudinario vel Gerardinarum, à fundatrice, vt apparet, vel Paralyticarum, eo quod illic tantùm id genus fœminę foueantur abundè sufficctis vitę necessitatibus.

DOMVS MARTHARVM INSVLÆ.

Tertium à Martha nomen inuenit, vbi graues annis, & membris debiles octo mulieres locum impetrant, & non exigua curando corpori subsidia. Anno Domini 1361. Ioannes Turcoingius eiúsque coniux Maria du Bois huius instituti fuerunt auctores.

GERONTOCOMIVM DVACENSE.

Non deest Duaci pulcherrimum iuxta portam D. Virginis Gerontocomium, quò senes aliquot vel annis fessi, vel ęgra vix trahentes membra sese recipiant, reliquum D in otio tempus acturi; vitę necessaria præbente affatim loci censu. Pars viris, pars mulieribus tanto numero conceditur, vt facilè octoginta, vel plures ibi sedem habeant. Variorum symbolis ciuium id structum præsertim ædificium, & census eius collecti stabilitique.

VARIA DVACENSIS VRBIS PRO SENIBVS, VEL INFIRMIS DOMICILIA.

Eadem in vrbe non pauca sunt alia seu valetudinaria, seu domicilia, in quæ tum viri, tum mulieres affecta valetudine, vel ætate ingrauescente recipiantur, vbi perpetua sedes iis, victúsque suppeditet. Quinque viris coniugibus orbatis domum & quasdam necessitates attribuit in perpetuum ætate nostra Guilelmus Cantinius. Mulieres, quibus maritos mors eripuit, in domicilia quinque tribuuntur, vbi non pauca eis victum subsidia sufficiant. Horum vnum condidit Ioannes Pilatus, alterum Ioannes Laubegeois; Tertio nomen est Fressinio.

NOSOCOMIVM ROVBAISIANVM PRO PARALYTICIS.

Roubaisiæ pulcherrimo Insulensis agri municipio stat elegans & commodum quoque Nosocomium, in quod mulieres paralysi perculsæ recipiuntur. Penes ali-

quot moniales nigris vestibus amictas eius est moderatio. Et suppetunt ipsi fortunæ alendis virginibus, & mulieribus ægris, copiosæ. Isabellæ Iacobi Luxemburgij Richeburgi toparchæ viduæ, & Roubaisiæ dominæ hoc opus: quod anno Christi 1488. exstrui cœptum. Insedere primùm Sanctimoniales anno 1494. vt duodecim mulierum ex voluntate fundatricis curam susciperent. Illic horæ canonicæ ab sacerdotibus canuntur quotidie. A

ANSTAINGIANUM. Anstaingium aliud habet satis vetus; sed ipsa ædium mole perexiguum. & quoniam à plurimis annis nullus æger illic constituitur, pars aliqua reddituum Insulam ad paralyticas traducta est.

BASSEENSE. Neque verò deest Basseæ aliquod ædificium, vbi tum paupertate, tum senilibus annis affecti ciues locum impetrent.

ARMENTERIANUM. Elegans quoque & sacello exornatum cernitur Armenteriæ Nosocomium, vbi non pauci vel per senectutem vel per morbum vsu capti membrorum foueantur. Id structum dotatúmque anno Domini 1562. partim Catharinæ le Pipre Henrici de Hente viduæ, partim aliorum pecunia. B

LEPRODOCHIUM INSULENSE. Nunc autem in quæ leprosi recipiantur, vt minimum sex numero domicilia. In suburbiis Insulensibus eorum duo conspiciuntur. Præcipuum portæ adiacet, quà tenditur Duacum. Iis præsertim paratum est, qui de ciuibus elephantiasi corripiuntur: neque exteros admittit, nisi pecuniæ multum afferant. Olimque Philippus Burgundiæ Dux ibi sedem Magistro Ioanni Maldodio, quem à secretis habuerat, lepra infecto impetrare non potuit, quòd minimè esset donatus ciuitate. Vastas hoc Valetudinarium & commodas ædes ac minimè paruum sacellum cum sacerdote habet, maximúmque ex propriis & vicinis agris censum colligit. Inerant illi olim viri ac virgines, quibus religiosam vitam professis id muneris incumberet, vt separatim habitantes, hæ mulieribus illi viris elephantia infectis operam darent. Ac ne quid vel leuiter peccarent, Walterus Maruisius Tornacensium pontifex anno 1239. præclaris vtrosque legibus deuinxerat.

AD PONTEM CANTELEUVIUM. Alterum iacet in extremo suburbio, quà ducit iter Armenteriam, paruis præditum opibus, & angustum ædificiis. Habet tamen sacellum minimè contemnendum. Ad millesimum quadringentesimum & sexagesimum tertium partæ salutis annum huius initia referunt quidam, ad eius ædificationem, redditus, & sacra tertiò per hebdomadem in perpetuum procuranda condemnato Ducis Burgundiæ sententia summo fisci principalis quæstore, ob interuersam duodecim aureorum millium, quæ Burgundus Angliæ reginæ ad patrem in Lotharingiam per Flandriam iter facienti donauerat, partem dimidiam. C

Chron. Fland. MS.

AD PONTEM MARKANUM. Ab vrbe tertium abest paullò ampliùs Leucæ dimidio Menenas versus, ipsúmque modicum est, siue domum, siue census, siue sacellum aspicias. Antiquitatem ædificia ostentant.

IN MARIANO SUBURBIO DUACENSI. Iuxta Duacum in Mariano suburbio etiam lepra contactis mortalibus sedem præbet Valetudinarium. In id solis patet illis aditus, qui parentibus nati sunt Duacensis vrbis ciuibus.

AD PORTAM MORELLIANAM EIUSDEM URBIS. Alterum illic est ad portam eiusdem vrbis Morelliam in conspectu Wasieriæ, Ioannis Canardi sexagesimi Atrebatium Episcopi, & Burgundiæ Ducis Philippi cognomento Audacis Gancellarij opus: quò recipiuntur incolæ Duacenses tam non ciues, quàm qui ciuibus orti sunt parentibus. D

ORCHIACENSE. Sextum ostentat Orchiacense suburbium, quà via Martianas & Valentianas perducit. Id præcipua cernitur opulentia; vtpote admodum vetus, & præclarus Margaretæ Flandrorum Principis labor. Ad millesimum ducentesimum & trigesimum septimum nati Christi annum eius fundatio refertur.

QUÆ SUBSIDIA PESTIFERIS IN GALLO-FLANDRIA? Non desunt etiam in Gallo-flandriæ finibus sua pestilitate contactis commoda. Quod est Insulę Nosocomium Comitissę veteri more solet lue percussos excipere, curaréque. Hos quoque excipiendi fouendi necessitas incumbit Virginibus Hospitalis Theonmoulini secus Orchiacum iacentis ex inito cum senatoribus Orchiacensibus pacto.

A Cautum est etiam à plerisque magistratibus, vt locis patentibus & opportunis extra muros vrbium & oppidorum, & remotiùs à municipiorum frequentia, quædam ædificia longè procurrant, quò ciues incolæque tenuis fortunæ deportentur, cùm familiam eorum pestilitas infecerit, ne noceant aliis contagione. Talia præsertim iuxta Insulam & Duacum suburbia exhibent locis apertis, & ab via paullùm semotis.

Et laude dignum illud Senatus Insulensis studium, quo dimissos vrbe ciues, quorum domos lues inuasit, & quibus necessitates non suppetunt, capitatim quotidie pecunia donant, alendis sub tabernaculis in patenti prato ex asseribus ærarij publici sumptu exstructis, largiter commodéque familiis.

Laborantibus autem inopia puerperis Insulæ subuenitur attributo dudum ipsis domicilio. Id appellant Hospitale D. Iacobi. Igitur eò si proxima partui mulier deferri cupiat, ex præscripto Senatus ei tamdiu necessaria suppeditantur, donec tempus expleat purgationis, aut vires recuperet. Huius ædificij exordia in annum 1225. refert Franciscus Pietinus, cùm de Castellanis Insulensibus agit, ac Rogerium Insulensem Castellanum ei fundando solum dedisse memorat. Verum Senatus Insulensis donatæ ad hoc struendum Flandriæ Principi areæ laudem sibi vendicat: éque litteris eius clarum est, excipiendis S. Iacobi peregrinis hunc locum primò ædificatum: deinde nullis horum ampliùs istic hospitium petentibus, puerperis mulieribus assignatum. (PVERPERARVM HOSPITALE INSVLÆ.) B

Suppetebat etiam olim Duaci domus aliqua, in quam paupereulæ mulieres emisso iam fœtu admittebantur, si quàm iis maritus prolem dedisset, si ius ipsæ ciuitatis fuissent adeptæ (aliis enim aditus omnis intercludebatur) vti quinque septimanas illic honestè & liberaliter haberentur. D. Margaretæ nomen is locus induerat, quem testamentarij Werini Mulets, cum amplo redditu huic officio pietatis ex Senatus sententia cõtribuerant anno post millesimum ducētesimo & septuagesimo quarto. Nunc id institutum planè concidit, eiúsque census annui pauperum infantium sunt necessitatibus attributi. tantum eius fundationis nomen ingerit ea platea, vbi olim domus puerperis concessa fuit, quæ puerperarum platea hodiéque nominatur. C

Sunt etiam sua in vrbibus, oppidis, & pagis quibusdam Xenochia egenis ad dies aliquot recipiendis. Præclarum illud est Insulæ, cui diuus Iulianus nomen indidit. Tres ibi dies noctésque aduenis pauperibus tecto condi licet: nec desunt eo tempore ignis, cibus, & potus, curandis commodè corporibus. Domus ipsa insignis est laxáque, & magnum habet adiunctum sacellum, vbi diuina mysteria peraguntur. Phana Denis Ioannis le Toillier vidua huius parens fuit anno supra millesimum trecentesimo & vigesimo primo. (HOSPITALE S. IVLIANI INSVLÆ.)

Aliud istic visitur notæ minoris, cui nomen à Grimareis inditum: vbi tamen victus, sedésque suppetit peregrinis. Lothardus Cauartus Grimareorum regulus, eiúsque coniux Maria Pontis Rothardi condidere anno 1544. lectísque quatuordecim, censibus annuis, & presbytero, qui diebus singulis sacra operaretur, instruxere, vt contractum intra vetitos gradus consanguinitatis matrimonium luerent. Id modò administrat diui Dominici familia, cui summi Pontificis venia est adiunctum. (HOSPITALE GRIMAREORVM INSVLÆ.) D

Non paullò plura Duaci numerantur. Quædam enim illic vel peregrinos cum ægrotis excipiunt, vel solis patent egenis viam facientibus. Illius generis vnicum est D. Thomæ vocabulo notum. alterius quatuor comperio. Primùm id locum obtinet, quod D. Iulianus indigitat, vbi Franciscanæ moniales pauperibus obsequuntur. Secundo D. Virgo nomen tribuit, in Ceruina platea: tertio diuus Sanson Episcopus. Vltimum à S. Iacobo vocabulum obtinuit, iísque solis patet, qui peregrinationem eius Apostoli in Gallæcia obeunt. Nusquam horum locorum ad tempus constitutum necessitates corporis desunt. (HOSPITALIA PEREGRINORVM DVACI.)

Quod Orchiaci spectatur, exiguum est prorsus, & paruo præditum censu. Ioannes de Bocque ad peregrinos suscipiendos exstruxit, & annuo redditu donauit. (ORCHIACI.)

Plus

A

Plus inerat splendoris, cùm initio præteriti sæculi Prior & Fratres aliquot tertij Ordinis hospitalitatem illic exercerent.

ARMENTERIÆ.

Aliud habent Armenterienses instituti veteris, quod Griseis Sororibus coniunctum est.

SICLINII.

Siclinij peregrinos maius Hospitale recipit: pauperibus aduenis aliud minus tectum præbet, victúmque noctem vnam.

BASSEÆ, ALIBI.

Quæ visuntur Basseæ, Haubourdini, & Waurinij Nosocomia eodem erga peregrinos & aduenas egentes vtuntur obsequio.

ORPHANOTROPHIA, ET PTOCHOTROPHIA INSVLÆ.

Ad Orphanotrophia, & ptochotrophia transeamus. Intra muros Insulenses bonis pueris, vt appellant, domus est diui Christophori sacello assidens. Ibi quatuor pueri cum sacerdote sedem obtinent eleemosynis victitantes, quas clericali habitu cantúque non paucas eliciunt, vt is cum attributo domui censu permixtis commodè habeantur.

B

Est in eadem non exiguum puellis pauperibus domicilium ab virtute, quam illic cum bonis artibus capessere coguntur. Bonis est filiabus inditum nomen. Magnum is locus carentium parentibus puellarum numerum capit, & partim suis redditibus, partim liberalitate ciuium educat, donec variis instructæ artibus, & moribus Christianis, vel in labores domesticos apud ciues elocentur, vel in aliquod abdant sese monasterium.

At in vrbe noua, in D. Magdalenes, qua Cortracum petitur, parochia, pueris inopia laborantibus, & altero vel vtróque orbis parente datus est locus sanè laxus & commodus. Grangiæ (quod horreum sonat) id domicilium nomen accepit. Ibi cibo, vestéque donantur, dein ratione legendi scribendíque, & Christianis rebus imbuuntur, donec per ætatem vel labori, vel studiis idonei fuerint. vbi certò tempore quod arridet opificium exercuerint, vel ad studia mentem applicuerint, cum noua veste, & aliqua pecunia dimittuntur. Sacellanum habent à quo doceantur, & cuius missas audiant.

C

Aliud quoque est Insulæ domicilium, cui nomen datum est Scholæ Bapalmensi. Nouum id est institutum, & ab Walerando Bapalmio ciue Insulensi conditum. Illic ex iis redditibus, quos vir ille non exiguos attribuit, bono numero pueri aluntur & instruuntur eodem vestis genere ornati.

DVACI.

Duaci non deest Orphanotrophium preterito proximè sæculo constitutum: vnde pueri bonis moribus exculti ad opificia, vel litterarum studia opportunis temporibus educantur.

Stant ibidem duplex domus, in quas puellæ parentibus orbatæ recipiantur, earúmque censibus & eleemosynis nutriantur.

Alius in eadem vrbe locus D. Ioannis nomine educandis infantibus expositítiis est conditus.

ARMENTERIÆ.

Huc etiam pertinet pauperum schola, quam instituendis educandísque viginti pueris & decem puellis habet Armenteria. Eam Iacoba des Ruelles virgo incœpit dotauítque anno 1598. auxítque postmodum Iacobus des Ruelles eius patruus.

D

ALIA VARIA PAVPERVM SVBSIDIA INSVLÆ EX FVNDATIONIBVS. DESLIORVM.

Haud inuoluenda sunt silentio, quæ pleraque alia suppetunt auxilia destitutis pecunia, & rebus aliis necessariis, tum pueris, tum ciuibus domi suæ confidentibus. Ea præsertim suis incolis tradi gaudet Insula. Vt à pueris initium ducam, vtriusque sexus quamplurimis cauet opulenta & celebris virtute Desliorum familia. Vestem ij quotannis accipiunt: Dominicis festísque diebus in Scholam sibi destinatam conueniunt, ibique gratis docentur: Dein pueri ad D. Stephani, ad D. Mauritij puellæ cùm diuinis laudibus interfuere, panem, caseum, & alia id genus sportulæ modo capiunt, domúmque referunt.

GVILELMI HANGOVARTII.

At quibusdam ciuibus vel honesta & opulenta, vel tenui exortis familia, cùm premuntur inopia, census insignis quorumdam hominum testamento in perpetuum attributus penditur. Vt exempla huius munificentiæ quædam depromam: Decem & octo decrepiti senes, quibus indigentia domi ęgrè toleratur, quot hebdomadis octodecim stuferos singuli in æde D. Petri accipiunt, ex eo censu, quem Wa-

lerandus

A lerandus Hangouartius Canonicorum D. Petri Decanus vltimis ceris constituit, vt aliàs memorauimus.

Nouem tum mulieribus, tum viris pari pressis egestate senióque, viginti per hebdomades singulas capitatim asses numerantur in templo D. Stephani, census eius auctore Matthæo Mauritij non ita pridem vita defuncto. MATTHÆI MAVRITII.

Quà viris, quà fœminis quinquaginta in singulas septimanas seni asses in eadem S. Stephani æde penduntur perpetuis redditibus eum in finem à Martino Muet constitutis. MARTINI MVET.

Personis septemdecim cum pauperie conflictantibus eos redditus annuos in perpetuum colligendos Margareta du Bosquel attribuit, qui nunc singulis hebdomadatim vicenos asses sufficiunt, quique sensim pluribus totidem asses subministrabunt. MARGARETÆ DV BOSQVEL.

Iis verò ciuibus Insulanis, qui bonis exciderint suis, Sanctissima Trinitas, S. Nicolaus, & S. Nicasius auxilia non parua suppeditant. Hæc perpetui census præbent, in eorum honorem à probis hominibus conditi. Quot hebdomadis aliquot asses & certa frumenti portio illorum ciuium cuique tribuitur, qui Magistratus voluntate in eius societatem sportulæ adsciti fuerint, commodè domi viuendi media inde sufficiuntur. Sed nulli vel nequitia, vel luxu decocta res ad huius fauorem subsidij suffragari potest. Ij tantum assumuntur, qui ciues sunt probis moribus, & quos constat re familiari floruisse, dein nulla culpa sua excidisse fortunis. Qui donabantur olim iis symbolis, in ædificiis ad id comparatis simul commorabantur: & vt ab eorum arcerentur ambitu, quibus alioquin domi res erat satis commoda, imperio magistratus omnes coacti sunt huius portionis participes suis vestibus pedum albi coloris pedem longum, duos latum digitos assuere. Postquam permissu Summi Pontificis ea sunt domicilia venditione abalienata, in quæ recipiebantur ij sportularij, data est cuique potestas suis in ædibus habitandi, ibíque concessa sibi portione fruendi. Vetus sanè horum hospitalium (sic enim etiam hodie nominantur) institutio est, vt quædam de S. Nicasij domo iam videam anno Christi 1291. à Senatu statuta. Cùm flueret annus supra millesimum & quadringentesimum quintus & quadragesimus, sancitum fuit decreto magistratus, vt S. Nicolai domus quinquaginta, S. Nicasij triginta duabus, & Sanctissimæ Trinitatis sexdecim portionibus in ciues totidem conferendis censerentur. Quod hospitale à S. Nicolao nomen habet, sacerdotem Anglum fundatorem agnoscit; eique Ioya de Waringhien vndecim ferè mensuras terræ, quas bonaria nuncupamus, liberaliter donauit. HOSPITALIVM S. TRINITATIS S. NICOLAI S. NICASII.

Etsi minora, quædam tamen sunt Duaci huiusmodi subsidia. In his præcipuè sancti Spiritus, vt appellant, mensa in æde S. Petri cernitur. ex ea quot hebdomadibus triginta mulieribus modò haleces, modò carnes, pro ratione temporis, cùm panibus porriguntur.

Ad hæc sparsis per vrbes oppidáque pauperibus sua etiam auxilia porriguntur, quæ vel publicum ærarium, vel piorum ciuium symbolæ sufficiunt. Quæ priuatim ciues in egenos vel ostiatim mendicantes, vel domi præstolantes subsidia conferunt, ea non modica certè sunt, pronis à natura in hoc genus misericordiæ Gallo-flandris: vt non modò indigenis ea ratione subueniatur; verùm etiam aduenis, quos istæc liberalitas aliunde multos in hanc regionem pertrahit. Quid Senatus è publico subministret, non facilè est dicere. Quid Insulæ fiat, hîc breuiter commemorabo. Hac in vrbe certum est peculium publicum, cui nomen Bursæ pauperum. Id pecunia conficit, vel de publico sumpta ærario, vel priuatim à ciuibus testamento, vel donatione collata. Inde pauperibus subuenitur, qui ius habent ciuitatis. Igitur ab Senatu ciuium ferè præcipui deliguntur, qui hoc in opus incumbant. Ij suas in parœcias distributi conscriptas habent familias, & capita sibi subiecta. Pecuniam quanta cuique ex præscripto competit, alternis hebdomadis numerant: dein certis temporibus de vestibus, calceis, aliisque rebus prouident. Et quò plus suppetat nummorum erogandis in pauperes eleemosynis, ipsi statis temporibus opulentorum domos ciuium adeunt; indéque stipem corrogant, porrectis ex ære PECVLIVM ET MAGISTRATVS PAVPERVM INSVLÆ.

cistulis,

A

cistulis, in quas obseratas per rimulam nulla nummi notâ vel parcitatis, vel liberalitatis, à dantibus ingerantur.

Dvaci. Neque verò deest publicum Duaci peculium, quod etiam in pauperes distribuatur. Eius curam viri sexdecim habent ex omnibus parœciis impari ferè numero delecti. Diuorum Petri & Iacobi quatuor singulæ constituunt; D. Mariæ & S. Nicolai duos tantùm, D. Albini tres, vnicum D. Amati. Hi omnes accepta potestate à Senatu pecuniæ quantum possunt colligunt, eámque vel seruant, vel distribuunt, vt ipsa poscunt tempora, & cuiusque pauperis familia postulat.

Armenteriæ. Harum vrbium exemplo Quinque-viros Armenteria constituit quærendæ, & in pauperum vsus erogandæ pecuniæ Magistros, quorum vnus Bursarij nomen induit: eísque per biennium Senatus facultatem concedit ex præscripto peculium dispensandi.

Mons Pietatis Insulæ. Ad extremum erectus etiam nuper est Insulæ publico ciuium egentium bono Mons Pietatis, vt appellant. Eius auctor præcipuus exstitit Bartholomæus Masurellius domo Insulensis, & quondam ex vitæ instituto negotiator. Quam id in opus pecuniam contulit, ad octoginta circiter florenorum millia peruenit. Locum Senatus attribuit, vbi Masurellius initia vitæ traxerat; dein cetera, quæ impendi par est, ex publico adiecit liberaliter. Igitur quibus angusta res domi est, pecuniam indè mutuam gratis petere licet relicto interim pignore, donec acceptum æs statutis temporibus numerauerint. B

Pænè omiseram id Senatus Insulensis studium, quo pauperum commodis aduigilat, dum famis initia, vel indicia produntur. Is enim eo tempore neque labori, neque sumptibus parcit, vt aliunde frumentum terra marique aduehi curet, quod emptum publica pecunia viliori denique pretio egentibus vendat grassante atrociter fame.

C

Quæ subsidia, Scholæ, Phyteuteria, domúsque variorum hominum munere suppeditent informandis indigentium liberis in Gallo-flandria.

Capvt XXXVIII.



AT non egentium modò corporibus in Gallo-flandria sua suppetunt auxilia. In animorum etiam subsidia opes plurimæ conferuntur: variáque sunt ædificia, vbi vel gratis percolantur, vel necessitates studijs opportunas tenuis adolescentes fortunæ liberaliter accipiant.

Pvblicæ pverorvm et pvellarvm Scholæ Insvlæ. Circa publicam liberorum infantilem etiamnum ætatem agentium institutionem præcipua cura Senatus Insulensis aduigilat. Ædificium stat in foro longum, & in tria membra diuisum. Inferiùs macellum est commodo & capaci admodum loco. superiùs vastissimæ patent aulæ. Qua fori aream ea moles aspicit, nocturnis vigilibus statio est perampla, ideóque toti loco Vigilum corpori nomen factum. Maxima igitur eius superioris ædificij pars Scholis publicis ab Senatoribus tributa est. Ibi quotidie pueri puellæque docentur. Separatis in sedibus pueris magistri, puellis virgines præsunt: quibus honestum è publica pecunia numeratur stipendium. Solis illic diebus Dominicis festísque pauperum liberi alias impediti, coguntur: ceteris per hebdomadam diebus opulentorum ciuium ac tenuium filij, filiæque. Docentium ea præcipua cura est, vt cum ratione legendi scribendique, Christianæ fidei rudimentis teneras imbuant mentes. Præscriptum ideò tempus sæpiendis memoria Catholicæ doctrinæ capitibus: déque iis publicè agitandi vel quæstionibus lacessendo, vel præbendo responsa. Id apud honestorum ciuium liberos, diebus Ve- D

neris,

A neris; apud pauperum, Dominicis ac festis, moderante semper aliquo de Societate Iesu Religioso, peragitur. Vti res meliùs & fructuosiùs procedat, ab Senatu lecti sunt aliquot ciues opibus, fama, & virtute florentes. In vnum hi coëuntes Collegium eò præsertim incumbunt, vt dispiciant, quî virgines, quî viri scholis præfecti officio fungantur: quem pueri puellæque fructum faciant; quinam è paupercula plebe prolem domi retineant, aut lusum ablegēt festis ac Dominicis diebus, dum scholæ sunt frequentandæ: quibus rebus ad stimulandos pueriles animos, quibus ad omnes necessitates opus sit. Quidquid ipsi statuunt, id scilicet magistratus vrbis gratum, fixúmque habet.

COLLEGIVM ET SEMINARIVM S. PETRI INSVLÆ.

Qui pueritiam exuêre ciuium, aut villaticorum hominum liberi, cùm ad studia litterarum animos vertunt, tria Insulæ Collegia nanciscuntur, vbi litteris humānioribus animos tingant. Horum vnum erexere diui Petri Canonici, plurimum æris in huius Seminarium pauperibus alendis institutum conferente eius ecclesiæ Decano Walerando Hangouartio, vt dictum est alibi. Huius Collegij Seminarium B erigendi cùm veniam dedisset Pius V. Pontifex Maximus anno 1567. etiam ei Canonicatum & præbendam vniendi facultatem concessit, assentiente Præposito, & Capitulo.

COLLEGIVM SOCIETATIS IESV IBIDEM.

Alterum Insulæ Collegium, vbi Græcæ Latinæque doceantur litteræ, ab Iesu Societatis hominibus insidetur, quod nuper insigni munificentia Nobilissimus, & Amplissimus vrbis huius Senatus erexit à fundamentis: cuique tum idem bis mille florenos in perpetuum censum quotannis, quemadmodum anteà diximus, tum alios mille temporario munere in singulos annos Gallo-flandriæ Ordines attribuunt, alendis huius sacræ familiæ personis ad scholarum munia necessariis, vti faciliùs docendi gratis onus sustineant.

GYMNASIVM S. AVGVSTINI.

Vltimi ludum litterarium hoc in oppido Augustiniensis Eremitarum Ordinis Patres aperuere; vt in aliquem quoque laborem adolescētię Latina Gręcáque lingua perpoliendæ ipsi veniant.

HIBERNORVM SEMINARIVM.

C Hibernis nuper ibidem constructum est à Ioanne Morellio domicilium; ipsóque iam vita defuncto, è censibus ab eo relictis huic loco quidam attributi sunt: vbi duodecim, aut quatuordecim Hibernicæ nationis adolescentes parum à re domestica parati, cum Pręside aluntur; quos in exedris sui Collegij Societas Iesu litteris humanioribus percolit.

DVACENSIA COLLEGIA, ET SEMINARIA.

Duaci longè plura cernuntur vel Collegia, vel Phyteuteria: vbi variis ad sapientiam viis & artibus non minùs pauperum animi, quàm opulentorum, perueniant: quoniam illic Academiam Philippus huius nominis Secundus Hispaniæ Rex constituit.

Hîc in primis quatuor quibuslibet adolescentibus patent Collegia, in quibus tum humaniores, tum Philosophicas hauriant disciplinas.

PÆDAGOGIVM REGIVM.

Primum idem Rex Philippus erexit donatis melioribus castri sui ædibus, vti ceteris ad moliendum aliquod ædificium stimulos figeret.

AQVICINCTENSE.

A fundamentis alterum eduxit Aquicinctensis Abbas Ioannes Lentailleurius, &, D qui gratis docerent, Societatis Iesu viros imposuit.

MARTIANENSE.

Tertium nomen habet à monasterio Martianensi, cuius Abbas Arnoldus Gantoisus id condidit: vbi nunc quoque eiusdem Societatis Religiosi lectiones habent.

VEDASTINVM.

Adiectum his pronuper D. Vedasti Collegium Vedastini apud Atrebates Archimandritæ Philippi Cauerellij opera.

Hæc igitur quatuor Gymnasia qui iuuenes opibus destituti frequentant, neque didactra soluere coguntur, neque propter inopiam eo, quem diligentia & doctrina sunt assecuti, loco priuantur; & interdum piorum hominum eleemosynis adiuti palmarium referunt.

SEMINARIA DVACENSIA.

Multò plura sunt domicilia, vel contubernia variis hominum ad disciplinas incumbentium generibus, vbi & gratis alantur, & quotidianis stimulentur ad doctrinam & virtutem exercitiis. Seminaria vulgò nominantur, à terris subactis, in

quas vitium & arborum semina mittuntur,& quæ φυτευτήρια Grçci nuncupant, tracto vocabulo.. A

Theologiæ candidatis, tenuibus, vel egenis ortis parentibus; quinque prçsertim eiusmodi contubernia sunt attributa.

SEMINARIVM REGIVM.

Regium principem obtinet locum siue ortum eius consideres, siue membra ædificiorum, siue numerum florentissimæ iuuentutis aspicias. A fundamentis totum id domicilium magno sumptu, insigni elegantia, laxitate non modica, iuxta riuum cōmodè fluentem, non procul à publico gymnasio, haud pridem erectum est. E toto Belgio delecti iuuenes hîc recipiūtur, quorum ingenia spem faciunt, perfecto Theologici studij curriculo, prçclari ad iuuandam Ecclesiam fructus percipiendi. His è constitutis Philippi Regis Secundi liberalitate censibus ad victum necessaria tribuuntur. Qui moderetur rem familiarem, ac studiorum exercitationibus prçsit, Theologum habent Doctorem. Eo præside domi disputant de rebus diuinis sacrisque; Scripturæ sanctæ locos interpretantur; ex alto loco ad virtutem socios adhortationibus impellūt. Vbi per annos aliquot his aliisque publicis studiorum exercitijs fuerint exculti, tum denique rude donati, ad alios vel Theologica doctrina in gymnasiis imbuendos, vel in Curialibus ecclesijs verbo diuino & sacramētis pascendos, prodeunt. Et sanè dici nequeat, quantum auxilij ac subsidij ex hoc contubernio, emissis varias in Belgij partes egregiè doctis iuuenibus, ad multorum salutçm hominum emanauerit. B

SEMINARIVM EPISCOPORVM.

Quod datum est alterum sacri studij alumnis ædificium, Episcoporum appellant Seminarium. Id Pontifices Cameracensis, Tornacensis, Atrebatensis, Audomarensis, & Namurcensis partim iam structum eleganter pecunia comparauere, partim nouis auxere membris. Commodo satis, & quieto situm loco est, adiacentibus latè hortis. Eorum, quos diximus, Episcoporum symbolis multi bonæ spei iuuenes, at mediis propter parentum inopiam destituti, educantur, qui postquam sapientiam altè sacram biberint, parœciis oppidorum & pagorum denique admoueantur. Præsidem è Sacræ Theologiç Magistris delectum venerantur, eiúsque ductu, ea, quç priùs memoraui, exercitia obeunt, insigni sanè fructu, quem posteà ij sentiunt Episcopatus, in quos animas tractaturi mittuntur. C

MOVLARTIANVM.

Tertio loco Moulartianum cernitur Seminarium Theologiæ studiosis item attributum. Id Matthçus Moulartius Atrebatensium Episcopus instituit, eíque domum suam satis magnam, elegantem, instructam, dein annuos redditus oppidò pingues attribuit. Et hîc quoque iuuenes inopia pressi, à quibus aliquid præclari speratur, percommodè profectò aluntur, & variis aptantur exercitationibus, vt tandem in vinea Domini præstantes se operarios prçbeant. Qui supremam sit adeptus diuini studij lauream, Præside ad omnia duce vtuntur.

HAYNINIANVM.

Quartum à paucis annis Theologorum Collegium condere cœpit Iprensium Pontifex Antonius Hayninius, iámque illud recenter absoluit exstructis magnificè templo, membris aliquot ædificiorum, ac porticibus, & xystis, quibus omnibus area in quadrum elegantissimè cingitur. Et multa illic gratis alitur iuuentus, quam is Episcopus tum è sua diœcesi, tùm aliunde huc misit, vt sacris instructa doctrinis, parochialibus demum ecclesiis præficiatur. Ei ad omnia exercitia præit Theologiæ Doctor præsidis nomine. D

TVRRIANVM.

Ad quintum nuperrimè constituendum animum opésque conuertit Gaspar Turrianus, Canonicorum D. Virginis Mariæ Brugis Decanus. iámque septem in ædibus ipsius sumptu comparatis instructísque Theologi tenuis fortunæ, victu fruuntur, qui, decurso diuinæ doctrinæ stadio, ad iuuandas hominum animas in oppidis aut pagis Parochiarum curam capessant.

OCTO SACERDOTVM.

His adiungi possunt domus illæ, quibus nomen Octo & Sex Sacerdotibus. Prioris vetus est institutum. Ante multos annos eam condidit Margareta Mules, ibíque voluit Octo Sacerdotes habitare, quibus tenui, vel nullo patrimonio prçditis ex eo censu, quem reliquit perpetuum, aliquid tribuatur in vitæ subsidium: vnde modò licet iis, qui contubernium illud sunt adepti in sacrum Theologiæ studium in-

cumbere.

A cumbere. Et ne liberius vagentur, aut malis sese moribus pessumdent, qui præsit, sa-
cerdos aliquis tum grauis, tum Theologus imponitur.

Alteri loco Sol etiam nomen fecit: vbi sex sacerdotio initiatis hominibus se- SEX SACERDOTVM.
des conceditur, & quidam ad percurrenda sacræ doctrinæ stadia census idoneus
ex liberalitate Ioannis à Parisis honestissimi ciuis Duacensis, qui non ita pridem
condidit.

Speciem quoque Seminarij habet illud contubernium, quod Arnoldus à Fine SEPTEM DOLORVM D. VIRGINIS.
Duacensis ecclesiæ Canonicorum S. Petri Decanus testamento constituit, vbi sep-
tem iuuenes Theologiæ operam nauantes in memoriam septem D. Virginis dolo-
rum ex eo censu alantur, quem reliquit.

Verum vt à Theologis ad alios transeamus, multiplici disciplina imbuendos ha- LAMOTIANVM.
bet è Belgio adolescentes Lamotianum Phyteuterion. Id eleganti & magnifico sur-
git ædificio. Qui incolunt, liberaliter educantur, iisque licet Rhetoricis & Philo-
B sophicis artibus excoli; dein Iuris aut Theologiæ per aliquot annos scientia tingi.
Valentinus de Pardieu Mothæ toparcha militaribus disciplinis illustrissimus, ad hoc
erigendum plurimam vltimis pecuniam tabulis contulit: postmodum heredes con-
didere. Pinguis admodum redditus alendis iuuenibus multis sufficit, quos honestis
parentibus, sed re familiari parum instructis genitos esse oportet. E Doctoribus Iu-
ris præsertim aliquis præsidet.

Marianum Seminarium instituto & impendiis Matthiæ Bossemij quondam S. MARIANVM.
Amati Prępositi, & Academiæ Cancellarij fundatum fuit, structúmque. A D. Vir-
gine Maria nomen ei traditum, vt sanctitatem eius æmulentur, qui litteris ibi dant
operam. Vt soli pauperes illic locum ambiant, ipsa veste cautum est insoliti coloris
& modi, apta prorsus egentibus. Ac ne penetrent eodem stolidi iuuenes, ex aucto-
ris pręscripto, seuerum admittendi subeunt examen. Quos ingenium & probitas eo
contubernio dignos reddiderint, ij tamdiu ex parte gratis educantur, donec Rhe-
toricam, Philosophiam, & Theologiæ partem percurrerint. A quo contineantur,
C & domi exerceantur, Theologico clarus titulo vir pręficitur.

Sua etiam sunt externis aliquot nationibus disciplinarum Seminaria. Quod An- ANGLICANVM.
glis paratum est, id pulcherrimum & maximum, & plurimos alit iuuenes aliis alios
artibus animum percolentes. Pręcipuum agnoscit auctorem Philippum Secundum
Hispaniæ regem, à quo donatum est annuo bis mille aureorum reditu. E sua natio-
ne Pręsidem sortitur sacra insignem doctrina. Hinc plurimi Martyres prodiere.

Hibernico minus ędificiorum est opúmque: non exiguus tamen illic iuuenum HIBERNICVM.
insignium numerus alitur, quem Hibernia submittit, ab Hiberno Pręside mode-
randum.

Scotis domicilij pars quędam ad culmen educta. Summus Pontifex, & aliorum li- SCOTICVM.
beralitas opportuna multis adolescentibus educãdis media suppeditarunt. Insidẽtis
iuuentutis regimen penes aliquot è Societate Iesu sacerdotes constitutum est.

Liberet etiam in hanc seriem subsidiorum studiosæ iuuentutis ea colligere adiu- BVRSÆ IN ALIMONIAM PAVPERVM DVACI CONSTITVTA.
menta, quæ Bursarum nomine tam variis studiis tributa sunt, quorumdam homi-
D num tabulis, quàm variis sparsa sunt locis: nisi vererer fastidium legenti parere sin-
gula persequendo. Ea scilicet vt non pauca sunt, ita multos variósque habent au-
ctores. Quin tamen hîc præcipua obiter recenseam, facere non possum. Igitur sex
Theologis censum attribuit Iacobus Vaillant Iuris vtriusque Licentiatus, & Aduo-
catus Duacensis: quatuor Ioannes Procurator Canonicus & Archipresbyter eccle-
siæ Cathedralis Audomaropoli.

Quibus ad pædagogium regium iuuenes inuitentur, quos præsertim re fami-
liari parum instructos mittit Brabantia, insigni nuper instituto Maria de Smits
virgo Antuerpiensis perpetuos tribuit census, queis in eo iam duodecim sic tra-
ctantur, vt non modò particularem habeant refectorij supellectilem, verùm etiam
instructis re omni cubiculis vtantur: posteà autem plures in eam venturi sint
contubernij participationem. Studiis tum humanioribus tum philosophicis ope-
ram impendentibus in Collegio Aquicinctino hæc præcipuè suppetunt auxilia.

Burſas, vt vocant, duodecim inſtituit dominus de Tramecourt, S. Petri Caſletenſis Canonicus: quatuor Comes Boſſutenſis. Nauantibus in Collegio Martianenſi hęc inter alia victum ſufficiunt: quatuor pauperibus cenſum attribuit Reginaldus Domeſſen: tribus Maximilianus Manareus eccleſiæ S. Petri Præpoſitus Inſulę, totidem Magiſter Philippus de la Montaigne Doctor Theologus. A

Non erit, opinor, curioſis lectoribus ingratum, ſi ſactum hîc proponam diploma, quod Pius Pontifex Maximus eius nominis Quartus conſcripſit, cùm flagitante Hiſpaniarum Rege Philippo Secundo Duacenſem Studiorum Vniuerſitatem tot nunc florentem Collegiis, Seminariis, aliiſque pauperum ſubſidijs, vt alijs celeberrimis Academiis non cedat, erigeret. Id enim & cauſam poſtulatæ huius Academiæ prodit, & quæ conceſſit Pontifex, complectitur omnia.

Bvlla Svmmi Pontificis Academiam Dvacensem erigentis.

Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit, & conuenit honeſtati, vt ea, quæ de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet eius ſuperueniente obitu litteræ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum ſortiantur effectum. Dudum ſiquidem felicis Recordationis Paulo Papa IV. *prędeceſſori noſtro pro parte chariſſimi in Chriſto Filij noſtri, tunc ſui, Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici expoſito, quòd cùm regio inferioris Germaniæ ipſius Philippi Regis ditioni hęreditario iure ſubiecta, omni ferè ex parte à populis hęreticis, atque ſchiſmaticis cincta, & obſeſſa eſſet, & propter aſsiduas eorum inſidias, peſtiferáſque doctrinas, Catholica illic fides, & animarum ſalus maximo in diſcrimine verſaretur: tam grauiter periclitanti in illis partibus fidei Orthodoxæ, & animarum ſaluti aptiſsimum eſſe remedium duxerat, ſi in dicta regione, quæ à tot tantiſque populis & gentibus incolebatur, pręter illam celeberrimam ac famoſam Vniuerſitatem Studij Generalis Louanienſem, alia quoque ſimilis Vniuerſitas Studij Generalis erigeretur: Cui ſic erigendæ Vniuerſitati oppidum Duacenſe Atrebatenſis Dioceſis, tam ſalubritate aëris, quàm fœcunditate terræ, & rerum omnium humano victui neceſſariarum copia maximè idoneum, & opportunum eſſe, arbitrabatur: & propterea cupiebat ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, ac militantis Eccleſiæ exaltationem, necnon litterarum, pręcipuè ſacrarum, ſtudij incrementum, Vniuerſitatem ſtudij generalis, in dicto oppido erigi & inſtitui. Quare pro parte dicti Philippi Regis eidem prędeceſſori noſtro humiliter ſupplicato, vt in eodem oppido Vniuerſitatem Studij Generalis erigere, & inſtituere, ac aliàs in præmiſsis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaretur: Præfatus Prædeceſſor, qui in Apoſtolicæ dignitatis culmine, meritis licet imparibus, tunc conſtitutus, ſedula meditatione penſabat, vt per litterarum ſtudia, cooperante omnium munerum largitore, Chriſti fideles virtutibus ornarentur, iuſtitia coleretur, fides in primis Catholica, & diuinus cultus non modò conſeruaretur, verùm etiam noſtris potiſsimè temporibus augeretur atque propagaretur; ad idque præſertim, dum Catholicorum vota Principum id expoſcebant, ſuæ conſiderationis aciem libenter conuertebat, aliiſque deſuper diſponebat, prout in Domino pro ſtudiorum ipſorum directione, & ſucceſſu felici conſpiciebat ſalubriter expedire: attendens ex litterarum præſertim diuinarum ſtudio ſaluti animarum conſuli, & alia ſpiritualia, & temporalia dona vniuerſo terrarum orbi prouenire: Huiuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub data videlicet pridie Kalend. Auguſti Pontificatus ſui anno* V. *in ipſo oppido Vniuerſitatem Studij Generalis in Artibus, naturali ac morali Philoſophia, ac*

Medicinæ,

A Medicina, necnon Theologia, & Iure Canonico & Ciuili, ac quibusuis alijs licitis facultatibus & scientijs, ad instar Louaniensis prædictæ, ac Parisiensis, Bononiensis, & Paduanensis, ac aliarum studiorum generalium Vniuersitatum, auctoritate Apostolica erexit, & instituit; ac illi sic erectæ, & institutæ, illiúsque pro tempore existentibus Rectori, Magistris, Doctoribus, lectoribus, scholaribus, studentibus, bidellis, & alijs officialibus, & personis, quod omnibus & singulis priuilegijs, libertatibus, & immunitatibus, exemptionibus, fauoribus, gratijs, prærogatiuis, honoribus, & præeminentijs Louaniensi, ac alijs studiorum generalium Vniuersitatibus huiusmodi, illarúmque pro tempore existentibus Rectoribus, Magistris, Doctoribus, lectoribus, scholaribus, studentibus, bidellis, & alijs officialibus ac personis, in genere, vel in specie, tam dicta Apostolica,
B quàm Regia auctoritatibus, seu alijs quomodolibet concessis, aut legitimè perscriptis, & ex nunc in posterum concedendis, & perscribendis, ac quibus illæ, & illi vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ac vti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere: Necnon ijs, qui in dicta sic erecta Vniuersitate, seu alibi per tempus debitum studuisse, ac scientia & moribus idonei esse comperti forent, quòd in Artibus, & Philosophia, & Medicina, ac Theologia, necnon Iure Canonico & Ciuili, ac alijs facultatibus, & scientijs prædictis, Baccalaureatus etiam formalis, & Licentiaturæ, ac Doctoratus, Magisterij, à pro tempore existente ipsius Vniuersitatis Duacensis Rectore seu aliàs iuxta eiusdem Vniuersitatis desuper edendas constitutiones recipere, & ipsorum graduum solita insignia sibi exhiberi facere, ac postquam gradus huius-
C modi recepissent, ac illorum insignia sibi exhibita fuissent, vt præfertur, facultates, in quibus promoti essent, legere, & interpretari, ac in ijs disputare, necnon quoscunque alius gradui, seu gradibus per eos receptis conuenienter exercere, aliásque omnibus & singulis priuilegijs, fauoribus, gratijs, prerogatiuis, & indultis, quibus ceteri in Louaniensi, & alijs Vniuersitatibus prędictis iuxta illarum constitutiones & mores, ad gradus prędictos promoti de iure, vel consuetudine, seu aliàs vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ac vti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet, in futurum vti, potiri, & gaudere in omnibus, & per omnia, proinde ac si gradus ipsos in Louaniensi, aut alijs Vniuersitatibus studiorum huiusmodi iuxta constitutiones & mores prædictos suscepissent; Necnon Rectori & Doctoribus, & scholaribus Vniuersitatis Duacensis huiusmodi pro tempore exi-
D stentibus, quod pro salubri ipsius Vniuersitatis directione & conseruatione, ac illius Rectoris, Magistrorum, Doctorum, lectorum, bidellorum, ac aliorum officialium electione, nominatione, & prouisione, & scholarium eorundem manutentione, quæcunque statuta, & ordinationes licita & honesta, & sacris Canonibus non contraria, facere, & edere liberè & licitè valerent, eadem auctoritate Apostolica concessit pariter, & indulsit. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, priuilegijs quoque & indultis, & litteris Apostolicis quibusuis, sub quibuscunque tenoribus ac formis, ac cum quibusuis etiam derogatariarum derogatarijs, aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis etiam iteratis vicibus concessis, probatis, & innouatis. Quibus omnibus dictus prædecessor etsi pro illorum

susfi-

ſufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quauis alia expreßio habenda, vel alia aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, pro ſufficienter expreßis habens, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ea vice duntaxat ſpecialiter & expreſſè derogatiuis, ceteriſque contrarijs quibuſcunque. Ne autem de erectione, inſtitutione, conceßione, indulto, & derogatione prædeceſſoris huiuſmodi, quòd eius ſuperueniente obitu litteræ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, dictúſque Philippus Rex illorum fruſtretur effectu, voluimus, & decreuimus, quòd erectio, inſtitutio, conceßio, indultum, & derogatio huiuſmodi perinde à dicta die pridie Kal. Auguſti ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius prædeceſſoris litteræ ſub eiuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperiùs enarratum. Quòdque præſentes litteræ ad probandam plenè erectionem, inſtitutionem, conceßionem, indultum, & derogationem predictam vbique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis, ac B. B. Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1559. octauo Idus Ianuarij, Pontificatus noſtri anno primo.

Finis huius libri ſecundi.



A

GALLO-FLANDRIÆ LIBER TERTIVS.

Flandriæ Comes, omnium facilè Comitum Princeps, Gallo-flandris imperat.

CAPVT I.

B



GALLO-FLANDRIS imperare Comitem Flandriæ, suprà memorauimus. Id modò à nobis docendum videtur, non exiguam inde genti laudem & nomen gliscere. Nam cui Comitum plus regionis, opum, maiestatis, imperij, olim cesserit, & hoc tempore suppeditet, non facilè reperias. Dempta Regi Franciæ dicendi sacramentum obligatione, quondam in eo libertatis, & potentiæ maximæ, plena fuere omnia. Et cùm suam eidem Regi fidem obstringeret, etiam magnificum aliquid, seu Regem ipsum, seu Comitem aspiceres, prodebatur. Etenim obligantis iureiurando fidem Comitis, & Regis eum in beneficiarium, seu clientem recipientis, hæ quondam erant cerimoniæ. Throno Rex insidebat, multis vel Parium, vel Principum regni, adstantibus. Caput nudus, & latera dis-
C cinctus, altero genu Comes nitebatur. Vbi Rex manus huius implicuerat suis, Cancellarium carmen præeuntem subsecutus Comes fidelitatem & obsequium aduersus regios hostes promittebat. Exinde rex osculandam porrigebat stanti genam. Quòd gratis in fidem ab Rege reciperetur, ensem, pileum, togam, balteum & crumenam Comes regiis caduceatoribus dabat.

COMITIS FLANDRIÆ MAIESTAS, ET POTENTIA:

Pet. Oudegh. c. 170. Iacob Marchant. l. 2. Fland.

MODVS FRANCIÆ REGI FIDEM OBLIGANDI.

Sed ab initio plurima tanto Principi maiestatem addidere vel ab Rege concessa, vel vsurpata eo tolerante. Balduinum Ferreum Carolus cognomento Caluus regni Franciæ Parem, & Patritium dixit eo iure, vt Remis ad inaugurationem Regi ensem accingeret, eique præferret solennibus pompis. Quòd nulli Principum regno subiectorum licebat, excepto Britanniæ Duce, olim concessum Flandro Comiti, vt sese Principem, aut Marchionem, aut Comitem Dei Gratia, vel Clementia inscriberet, prono absolutæ potestatis indicio.

HIC COMES. PAR FRANCIÆ EST.

Ioan. Tilletius. vide Iac. Meier. lib. 1. Annal. Fland. & to. 10. Fland. Oudegherst. cap. 170. & 173. Iacob. Marchant. l. 2. Fland.

TITVLO ADSCRIBIT, DEI GRATIA.

Et quò plus dignitatis accerseret, æqualia regibus officia domi forisque, feudalia, & hereditaria constituit. Ad consilia, iúsque dicendum, spectabant Cancellarius, &
D Burgrauij. Cancellarij dignitas D. Donatiani Brugis Præposito perpetuùm olim annexa fuit cum potestate decreta Principum annulo signandi, vel, vbi vitiosa rescripta perspiceret, transuersis circumducendo lineam cancellis improbandi. Burgrauios alij Vicecomites vocant, quòd suas eis partes Comes permitteret. In Burgis, vel arcibus, iudiciis publicis, & custodiis, ij Comitis nomine cuncta moderabantur, illicientibus ad officium prærogatiuis, & mulctarum triente: variâ tamen vel præeminentia, vel iurisdictione; cuncta scilicet pro meritis cuiusque vel minuente, vel augente Principe. Emicant huiusmodi feudales & hereditariæ dignitates, Gandaui, Ipris, Alosti, Furnis, Harlebecæ, Bergis, Burburgi, Rousselaræ, Nieuporti: quarum olim quædam tanti nominis, vt Flandriæ Comitum liberi titulum earum induerint.

EIVS OFFICIALES NOBILIORES. CANCELLARIVS. BVRGRAVII, VEL, VICECOMITES.

Ad militiæ munia suos etiam magistratus Flandriæ Comes habebat. Toti præerat exercitui Conestabilis, quem alij Comitem stabuli, vel Magistrum equitum vocant.

CONESTABILIS.

Loc. citat.

cant. Insulensem Castellanum eo tradunt ornatum munere Iacobus Meierus & Petrus Oudegherstius; Meluniam posteà domum Marchantius. Mareschalli duo Conestabili fuerunt adiuncti, quorum erat castra metari. Neque defuit Halmiralus, aut maris præfectus, cum potestate tergendi mare piratis, vel in eo aduersus hostes gerendi bellum. Sed horum militiæ officiorum nihil modò familiis, prçter titulum, adhæret. Præter hos Magistratus, Seneschallum, vel Dapiferum, aut Magnum Domesticum (tam variè appellatum inuenio) agebat semper à compluribus annorum centuriis Waurinij dominus. Et ad aulæ ministeria pertinuere Magnus Magister domus, Pincerna & Cubicularius. Illi tota Comitis domus incumbebat, vt leges Aulicis & domesticis omnibus præscriberet. Armenteriæ Comarchus is erat. Ad Cubicularium cubiculi & vestimentorum Comitis cura spectabat. Præerat Comitis potioni tertius. Et suos Quæstores feudatarios Comes habebat dominicis rationibus exigendis. Quibus præerant, hæc potissimùm, Res Spicaria, & Vaccaria, Lardarium, & Breues. Ea sunt tributa quædam vrbium & agrorũ perpetua, quibus ipsorum possessores sic obnoxij sunt, vt quidam frumentum & auenam; caseos alij vaccinos, lardum alij, nummos quidam in subsidia culinæ Comitis pendere teneantur. Eius classis Quæstorum agmen ducebat D. Donatiani Prępositus, ob amplissimæ potentiam dignitatis. Inter ipsos Quæstores ascitæ sunt quoque nobiles aliquot familiæ. Sed quoniam isthæc alimentaria minùs placent hoc tempore, iam diu in pecuniam verterunt Insulenses rationum Præfecti.

SENESCHALLVS, AVT DAPIFER. MAGNVS MAGISTER DOMVS. CVBICVLARIVS. PINCERNA. QVÆSTORES BENEFICIARII. *De his vide Marchant. l. 2. & quæ nos scripsimus circa Ioanna diploma in Marquett. monasterio.*

Iac. Marchantius l. 2.

Neque verò desunt, qui aucupio, venationi, & aquis pręsint, ipso Comite nullis ad eas præfecturas familiis adstricto. Præter nobiles aucupio deditos, nulli fas buteones, phasianos, ardeas, perdices, auibus sectari, vel aliter intercipere: nisi à Falconum Principis Pręfecto vel emerit, vel impetrauerit id agendi veniam. In apros & ceruos grassari soli Magno Venatori Comitis concessum. At lepores & cuniculos canibus insequi, aut viuerris induere, nobilibus datur, & aliorum cuilibet illius assensu. Si quis in venationum leges commiserit, potest Pręfectus in eum manus inijcere, & pœnis mulctare, quas duo Comitis beneficiarij constituerint. Qui fluminibus & lacubus præest (Watergrauium appellant) eo pollet munere, vt nullum sinat in fluuiis & lacubus cygnos alere; nullum Principis oloribus nocere; nullum oua horum, vel pullos furari, vel nidos destruere. quem secus fecisse comperent, plecti curet.

FALCONVM PRÆFECTVS. MAGNVS VENATOR. VVATERGRAVIVS.

Duodecim etiam Paribus ab Comite institutis Flandria quondam superbiit, Francorum regis æmulatione. In his quidam emicuere maximæ viri nobilitatis. Et Artesiâ quidem nondum auulsâ, inter præcipuos numerabantur S. Pauli, Falcobergæ, Arckarum, Boloniæ, Hesdinij, Gisnarum, & Hoyæ Comites.

PARES FLANDRIÆ.

Meierus, Oudeghersti. Marchant. loc. cit. REGIA QVÆDAM POTESTAS FLANDRIÆ COMITIS.

Quæ regium quiddam in Flandrię Principe arguerent etiam priusquam Franciæ iugum exueret, alia fuere quàm plurima. Liberrimè suos moderabatur, & regum more nulli obnoxius vtebatur imperio. Apud regni Francici Pares nihil eum in iudicium trahere poterat, nisi controuersiam iniiceret Comitatus proprietas, aut ipse ius negaret subditis. Si bellum ingrueret, aut inferre vellet ipse, militem legebat, & conscribebat exercitum. si pacem cuperet, eius leges dicebat. popularibus indictiones & oblationes, cùm liberet, imperabat. neque regalibus regni Franciæ, neque tributis obsequebatur. quas ipse rex scripserat leges, quæ idem sanxerat, quæ impertierat gratiæ diplomata, ipso nolente nullum ea ius obtinebant. Iudicibus regiis nulla vel præueniendo, vel alio quouis modo, in Flandria iurisdictio dabatur. Ipse Comes leges condere; edicta proponere; constitutiones sancire; legem exercere maiestatis; pœnas infligere; criminum veniam concedere; immunitatibus aut priuilegiis ecclesias, ciuitates, præfecturas ornare; monetam vel auream, vel argenteam, quantilibet ponderis cudere, nummos regios iniqui ponderis, damnare, ad suos expendere; sanctiones Gallorum pragmaticas non admittere; denominationibus Parisiensium obniti. At hoc tempore postquam Carolus Quintus Imperator Comitatum è iure Francorum asseruit, multò liberius est Comitis imperium, maiórque pote-

stas

A ſtas cuncta ex voluntate moderandi: ideóque rerum multa vel abolita, vel in meliùs mutatá ſunt.

Comitum Flandriæ genus, nobilitas, & à primis ad vltimos eorum ſeries: quæ quidam eorum in Gallo-flandria fecerint.

CAPVT II.

VERVM iſta ſcriptis mandaſſe parum profuerit, niſi cauſam vnà potentiæ B & maieſtatis Comitum Flandriæ prodamus. Eam non aliunde profluxiſſe crediderim, quàm ab nobilitate generis, & connubiorum claritudine. Hoc vt clariſſimè nunc perſpiciatur, ſtatui originem, genus, coniugia, ſeriem omnem eorum hoc capite complecti. Et quoniam Gallo-flandriæ rebus operam nauo, quæ quiſque fecerit ad huius laudem decúſque ditionis, lubet vnà perſtringere. Neque vereor paullò altiùs initia ſtemmatis arceſſere, quam quibuſdam viſum fuerit: ne ſi temerè tantùm ſecter alienorum hominum ſcripta, parum prudenter tot Belgarum veteribus monumentis obrogare videar. Igitur tametſi non ſim neſcius, nonnullos ab Liderico Harlebecano initium Flandriæ Principum ducere; à Balduini Ferrei vxore alios præcipuam in eos nobilitatem deriuare: à Buccenſi tamen Liderico exordiar.

NOBILITAS, ET CONIVGIA COMITVM FLANDRIÆ, EORVMQVE SVCCESSIO.

Ioan. Iper. in Chron. Bertin. & Meier. in Annal. Fland.

Eorum enim plurimi, qui Belgicos Annales ſcripſere, Lidericum Buccenſem primum memorant fuiſſe Flandriæ Præfectum, Foreſtarij, vel Saltuarij nomine. Ei C patrem fuiſſe Saluartium inter Burgundos principum ſanguine ortum: matrem è nobiliſſima Ruſcinonenſium domo Immergardem, Chlotharij Francorum regis eius nominis Secundi filiam, Dagoberti ſororem, per nuptias in manus ipſi veniſſe, cùm in nemore ſolam & vagantem, poſt infelicem raptum, inueniſſet. Huic vel Idonam, vel Rothildem inditum fuiſſe vocabulum: numeroſam ex ea prolem ipſum ſuſtuliſſe, fœminam vnam, mares quindecim. Qui de Francis Flandrica litteris mandauere, res eas omnes ſilentio inuoluunt, vel contemnunt. Et quidam noſtratium Præfecturam Flandriæ ea tempeſtate parum dignitatis obtinuiſſe autumant. Mihi, nec noſtris Annalibus fidem demere placet, dum, quæ diximus, Liderico aſſerunt; nec minuere prouinciæ ſplendorem & potentiam. Vt fuerit iis temporibus hæc regio minùs culta, & multis inhorruerit nemoribus, multis impedita paludibus fuerit: non paucis tamen ea vel portubus, vel vrbibus & oppidis, vel municipijs & pagis iam tum inclaruerat, vt in Annalibus noſtris oſtendimus. Et nobilis ſanè ducebatur ea Præfectura, plúſque poteſtatis complectebatur, quàm ipſo nomine proD mitteret. Non ſemel comperio, apud veteres Francos Foreſti, vel Foreſtæ vocabulo etiam lacus comprehendi: vt qui Foreſtarius vel Saltuarius diceretur, is vnà & nemorum & aquarum curam gereret; vnà venandi, piſcandíque polleret poteſtate. Primùm enim Carolus Magnus in eo diplomate, quo nemus Oſnaburgenſi eccleſiæ donauit, inter alia nemoralia etiam piſces numerat. Eius hæc ſunt verba: *Nemus, vel foreſtum intra hæc loca ſitum Farnewinckel Ruſtentein, Angara, Oſningſenethe, Dershouet, Egeſterfeldt, innumera collaudatione illius regionis, potentum cum omni integritate in porcis ſilueſtribus, ceruis, auibus, & piſcibus, omnique venatione, quæ ſub banno vſuali ad foreſtum deputatur, ad ſimilitudinem foreſti noſtri Aquiſgrani, pertinentes in ſilua Oſmugi,; in perpetuum proprietatis vſum donauimus.* Inter ea, quæ Childebertus rex Francorum Abbatiæ S. Germani in Pratis iuxta Pariſios dedit, *Vanna piſcatoria*, & aliæ in *Sequana piſcationes, foreſtis* ab Rege vocantur in litteris donationis, quas refert Aimoinus. Et quidam liber vetuſtus in monaſterio S. Dionyſij, cùm recenſet

LIDERICVS BVCCENSIS I. FLANDRIÆ SALTVARIVS.

Lib. Liderici ms. Chronic. Fland. ms. Ludouic. Breſin in ms. Flād. Chronic. Pet. Oudegherſt. in Annal Fland. Cornel. Mart. & Pont Heuter. in Geneal. Comit. Fland. Iacob. Marchant. in Flād. Chriſtian. Maſſ. in Chron.

SALTVARII PRÆFECTVRA QVALIS FVERIT.

Lib. 2. cap. 20.

Caroli

Caroli Calui munera: *Dedit etiam* (inquit) *Forestam aquaticam, quæ à fluuio Sauaræ est vsque Cambreias, cum Rippatis.* Et forsitan ex Platone fluxit ea loquendi ratio, cùm is dicat circa finem libri septimi de Legibus, triplicem esse venationem; Terrestrium scilicet; Aquatilium, & Volatilium. Igitur, vt quod mihi dudum in mentem venit, paucis expediam: quæ Romanorum Præfecturæ in vnam coaluisse videntur, quàm Lidericus ab Rege suscepit. Harum altera fuit Tornaci, quã qui sustinebat, Cynegij Procurator dicebatur, & publicis Imperij canibus præfectus, in siluas & venationes solus incũbebat. Huius ita meminit Notitia Imperij Occidentalis: *Procurator Cynegij Remensis Belgicæ Secundæ, Procurator Cynegij Tornacẽsis Belgicæ Secũdæ, Procurator Cynegij Triberorum Belgicæ Primæ.* Quo loco Guidus Pancirollus cùm putat legendum Gynecij, eúmque Procuratorẽ designari, qui mulieribus linificio Imperiali ad res varias texendas nauantibus pręesset, non videtur auscultandus; cùm etiã hîc Wolfgangus Lazius rerum Romanarum scientissimus Cynegiũ retineat, & per Cynegij Procuratorem eum intelligat, qui Canibus venaticis Imperij præficiebatur: ad quem etiã accedit Florentius Vanderharius, qui per Cynegij Procuratorẽ magnum venatorẽ credit significari. Alteram Pręfecturam Saxonici custos littoris latè ad Oceanũ obtinebat multo clarus imperio Britannici maris, & totius ferè littoris Gallici, cui lõgissimo nomen Saxonici fecere ab Oceano crebræ Saxonũ incursiones. Quanti ea fuerit momẽti & dignitatis, Carausius ille facilè prodit, qui pollẽs illic imperio aduersus Imperatores Romanos sese commouit, & purpuram sumpsit. Nolim tamen arbitrari, totum id littus Lidericum obtinuisse, cùm Flandriæ Custodem eum & Saltuarium Chlotharius imposuit. Satis enim cognitum fuit, haud multùm vltra Bononiam, vel portum Gessoriacum, eius prouinciæ, cùm maximè floruit, limites porrectos fuisse. De Rothildis autem, vel Idonæ Chlotharij filiæ nuptiis cum Liderico si taceant Annales Francorum, non admodum sanè moueor. Nihil ab vero discrepat, quosdam huius gentis scriptores gnaros earum fuisse: verùm quoniam aliqua labes inde contracta videbatur, ideò texisse silentio. Igitur ea thori consorte, & Flandrica nobilis præfectura, bonísque Phinartij à Chlothario, ac multis etiam ditionibus ad Sommonam vsque à Dagoberto in dotem sororis donatus, (quemadmodum apud Oudegherstium legitur) Lidericus ad virtutem multus incubuit: Buccense castrum eo quondam loco situm, vbi nunc Insulæ Parœcia D. Mauritij conspicitur, occiso iam Phinartio insedit: illic subditis ius dixit: huic oppidum adiecit, cui nomen Insulæ dedit: per Diuum Amandum vicos Pabulenses, alibísque huius ditionis Gallo-flandricæ, legibus Christianis instrui fecit: præclaro iustitiæ exemplo Insulam seuerus imbuit plexo capite Ioseramno filiorum maximo, vel propter ereptos mulieri fructus, vel propter dilatum, iis emptis, pretium, vnde bini fœminæ liberi inedia perierint. E viuis cùm discederet, de filiis suis Antonium secundo loco natum successorem reliquit. Amauricum Insulæ, Baudrisium Duaco, alios aliis vrbibus dominos dedisse qui narrant, eáne ex vero scripserint, non parum dubito. Nam de Duaco in primis & Insula, quidpiam aliud antè memoratum est.

De moribus Antonij patrem in pręfectura Flandrica excipientis, varia in Annalibus Flandricis fama gliscit. Quidam bonis artibus, & paterna virtute præditum fuisse, referunt. Ab alijs fœdæ vitæ, grauiúmque criminum arcessitur, vnde breui mores sinistri ditionem corruperint. Et nonnulli asserunt, huc ideo Barbaros diuinitus immissos sceleribus hominum puniendis, quæ passim sub ipso grassabantur. horum furore Insulam funditus euersam, eámque multos annos triste spectaculum videntibus præbuisse. Duxeritne vxorem Antonius, non inuenio: saltem constat, nullis, qui succederent, relictis liberis vita defunctum.

Igitur eo fatis absumpto tertius Liderici filiorum Burchardus regimen Flandriæ capessiuit etiam Saltuarij nomine. Coniugem ei tradunt Helwindem, Pipini Crassi Brabantiæ Ducis, aut Principis, & Regis Franciæ palatio Præfecti consanguineam, Valcisci viri nobilissimi filiam. Et placet nonnullis, Burchardum ex eo coniugio vel Pętorem, vel Comitem factum Louanij: paullò pòst tamen à Barbaris inde propulsum. Aduersus Theodoricum Franciæ regem, & Bertarium Palatio Præfectum

bello

Marginal notes (left): *Vide Ioa. Tillet. de Reg. Francor. in Ioanne.* — PROCVRATOR CYNEGII TORNACENSIS. — *Lib. 2. Rer. Roman. c. 13.* — *Lib. 1. Castellanor. Insul. cap. 3.* — CVSTOS SAXONICI LITTORIS. — *De quo Eutrop.* — *Chron. vet. MS. Mss. l. 13. Iac. Marchant. l. 3. Fland.* — *Oudegherst.* — *Mss. lib. 13.* — *Oudegherst.* — *Chron. vet. MS.* — ANTONIVS II. FLAND. SALTVARIVS. — *Lib. 2. c. 2.* — *Ludouic. Bresin. Christ. Mss. l. 13. Pet. Oudeg. cap. 13. Chron. vet. MS.* — *Christ. Mss. l. 13. Chron. vet. MS.* — BVRCHARDVS III. FLANDRIÆ SALTVARIVS. — *Iacob. Meier. l. 1. Iac. Marchant. lib. 2. alij. Veter. Annal. Fland. Iacob Meier. l. 1. Annal. Fland.*

Marginal letters (right): A, B, C, D

A bello certauit, Pipinum secutus; ideóque Flandriæ Præfecturam ac possessiones amisit. Quamquam enim Pipinus iram regis mitigare contenderet, ceteris tamen Flandriæ locis exutus, solam retinuit Harlebecam. His de rebus ita scriptum apud Meierum reperio: *Collatis ad Textricium in Veromanduis signis, Pipinus auxilio eorum, qui pulsi ab Ebroino in Austrasia exulabant, egregiè vicit. Captus ibi Rex, cæsus in acie Bertarius. Ea in pugna interfuit Burchardus Præses Flandriarum Pipini secutus partes, quæ causa fuit, cur Theodoricus Rex Flandricam illi procurationem paullò post detraxerit. Retinuit tamen deprecatore Pipino Harlebecam, Comes appellatus Harlebecanus. Tulit ex Helwide, Pipini, vt scriptum inuenio, cognata, Valcisci viri nobilissimi filia, Estoredum Liderici Harlebecani patrem.*

Hunc filius excepit Estoredus nomine. Quam is coniugem habuerit, quibus famam facinoribus sibi parauerit, nusquam prodi asserit Oudegherstius quondam Insulæ ciuis. Contrà, Pontus Heuterus in Genealogiis vxorem eius Idoniam nominat, eúmque scribit in Præfecturam Flandriæ postliminio restitutum, aliis aduersanti-
B bus Annalium scriptoribus. ESTOREDVS IV. FLAND SALTVARIVS. *Cap 13. Annal. Fland. Meier. l. 1. & Marchant. l. 2.*

Lidericum Estoredus filium reliquit. Huius de coniuge, ortúque varia ferunt auctores. Ortum in Portugallia loco magno, Ioannes Iperius tradidit, indéque Carolo Martello tulisse suppetias in Franciam. hîc adeò militari sese virtute ceteris præstitisse, vt primus à Carolo Magno Flandriam hereditario iure ad posteros transmittendam acceperit, idque propter Principum Flandriæ stipitem esse. Quibus posteriora memorat, hæc sunt eius verba: *Lidericus miles egregius postquam sub Carolo Tudite, deinde sub Pipino Tuditis filio, ac demum sub rege magnifico Carolo Magno, plusquàm sexaginta militauerat annis; iam antiquus & emeritus miles, ab hoc rege Carolo, pro suæ merito probitatis, honoratur. Nam Flandriæ patriam sibi dedit hereditariè possidendam; eúmque illius terræ dominum constituens anno Domini prænotato (792.) Qui super Lisam fluuium in Arlebeke sibi mansionem eligens, & reliquum vitæ suæ peragens, ibidem sepultus iacet. Hic arma detulit Auri & Lazuri, distincta pyramidibus, in voulconis cen-* LIDERICVS HARLEBECAN. V. FLAND. SALTVARIVS. *In Chron. Bertiniano.*
C *troscuto rubeo vinctu. Ipse est stipes & radix, à quo Flandriæ Comites processerunt.* Hucusque Iperius. Sed meliùs ceteri produnt, Lidericum Estoredo patre genitum in Belgio, artibus bonis & militari scientia tantùm apud Carolum Magnum valuisse, vt Flandriæ Præfecturam sibi suísque in perpetuum hereditatem cerneret, omnésque recuperaret possessiones, quibus auum eius Burchardum rex Franciæ nudauerat. *Chron. Fland. à Sauuag. edit. c. 1. Iacob. Meier. l. 1. & 2. aliis.*
In hanc sententiam apud Iacobum Meierum hæc leguntur. *Lydericus Harlebecanus in demortui patris Estoredi successit opes, ductáque vxore Hermongarde filia Gerardi Ruscinonensis, Engleranum filium sustulit, factúsque est præfectus littoris ac maris Flandrici.* *Lib. 1.*
Deinde: *Carolus Magnus* XVI. *Kal. Februarias Lydericum Comitem Harlebecanum, eundem præfectum maris, Flandricique littoris Custodem, terra syluáque Flandrica donauit; vt ex ea die non solùm maritimus Imperator, & littoris Præfectus, sed etiam Saltuarius diceretur Syluæ Flandricæ, quæ pars erat extrema Syluæ Arduennæ, quam & in hanc vsque diem Flandri Gallici Arduennam vocant, cùm aiunt ventum Septemtrionalem ab Arduenna flare, Austrum verò ab Francia. Mos regibus erat ea tempestate, vti viros genere* *Lib. 2.*
D *factísque claros, præponerent, quibus vellent, prouinciis, illísque, cum videretur, successores mitterent. At Lyderico ita Magnus tradidit imperium, vt perpetuum esse, ad eiúsque transire liberos voluerit, tam propenso in eum animo non solùm ob summam eius & fidem & obsequium, sed quòd sanguinis etiam propinquitas inter eos haberetur.* Quibus respondent ea, quæ nuper litteris mandauit Michaël Baudierus in Gallia Gothica natus, ac præmisit Francisci Lanarij de Flandrico bello Commentarijs ex Italica in Gallicam linguam à se versis. Apud Paulum Æmilium de hoc eodem ista reperio; cùm de Saxonibus à Carolo Magno subactis sermo est: *Cruori nominique pepercit, vtque sub oculis essent, obseruaríque facilè possent, nobilitatem, & in quibus aliquid dignitatis elucerec, cum liberis vxoribúsque traduxit in Galliam Belgicam, Oceani ora ad incolendum eis data, iussóque eam tutari Lyderico maris Præfecto.* Sunt, qui nuptiis cùm Flandria, vel Flandrina parentibus Alemannis nata, Lidericum coaluisse, scripserint: vnde Flandriæ nomen profluxerit. Iis libentiùs adhæreo, qui filiam Gerardi Russillonensis multò

pollentis

pollentis in agro Neruiorum & Flandria censu, Hermingardem ipsi coniugem tradunt: licet Gerardum Iacobus Guisianus nullam ex matrimonio prolem suscepisse tradat. Primùm enim alibi scriptum est, Gerardum minimè liberis caruisse. Parumque ad rem facit, si quis obiiciat, hæc potiùs ad Liderici primi patrem Saluartium referenda, cui Hermingardis, vel Emergardis Gerardi Ruscinonensis, vel Russillonensis, filia vxor obtigerat. Nihil enim obest, quin successu temporis ex eadem Ruscinonensium familia rursus aliquis exortus sit Gerardus, qui filiam quoque Hermingardem habuerit. Deinde vocabulum Flandriæ iam diu ante Liderici huius tempora inualuerat, quemadmodum ex iis constat, quæ suprà memorauimus. Quod verò hic princeps Harlebecæ plurimus agitarit, ibique conditus fuerit, Harlebecani traxit cognomentum.

ENGVERRAMNVS VI. FLAND. FORESTAR. *Pont. Heuter. in Geneal.* *Lib. 2. Annal. Fland.*

Englerannus, vel Enguerramnus Liderico patri successit, non minus paternis virtutibus, quàm præfectura, nobilis. Quædam oppida Flandriæ muris cinxit, quæ propiùs Oceanum stabant: quibusdam arces imposuit: vias prædonibus tersit: feroces incolarum animos iustitia & legibus mitigauit. Iuuat hîc adscribere Iacobi Meieri verba, quibus eum is depingit Annalium Flandriæ libro secundo. *Englerannus Comes Harlebecanus defuncto patre fit Præfectus ac Saltuarius Flandriæ in fide ac clientela Caroli Magni. Hic omnium primum habuit, tutam ab prædonibus reddere patriam: piratas, terrorémque omnem maritimum littoribus arcere; quietem securitatémque præstare agricultoribus: terram rudem ac syluestrem ad meliorem perducere cultum: templa passim & noua facere, & collapsa restituere: religione ciuilibúsque moribus ferocem imbuere gentem: summa ope iustitiam, legúmque reuerentiam introducere: oppida, castella, vicos, ab Hunis, Vandalis, Francisque excisa, portus, arces, aliáque ædificia diruta ac vastata reficere; noua subinde ab fundamentis educere: fluuios in primis torrentésque, ac fertilissima quæque loca frequentiùs colere: omni ope iuuare nascentis imperij primordia: talémque rebus omnibus agere Principem, vt rem longè augustiorem, quàm acceperat, relinqueret.*

ODOACER VII. FLAND. SALT. *Iac. Meier lib. 2. Cap. 15. Annal. In genealog. Fland.* *Vide Locrium in Chron. Belg.* *Lib. 2. Annal. Fland.*

Relictus Enguerramni filius Odoacer, vel Audoacer ad clauum Flandriæ posteà sedit patri similis, iusti cultor, & subiectæ sibi regionis; data plerisque agrorum multa portione, vt aratrum pati, & sementem admittere docerent. Vult eum Oudegherstius cum Anselmi D. Pauli Comitis filia nuptias contraxisse: cum toparchæ D. Audomari filia Pontus Heuterus. Ne sequar Oudegherstium, ea mouet in primis ratio, quòd ea tempestate nondum D. Pauli Dynastæ Comitis titulo floruerint: Adalolpho Balduini Calui filio primùm eam adepto dignitatem multis pòst annis. Neque satis impellor, vt Ponto adhęream, quòd nulla suppetant eius opinioni fulciendæ monumenta. Cùm huius meminit Iacobus Meierus, hęc tantummodo proponit: *Defuncto Engleranno, ad filium eius Odoacrem res cessit, virum cum primis strenuum, atque vtilem reipublicæ. Eius res gestas vel longa vetustate obrutas, vel vix vsquam memoriæ proditas, difficile est inuenire. Tradunt quidam, hunc omnium primum bella finitimis fecisse populis, ac castella quædam de ijs cepisse: multa restituisse monasterijs, quæ vsque ab Dagoberti Regis temporibus ad eum diem alij atque alij ademerant. Habeo auctores, tantum in locis malè cultis cuique concessisse agri, quantum ad cultum bonum valuissent perducere, data in longum tempus immunitate. Decimam quamque feram, quum venaretur in siluis, Diui Bauonis attribuit monasterio, pacta lege cum Eynardo Abbate.* His adiicit Pontus Heuterus, ab Odoacre cinctum fuisse primùm mœnibus Gandauum; Toraltum, Aldenardam & Casletum arcibus ornata, munitáque. Memorat insuper Petrus Oudegherstius, Atrebatum, Taruannam, atque Bononiam ad eius ditiones, ob insignem aduersus Ludouicum cognomento Pium fidelitatem, accessisse; cùm Froymontius læsæ maiestatis crimine obstrictus, & ad Christianæ fidei hostes transfugio infamis, exutus eorum dominio fuisset.

In genealogijs. *Cap. 15. Annal. Fland.*

BALDVINVS FERREVS I. FLAND. COMES. *Varij Annal. Franc. & Flãd.* *Iac. Meier. lib. 2.*

Odoacre mortuo, ad filium eius Balduinum res Flandrica deuenit. Magnos is animos gerebat bello clarus, & tanta corporis firmitate præditus, vt Ferrei cognomen obtinuerit. ideóque partua contemnens, regias optabat nuptias. Igitur tentato blandis alloquiis animo, Iuditham Caroli Calui Francorum Regis filiam ad coniugium pertraxit; eámque clam patre in Flandriam portauit. Ea propter bis bello

Franci

A Franci Flandriam petiuere. Semel in Artesia pugnatum est, semel intra fines Insulensium. Indignatus vtroque prælio victoriam Balduino cessisse, sacris ei interdici Carolus iussit. Factum tamen est denique Nicolai Summi Pontificis opera, vt idem Balduino facinus condonaret: Iudithæ nuptias cum eo ratas haberet: in dotem coniugis ipsi multa traderet: eum Flandriæ Comitem institueret. Atque hæc omnia non minùs Francorum, quàm Flandrorum Scriptores litteris tradidere: vti certiùs appareat in Flandriæ Principes regum Franciæ transfusa nobilitas. Verùm hic minimè leuis suboritur quæstio, vtrúmne Balduinus eam Comitis dignitatem ita ceperit, vt hereditario iure ad posteros transmitteret: cui vt pro viribus meis faciam satis, paullò diutiùs erit immorandum, & ab ipsa Comitum origine, officio, dignitate, censu, repetenda res omnis. Plerique Comitum nomen & officium falsò referunt ad posteriora Romanorum tempora. Etenim priusquam Cęsares rempublicam capesserent, Comitum nomen in Castrensibus titulis notum erat. Comites adhæsisse Q. Ciceroni ad bellum progredienti, auctor est eius frater M. Tullius. Igitur

VTRVMNE FERREVS TEMPORANEVM, AN PERPETVVM INDVERIT COMITATVS TITVLVM? ITA VT HIC CVM POSSESSIONE FLANDRIÆ AD POSTEROS MANAVERIT.

B apud Romanos ante principatum, ij Comites appellabantur, qui Prætoribus, Proconsulibus, & aliis in Prouinciam rei gerendæ causa proficiscentibus socij vel armorum vel consiliorum, ab Republica dabantur. Quòd comitarentur, inde nomen Comitum adepti sunt: totáque eorum turba Comitatus vocabulum induit. Eo sanè significatu hanc vocem sæpe Liuius vsurpat. Postquam verò Principes ità rerum potiti fuerunt, vt omnia ex libidine vel antiquarent, vel inducerent: plus decoris Comitibus tribuêre vel officio, vel titulo. Adrianus præsertim iis Comitibus florebat, quocumque pergeret, siue artibus bellicis, siue prudentia Iuris inclarescerent. Constantinus Magni cognomento illustris, eos in classes varias distribuit. Quidam eorum in aula Principis primum gradum tenebant, vel Illustrium, vel Spectabilium titulis noti. In his erant Comites Largitionum Sacrarum, Solemniorum, Consistoriani, Rationales, Commerciorum, Thesaurorum, Horreorum, Scholarum, Stabuli, Metallorum, Ludorum, Architecturæ, Laborum. Nonnulli rem bellicam procurabant: quo in numero fuerunt

C Comes Orientis, & Isauriæ; ac in Occidente Comes Limitaneus Africæ, Comes Limitaneus Tingitanæ prouinciæ, Comes Batauiarum, Comes Saxonici littoris, Comes Argentoratensis, & Moguntiacensis. Vltimo loco numerabantur ij, quos vel Prouinciis, vel vrbibus Augusti, ad reipublicæ curam, imponebant. Inter primos Cæsares, Verus in Prouinciis administrationi rerum adhibuit, vti scriptum fuit à Capitolino. Horum munus erat, iudicia exercere, res ciuiles componere, prouinciæ pacem conciliare: vt illorum cura, hostes arcere, prouinciam armis defendere. Sed Comitum, cuiuscumque classis essent, officium neque perpetuum erat apud Romanos, neque fundos ipso fulgentibus attribuebat. De publico merces iis numerabatur. & suberant ipsi Consulibus, Prætoribus, Proconsulibus ac Ducibus: licebátque Cæsaribus, quoties vellent, amouere. Apud Francos vel priusquam cis Rhenum sedes haberent, vel postquam in Gallia rerum potiti fuerunt, etiam varij modi Comites visebantur. De illis vltra Rhenum

D sedentibus mihi modò sermo nullus. solùm de iis loquar, res poscit, quos exactis Romanis in Gallia Francorum reges habuere. Ex Procopio compertum mihi est, Francorum reges, obtentis Gallię Prouinciis, nihil ab Romanis diuersum in iis instituisse: eos populos suis moribus, & solitis vestibus vti siuisse: magistratuum neque nomina, neque officia mutasse: quo faciliùs in officio fidéque retinerent. Sic apud eos Duces & Comites mansisse, Turonensis Gregorius frequenter ostendit. Sed eorum Comitum, qui Regis palatio adhærescerent, vel eum iter facientem sequerentur, minor numerus fuit: aliorum multò maior. Igitur horum quidam limitibus imponebantur, vt eos aduersus hostes armis defenderent; quibus etiam Marchionum, vel Marchisorum nomen inditum, Germanica origine. Nam olim apud Germanos ij Margrauij fuere, quos Marchis seu limitibus præfectos militum attribuebant. Alij Comites reipublicæ gubernationi, & ciuilibus rebus admouebantur. Horum præsertim erat,

ex Caroli Magni præscripto, pacem conciliare; ex iure causas decidere; quæ Rex iuberet, passim exsequi; ad ecclesiæ defensionem incumbere; pupillos, viduas, pauperes tueri; latrociniis & ceteris flagitiis regionem sibi commissam vacuefacere. Sed his omnibus neque certum officij tempus definitum erat; neque regio concessa, cuius nomen possidendo induerent. cùm præessent prouinciis, vel limitibus, solo Comitis nomine gaudebant: eo, cùm regi placeret, officióque nudabantur. Ac ne quid ipsi mali molirentur, aut in subditos malis artibus sæuirent; missi Dominici, siue Principes viri altioris ordinis, ab rege legati in eorum mores, & facta publicis conuentibus inquirebant. Verùm itáne semper sese res habuerit, priusquam Caroli Magni progenies deficeret, id sanè controuerti video. Ante Hugonis Capeti tempora nulli permissum fuisse id nomen hereditario iure cum subdita regione, vel vrbe, ad posteros transmittere: Caroli Simplicis ætate multos procerum in Gallia vel prouincias, vel ciuitates sui iuris fecisse, vbi Comitis dignitate & officio pollebant, plurimi Gallorum litteris mandauere. Igitur ex horum sententia Balduino Ferreo solùm titulus Comitis fuerit datus. tantùm enim regni Comitem appellari voluere, quòd limitibus iis aduersus Danos, & Normannos à Carolo Caluo præfectus fuisset. filium eius Balduinum cognomento Caluum vnà cum ceteris Comitibus, imperante Carolo Simplice, eam regni partem sibi vendicasse, vnde nomen Comitis, & hereditas Flandriæ in posteros manauerint. Neque Belgici desunt auctores, quibus eadem arriserint. Verùm si quis animo complecti, ac tueri cupiat, vel anteà Comitis titulo Ferreum fulsisse; vel saltèm à Caluo sic Flandriæ Comitem factum, vt quam Flandriæ regionem vel vxoriæ dotis nomine cum aliis ditionibus ab Carolo traxerat, vel à parentibus in hereditatem acceperat, eam cum titulo Comitatus posteris transderet perpetuo iure possidendam; non illi sanè multa deerunt argumenta, quibus eam fulciat sententiam. Christiani Massæi opinio fuit, ante Balduinum Ferreum, maiores eius Flandriæ Comitum titulo floruisse. quorundam aliorum sententia, saltem Harlebecæ Comites fuisse comperio: vt non modò Saltuarij Flandriæ, verùm etiam Comites in Flandria dicerentur. Apud Flodoardum in argumento cuiusdam Hincmari Remorum pontificis epistolæ Balduinus Comes appellatur, priusquam eo titulo rex ornauerit. Præter plurimos Belgas Annalium scriptores, Meldensis Episcopus Ioannes Tilletus datam abs Rege Ferreo Flandriam, & Comitatus dignitate nobilitatam asserit; vti filiæ nuptias decoraret. Idem scriptum fuit ab Nicolao Gillio in Francorum Annalibus. Et traditum Balduino eiúsque posteris omnibus possidendum Flandriæ Comitatum memoriæ tradidit in historia Diuus Antoninus. Agnoscit etiam Nicolaus Vignierus libro secundo historiæ Francicæ dictum à Carolo rege primum Flandriæ Comitem Balduinum, accepta per feudale beneficium eius regionis perpetua hereditate. Id quod etiam apertissimè prodidit Ferrei epitaphium apud Bertinenses ipsius olim sepulchro adscriptum; cuius hi versus:

Iust. Lips. in Louan. l. 1 c. 10. Hor. Vaderbar. lib. 1. de Cast. Insul. cap. 2.

In Chron. reg. Franc.

In Annal. Franc.

Filius Audacri Balduinus Ferreus; olim
Fortis, & inuictis viribus iste fuit.
Audaces cuius animos edicere nullus
Sufficit. ipse Foresterius vltimus est,
Flandrensis primúsque Comes: quem Carole Calue
Ob natam infeudas, quam tulit ipse, tuam.

Vt cum his omnibus in animum inducam meum, hunc fortissimum virum, eiúsque posteros hereditatem Flandriæ Comitatus adiuisse regis munere, multa prorsus efficiunt. Ex Antiquitatibus Francicis Claudij Faucheti comperio, Comitatus in Britannia Merouingorum & Carolinorum temporibus regum, ac beneficio, ab Comitibus perpetuo iure possessos: vt minimè nouum videri debeat,

Lib. 2. de orig. dignit. in Franc. cap. 4.

si Bal-

A si Balduino, eiúsque successoribus idem ius Carolus Caluus concesserit. Et forsitan scrutanti vetera Belgij monumenta quædam occurrent, ex quibus fides astruatur, etiam aliquos hîc Comitatus olim fuisse, quorum possessio & titulus in iis perpetuarentur, ad quos ij spectabant. Aliquot hoc loco exempla proferam. Ioannes Iperius Bertinensis Abbas, qui monasterij sui res Chronico est complexus, D. Bertini gesta describens, ac B. Walberti facta prosequens, hæc inter alia proponit: *S. autem Walbertus successione paterna Pontiuensis, Ternensis, & Arkensis Comes, vxorem habuit S. Ragentrudem; de qua filium genuit, quem B. Pater Bertinus de sacro fonte leuans, Bertinum nominauit &c.* Ac paullò pòst: *Sanctus autem Bertinus erexit et signatum sua manu vinum; quo gustato sospes gratias referens, magnam hereditatis sua partem Deo & beato obtulit Bertino; Arkensem videlicet Villam, & Comitatum cum omnibus appendicijs eius.* Quæ certè donatio effecit, vt semper eius monasterij Abbates etiam Arkenses se Comites inscripserint. Abbatiam Blangiacensem D. Berthia intra fines Artesiæ olim condidit, Sigefrido D. Adalbaldi fratre, B & marito suo vita defuncto: eique Blangiacum titulo fulgens Comitatus attribuit, vnde his etiam temporibus eius cœnobij antistites Blangiaceni quoque Comites appellantur. Eodem propè tempore quo Balduinum in gratiam recepit, Theodoricum Carolus rex Hollandiæ Comitem imposuit, concesso posteris iure succedendi, vti perpetuos se Danis hostes redderent. Idem vt Ferreo negarit, neque par munus Danis, seu Normannis, obsistendi, neque cum Iuditha filia nuptiæ patiantur. Pius equidem in Caluo animi fuit, & in filiam fauoris, quàm vt simili iure generum frustraretur. Deinde Balduinum vt aliquo insigni munere, ornaret Caluus, admodum Nicolaus Romanorum Pontifex flagitauerat, quo plus beneuolentiæ aduersus regni hostes in officio retineret. Atqui solo Comitis titulo & officio fulgere, & non vnà ditionem iis ornatam in hereditatem trahere, paruum sanè munus, ac neque dignum vel postulantis, vel merentis, vel donantis præstantia fuisset. Ad hæc Balduinum Ferrei filium, quem certò con-C stat Carolo Simplici Ludouici Balbi filio aduersus Eudonem suppetias tulisse, eíque Franciæ coronam vnà cum Fulcone Remensium Archiepiscopo imposuisse; quis credat, malis artibus Flandrici Comitatus hereditatem sibi suísque posteris rapuisse; & non potiùs ob impensum ab rege patri suo munus magna in Simplicem charitate pulsum? Vlteriùs multa regiæ cuiusdam potentiæ & magnificentiæ initio Principatus Balduino concessa sunt, quibus nobilissimæ coniugi velificaretur. Eam ob rem more regio, Dei gratia sese Marchionem vel Comitem scripsit Ferreus; plurimósque ad regum imitationem domi & militiæ distinctos variis ministros officiis habuit, de quibus paullò antè memorauimus. Et nos iam supra vidimus ex Chronico Flandriæ, & Iacobo Meiero, Carolum Magnum Harlebecano Liderico Flandriæ totius hereditatem munere principali asseruisse, vt taceam ea quæ de Liderico Buccensi narrata sunt anteà, & deinceps de Engueramno, & Odoacre proposita. Ad vltimum inter eos regni principes, qui Franciæ Pares vocati sunt, à Caluo rege censùs est Balduinus: ad quam scilicet D dignitatem euehi non poterat, qui nullo pollebat hereditario vel Comitatu, vel Ducatu. Et Ioanni Tilleto regi Franciæ quondam à secretis, certissimum videtur, neque Pares ab Regibus aliter factos; neque concipi animo posse, quì aliter fieri valeant: quandoquidem clientelaribus & beneficiariis dignitatibus Parium nomen & potestas adhæreat. Idem denique Ioannes diserte asserit, donatum ab Rege Balduinum hereditario Comitatu vel Marchionatu Flandriæ. Cui certe nolim pertinaciùs obniti, quoniam satis constat omnes eum excussisse chartas regias. Verùm his omissis vti cœptam prosequamur narrationem tempus monet. Veteres Annalium Flandricorum codices adeò Ferreum iusti cultorem fuisse asserunt, & seuerum vindicem criminum, vti multos hostium latrocinio grassatos e muris Insulensibus suspenderit. Ab eodem indultum reperio, vt cœnobitæ Broylenses ab Lila Duacum migrarent, ibíque diuæ Virginis templum occuparent, cui modo S. Amati nomen inditum.

Monumenta Blang. Abb.

Adrian. Barland.

Hoc lib. c. 1.

In Tract. de dignitatib. & offic. reg. Franc.

Vide Ioan. Molan. in Natal. SS. Belgij 13. Septemb.

BALDVINVS CALVVS II. FLAND. COMES.

Pet. Oudegh. c. 22. Ioan. Tillet.

Natus è Iuditha Ferreóque Balduinus cognomento Caluus Flandriç Comitatum adiuit patre mortuo. Vti plus regiæ nobilitatis & spiritus imbiberet, mater eum suis vberibus aluerat: ab auo, Calui cognomen, in multæ omen potentiæ, pater indiderat. Elstrudem regis Anglorum Elfredi filiam per nuptias sibi copulauit. Multus incubuit ad oppidorum, quæ Normanni flammis corruperant, instaurationem. A

ARNVLPHVS MAGNVS III. FLAND. COMES.

Iac. Meier. l. 2. Oudegh. c. 24. Ioan. Tillet in Gen. Com. Fland. lib. cit.

Qui succederet Arnulphum Caluus reliquit. Is à claris facinoribus, Magni cognomen obtinuit; à corporis præstantia, Pulchri; ab longa ætate, Veteli. In matrimonium ei cessit Alisa, vel Athela Herberti Veromanduorum Comitis filia. Cum Francis bello sæpè certauit. captum ab iis Duacum vi recepit. S. Amati monasterium in eodem oppido, & alterum Martianis per Gerardum Abbatem Cellensem reformasse putat Iacobus Meierus: apud quem etiam reperies, ab monachis eum vellicari, quòd pleraque monasteria quibusdam possessionibus exuerit, vt viris nobilibus eas concederet: è contrario, multa ipsum ecclesiis ac monasteriis nonnullis largitum fuisse, aut restituisse; vt sinistræ famæ labes abstergeretur. Frequens huius Comitis apud Frodoardum in Chronico mentio est, nunc Arnulphi, nunc Arnoldi nomine. Cùm de capta Moritania loquitur ad Gallo-flandriæ fines iacente Arnulphum vocat: *Itemque sub ipsis diebus Moritania munitio filiorum Rotgarij, ab Arnulfo filio Balduini.* vbi verò de recepto Duaco sermo est, Arnoldum: *Rotgarius Comes datis obsidibus dimittitur à rege Ludouico, Duagium castellum reddens Arnoldo.* B

BALDVINVS IVNIOR IV. FLAND. COMES.

Iac. Meier. l. 2. Oudegh. Tillet. alij. Oudegh. cap. 25. Ioan. Tillet. epitaph. Marchant. l. 2.

Priusquam è viuis abiret Arnulphus, Balduinum matura satis ætate filium Flandriæ gubernaculis admouit. Verum is triennio tantùm imperio potitus, quæ acceperat, moriendo patri restituit: donec curis, & regimini maturesceret, quem paruulum relinquebat filium, auo similem, Arnulphum. Vxorem habuit Balduinus Mathildem Hermanni Saxonum Ducis filiam: suósque docuit propter æris & argenti penuriam permutatione mercari: multis in locis nundinas instituit: varios texendi pannos artifices prouidus induxit: vnde non minus Insulæ, Duaci, Orciæ, & multis aliis Gallo-flandriæ locis, quàm alibi, opes creuere. C

ARNVLPHVS IVNIOR V. FLAND. COMES.

Tillet. alij.

Paull. Æmyl. l. 3. Iac. Meier. l. 2. Tillet. in Chron. alij.

Erepto viuis auo Iunior Arnulphus adhuc impubis Flandriam capessiuit. Parùm idonea gubernaculis ætas hostilibus iniuriis obnoxium fecit. Verum natu grandior tantos sumpsit animos, vt Berengarij Italiæ regis filiam nomine Rosalam per nuptias sibi iungere ausus fuerit: quamuis eo facto Cæsarem Othonem, & Franciæ regem hostes sibi conciret. De manibus Hugonis Capeti Duacum & alia Gallo-flandriæ loca per bellum occupata, Richardi Normanniæ Ducis opera recepit.

BALDVINVS BARBATVS VI. FLAND. COMES.

Iac. Meier. l. 2. Tillet.

Prognatus ab eo Balduinus cognomento Barbatus, vel Bellobarbus, in paternas opes & imperium successit. Ab Duce Luxemburgensi Gisleberto filiam Ogiuam sibi coniugem obtinuit. Frequens is Insulæ fuit, ideóque nonnullos hæc imbuit opinio, id oppidum reparasse: ibi Balduinum eius filium in auras productum, vnde cognomen Insulensi factum fuerit. Verùm ídne rectè dicatur, posteà videbimus. Ex veteribus Martianensis cœnobij monumentis certum habemus ad huius monasterij instaurationem multum operæ Barbatum contulisse. D

BALDVINVS INSVLENSIS VII. FLAND. COMES.

In mem. & exemp. Polit. cap. 4.

Iacob. Meier. Tillet. alij.

Balduinus Insulensis Barbati filius, patre mortuo, quem anteà optauerat, & armis quæsiuerat, Comitatum obtinuit. De loco eius natali auctores variant. Non desunt qui velint Insulæ ortum. Atrebatum alij narrant eius natalibus nobilitatum, & in ortu, pręclaro patris commento. Iusti Lipsij verbis id repręsento. *Ogiua Lucemburgica pene quinquagenaria in matrimonio Balduini Pulchro-barbi Flandriæ Comitis, fit grauida, & res ea suspecta multis; ne vanus aut fartus sit tumor, non à natura, & puero. Igitur circa dies iam partioni solennes, maritus in medio Atrebatium foro tabernaculum tendi iubet, laxum & pretiosi operis; edicitque omnibus fœminis fama & loco honestis, fas esse assistendi, & oculis arbitrandi, verus, an suppositítius ille sit partus. Fit ita, vident plures, obseruant, & omnes ita rumusculos dissipant, qui de sterilitate eius erant dispersi.* Ceterum Balduinus Roberti Francorum regis gener factus est, accepta in vxorem Adela eius

filia.

A filia. In Gallo flandriam præcipuo ferebatur affectu. Et quamuis Attebati esset natus, eam tamen vrbem Insulæ posthabuit. Cur Insulæ parentem quidam vocitent, multæ prorsus causæ faciunt. Id oppidum fossis & muris circumdedit: ad flumen, intra eius arcem, D. Petro Apostolo templum exstruxit: attributo censu plurimo, Canonicis eam ecclesiam tradidit: frequentissimus illic consedit. Instaurando rursus monasterio Martianensi operam impendit. Vt Henricum Imperatorem multis copiis Gallo-flandriam inuadentem & Insulam vsque penetrantem repelleret, modis omnibus, licet frustrà, contendit. Verùm eius de rebus nos alibi copiosius iam sparsim egimus, agemúsque porrò fusiùs cùm de ipso, vxore, liberis, Commentarium dabimus.

Balderic. in Chron. Camer. l. 3. Iac. Meier. l. 3.

Insulensi filiorum alter natu maior, Balduinus Montensis successit, summa vir religione, & animi modestia. Vxor ei fuit Richildis, Raginerij Hannoniæ Comitis filia.

BALDVINVS MONTENS. VIII. FLAND. COMES.

Montensem excepit Arnulphus Infelix eius filius annis maior. Quæ sensit aduersa omnia, propter matris atrocitatem, mortuo patre, ariélque pessimas eius, & pa-
B trium armis infestantem, id ei cognomen fecere. Nondum matrimonio ligatus ad Cassetum in pugna cecidit.

ARNVLPHVS INFELIX IX. FLAND. COMES. *Iac. Meier. l. 3. alij.*

Robertus ab domita Frisia, Frisonis, vel Frisij, cognomentum adeptus, cæso nepote Arnulpho, Flandrensem Principatum arripuit, cuius partem priùs inuaserat, homo ferus, & belli artibus potens. Cum Gertrude Bernardi Saxonum Ducis filia nuptias contraxit. Quod Hannoniæ Comes & nepos Balduinus repetebat, Duacum inter Gallo-flandriæ vrbes retinuit.

ROBERTVS FRISIVS X. FLAND. COMES. *Iacob Guysium. Iac. Meier. Annal. Fland. alij.*

Filius eius Robertus, ob facinora, quæ in Palestina fecerat, Hierosolymitani cognomen sortitus, patre mortuo, pacificè Comitatum tenuit. In vxorem ei cesserat Clementia Callisti Secundi Romanorum Pontificis soror, & Guilelmi Burgundiæ Comitis filia.

ROBERTVS HIEROSOL. XI. FLAND. COMES. *Meier. Tillet. alij.*

Ab hoc relictus est Balduinus cognomento Securis, quoniam id genus armorum
C fere semper manu gestabat, aut insignibus appingebat, latronum seuerissimus iudex. Alanus Britanniæ Comes Agnetem filiam ei matrimonio copulauit. Nulla tamen inde proles suscepta.

BALDVINVS SECVRIS XII. FLAND. COMES. *Iacob. Meier. Tillet. alij.*

Carolo posteà Bono, ex Canuto Daniæ rege, & Adela Roberti Frisonis filia, progenito, in Flandriæ Comitatum succedendi ius dedere natales, & vltima Balduini voluntas. Cum filia Reinaldi Comitis Clermontij per nuptias coaluit; quam aliqui Margaretam, alij Suuahildem nominant. Suggerunt Martianensis Abbatiæ monumenta, virum ipsum in Martianenses Ascetas affectu pronum fuisse, vt causis eorum plurimis operam daret.

CAROLVS BONVS XIII. FLAND. COMES. *Ioan. Iper. Tillet. Oudegh. Marchant. alij.*

Cæso Brugis Carolo factione Stratensium, Ludouicus Francorum rex Normanniæ Ducem Guilelmum, refragantibus licet, Flandris Comitem dedit. Ab Flandrico sanguine genus paternum ducebat, cum Mathildem, Balduini Insulensis filiam, patris matrem habuerit. Verùm si iure natalium certari potuisset, alios heredi-tas aspexisset, qui maioribus consanguinitatis gradibus surrexerant. Vis & voluntas
D regia, vt imperaret, obtinuit. Vt paucis pòst mensibus principatu exueretur, rebellantibus Flandris, praui mores, quibus ab initio Comitatu sese corruperat, admodum fecere. Sine liberis, ac cælebs è viuis abiit, accepto prope Alostum vulnere.

GVILELMVS NORMANNVS XIV. FLAND. COMES. *Meier. Tillet. alij.*

Aduocatus è Germania Theodoricus Elsatius, volentibus præsertim Gallo-flandris huius nobilis prouinciæ regimen accepit. Pater illi fuit Theodoricus Elsatiæ Lantgrauius, & mater Gertrudis filia minor Roberti Frisonis. Bis nuptias contraxit. Margaritam, vel Suuahildem Caroli Boni viduam primis accepit: Sibyllam Fulconis Angium Comitis & Hierosolymorum regis filiam, secundis. Aduersus validas Guilelmi Normannici vires Insulam obsidio cinctam egregiè tutatus est. Laudensi monasterio initia dedit: & pro eo, ac plerisque aliis sacris Gallo-flandriæ locis, diplomata exarauit.

THEODORICVS ELSATIVS XV. FLAND. COMES. *Meier. Tillet. alij.*

Natum Theodorico patre, & matre Sibylla Philippum Elsatium Flandri posteà,

PHILIPPVS ELSATIVS XVI. FLAND. COMES.

rebus omnibus florentissimum, Principem habuere. Duobus matrimoniis nullam sobolem suscepit. Priori venit in manus Isabella Rudolpho Viromandiæ Comite progenita: posteriori Mathildis illius Alphonsi filia, quem primum Lusitania regem suum salutauit, adeò ipsa honoris cupida, & materni tenax tituli, vt regina semper appellari cuperet. Verùm neutra coniux liberos ei protulit. Repetentibus rursum Duacense oppidum Hannoniis, id Philippus adeò Flandrici iuris fecit, vt omnem exstinxerit controuersiam. Tanto Mathildem amore prosecutus est, vt moriens inter alia Gallo-flandriam ei dotem reliquerit. Patrem æmulatus pleraque Laudensi monasterio dedit; pro cœnobiis aliis multas scripsit litteras: Orchiacensibus pleraque impertiit priuilegia. A

Tillet. Marchât. *Iac. Meier.*

BALDVINVS XVII FLAND. COMES. *Meier. Tillet.*

Absumpto fatis Philippo ad sororem eius Margaretam Flandria deuenit. Ea tori consortem acceperat Balduinum Hannoniæ Comitem, Balduini Montensis abnepotem, & Flandrico sanguine ortum.

BALDVINVS CONSTANTINOP. XVIII. FLAND. COMES. *Lib. Rosito.*

Susceptus ab his filius item Balduinus, qui posteà Constantinopolim Imperator tenuit, maternam in Flandris hereditatem adiit. Cum Maria Henrici Campaniæ Comitis filia, & Philippi Galliæ regis nepte, matrimonij se nexibus illigauit. In vetusto & exarato manu Codice Insulensium Senatorum comperi, scriptis eum ad Senatum Insulensem litteris, mandasse, vt, sublato veteri Comitum more tres tantùm denarios pro vini poculo persoluentium, vbicumque locorum intra Flandriam degerent, & qualicumque emptum pretio vinum mercatores haberent, non alio sibi pretio in posterum id venderetur, quàm quo Scabini, vel alij homines probi, emptum iudicassent. B

IOANNA XIX. FLAND. COMES. *Varia Fland. Chron. Meier. alij.*

Earum, quas Balduinus reliquit, filiarum natu maior Ioanna principatum iniit. Verùm tametsi duos toro maritos admouerit, ex neutro tamen liberos educauit. Horum prior fuit Ferrandus Lusitaniæ regum sanguine illustris, cuius ingens animus obfuit magis, quàm profuit Gallo-flandris, cùm redacta priùs incendio Francorum in cineres Insula, viuus in hostium potestatem venit pugna Bouinensi, multique cum eo Gallo-flandri pugnantes aut mortem oppetiuere, aut vincula passi sunt. Alteri Thomas nomen erat, genus Sabaudiæ Comites. Quibus Gallo-flandriam Ioanna decorauit, hæc præsertim memorantur, Abbatia Marquettensis iuxta Insulam: Nosocomium duplex Insulæ, quorum vni nomen S. Mariæ, & cognomen adhæret Comitissæ; alteri S. Saluatoris: Senatum Insulæ dedit, legésque quotannis eum legendi; Idem fecit Duaci: Ius ciuitatis Sichniensibus donauit. C

Iac. Meier. Pet. Oudegh. monu. MSS.

MARGARITA XX. FLAND. COMES. *Iac. Guis. Iac. Meier. Tillet. alij.*

Successit Ioannæ soror Margareta, duobus etiam obligata coniugiis: sed multa ex vtroque prole felicior. Burchardus Auesnensis prioribus eam nuptiis habuit, & duos ex ea filios sustulit, Ioannem & Balduinum. Posterior in thalamum venit Guilelmus Bourbonius Dampetræ toparcha, & longè plurium liberorum factus est parens. Haud plus in Margareta, quàm in sorore, desideratum est pietatis & prudentiæ. Insulanis priuilegium indulsit, nullum Comiti Flandriæ oppidum intra vectigal soluendi. Amburbalem ibidem Supplicationem instituit. Flinense condidit monasterium. Dominicanos Duaci fundauit, adiuuitque Insulæ. Eiusdem Ordinis Insulensem virginum abbatiolam construxit. Orchiacense Theonmolini Nosocomium, itémque Sichniense, & iuxta Orciam Leprodochium, condidit, dotauítque. Nundinas equorum Insulensibus quotannis permisit ad dies quinque: alias Duacensibus indulsit. De portoriis Scarpi fluminis & Scaldis ad Gallo-flandrorum vtilitatem quædam constituit. D

Litt. Marg.

GVIDO DAMPETRÆVS XXI. FLAND. COMES. *Iacob Meier. diplomata Guidonis.*

Matrem excepit Guido Dampetræus, cui non modicum dolorem exciuerat, contractis cum Mathilde Roberti Bethuniæ domini, & Aduocati Atrebatensis filia nuptiis, propter natalium humilitatem. Mathildi superinduxit Elisabetham Luxemburgicam, Henrici filiam, & Namurci Comitem. Fuit ipse multa prole fœcundus, sed vnà regis Franciæ ludibrium. Insulæ Curiam, Senatoribus; macellum, & forum, oppidanis attribuit. Eiusdem vrbis rempublicam constituit: inita cum Petrensis ecclesiæ Canonicis pactione, D. Mauritij parœciam Senatoribus attribuit.

ROBERTVS BETHVNÆVS XXII. FLAND. COMES.

Ad Robertum maximo natu Guidonis filium res Flandrica postmodum deuenit.

A Ab genere materno Bethunæi cognomen priùs contraxerat. Multis implicitus fuit nuptus. Catharinam Andegauensem Caroli Siciliæ regis filiam, primis accepisse qui ferunt, à veritate procul aberrant. Ea nimirum Blancha dicebatur, vt Iacobus Meierus, Ioannes Tilletus, & Iacobus Marchantius memorant, idque nomen eius epitaphio Flinis adscriptum est. Secundo matrimonio Iolen, vel Yolanthidem duxit, quam Tilletus asserit filiam fuisse Hugonis Neuersij Comitis; contrà, huius neptem, & Odonis Burgundiæ Ducis ac Neuersij Comitis filiam, Paradinus. Ea traxit in dotem Neuersij Comitatum. In veteri quodam & nondum typis excuso codice reperi, tertiam in manus Roberti vxorem venisse, quæ propiùs absuerit infami vitæ periculo, spurij cuiusdam machinis eam adulterij palàm Brugis arcessentis; ac posteà toparchæ Belli-ioci virtute liberata monasticam Marquettæ capessiuerit vitam. Verùm multa mendacij narrationem istam arguunt: nec potui quidquam ea de fœmina è Marquettensibus monumentis eruere. Fraude quorumdam B procerum Philippus rex Francorum Pulcher cognominatus, Roberto Gallo-flandriam eripuit: nec potuit ea rursus multis ipsius laboribus & conatibus cum reliquo Flandriæ corpore coalescere.

Iacob. Meier. Annal. Fland. alij.

In Roberti locum substituitur nepos eius Ludouicus Cressius, patre natus Ludouico Neuersio. Vt Neuersius patri Roberto minimè successerit, mors effecit, quæ duobus mensibus patris exitum præuenit. In vxorem Cressio cessit Margareta Philippi Longi Francorum regis filia.

LVDOVICVS CRESSIVS XXIII. FLANDR. COMES. *Tillet. & Paradinus.*

Susceptus è Margareta Ludouicus in principatu Flandrico Cressium patrem excepit. A bloco natiuitatis Malea, cognomen tulit Maleani. Filiam Ioannis Tertij Brabantiæ Ducis Margaretam coniugio sibi copulauit. Nusquam ipse frequentius egit, quàm Insulæ: haud semel expertus, id oppidum suis fidum calamitatibus præsidium. Neque labori, neque sumptibus pepercit, vti Gallo-flandriam ceteris denuò Flandris iungeret, excusso Francorum dominio. Circa Senatus Duacensis electionem quædam in melius restituit.

LVDOVICVS MALIANVS XXIV. FLANDR. COMES.

C Margaretam huius filiam Flandria postmodum Principem habuit. Immaturas sensit cum Philippo Burgundiæ Duce nuptias, cùm is anno ætatis tertio decimo vitam finiuerit. Contrà, felix ei cum altero Duce Burgundiæ Philippo, Ioannis Francorum regis filio, matrimonium fuit. Quippe rursus iis nuptiis Gallo-flandriam cetero Comitatus corpori annexuit. Nec à Philippo Insulæ decus defuit, imposito ipsi Concilio sanctiorum aliquot Senatorum, qui causas cognoscerent, & Rationum Magistris, qui de peculio Principis agitarent.

MARGARITA XXV. FLAND. COMES.

Defuncto patre Philippo, Ioannes Intrepidus iniit Flandriæ Comitatum. Cum Margareta Ducis Bauariæ Alberti filia, primis se nuptiis constrinxit: secundis cum filia Ludouici Bourbonij Ducis, vt refert Paradinus.

IOANNES INTREPIDVS XXVI FLANDR. COMES.

Huic proximus heres fuit filius natu maximus, Philippus cognomento Bonus, haud modicus Insulę cultor, quam duobus Equitū Aurei velleris consessibus, structo magnificè palatio, multa commoratione, splendidissimis ludis & conuiuiis exornauit. Tertio matrimonij iugum subiit. Vxori primæ nomen fuit Michaëlidi, Caroli D Sexti Francorum regis filiæ. Secundam Philippus Artesius Franciæ Conestabilis Bonam nomine produxerat. In vltimas venit nuptias Isabella Lusitaniæ regum sanguis.

PHILIPPVS BONVS XXVII. FLAND. COMES. *Tillet. Parad.*

In Carolum Philippi filium, Audacem vocitatum, translata sunt postmodum Flandriæ gubernacula. Tres in thalamum vxores admisit. Prima fuit Catharina Carolo Septimo Franciæ rege patre genita. Alteram Isabellæ nomine Carolus Bourbonij Dux protulit, quam Insulæ ab Carolo ductam asserit Tilletus. Tertia Eduardi Anglorum Regis soror Margaretæ nomen præferebat. Verùm è tot matrimoniis, vnicam suscepit filiam Carolus, Mariam scilicet, Isabella matre.

CAROLVS AVDAX XXVIII. FLAND. COMES. *Tillet. Parad.*

Adito post obitum patris Comitatu, Maria virum accepit Maximilianum Friderici Cęsaris filium Archiducem Austrię, & postea regem Romanorum, cui denique orbis Imperium obuenit.

MARIA BVRG. XXIX. FLAND. COMES.

Ab his progenitus Archidux Austriæ Philippus Flandricum suscepit Principatum.

PHILIPPVS AVSTRIVS XXX. FLAND. COMES.

tum. Huic prę̈stans corporis forma Pulchri cognomen indidit. Ioanna Castellæ regum filia, per nuptias aliquot ipsi regna, dotis nomine adiunxit: vnde posteà primus eius nominis Castellæ rex cognominatus est. A

CAROLVS AVSTRIVS XXXI. FLAND. COMES.

Horum filius, Carolus Quintus Romanorum Imperator in Flandria natus Gandaui, huius prouinciæ postmodum Comes factus Isabellam Emmanuele Lusitano rege progenitam, coniugem duxit. tam multis virtutibus & claris facinoribus illustris fuit, vt splendor eius omnes fere mundi partes perculerit.

PHILIPPVS XXXII. FLAND. COMES.

Patri Carolo successit Philippus Hispaniæ totius monarcha. Multis coniugiis paucos suscepit liberos. Primo Carolum ei protulit Maria Lusitanici Regis filia. Nullum dedit Maria, quam secundo loco Anglorum reginam duxit. Ab Elizabetha Franciæ Regis Henrici Secundi filia duplex prodiit sexus alterius proles, quarum vna per nuptias cum Archiduce Austriæ Alberto conuenit; altera Ducem Allobrogum habuit maritum. Qui nuper Hispaniæ regna moderabatur Philippus Tertius, matre natus est Anna, Imperatoris Maximiliani filia. Multum illi regi debet Gallo-flandria, quam is potissimum elegit imbuendis varia doctrina mentibus, stabilita Duaci omnium artium homine libero dignarum Academia. B

ALBERTVS ET ISABELLA XXXIII. FLAND. COMIT.

De Philippi vtriusque Hispaniæ regum Secundi & Tertij voluntate, Comitatum Flandriæ pòst obtinuerunt Albertus & Elisabetha Archiduces Austriæ, Brabantiæ Duces, ac totius Belgij Principes, vterque summo nati loco, hæc Philippo Secundo Hispaniæ rege, ille Maximiliano Secundo Cæsare; quorum virtus tam subditis chara fuit, quàm alienis iucunda.

PHILIPPVS XXXIV. FLAND. COMES.

Hoc tempore Philippum Quartum Hispanis Imperantem, ac Philippi Tertij filium, Comitem agnoscit Flandria, qui viuis erepto nuper Alberto, Belgicarum simul adiit Prouinciarum Principatum, quòd is absque liberis vitam finiuisset, Henrici Quarti Francorum regis primæ natu filiæ iunctus est matrimonio. C

Comitem suum Gallo-flandri qua pompa excipiant, qua sacramentum ipsi dicant.

CAPVT III.


TQVI hactenus de Comitum Flandrię initiis, nobilitate, nuptiis, maiestate, potentiáque, satis pro loco dictum arbitror: nunc illud quoque dispiciendum videtur, quibus Comitem suum Flandri apparatibus ac ritibus colant, cùm is huius principatus init possessionem, publicáque excipitur pompa: dein qua ratione fidem ei suam obligent. Ex quo Cęsar Carolus Quintus Franciæ iugum excussit, regémque exuit Flandriæ potestate, quoties nouus Flandriæ Comes imperium capessit solenniter, his eum ceremoniis inaugurari comperio. Ad dictum eius pompæ diem Gandauum Comes venturus, pridie haud procul inde ad Zuinardum Blandiniensis Archimandritæ prætorium diuertit. Ipso die ceremoniarum illinc progreditur. contrà, ex vrbe Pontifices, Abbates, Præpositi, nobilium præcipui, vrbium proceres, Gandensium Senatus obuiam procedunt. Hos vbi excepit, ad Blandinium montem deducitur: ibi in Abbatiæ D. Petri templo missæ peragitur sacrificium. Inde gladio accinctus, pompa regia, sacram diuo Ioanni Baptistæ ecclesiam petit. Ibi Gandauo, totique Flandriæ fidem obstringit sacramento: omnia iusti principis munia obeundi, Sanctam Ecclesiam, viduas, pupillos, pacem tuendi, regionis instituta, consuetudines, priuilegia defendendi iuratâ se promissione obligat. Dein bis aut ter attracto fune campanum æs percutit, eóque pulsu, post iuramentum, adire se possessionem Comitatus publicè testatur. Hinc ad forum vrbis maximum deducto sese populus per magistratum iureiurando illigat: ipsum, D

QVI GANDAVI COMES FLANDRIÆ A FLANDRIS TEVTONICIS INAVGVRETVR. *Pet. Oudegh. in Annal. Fland. Iac. Marchant. l. 2. Fland.*

eius

A ejus dominium, Flandriæ fines tutaturum se pollicetur, & cũcta facturum promittit,
ad quæ officium & fidelitas obstringit. Ea sacramenta, & stipulationes, quocumque
deinceps primum accedit, vtrimque præstantur.

Ad illum diem Gandaui sese Gallo flandri minimè sistunt, vti cum aliis Teutoni- IDEM QVI SEPARATIM A GALLO-FLANDRIS EXCIPIATVR.
corum vrbium proceribus Comitem excipiant, eíque fidem obstringant suam. Eum
intra fines suos præstolantur, suóque faciunt satis officio, si regiones obeuntem suas
in vrbes deducant, ibíque iureiurando fidem ipsi obligent. Priusquam Franciæ rex
Philippus cognomento Pulcher hunc tractum ab cetero Flandrici corpore Comi-
tatus seiungeret: eadem necessitas proceres eius cogebat Gandauum adire, & Co-
mitem illic inaugurandum pompa celebrare. Accepto posteà graui diremptionis
vulnere sublata fuit ea seruitus. Nam tametsi sub vnum Comitem aliquando nup-
tiis ea ditio redierit; nunquam tamen ita coaluit, vt Gallo flandros in omnibus pa-
res Teutonicis Flandris habuerit, seu iura spectentur libertatis, seu necessitatum
munera. Ergo veluti suos intra fines comitia procerum & populi habent Gallo-flandri
B suum cetera Flandrorum ad ea Gandauum euocantur: ita prorsus domi sacramen-
tum Comiti suo dicendi ius obtinent, ab eóque fidem postulandi. Qua verò ce-
lebritate, quâ pompa primùm excipiant Comitem Flandriæ huius ditionis incolæ,
quibus vtrimque cerimoniis mutuò fidem confirment, ex iis, quæ oculis vsurpaui, dum
anno 1600. Albertus, & Isabella Insulam subirent, ibique in Comites reciperen-
tur, breuiter modò patefaciam.

Cum dies intra muros vrbis deducendo Principi dictus illuxit, cuncta festino ri-
dent apparatu, quà pompam Senatus progredi iubet. Varij platearum modò laxa,
modò angusta, triumphales obtinent arcus, mole prorsus edita; multis exornantibus
picturis, ductéque animantibus epigraphis; nunc vna, nunc tribus portis pompam
admittentibus. Alibi quædam pegmata scenæue conspiciuntur, vbi multimodis
ornatibus effulgentes tum viri, tum fœminæ varia prębent spectacula, quæ præclara
Principum Flandriæ facinora suppeditãt, aut varij vrbium euentus. Frontes domo-
C rum & parietes vel tabulis elegantibus, vel magni pretij pannis, & tapetiis versico-
loribus conteguntur: certis aliquot pedum interuallis per plateas humi figuntur
Termini, faciésque ceteræ iis imponuntur, vel puelli palis superius latis insident
tædas ferentes, vt quandoque factum Duaci est.

His ita præparatis, & vrbem ornantibus, ad aliquot passuum millia prodit obuiam
Gubernator, secúmque totam in equis, ornatu plurimo, nobilitatem pertrahit. Bel-
licæ ciuium Societates armis rutilant, portisque progressæ dicto sibi loco præstolan-
tur, vti venientem festiuo armorum strepitu Comitem excipiant, & in vrbem de-
ducant hac pompa. In agris ad vias publicas armatæ rusticorum cohortes ex-
cubant, vel armorum fulgore, & bombardarum explosione, vel bombis tympano-
rum suam testantur lętitiam. Alij ciuium armis telísque fulgentes, pro porta resi-
dent in mœnibus alij obtinent stationem. Hîc ingentes ex ęre ferróue machinæ
ignem eiectant flammis puluereis, & horrisono facturę strepitu plausum. Extra
muros Senatus procedit veste amictus splendida, nouaque: in extimis Comitem fi-
D nibus suis operitur. Intra vrbem artificum officinę, & tabernæ mercatorum clau-
duntur omnes. Pars ciuium foras erumpunt, desiderio videndi percitii; in vrbe pars
remanent, omnésque vel domorum fenestras occupant, vel plateas altrinsecus ob-
sident, qua pompa progreditur. Vbi Comes vrbis limites attingit, illic pręstolati
magistratus eum salutant; inauratas illi claues vrbis porrigunt; suam in vrbem vti
feliciter & iucundè ingrediatur, postulant. Ibi omnes in ordinem & pompam sese
colligunt. Primi procedunt ciues armati, hos sequuntur equites leuis armaturę, ab
Comiti tutando corpori. Pone veniunt omnes tum vrbis, tum subiectæ regio-
nis nobiles. Hos excipit vniuersus oppidi Senatus, & cum suis Gubernator. Exinde
prosequuntur Comitis ministri nobiliores, & qui celebrant eius aulam Barones, Comi
tes, Marchiones, Principes. His proximus Comes ingreditur apparatu maximo.
honorarij pręcedunt ephebi, tubicines, rex armorum, stabuli Pręfectus. Vtrimque
stipant a dextris & sinistris laterones, tuendi gratia: dein plurimi ciuium, facibus

collumi-

A

colluminantes. Retrò sequitur equitum ala secundum Comitis præsidium. Pulcherrimum ipsi Comiti asturcone vecto conopeum iuuenes aliquot primariæ nobilitatis obtendunt. Interim quà transitur, maximæ cientur festis plausibus in templorum turribus campanæ; tympanorum strepitu, clangore tubarum, continuis ferrearum fistularum displosionibus plateę passim resonant. Hac igitur pompa primum Comes ad ædium sacrarum Principem iter intendit. Illic concentu musico actis æterno numini gratiis, in ornatum hospitium, vel palatium perducitur. Prima nocte, dum tenebris cælum obtenditur, in mœnibus ciues ingenti fragore machinas æneas flammis exonerant. Proxima luce Comes è palatio non minori pompa in primarium vrbis templum deducitur. Ibi postquam Præsulum aliquis ad aram sacris operatus est, tactis Comes euangeliis, & Christi de cruce pendentis imagine, fidem obstringit ecclesiæ iura & priuilegia tutandi sacramento. Ab eo loco in forum procedit. Illic conscenso eximiæ magnitudinis & elegantiæ theatro, ad fidem vtrimque obligandam Comes Senatúsque se comparant. Sacrum Comes euangeliorum codicem, & Christum in crucem suffixum contingens in solitum carmen iurat, séque promittit vrbem, eius leges, priuilegia, consuetudines seruaturum; ab iniuriis corpora ciuium bonáque vendicaturum; per leges vrbis & scabinos oppidum ciuésque moderaturum. Ex aduerso Senatus, & oppidi ciues ita suam Comiti operam pollicentur, vt iuramento confirment, eius se corpus & ditionem omni ope seruaturos. His vtrinque stipulationibus factis tympana tubęque perstrepunt: faustis vbique populus acclamationibus indulget: è theatro per feciales aurei & argentei nummi liberaliter in vulgus sparguntur, de Senatoribus aliquos decorat equestri Comes dignitate. Ita lætis omnibus domum Principem pompa reducit: ibi suis ordines & magistratus eum muneribus impertiunt. Dein publicum nobiles omnes cum Senatu in curiam vrbis epulum vocat. Sub noctem lætitiæ rursus indicia produntur, æneis tormentis flammas cum strepitu euomentibus. in foro variis lignorum struibus ignem ciues iniiciunt, multisque volatilibus vltro citróque flammis ad voluptatem videntibus obsequuntur.

B

C

Comitis Flandriæ nomine quidam ad præstandum Gallo-flandris sacramentum missi.

Cęterùm quoniam sæpè contingit, vti tardiùs, quàm populus desideret, aut Comiti placeat, inauguratio differatur: haud rarò factum inuenio, vt priusquam celebri pompa Princeps Gallo-flandriæ vrbes iniret, de suis quosdam aulicis nobilibus, aut ministris miserit, qui & nomine suo Senatoribus ac populo sacramentum dicerent, idémque ab iis flagitarent. Eius rei aliquod proferam exempla e monumentis Insulensibus petita.

An. [illegible]

Qui suo nomine Insulam peteret; ibi iureiurando fidem Gallo flandris adstringeret; ab iis iuramento firmari fidelitatem peteret; fratrem suum Ludouicum Ebredunensem Comitem misit Philippus Franciæ rex cognomento Longus, priusquam rediisset ad Comites suos Gallo-flandria.

An. [illegible]

Non multò pòst, à Carolo Pulchro venit Insulam Duacúmque Petrus de Gaillard eques, Arcubalistariorum magister, & regius in Flandria Capitaneus, vti regem iurando Gallo-flandris illigaret, regi contrà Gallo-flandros.

D

An. [illegible]

Elapso quinquennio, cùm Philippus Valesius ad regni gubernacula vocaretur, Bernardo de Choisnel equiti, ac totius Gallo-flãdriæ gubernatori mãdauit, vt Insulæ sacramentum nomine suo ab Senatoribus exigeret, iis fidem iuratus promitteret.

An. [illegible]

Longo post interuallo, Ioannes Franciæ rex (cuius filius Philippus Burgundiæ Dux Margaretæ Ludouici Maleani filiæ per nuptias copulatus, in Flandriæ Comitatum Gallo-flandriam reduxit) Eustachium de Ribaudimonte Gallo flandriæ Pręfectum eò misit Insulam, vt fidem iureiurando tum suam, tum Senatorum astringeret.

An. [illegible]

Archidux Austriæ Philippus Maximiliani Romanorum regis filius, qui suo nomine idem facerent Insulæ, Duaci, & Orciæ, viros aliquot nobiles legauit. Hi præsertim fuere Philippus Burgundio Beuerensis toparcha, Iacobus de Gouy dominus d'Aubry, & supremus Gandaui Bailiuus, M. Ioannes d'Auffy Archiducis consiliarius, & libellorum magister, Leo Sprynghelius Brugensis Scabinus.

Num semper Comes Flandriæ in Gallo-flandria captiuos liberauerit, dum in eam primum aduenit?

A Priusquam huius capitis finem faciam, placet etiam vnum memorare, quod festinanti prope exciderat. Etenim quamuis alibi Principum inaugurationibus solenne semper fuerit, vt, vel detentis in custodia libertas, vel in exilium protrusis remeandi domum venia concedatur, neutrum tamen quandoque in Gallo-flandria quibusdam munus impensum comperi. De Ioanne Francorum rege Philippi Burgundionum Ducis & Flandriæ Comitis parente hoc proferunt Insulensis vrbis monumenta. Annis decem post initum regnum Insulam primùm Ioannes venit eam in vrbem solenni pompa recipiendus. vti multis aduentu suo voluptatem faceret, cunctis exulibus intra muros redeundi potestatem impertiit. Visum id est graue Senatui, & non paruum damni allaturum oppido: regique supplicatum est, ne saltem iis veniam reditus daret, quos criminum grauitas vrbis finibus exegerat. Igitur ille iusta petitione permotus, cùm plerique exulum in vrbem regredi molirentur, quosdam litteris ad Senatum Insulensem Tornaci perscriptis, Insulæ muris finibúsque arcuit, quorum aliqui vel falsis alios testimoniis onerauerant, vel proditione indu-
B cias violauerant; nonnullós quædam in pace commissa, & homicidium reos fecerant; aliqui hominis atrociter occisi tempore pacis arcessebantur. Idem Ioannes anno 1355. Duacensibus rescripsit, haud eius se mentis fuisse, vt aduentu suo in vrbem reuocarentur, qui exilio damnati fuerant (vtar eius verbis) *pro turpibus, vel vilibus homicidijs, treugis, quadragenarijs, aut pace infractis, incendio, reuba, raptu, violatione mulierum, routa, siue conspiratione, nec etiam Guillermum de Harnes perpetuò à dicta villa Duacensi pro falsa drapperia bannitum.* Et Carolus rex anno 1364. iussit vrbe rursus expelli, quos Bailiuus intra muros redire permiserat, cùm regis eius nomine Duacum iuraturus aduenisset. Recentius est, quòd huius initio sæculi accidit Insulæ, cùm inibi versarer. Quo die Archiduces Austriæ Albertus & Isabella in vrbem Insulensem publica pompa recipiebantur, eorum pedibus ad portam accidêre matrona quædam eiúsque filiæ duæ, illa pro filio, hę pro fratre in custodia publica propter cædem detento, vehementer supplicarunt. Nihil tamen eo tempore aliud impetra-
C uere, quàm dispiciendum eius crimen videri. Postera luce, cùm descenderent è theatro iurati fidem populo Archiduces, ad genua rursus eædem fœminæ gementes procubuere. Nihil tamen ab illis plus datum misericordiæ fuit, quàm priùs, quòd facinoris fœditas (quippe sub mensa nihil opinanti cultrum in ventrem inter pocula defixerat is, pro quo flagitabatur.) omnem procul arceret veniam. Ideóque paucis pòst diebus meritas ei pœnas Senatus irrogauit.

Principes suos Gallo-flandri pecunia, auxilio, fide, obnoxios sibi semper faciunt.

Capvt IV.

Armis, commeatu, pecunia Comitem suum iuuant Gallo-flandri.

D Qvem Gallo-flandri erga Comites suos in vrbes ea pompa deducendo animum patefaciunt, eundem variis semper rebus iisdem beneuolum, & fauentem asserunt. Etenim si pecuniam, si arma, & auxilia militaria, si fidem res & tempora deposcunt: nunquam suum hi Principem iis destitui patiuntur. Quibus id paullò latiùs probem, multa mihi vel vetera monumēta, vel re-
An. 1296. centia facta suppeditant. Equidem, vt à pecuniæ subsidiis exordiar, memoria dignum illud fuit, quod Guidonis Comitis temporibus accidit. Francorum rex Philippus cognomento Pulcher magna premebatur auri penuria, vrgentibus interim grauibus regni necessitatibus, ob imminentes validos hostes. Igitur adhibitis in consultationem regni præsulibus, & proceribus, vti quinquagesima penderetur ab omnibus, edicto sancitum fuit. De regis mandato Guido Comes eam Insulæ Duacique exigi iussit. Exortus est aliquis inde tumultus, & plerique ciuium obrogauere,

Liber Rosist. Regist. Senat. Duac.

palàm dictitantes, suis id vectigal priuilegiis & immunitatibus aduersari. His accensus grauiter Guido nonnullis Insulæ vincula iniecit, eósque in custodia detinuit. Mouit iniuria Scabinos Insulenses, ceteráque ciuium capita. Igitur ad regem ii scripsere, haud iure ab Comite secum agi. nihil equidem minùs sibi placere, quàm petita regem pecunia frustrari: nolle se tamen id fieri veteribus oppidi violatis immunitatibus. & ne contumaciæ, aut rebellionis suspicerentur, sponte librarum sex millia regi obtulere, quibus ad leuandas necessitates vteretur. Horum exemplum secuti mox Duacenses. Neque regi factum istud displicuit. Accepta enim pecunia, Guidoni protinus imperauit, vt captiuos in libertatem restitueret: ab Insulensibus & Duacensibus quinquagesimam minimè exigeret. Deinde Ambianensi Bailiuo dedit in mandatis, vt earum ciues vrbium nulla sineret ob quinquagesimam affici molestia: iis quietem conciliaret, quos tam liberales fuisset expertus. A

Ioan. Froissart. tom. 1. Chron. Fland. Paul. Æmyl. Gaguin. Meier. alij Liber Rosin.

Exactis aliquot annis, cùm in Galliis Angli cuncta bello grauiter infestarent, ipsum regem Francorum Ioannem prælio victum cepere. Ad eius redemptionem grandi pecunia opus fuit, & multis obsidibus. Ne quid suo regi deesset, qui tum Gallo-flandriam possidebat, vtrumque Duacenses, & Insulenses onus læti subiere pecuniam obsidésque mittendi. Duos vtrique obsides dedere, eósque viros genere maximos. Regalium insuper nummorum millia octodecim Insulenses polliciti: quorum tria millia singulis annis ad sexennium penderent. Adeóque gratum id munus regi fuit, vt ipsos hic sex integros annos immunes à vectigalibus esse postmodum iusserit. An. 1356. B An. 1360. An. 1360.

Regis littera.

Ioan. Froissart. Chron. Fland. Meier. alij.

Moderante Comitatum Philippo Duce Burgundiæ Ioannis regis filio, magnum exarsit Gallos inter Anglósque bellum. Et fuit visum Gallis optimum factu, si per Oceanum belli moles in Angliam transferretur. Eo magna vis nauigiorum ad Slusam & Blancobergam deducta: qui cum Gallis naues implerent, multi Flandrorum delecti. Ac ne quid deesset vel commeatus, vel armorum, multa in Flandria parari Dux iussit. Insulæ Duacique præsertim laboratum. Ibi magnis Gallo-flandrorum impendiis magna vis panum nauticorum confecta, qui diuturnitatem & maris humorem paterentur. Ibidem arma omnis generis comparata. C

Caroli littera.

Carolo Quinto Imperatori multis presso bellorum molibus non semel magnum auri pondus, & tormenta bellica subministrarunt Insulenses.

Sub finem exacti nuper sæculi cùm grauibus Belgium ciuilis belli motibus quateretur, vti regionem suam vrbémque aduersus fidei, & Hispaniæ regis hostes tutarentur, nullis sumptibus & impensis ab Insulensibus parsum fuit. Paullò pòst, infestante omnia vehementer Menenensi Scotorum præsidio, pecuniæ tãtum & pulueris tormentarij liberaliter ijdem obtulere, quantum satis esset oppugnando machinis & copiis oppido, si regiis Ducibus id placeret obsidio circumuenire. Cùm is locus nondum obsidione cingendus videretur, plúsque momenti positum esset in castris Tornacensium vrbi admouendis: quamquam ad hoc negotium plus auri & nitrati pulueris flagitaretur, omnia tamen ipsi abundè suppeditarunt: pecuniam, equos, puluerem, & machinis exonerandis ciues idoneos suffecere; donec ea ciuitas in Parmensis Ducis potestatem veniret. Ideóque primùm Parmensis, & posteà Regis Hispaniæ fauorem maximum & amicitiam sibi conciliauere. Non multò pòst ab iisdem multum pecuniæ tributum variis modò Halevini, modò Menenis, modò Cominij &. Virouiaci alendis militibus. Comiti Fontano Cameracum regiis copiis obsidenti nullum defuit studium Insulensium & Duacensium. cocti vtrobique plurimi panes; & varius alius eò missus ab his populis commeatus: non modicum etiam pecuniæ ab iisdem concessum. Et iam quotannis, immane dictu est, quantum auri ad subleuandas Belgij necessitates huius Flandriæ tractus Principi suo suppeditet. D

IIDEM VIROS ARMIS INSTRVCTOS COMITI SVO SVBMINISTRANT. *Iac. Meier. l. 3. Pet. Oudegh. alij.*

Neque verò passi sunt olim Gallo-flandri operam suam deesse Principibus opem & viros flagitantibus, seu propiùs seu longiùs ducendæ forent copiæ.

Inter Robertum Frisium, & Richildem Balduini Montensis viduam, ardente grauiter bello, cùm starent à partibus Frisij Insulenses, contrà Richildem Duacen-

ses

A ses defenderent: ad prælium iuxta Galletensis montis radicem commissum, vt suis quique Principibus opitularentur, non pauci vtriusque populi armis infestis iuere.

Philippo Elsatio aduersus Franciæ regem Philippum, quem auctores Gallici Augustum appellant, pro Viromandensi Comitatu bellum in Galliam portanti, multum sanè subsidium Insulenses, ac Duacenses fuere ceteris eius copiis adiuncti. De vtrisque apud Guilelmum Britonem hæc leguntur. *Lib. 2. Aug.*

Insula post illos. Nichous exerit arma
Hostica, non paucas armans in bella phalanges.

Deinde:

Nec minùs & Sancti populus venerator Omeri,
In Comitis partes iuratus millia multa
Mittit ei, iuuenes clara virtute coruscos.
B *Cum quibus Hedinum, Grauelinga, Bapalma, Duacum*
Diues, & armipotens, & claro ciue refertum.

An. 1176. Cùm Flandriæ Comes Guido contra Ioannem Leodiensium antistitem exercitum moueret, suam ab eo Gallo-flandri operam desiderari noluere. Ioannes Castellanus Insulensis alios inter emicuit, ac duobus equestris Ordinis viris Insulenses ducendos vnà cum aliis copiis tradidit. *Lib. Rosin.*

An. 1192. Thomas Insulensis Castellani filius Insulanos in armis eductos oppido, Quercetum in Hannoniam pertraxit, vti pro eodem Guidone illic aduersus Hannonios cum ceteris Flandris bellum gererent. *Lib. Rosin.*

An. 1196. Dum reges Franciæ rerum in Gallo-flandria potirentur, frequenter armari iubebantur huius regionis incolæ, vbi regibus ipsis hostes ingruerent. Ex his equidem Pulcher diplomate quodam fatetur, multis Insulenses ipsum auxiliis bellicis & operis sibi deuinxisse: ideóque dies octo ante nundinas, totidem post C eas indulget, quibus negotiatores liberè suas inferant oppido merces efferántue: nullis intereà molestiis intra, extráue muros pulsentur; sibi suísque rebus, eundo & redeundo, securitatem obtineant; quò plus emolumenti aduenarum frequentiâ ciues contrahant. *Lib. Rosin.*

An. 1351. Eodem anno, quo Ioannes Franciæ rex publica Duaci pompa fuit exceptus, magnum ei subsidium misere Duacenses, cùm is haud procul Audomaropoli exercitum aduersus Angliæ regem magnis Caletum viribus obsidentem, colligeret. Equites ij sexaginta fuere cum insigni arcubalistariorum, & sagittariorum numero: quos omnes duxit Ioannes Bonnebroquius commeatum triginta curribus conuehentes. aderántque ipsis Scabinorum duo, Arnoldus Landastus, & Iacobus Courcellius. Ac tanti rex id obsequium æstimauit, vt prolixas omnibus gratias egerit. *Lib. MS. Duac.*

An. 1359. Cùm Morellus Fiennesius equitum Franciæ Magister, & Guido S. Pauli Comes diui Walerici oppidum armis aggredi statuerent: ad eius loci obsidionem Insulensium & Duacensium plurimi abiuere subsidium iis laturi. *Iac. Meier. l. 13.*

D Ad Gallicam expeditionem Comiti suo suppetias tulerunt Orchiacenses missis eò non paucis contubernalibus Marianis, qui balistis iacularentur: quorum ea virtus fuit, vt magnam inde laudem retulerint. *Bapt. Gram. in Orch.*

Ex eadem vrbe sagittarij Ducem Burgundiæ Ioannem sæpenumerò ad bellum secuti, magnum animi bellicosi specimen dedere: & quam Principi suo fidelitatem iurauerant, eorum plurimi sanguine suo sanxerunt. *Ioan. Diplom.*

Placet hîc formulam attexere, qua quondam Insulenses ad arma pro Principe capessenda publicè ciebantur. Eam præbuit vetus Senatorum liber antiquo rudem oppidi sermone: quidam verò sic latinè reddidit: *De mandato Regis Francorum domini nostri, ac iubentibus Castellano, Bailiuo, Senatúque huius vrbis significamus, & indicimus, vt omnis modi & conditionis, viri, hospites, non hospites; pares cum paribus, ciues & incolæ huius vrbis instructi sint armis & equis, prout ipsis conueniet, vti regem, Castellanum, Respectorem, Scabinos, eorúmque signa sequantur,*

quando æs campanum, aut crepitaculum ciebit. deinde omnis generis homines, neque propter debita, neque propter Senatorum iußiones vllatenus molestijs afficiantur ab hoc tempore ad illum vsque diem, quo exercitus in oppida reducti fuerint; ac tum dies octo quieti rursus agere sinantur. A

Eodem in libro, quos vnà cum ciuibus Insulanis in bellum Principis subsidio Castellanus ducere olim tenebatur, ita censeri video, vt horum alios villæ quædam, siue oppida & vici, alios Aduocatiæ submittere debuerint. Villarum & vicorum hęc nomina, Bassea, Ploichium, Nouauilla, Siclinium, Watignia, Ostricuria, Martinisartum, Walterisartum. In Aduocatiis hęc numerabantur Anuelinum, Bouuinium, Prouuinium, Camphinium, Anecuria, Mons Pabulanus, Ennetiera in agro Weppesano, Singhinium in Melantoiso.

DATAM COMITI SVO FIDEM GALLO-FLANDRI SERVANT DILIGENTER. *Chron. Fland. Iac. Meier l. 3. Pet. Oudegherst. Iac. Marchant.*

At non minùs erga suos Principes fide, quàm pecunia & auxiliis bellicis, præstantes se probarunt Gallo-flandri. Quibus id patefaciam, pauca de multis proferam. B

Ingruebat multis copiis, & totius ferè Teutonicæ Flandriæ fultus auxilio, acerrimus ille belli Robertus Frisius, vti Richildem, eiúsque filium Arnulphum omni Flandrię Comitatu exueret. Satis experta Gallo-flandros sibi fideles, vtrumque filium Insulæ Richildis collocauerat. Et cùm Lessiniæ minùs se tutam animaduerteret, eodem ipsa, Roberto magnis itineribus ad hoc oppidum copias trahente, fugam rapuit. Quæ possent Gallo-flandros cum aliis penè omnibus Flandris in odium Richildis impellere, multa prorsus erant, seu mores asperi Richildis, seu fœda facinora præberent. Verùm charior iis fuit erga Principem fides, quàm cientibus aliorsum vel eius sceleribus, vel exemplis aliorum, rebellio. Igitur recepta intra muros Insulensis oppidi Richilde, omnes ad eius & filiorum defensionem animos erexere Gallo-flandri. Neque paucorum constantiam tanti exercitus, quem Frisius aduersum ducebat, fregere vires vrbi propiùs admotæ. Oberrabat scilicet eorum mentibus, tametsi multis artibus pessimis factísque grassata fuisset Richildis, eam tamen legitimi Principis sui viduam esse, eiúsque filium natu maiorem Arnulphum minimè maternis corruptum moribus, verum sibi à patre Comitem datum: contra, ferum animi Frisium non tam petere nepotis tutelam, quàm velle Richildem eiúsque filium omni Flandrorum Comitatu armis exigere. Verùm vnius perfidia plus potuit, quàm tectæ ferro Frisonis copiæ. Erat Insulēsis arcis custodia Gerardo Buccensi imposita, viro magis strenuò, quàm fideli. Quippe corruptus vel donis, vel amicitia, Frisium cum magna militum manu in arcem admisit clam Richilde, & Insulensibus: statímque patentibus portis, in vrbem armis & tumultu infestos dimisit. Ibi tamen nec animus, nec fides Insulensibus defuit. Dum enim fugam arripit Richildis, secúmque liberos trahit, tantisper ij cum armis sese Frisoni opponunt, neque priùs arma proiiciunt, quàm in tutum Principes locum fuga deferat, quàm hostilibus ipsi copiis impares fiant. Sub secundis tyranni principiis eo gemente oppido, cetera nihilominus Gallo-flandriæ pars in fide Principum firma perstitit, nullis vel minis, vel viribus, vel promissis auertentibus. Cúmque iuxta Casleti montem grauissimo prælio & Frisonis, & Richildis acies confligerent, coacti pro Frisio stabant Insulenses; læti Principes suos alij omnes sequebantur: vt fuerit graue Insulensibus cum Frisio victoria potiri; iucundum aliis pro Principum defensione in conflictu mortem oppetere. C D

Galterus in vita Caroli. Iac. Meier. lib. 4. Oudegherst.

Quam posteà Carolo Bono in viuis agenti fidem præstiterant, eandem exhibuere mortuo Gallo-flandri. Cùm enim ad cædem quærerentur ij omnes, quos, Comite Brugis interempto, parricidij fœditas reos fecerat: Dux tanti sceleris Burchardus, vbi lateret, in agrum Insulensem denique peruenit. Duos istic auunculos habebat è nobilissima Roubaisiorum familia prognatos, Hugonem & Bernardum. Apud eos cœcas tutásque sibi latebras promiserat, quos tanta iunxerat sanguinis necessitas. Verùm aliter prorsus ipsi euenit, ac sperauerat. Erant enim iis nobilibus viris, præter vitia & scelera, chara omnia.

Igitur

A Igitur ne quid ipsi contraherent labis & infamiæ, nepotem tutando; ne quid antiquæ virtutis & iuratæ Principi fidelitatis detererent: eum Insulensi Castellano tradidere, vti pro meritis in crucem ageret. Et paullò pòst Burchardus in foro Insulensi confractis ferro membris, & implexo rotæ radiis corpore, grauissimas ceteris pœnas luit, maiorique fuit Insulensibus stimulo ad præstandam semper Comiti fidem.

Chronicō Fland. Iac. Meier.

Quòd autem non multis pòst mensibus Guilelmum Normanniæ Ducem primi vrbibus suis Gallo-flandri arcuerint, moto in eum tumultu: non tam iis dedecori, fraudique adscribendum duxerim, quàm laudi & fidei. Duo scilicet ad hoc facinus eos admodum perpulere. Primùm enim neque volentes eum Flandri in Comitem receperant; neque ius ei Comitatus hereditatem asseruerat. Vi omnia Francorum rex egerat, cùm Principem Flandris daret. Qui iure sanguinis & generis ei præferrentur, vitam aliquot agitabant viri maximi, & reipublicæ negotiis, & gubernaculis idonei. Deinde Comitatum adeptus pristinos mores Guilelmus ita corrupit, vt B tyrannum magis, quàm Principem sese suis probaret. His ergo malis duobus acriter stimulantibus, quid mirum fuerit, si suis eum muris prohibuerint Gallo-flandri, quem ius & pessimi mores Principatu arcebant, quem ab ceteris Flandris exclusum iri vrbibus cognouerant?

Iac. Meier. lib. 8.

Exactis aliquot annis, cùm grauis arderet controuersia inter varios Flandriæ populos, essétne Ferrandus Ioannæ maritus in Flandriæ Comitem admittendus; parsque potior Regis Franciæ facto, qui nuptias conciliauerat, obrogaret: inter primos Gallo-flandri venientem cum vxore Ferrandum læti excepere; eíque suam obstrinxere fidem Duaci, quò primùm peruenerat, ac paullò pòst à Gandensibus repulsum, & coactum, Cortraco celeriter relicto; in Gallo-flandriam sese fuga recipere, idem oppidum intra muros admisit. dein, vt aliæ vrbes Gallo-flandriæ, viris & commeatibus iuuit, cogendis ad officium Gandensibus, aliísque Flandriæ populis.

Chronic. Fland. Iac. Meier. lib. 8. Oudegherst.

Elapso inde non multo tempore, Insula, Duaco, aliísque Gallo-flandriæ locis C Ferrandum exuit Francorum rex Augustus. Ea res & Ferrandum, & Gallo flandros dolore grauiter incendit. Nec enim is populus Franco volens parebat, eiúsque rei satis gnarus rex magnum vbique præsidium Francorum posuerat, vt suos ad officium incitaret Ferrandus, Arquinghehemum, imminens Lisæ castrum, aliquamdiu cinxit obsidio, & dies aliquot pro muris Insulensibus cum exercitu stetit. Nihil tamen tum vtrobique ausi sunt Gallo-flandri, pręsidio metum incutiente. Capto tamen intra paucos dies Tornaco, victor inde Comes cùm rediret, ac Insulam denuò tentaturus lectica propter grauem corporis febrim veheretur: adeò repentè Insulensibus ciuibus animi creuere, vt raptis per tumultum armis, Francorum præsidium vrbe exegerint; ipsi Ferrando portas aperuerint; eum intra muros læti deduxerint; ea fide factóque graues iras regis Augusti conciuerint; cùm infestas Francus copias huc pertraheret, incolis vrbem ferè nudauerint, alius aliò dilapsi; suam maluerint ab irato rege vrbem incendio funditus corrumpi, quàm debitam Principi suo fidem prodere.

Chron. Aquicinct. Chronic. Fland. Guis. in Annal. Hann. Iac. Meier. lib. 8. Oudegher. Iust. Lips. in Monit. & exemp. Pol.

D Nolim hîc omittere, quod eodem Ferrando viuente contigit. Bertrandus quidam
An. 1224. Raynsius, eremiticæ vitæ cultor, in nemore Glanchoniensi, nó procul Mortainia, toto ferè corpore, ac pręsertim capillo, facie, lingua, Balduinum Imperatorem Byzantinum, & Ioannæ Flandrorum Principis patrem referebat. Ea res audaciam ei prębuit illum in Flandria simulandi. Et breui quosdam nactus est apprimè deditos rebus nouis homines, qui fabulæ pręsidium, opésque sufficerent. Igitur imperatorio cultu horum studiis ornatus est Bertrandus Valencenis: datúsque ipsi congruens comitatus. Permoti rumore plurimi Flandrorum, magnam mox voluptatem cepere, audito Principis aduentu, quem magnoperè dilexerant, quémque cæsum & mortuum arbitrati fuerant. Et continuò ipsi omnia secunda pollicentur, studium, opes, cultum. Aduentum suas in vrbes ne differat, vehementer flagitant. Venit ergò Bertrandus in Flandriam. ibi à multis nobilibus honore maximo exceptus est, & nouæ vtrimque fidei stipulationes factæ. Non defuit etiam suis

partibus Insula. huc ille tanto comitatu delatus est, tantóque apparatu, vt omnia A
Cæsarem referrent. Insigni lectica vehebatur: decoram manu virgam tenebat: aureo radiabat vertex diademate. Eo decepti splendore & mendacio Insulenses, aliorum imitatione adeò ipsum coluere, vt suam ei fidem etiam obstrinxerint. Verùm alia Ioannam & Franciæ regem vrebant studia, cùm facilè perspicerent, simulationis plena esse omnia. Euocatus ergò Bertrandus est in Galliam ad regem, data securi aduentus & reditus fide. sed quamuis ad omnia se fingeret intrepidum, facilè tamen multa præbuit argumenta simulationis & mendacij: cùm præsertim ad nonnulla quæsita respondendi tempus peteret, quasi minùs eorum in præsentia recordaretur. Ita mox omni Gallia & ditionibus Ioannæ mandato regis exactus, Valencenas primùm occultè fugit, deinde in Burgundiam abiit. Eo de loco tandem retractum Insulam Ioanna perduci imperat. Istic quantò plus lætitiæ prior aduentus affuderat, tantò plùs mœroris & pudoris ciuibus attulit tristis huc reditus. Nullus non procerum & honestiorum oppidanorum damnabat leuitatem, qua ceterorum exemplo impulsi honoribus Bertrandum affecerant: nemo B
ipsorum parcebat in eum conuiciis, & diris imprecationibus. apud Ioannam omnes sese reos arguebant. Quia tamen non vitio, & odio ipsius, sed amore Principis & fide (verum enim Cæsarem & Comitem suum illum rebantur) impulsi fecerant; veniam nimis ardenter & temere culti amore, opibus, fide principis ficti, flagitabant. Nihil eam in posterum sui erga ipsam amoris, vel studij, vel fidelitatis desideraturam pollicebantur. Et mox permouit Ioannam ea Insulensium deprecatio. Quippe Bertrando in crucem acto Insulam iuxta, suis ipsa ciuibus temeritatis veniam impertiit. & quò plus ad fidem in posterum pelliceret, eam sic litteris ad posteros transmisit, vt non tam argueret eos criminis, quàm deceptis mentibus temerarij fauoris insimularet.

Iac. Meier. l.10. Cùm subinde Comitem Flandriæ, & Margaretæ filium Guidonem Philippus An. 1297
alter Franciæ rex cognomento Pulcher admodum infestaret, detenta præsertim eius filia: in iustum tandem ille bellum exarsit, & paullò pòst cum exteris C
Principibus armorum societatem coiuit. Verùm breui sensit Pulchrum aduersis in Flandriam copiis incumbere. Igitur vti Gallo-flandriæ plurimùm caueret, quam magnopetè charam habebat, & ab rege primò petendam intelligebat, Duaco & Insulæ firma imposuit præsidia. Gaudebant ea Comitis cura ciues vtriusque oppidi: iàmque parati erant pro eo quælibet extrema perpeti. Prima obsidione cincta est Insula; & quo plus in Principem suum fidei & amoris patefaceret, hebdomadas vndecim tormenta & assultus obsidentium tolerauit, animos faciente Roberto Guidonis filio, qui iussu parentis insederat. Neque priùs regi dedidit se Duacum, quàm reddita tandem Insula, vidit, nullo se modo pati posse obsidionis iniurias. Timebatur enim vehementer Insulæ, ne quid in eam grauius rex moliretur, quod ipsa, in quam nuper beneuolum sese præbuerat, & quam liberaliter in suam receperat fidem, adeò leuiter Comitem admiserit. Verùm vbi satis perspexit, non tam maleuolentia, quàm prona gentis in Principem suum
Diploma reg. pietate id factum fuisse: & facinus clemens indulsit, & suis vrbem priuilegiis vti D
permisit.

Haud multò pòst idem Philippus rex sese Comitem Flandriæ iactauit, quòd primus arma Guido cepisset & præcipuas Comitatus vrbes peragrauit, vt in fidem ab omnibus reciperetur. Minùs libenter id Gallo-flandri fecere, quàm Pulcher arbitrabatur. Nam posteà cùm Ioannes Namurceus Guidonis filius vtrumque obsidio pressisset oppidum, quamuis aliqui procerum obniterentur, tamen ciues omnes sui tenebantur Comitis desiderio. Et facilè cum Ioanne de oppidis ipsi dedendis composuere. Suspecta scilicet ipsis erant omnia, quæ regem facere animaduertebant: & satis perspectum habebant, iniustis Comitem suum modis ab eo tractari.

Elapsis inde aliquot annis, graues cum Flandris Ludouicus Maleanus simultates exercuit: & cùm alibi sæpiùs in periculo versaretur, magnum

semper

A semper in Gallo-flandris præsidium inuenit. Id præsertim ostendit cùm aduersus Gandauenses, quos Raso Hersellius ducebat, ad Niueliam pugnauit. Nam de copiis, quas secum habebat, acies quinque composuit. in earum quatuor ceteros populos esse iussit. in quinta, quam ducere instituerat, solos Duacenses, & Insulanos cum Aldenardensibus secum retinuit, quorum præcipuè vires & fidem satis probauerat. Idem Comes posteà in maximum coniectus periculum, Gandensibus Brugas inuadentibus, cùm noctem vnam ea in vrbe intra lodices paupercula mulieris latuisset, ac rustici specie manus hostium euasisset, in Gallo-flandria denique fidem & quietem inuenit, ac postmodum Insulæ frequens agitauit.

Quod elapso proximè sæculo contigit, cùm inter alios Hispaniæ regi Philippo adhærentes populos non vltimas partes Gallo-flandri tenuere, flagrantibus latè in Belgio bellis ciuilibus, id scilicet præcipuam laudem meretur. Si enim hi paullùm ab eo dissensisse videantur, id sanè tantillum fuit, vt, præ grauissimis quarundam aliarum turbis prouinciarum, nihil eos aduersus eum fecisse, asseri queat: ingénsque, B ardor sese, aliosque ipsi denuò conciliandi, totum id oppresserit. Verùm quoniam ea res plus temporis poscit, & nos eam fusè posteà in Annalibus memorabimus: melius nunc erit eò lectorem remittere, ne quid hic operæ modò desideret, si tantum obiter illa perstringatur.

Qui Comitum Flandriæ, aut eorum liberorum apud Gallo-flandros sepulturam sortiti sint.

CAPVT V.

C VAM autem chari Gallo-flandris Principes sui, dum viuerent, exstitere, tam his illi morte sublatis præbuere frequenter extremæ pietatis officia. Eorum quippe non paucos funebri pompa prosecuti, suos etiam intra fines terræ mandarunt, ipsorúmque tumulos aliquot vel insignes ære, vel marmore superbos, in templis ostentant. Igitur ne quid studij huius pressum silentio, laude careat sua: visum est nunc mihi rationi consentaneum, quos Principum suorum hæc regio tumulis ornatos continet, eos è veteribus monumentis depromere.

FLANDRIÆ PRINCIPES, AVT COMITES APVD GALLO-FLANDROS SEPVLTI.

Ac primùm quidem si libeat memoriam ad Lidericum Buccensem conuertere, tametsi certum sit eum Ariaci sepulturam adeptum, vt Petrus docet Oudegherstius, & saxi sepulchralis reliquiæ nonnulla hodiéque verba epitaphij retinentes: eius tamen parens Emergardis intra limites Gallo-flandriæ tumulum sortita est; ac fors etiam liberorum eius caput Ioseramnus istic sepulchrum accepit. Ad Emergardem D enim quod attinet, illud omninò affirmat Oudegherstius; ac simul memorat impositam ei laminam æream, cui fuerint hi versus insculpti:

In Annal. Fl?d. cap. 13.

EMERGARDIS LIDERICI PRINCIPIS MATER. IOSERAMNVS LIDERICI FILIVS.

Emergardis eram, quæ viuens vndique passa,
Mundanæ sortis exui vile iugum.
Nunc feror ad superos: nam me Deus euocat. ergo
Orbatus genitrice sua valeat Lydericus.

De Ioseramno, tantùm datur coniicere: quòd is, patre iubente, vel Tornaci, vt quidam asserunt, vel, vt malunt alij, Insulæ fuerit capite plexus.

Eorum autem, qui Flandris imperauere, primus in hoc tractu sepulchrum adeptus est Balduinus Insulensis, quem mors Insulæ viuis eripuit. Quod hîc templum Diui Petri Canonicorum erexerat, id tumulando corpori suo delegit. Eò delatum magna pompa funus est, liberis eius omnique Flandrica dignitate & nobi-

BALDVINVS INSVLENSIS FLANDRIÆ COMES INSVLÆ SEPVLTVS.

nobilitate comitantibus. Iacet in chori medio sub marmore paullùm edito, vbi sculpta militari schemate conspicitur eius effigies. Hanc epigraphen tumulus præfert, veteris testem Gallicæ linguæ. A

Chi gist tres-haus, tres-nobles, & tres-
poissant Princes Baudewins li Debon-
naires, iadis Comtes de Flandres li on-
zimes, qui fonda ceste Eglize, & tres-
passa en l'an de grasses Mil LXVII.

Et in lamina sculptum olim hoc elogium, barbariem eius ætatis redolens.

Humano generi, Parcæ, non parcitis vnquam,
Mortis ad interitum sed trahitis miserum.
Non vir, non mulier, non vllus denique sexus
Vestris è manibus liber abire potest. B
Vos nostrum Comitem rapuistis nomine clarum,
Et genere, & vita, moribus egregium.
Nostris, quem querula, Parcæ, iam voce querelor,
Aut qualem plango vos rapuisse virum.
Nempe Pium Comitem Flandrensem Balduinum:
Insulanus & hic est vocitatus homo.
Dux fuit iste tuus, ô Flandria, septimus olim,
Barbate, ac natus, ô Balduine, tuus.
Vir fortis, prudens super omnes, atque modestus
Artibus in cunctis exstitit ipse suis.
Insulense opidum cum castris fundat, ibidem C
Ecclesiam ædificans, ô Petre Sancte, tuam.
Quam magnis etiam præbendis constabiliuit.
Hic ipsúmque d'Eenbam cœnobium statuit.
Huius Adela fuit coniux. ea nobilis olim
Roberti regis filia Francigenûm.
Quæ Balduinum Montensem Frisonémque Robertum
Posteà Flandrenses huic peperit Comites.
Mathildem quoque, quam Dux Normannus Guilelmus,
Réxque Anglus cepit coniugio sociam.
Hic demum noster Balduinus Francigenarum
Regis director tempora multa fuit D
Philippi, sua quem vetuit regnare iuuentus.
Hic pater ergò tibi, Francia, fidus erat.
Postquam terdenos, & tres egressus hic annos,
Extulerat patriam qui probitate suam.
Circa annos Domini mil, sexagintáque septem,
Corpus deseruit spiritus egrediens.
Hunc Insulana Comitem gens consepeliuit.
In Petri ipsa, quam struxerat, ecclesia.

Hactenus epitaphium Insulensis, à quo non priùs aliò progrediendum arbitror, quàm aliqua vel præmonuerim, vel discusserim. Primùm enim id statuendum est,

A haud prius hos versus compositos, quàm Robertus Frisius, exuto Flandria nepote Arnulpho Flandriæ principatum tenuit: cùm expresè Flandrensem eum Comitem nuncupent. Deinde aliqua sese hîc difficultas ingerit obiter soluenda. Nam epigraphe tumuli vndecimum Flandriæ Comitem Balduinum nominat, contrà septimum ipsi versus: quæ duo non leuiter sibi aduersari videntur. Verùm ea si quis diligenter expendat, quæ suprà de Comitibus Flandriæ memoraui, ab veritate nihil vtrumque discrepare sentiet. Quippe dum septimus Comes dicitur Balduinus, ad Ferreum modò is numerus extenditur: quem anteà ostendimus è quorumdam opinione ita Comitem factum, vti Flandriam hereditario iure ad posteros vnà cùm titulo Comitatus, vel Marchionatus transmitteret. Hac igitur ratione Insulensem poëta septimum ducem, hoc est, Comitem vocat, quòd septimus hereditatem Flandrici Comitatus adiuerit, cúmque septimus titulum induerit. Alter numerus, quo idem vocatur vndecimus Comes, ad Estoredum Liderici Harlebecani patrem recurrit, quem produnt Annales, Burchardo patre viuis erepto, post longas barbarorum infestationes resumpta Flandriæ cura, quasi nouum Principem emicuisse. Ab hoc enim numerando Balduinus Insulensis inter Flandriæ Principes vndecimum obtinet locum: id quod indicat epigraphe ita Comitis nomen vsurpans, vt non modò Comites, verùm etiam Saltuarios complectatur. Quos vero annos Balduini hoc carmen enumerat,

Postquam ter denos & tres egressus hic annos,

non satis animaduerto ipsi conuenire. Si enim ad tempus hi referantur, quo princeps à patris obitu Flandriam moderatus est: haud ipsi quadrent omninò, cùm anno Domini 1036. principatum iniuerit, eundem anno 1067. per mortem amiserit. Sin autem de totius vitæ tempore sermo instituatur, longè magis ab eo hic numerus discrepabit: cùm iam anno Christi 1027. aut circiter aduersus patrem infestis armis consurrexerit: quemadmodum ab Meiero fuit annotatum, & nos latiùs enarramus quarto Annalium libro.

C Ad extremum possit aliquis arbitrari, eum, qui scripsit hoc epitaphium, non leuiter scribendo peccasse, cùm retulit Balduinum Einhamensem Abbatiam condidisse. Etenim Baldericus in Chronico Cameracensi litteris mandauit, Comitem Godefridum intra Castrum Einhamense monasterium struxisse, cui nomen B. Virginis attributum fuerit. Verùm ea, quę continet epitaphium, ab veritate nullatenus discedere, certissimum habeo. Diuersa sunt enim ea quæ ab vtroque memorantur: quoniam Baldericus de templo sæcularium, vt vocant, Canonicorum loquitur, quod paullò pòst fuit in plana deiectum: ex aduerso, epitaphium de cœnobio Benedictini Ordinis sermonem instituit, quod hodiéque consistit. Vt pleniùs hæc agnoscas, en quæ Baldericus Chronico inseruit. *Est etiam locus super Scaldum flumium, vbi modernis temporibus honorabilis vir Comes Godefridus, & vxor eius Mathildis, matrona videlicet memorabilis (erat enim suum prædium, suis vsibus opportunum) castro quidem munito, nauigium, mercatum, telonium, ceteráque negotia statuerunt. Infra castrum verò monasterium in honore S. Mariæ, deputatis Canonicis, fundauerunt.* Quî verò hæc ædes vnà cum castro fuerit excisa, Lipsianum Chronici Sigeberti exemplar his verbis edocet: *Anno* CIↃ. XXXIII. *in diebus Ragineri Longicolli traditum est fraudulenter castrum, quod dicitur Eiham, & datum est Baldeuuino Barbato, qui castrum funditus destruxit.* Vbi posteà de cœnobio ab Insulensi exstructo ista subiiciuntur: *Anno* CIↃ. LXIII. *cœnobium Einhamense à Baldeuuino Comite & Athela Comitissa constructum est.* Quibus ea conueniunt, quæ Iacobus Meierus memoriæ tradidit hunc in modum: *Comperio annotatum ab cœnobitis Einhamensibus, Castrum Einhamum hoc anno à Barbato funditus fuisse euersum.* Et deinde: *Eodem anno cōstructum est ab Balduino monasterium Einhamense, illique attributum castellum Einham.* Sed his omissis, tempus est, vt alios Gallo-flandriæ tumulos lustremus.

Lib. 2. c. 45. — Lib. 2. an. 1034. — Lib. 2. an. 1063.

FERRANDVS FLAND. COMES IN MARQVETTENSI ABBAT.

Trium Flandrię Principum sepulchra ostentat Marquettensis Parthenonis ędes intra paucos annos, iunctis propè funeribus, morte sublatorum. Qui primus ibi terræ mandatus sit, Ferrandum Lusitaniæ regis filium, priorem Ioannæ Principis

Flandriæ maritum, fuisse comperio. In Gallia Nouiomi animam egerat, acutissimis calculi doloribus vehemẽter infestantibus. ac ne tanti Principis ea ciuitas memoria careret, cum visceribus cor illic relictum fuit, & in diuæ Virginis templo sepultura donatum. At in Flandriam corpus relatum est eo loco tumulandum, quem Ioanna legisset. Postquam ergo templum Marquettensis Abbatiæ sepeliendis corporibus humanis idoneum fuit, Ferrandum illic Ioanna terræ tradidit, eíque mausoleum è nigro & candicanti marmore superstruxit: vbi sculptus ipse, & prominens, in marmorea tabula conspicitur, quæ tumulum tegit. Id sepulchrum ferè medium Odæi virginum obtinet, nullis characteribus vel nomen, vel gesta exprimentibus. In æde Nouiomensi hoc appositum cernitur epitaphium, quo vterque sepulturæ locus comprehenditur. A

Fernandi proauos Hispania, Flandria corpus,
Cor cum visceribus continet iste locus.

IOANNA FLAND. COMITUM MARQUETTENSI PARTHENONE.

Ferrandi sepulchro proximus aram versùs assurgit Ioannæ coniugis eius tumulus, marmore quoque polito conspicuus. Supernè magna iacet eius effigies aptè protuberans. Latera inferiùs minusculis statuis ambiuntur, quarum pleræque ferro corruptæ Britonum furoris monumentum præferunt. Et quondam hi versus inscripti fuere, quos adeò erasos, vt legi nequeant, posita iuxtim tabula sic repræsentat: B

Est sita Flandrensis Princeps & Hannoniensis
In tumulo tali. vita nituit speciali,
Sicut Susanna. celebs fuit ista monalis.
Nobilitas talis: proles fuit Imperialis:
Iusta, potens, fortis, clemens, ac horrida mortis.
Angelicis mixta sit turbis hæc Comitissa.

Quo tempore Ioanna vitam exuerit accepta veste monastica, hunc in modum signatur inferiùs, quamuis obscurè, & non citra mendum. C

M. II. C. *iuncta bis, & X. quater, bis sibi bina,*
Obijt quinta Decembris.

Crediderim post numerum millesimum iota vnum detrahẽdum, vt millenarius numerus vnicus constituatur, duplex centesimus, quater decimus, & bis secundarius, vt is tandem numerus conficiatur, quem sequentes duo versus illic adscripti hunc in modum comprehendunt:

Anno milleno migrauit cum quadrageno
Quarto, & bis centum, quintina luce Decembris:

Et repræsentat Iacobus Meierus octauo Annalium libro.

GUILELMUS DAMPETRÆUS FLAND. COMES DESIGNATUS, IBIDEM.

Tertium illic obtinuit tumulum Guilelmus Dampetræus, Margaretæ Flandrorum Principis filius natu maximus, & Ioannæ, de qua nunc egimus, nepós. In sacello diui Ioannis Euangelistæ hic visitur nigro constans marmore, ac pedes aliquot sublimis. Eum insignis tabula tegit, vbi duplex cum eleganti capitello iacens effigies protuberat; vnaque Guilelmum, eius coniugem altera indicat. Infernè per ambitum conspiciuntur erectæ quidem, at mutilæ capitibus sanctissimæ Trinitatis, & Apostolorum statuæ, alterum Britannici furoris argumentum. Quod in limbo scriptum erat epitaphium, id modò legi nequit, omnibus ferè characteribus erasis. At in fornicibus capitellorum hæc verba conspiciuntur veteri manu depicta: D

Cy gist Willame de Dompierre Conte de
Flandre. Dieu ait l'ame.

Cy gist Dame Beatrix, Dame de Coultree, femme à ce noble Conte. Dieu ait mercis de s'ame.

Verùm hoc sepulchrum non paruam equidem mihi ciet difficultatem: de qua

priusquam

A priusquam dicere aggrediar, pauca præmittam, oportet. Guilelmum igitur, quo de agimus, ab matre Comitem Flandriæ designatum fuisse reperio, postquam Summus Pontifex & Francorum rex Ludouicus huic in Flandriam succedendi ius adiudicassent, Aucsniis, quos ex priore marito Margareta susceperat, Hannoniæ tantùm heredibus declaratis. Nondum tamen traditas ei Principatus habenas dum vita defungeretur, tametsi pater mortem oppetiuisset, eius matre cuncta sapienter moderante. Beatricem Henrici Brabantiæ Ducis filiam Lantgrauij Thuringiæ viduam, in nuptias ei locatam. Ipsum posteà ingentibus Belgarum copiis fultum, in Ægyptum ad Ludouicum regem Francorum iter mari fecisse. illic cum hoc rege viuum in manus venisse hostium: ac non multò pòst vinculis exemptum, & in patriam ex ea regione reducem, vita priuatum fuisse. Placet Oudegherstio Annales Flandriæ scribenti, ex vulnere, quod in Ægypto accepisset, in Flandria demortuum: aliis consumptum in Sicilia pestilitate. Quod ab Iacobo Meiero, & Marchantio traditur, esse verius id opinor: sanum videlicet Guilelmum in Flandriam ab Ægypto reuersum,
B ad ludos equestres in Hannoniam iuisse Traisignias. Illic inter decursus equo deiectum, & calcibus equinis obtritum. Aucsnios fratres hoc fati genus ei parauisse, cùm millesimus ducentesimus, & quinquagesimus primus Christi annus procurreret. Verùm fueritne Guilelmus cum vxore Marquettæ sepulturam adeptus, id grauem scilicet mouet quæstionem. Eum Principem hîc sepultum, Iacobus Meierus quondam asseruit: modò negat, & Meierum mendi arguit Baptista Grammayus. Controuersiæ causam id præbet, quod editum ex marmore sepulchrum Flinis conspicitur in D. Andreæ sacello. Hoc enim aliqua perhibent, eum, de quo agimus, Guilelmum tegere. Primùm siquidem Balduini Cæsaris Byzantini, ac filiarum eius Ioannæ & Margaretæ sculptas imagines exhibet: dein trium effigies virorum, qui tres Margaretæ filij censentur. Et quoniam epitaphij verba temporis diuturnitas obliterauit, in muro iuxtim hæc leguntur:

Iac. Meier. l. 9.
Iac Meier. l. 9. Oudegh c 114. Mss. Abbat. Groninghana.
Cap. 114.
Lib. 9. Annal. Lib 4. Fland. Mss. Marquett.
Lib. 9. Annal.
In Orbiaco.

C *Cy gist noble & illustre Prince Guilame*
de Dompierre, frere de Guy Conte de
Flandre, qui trespassa l'an 1251.

De Beatrice Guilelmi coniuge non minor nascitur controuersia. Petrus enim Oudegherstius in Groninghano iuxta Cortracum cœnobio conditam scribit. Apud se iacere arguunt Marquettenses. Cur opinetur Oudegherstius apud Groninghanas virgines sepultam, hæc prorsus facere arbitror: quòd ea cœnobium illud extruxerit; eò Marckanas moniales traduxerit; illic vt plurimùm, defuncto Guilelmo, egerit vitam ac quietem ceperit. Contrà, Marquettensibus patrocinatur vetus inscriptio sepulchri, de quo disceptamus, quæ litteris admodum antiquis exarata, cum marito Beatricem eodem claudi tumulo asserit.

BEATRIX GVILELMI DAMPETRI CONIVX AN IBIDEM. Cap. 114. Annal.

Vt tandem, quod sentio, perscribam: id mihi verius videtur: cum vxore Guilelmum, de quo disceptamus, hîc iacere; Flinis cognominem huius patrem esse tumulatum, vti quondam scripsit Iacobus Meierus. Etenim appicta muro epigraphe,
D quam priùs retulimus, non paruam mihi mouet suspicionem ipsa litterarum ac scriptionis nouitate, & modo loquendi magis compto, quàm ea ferret ætas. Quòd verò Grammayus obiicit, nondum sepulchris opportunum fuisse templum Flinense, cum fatis Guilelmus pater concessit (fluebat enim annus Domini primus & quadragesimus supra millesimum & ducentesimum) haud magni momenti duxerim, cùm potuerit tantisper eius corpus alibi condi, vel seruari, donec idoneus Flinis locus id reciperet. Deinde tres illæ infrà positæ ad tumulum statuæ virorum, haud dubiè tres filios ibi conditi Principis repræsentant: aliàs enim minùs rectè collocarentur, si Guilelmum Margaretæ filium lapis ille tegeret: quoniam satis fuisset duos alios fratres adiungere, si Margaretæ filius natu maximus illic esset conditus.

At enim haud minùs Flinense, quàm Marquettense, monasterium aliquot suorum sepulchris Principum gloriatur. In primis ibi terræ mandata est Ioannæ soror

MARGARETA FLAND. COMITISSA FLINIS IACET.

Marga-

Margareta Flandriæ Comes, cuius opibus id cœnobium fuit conditum. Eius tumulus in chori medio è marmore nigro ac polito conspicitur. Varia in eo sculpta effigies. Medium obtinet protuberans Margaretæ figura, insignibus tum Flandricis tum Hannoniensibus aspersâ veste. Quod fuerat adiectum epitaphium, id temporis diuturnitas sic absumpsit, vt ne quidem Margaretæ nomen hodie perlegi possit. A

GVIDO FLAND. COMES IBIDEM SEPVLTVS.

Ad latus sinistrum Odei, seu chori, sub fornice iacet Guido Margaretæ filius, & Flandriæ Comes. Superposita ipsi tabula marmorea sculptam & prominentem eius imaginem ostentat in sago militari. subtus, aliquot visuntur statuæ. suprà, in muro hæc epigraphe, manu recenti.

Cy gist tres-illustre, & noble Prince Guy
Conte de Flandre, & fondateur de ceans.
qui tresspassa l'an M. III^c. *& quatre.*

In qua quidem inscriptione id prorsus animaduertendum; non eò dici fundatorem Flinensis monasterij, quasi condiderit, dotarítque censibus; verùm ideò tantùm, quod ius traxerit eius appellationis ab matre tanti operis parente. B

MATHILDIS VXOR GVIDONIS IBIDEM.

In secundo sacellorum chori partem ambientium Mathildis, prior iam nominati Guidonis vxor tumulum habet. Iacet suprà in marmore sculpta eius effigies, veste præferens insignia tum Flandrica, tum Bethuniensia. Circùm variæ protuberant imagines. Quòd vetus inscriptio sit deleta, hæc in muro leguntur haud pridem apposita:

Cy gist noble & vertueuse Dame Madame
Mehault, Contesse de Flandre, Dame de Bethune
& de Tenremonde, femme à tres-illustre Prince Guy Conte de Flandre,
fondateur de ceans, laquelle mourut
l'an M. CC. LXIIII. C

BLANCHA ROBERTI BETHVNÆI VXOR, IBIDEM.

In primo ibidem sacello, structum è marmore sepulchrum visitur, ita sculptam ostentans mulieris effigiem, vt vestem eius Flandrica, Sicula, & Francica distinguant symbola. Hanc epigraphen id præfert:

Cy gist Madame Blanche, qui fut Femme Monsieur Robert filz de Conte Guyon
de Flandre, & fille de Roy Charles de
Sicile, & tresspassa l'an M. CC. LX.

Ad eum tumulum etiam hi versus antiqui leguntur.

Hæc, quam, petra, tegis, Siculorum filia Regis,
Armis experti Flandrensis sponsa Roberti.

GVILELMVS DAMPETRÆVS COMES FLAND. IBIDEM.

Quod in quarto cernitur sacello sepulchrum, id omnino mihi persuadeo Guilelmum Flandriæ Comitem, & secundum Margaretæ maritum tegere, vt olim scripsit Iacobus Meierus. Nam quod antè memoraui, non parum ea mihi suspicitur erroris, quam murus inscriptionem ostendit manu recenti, & loquendi modo minùs iis temporibus congruo, vt manifestat modò productum Blanchæ monumentum. Et quod obiici potest, in sculpta effigie scutóque Flandricum leonem conspici, parum sanè efficit: quoniam satis constat, non raro vxoria sumi ab iis insignia, quibus minor est domi nobilitas. Deinde produnt Annales Flandrici, coactum ab Flandris Ferrandum insignia Comitum Flandriæ capessere, cùm propter nuptias cum Ioanna Margaretæ sorore contractas, Flandriæ Comitatum adiret. Quod igitur huic longè nobiliori éque regio sanguine exorto necessitas iniecit, haud dubiè Guilelmus id magis subire debuit, cui regium genus minimè patrocinabatur. Quæ faciunt eodem, paullò antè protuli, cùm de filio dicerem Marquettæ sepulto. D

EPISCOPI DVO IBIDEM.

Quæ verò in choro sacerdotum insignis tumba spectatur, ea duorum è Comitum

Flandriæ

A Flandriæ familia, pontificum est, quorum vnus fuit Ioannes, Guidonis Comitis filius, ac Leodiensis Episcopus; alter Guilelmus Cameracensis antistes: vt antè multis probauimus, cùm de Flinensi templo ageretur. Lib. 1. c. 14.

Ludouici Maleani tumulus Insulam nos reuocat. Is in templo D. Petri cernitur ipsa mole maximus, opere & materia nobilissimus. Nigrum marmor, & æris præstantis copia materiam præbent. Effigies quamplurimæ, tum magnæ, tum paruæ, nobilis artificis manu fusæ, stuporem elegantia sua videntibus iniiciunt. Philippus cognomento Bonus Burgundiæ Dux, & Comes Flandriæ, multis post obitum Ludouici annis, pius in maiores id mausoleum erexit. Non solus eo Ludouicus tegitur. Dux altrinsecus fœminæ, ad dexteram vxor eius Margareta, ad sinistram filia eiusdem nominis, iacent. Pro tribus iis hoc epitaphium adiectum est.

LVDOVICVS MALEANVS FLAND. COMES, EIVSQVE CONIVX ET FILIA INSVLÆ.

Cy gisent haults & puissans Prince & Princesses, Louis Conte de Flandre, Duc de Brabant, Conte d'Artois, & Bourgoigne, Palatin, Seigneur de Salins, B *Conte de Neuers, & de Rethel, & Seigneur de Malines: Margerite fille de Iean Duc de Brabant, son espeuse; & Margerite de Flandre leur fille, espeuse de hault & puissant Prince Philippe filz du Roy de France, Duc de Bourgoigne: lesquels trespasserent, ascauoir ledict Conte Louis le 9. de Ianuier l'an 1383. ladicte Margerite de Brabant l'an 1368. & Margerite leur fille le 16. iour de Mars l'an 1414.*

Priez Dieu pour leurs ames.

Cùm de Ludouici funere Meierus scribit, multa paucis hunc in modum verbis memorat: *Sepultus est Insulæ ad S. Petri, magnifico mausoleo, & amplissimis exequijs. Funus* C *vxoris eius Margaretæ longè antè defunctæ, ex Regisleto deportatum Insulam, & eodem die iuxta eum conditum. Archiepiscopus Remensis exequias celebrauit. Adfuere Episcopi Parisiensis, Tornacensis, Cameracensis, Atrebatensis, & Abbates quinque. Ardebant septingentæ candelæ singulæ libræ vnius. Intersignia militaria Flandricum in medio, à dextris Atrebatesium, à sinistris Bononicum, Niuernense & Regisletense. Omnis nobilitas Flandrica & Atrebatesia, multáque Gallica, pullata adfuit.* Quæ Iacobus Meierus ita breuiter complectitur, latissimè fuerat prosecutus Ioannes Froissartus, quem legisse, non paruum fuerit operæ pretium. To. 2. c. 148.

De Gallo-flandriæ Gubernatoribus, eorum potestate, tribunalibus, vicarijs.

D

CAPVT VI.

NVLLVM ab eo, qui Belgis imperat, toti Flandriæ caput imponi solet, cuius nutu per eam prouinciam regantur omnia: etsi modò subiectarum eidem Principi regionum aliarum exempla prouocent. Id scilicet cum Brabantia pulchrum autumant Flandri, ab nullo, quam suo, flecti regique Principe. Quod enim de Præside quondam ab Philippo rege Franciæ in Flandriam misso, déque Comite Egmondano Lamorallio, & quibusdam similibus Flandriæ gubernationi adhibitis, referunt historiæ: id equidem prorsus temporaneum fuit, neque in aliquam abiit consuetudinem; cum illud Franco persuasisset violenta Flandriæ inuasio & possessio; hoc Hispaniæ regi & aliis Principibus, propter absentiam metus. Habent nihilo-

nihilominus quædam Flandrorum oppida, & arces vsu iam longo impositos sibi à A
Comite suo Gubernatores, vbi maior ingruit hostium pauor, & militum præsidia
collocata sunt. Ad Oceanum quæ porriguntur, oppida & portus eos præsertim pa-
tiuntur: in quibus, Grauelinga, Burburgus, Dunkerca, Nieuportus, Oostenda,
Hulstum; dein Gandauo imminens castrum, Arx Mottana, seu Nieppiensis, &
pleraque sparsim castella. Neque verò Tripolis Gallo-flandrorum aliquem recusat
Præfectum, tracto iam olim à Franciæ Regibus instituto: quamquam sit ab hostibus
periculi secura. Qui primus Franciæ Regum adhibuit ipsi Gubernatorem, Philip-

QVANDO COEPERIT HABERE GVBERNATORES GALLO-FLANDRIA.

pus is fuit Pulchri cognomento celebris, & Flandris semper admodum infestus.
Cùm enim Flandriæ Comes Guido captiuus ab eo detineretur; dein postquam hu-
ius filius Principis Robertus Bethuniensis vel initio Principatus dictas ab eo pacis
conditiones anno 1305. subire coactus iuramento Gallo-flandriam ei oppigneraisset;
vel posteà Enguerranni Marignij artibus in fraudem coniectus, sponte subdidisset,
spe certa mox recipiendi, velut facturum se Marignius spoponderat: suam protinus
Rex eam fecit, & qui suo nomine regeret, ibique ius diceret populo, aliquem misit. B
Quamdiu Reges Franciæ ditionem hanc tenuere, ad multos sub iis annos Franci
proceres, aliíue partibus eorum adhærentes, gubernarunt. Per nuptias posteà
Margaretæ Ludouici Maleani filiæ cum Philippo primo è Valesiana domo Bur-
gundiæ Duce, Regísque Francorum filio, recepta de Francis Gallo-flandria, man-
sit nihilominus introducta moderandi ratio, & aliquis semper est Præfectus Gallo-
flandris additus. Ad hoc munus delecti ferè nulli, quàm magno viri loco nati, quos

SYLLABVS GVBERNATORVM GALLO-FLANDRIÆ.

vel virtus bellica, vel insignis prudentia idoneos regendis mortalibus faceret. Ea
res vti meliùs perspiciatur, placet hoc loco seriem eorum contexere, quorum nomi-
na, genus, dignitatem, adipisci potui, præbentibus partim excusis Annalibus, partim
exaratis manu monumentis, & quorumdam Insulensium Collectaneis. De primis
vel eruendis, vel in ordinem redigendis, multùm equidem post alios laboraui: neque
satis scio, sitne omnes assecutus, aut in verùm ordinem eos redegerim. Posterio-
res facilè vel libri, vel inscriptiones variæ suppeditarunt. Si minùs de his, aliquid, C
quàm desiderabam, proposuero, velim ab Lectore beneuolo mihi condonatum:
quandoquidem ne ipsi quidem Insulenses ac Duacenses vel omnes collegerint, vel
ordini suo reddiderint; quantum me ipsorum Indices docuere.

ADAM DE CARDONEIO.

Quem igitur primum deprehendo Insulensibus ac ceteris Gallo-flandris datum
Gubernatorem, is Adam de Cardoneio est vocatus. De ipso Franciæ Rex Philip-
pus hunc in modum scripsit ad Insulenses anno 1296. Iunij sexto decimo die: *Man-
damus vobis, & præcipimus, quatenus dilecto militi nostro Adæ de Cardoneio, quem Gar-
diatorem, & Gubernatorem vestrum pro nobis deputamus, & facimus, in prouidendo vobis
de Bailliuo, & seruientibus idoneis; de alijs etiam ad statum villæ Insulensis, & fortalitiorũ
ipsius spectantibus, quoquo modo pareatis, & efficaciter intẽdatis.* Quãtum ex Annalibus
tum Francicis, tum Flandricis colligo, hic datus fuerit Gallo-flandriæ Gubernator,
cùm Guido Flandriæ Comes ab Rege Frãciæ, ob promissam Anglo filiam, in custo-
dia detineretur. Ideóque per modicum tempus clauum hic publicę rei tenuisse arbi-
tror; quoniam Guido Comes è Francia dimissus, statim post Epiphaniæ proximæ fe- D
stum Philippo Regi bellum indixit, validúmque Insulæ & Duaci præsidium aduer-
sus Francos imposuit, vt Meierus, aliíque Belgici, & Gallici auctores memorant.

ÆGIDIVS HAKINS.

Cùm posteà flueret annus salutis millesimus & trecentesimus septimus, alium
Gallo-flandris attributum Gubernatorem asserunt monumenta quædam Vedastini
apud Atrebates cœnobij, cúmque Ægidium Hakins nominant, quem grauiter in
Allodiam D. Vedasti monasterio subditam, grassatum diuina vltio ingentibus cor-
poris cruciatibus repentè perculerit, fœdáque hauserit morte. Rem hìc totam, vt
ab eodem asceterio mihi subministrata est, subiicio. *Anno Domini millesimo trecen-
tesimo septimo Ægidius dictus Hakins, gubernator Castellaniæ Insulensis, multa damna
intulit, & multas molestias fieri procurauit subditis Ecclesiæ B. Vedasti, qui in Castellania
Insulensi, in territorio, quod Allodia S. Vedasti dicitur, morabantur. Nam eos compelle-
re nitebatur, vt essent suæ iurisdictioni subditi, contra tenorem priuilegiorum eidem*

A *Ecclesiæ concessorum à tanto tempore, quo de opposito memoria non existit: in quibus continetur expressè, quòd subditi Ecclesiæ B. Vedasti in certis casibus debent ad Bailliuum ..... Ambianensis, qui fuerit pro tempore, habere recursum: & cùm fuerunt eidem ostensæ litteræ regiæ, quæ de prædictis expressam faciunt mentionem. Sed omnibus præmissis non obstantibus, ipse in superbia eleuatus, fultus caterua satellitum, qui erant in malitia sibi pares, de Insula per Duacum venire Atrebatum disponebat cum intentione deliberata inferendi grauamina Ecclesiæ supradictæ, tam in casu proposito, quàm in aliis quibuscumque. Et cùm esset in via inter Atrebatum & Duacum, velut alter Saulus, furiis inuectus, vt Christi & Beati Vedasti,* † *versus villam, quæ Gauerelle dicitur, subitò de equo cecidit, & fuit cæcitate percussus: ita vt nullis sensibus corporis vteretur. Tunc deportauerunt eum aliqui de comitiua sua extra territorium supradictum. Et cùm esset in territorio de Fampous, transacto aliquo temporis interuallo, rediit ad sensum, & petiit ab illis, qui sibi astabant, vbi erat. Quo cognito, ipse reatum suum aliqualiter recognoscens, aliqua verba protulit, quæ consimilem sententiam continebant illis verbis, quæ dicta fuisse ab Antiocho recitantur II. Machab. IX. cap. Iustum est, subditum esse Deo. Et cùm posteà intraret in territorium de Haties, & de Haruaing, quod est de iurisdictione Beati Vedasti, iterum de equo cecidit, &, cælesti eum iudicio perurgente, pristina eum debilitas corporis apprehendit, & in ipsa domo monasterii B. Vedasti, quæ Haruaing dicitur, dies suos obitu miserabili consummauit. Vnde ex præmissis manifestè apparet, quòd facinus illius dilationem non habuit vltionis. Eo igitur sublato de medio, subditi B. Vedasti in prædicto loco Allodiæ commorantes à tempore illo, & deinceps vsque in præsentem diem absque calumnia in suis libertatibus remanserunt.* Igitur, si vera sit hæc narratio, vt summum tertio tantùm anno vix expleto gubernationis, Ægidius mortem oppetiuerit: quòd certissimum habeatur, Insulam anno 1304. per pacis conditiones in Philippi Franciæ Regis potestatem venisse. Ifne filium sibi cognominem reliquerit, nondum habeo testatum: saltem litteras in Laudensi monasterio vidi, quas anno 1320. scripsit Ægidius Haquins Parisiensis Custos Præpositura.

† deest hic aliquid.

C Quis proximè in Gallo-flandriæ Præfectura successerit Ægidio, non est mihi facile arbitrari. Inter eos, qui posteà secuti sunt, antiquissimum fermè video Petrum du Breuc à nonnullis Insulensibus nominari; vt qui anno post millesimum & trecentesimum decimotertio magistratum iniuerit. Verùm si mors Ægidium septimo post trecentesimum anno sustulit è viuis, haud dubiè inter eum, & Petrum aliquis hanc fuerit ditionem moderatus. PETRVS DV BREVC.

Qui post Petrum, nullo interiecto, gubernauerit hanc regionem, alium è monumentis veteribus, aut Insulensibus catalogis, reperi neminem, quàm Renardum de Choisnel equestri nobilem dignitate. Quamquam aliqua suspicio mihi suboritur, quempiam alium hos inter præfectum fuisse Gallo flandris; quòd inter vtriusque inaugurationem nimis multum temporis intercesserit. Anno quippe septimo & vigesimo supra trecentesimum & millesimum regioni Gallo-flandricæ præpositum fuisse Renardum, eóque florentem officio Philippi Regis nomine sacramentum Insulę & Duaci apparatu publico dixisse, ex Insulensibus & Duacensibus monumentis comperio. RENARDVS DE CHOISNEL.

D Hunc posteà secutus videtur Ferricus Denisius equestri ornatus dignitate, quem etiam Tornacenses Gubernatorem habuere: dein Godemarus ille Faius, qui Tornacensibus quoque præfuit, & militaria quædam facinora edidit, quorum mentionem Annales Flandriæ faciunt. Hic enim anno 1338. ille verò 1337. cùm publicas Insulæ litteras conscriberent, supremos se Bailliuos Insulenses, & Duacenses nominarunt, quo titulo interdum Gallo-flandriæ Gubernatorem insignitum video. FERRICVS DENISIVS. GODEMARVS FAIVS.

His quidam Insulenses Petrum de la Palu è veteribus monumentis ad 1340. Christi annum eruentes subiiciunt. PETRVS DE LA PALV.

Anno proximè secuto gubernasse Eustachium de Ribemont, vel Ribermont, aut de Ribaudimonte, virum militia clarum, & equestri donatum balteo, Insulenses produnt antiquitates, eúmque nono pòst anno Ioannis Francorum Regis nomine fidem obligasse ciuibus Insulanis asserunt. Huius præclara quædam EVSTACHIVS DE RIBEMONT, VEL RIBERMONT. Ioan. Froiss. Iac. Meier. to. 1.

A

facinora nostrates referunt Annales. Apud Ioannem Froissartum exstat insigne prorsus de ipsius militari fortitudine profectum Caleti ab Rege Anglorum Eduardo testimonium, postquàm ad eam vrbem intercipiendam cum aliis profectus, inter pugnandum eidem Regi fortissimè obstitit. Dato quippe Caleti captiuis omnibus epulo, & virtutem eius ita laudauit Eduardus, vt nullum illi parem viribus nactum se in pugna prædicauerit; eúmque fulgenti margaritis & vnionibus serto donauerit. Verùm in Pictauiensi prælio mortem sibi aliísque compluribus imprudenter properauit, cùm malo vsus instituto, fractis hastis lanceisúe, & paucis tantùm septus equitibus, quasi per ludibrium hostem aggressus est. Illic etenim cum plurimis maximi generis hominibus mortem oppetiit, ansamque præbuit Anglis Gallorum Regem viuum, aliósque Principes in vincula coniiciendi, vt latè describunt Froissartus & Valsinga. Ex quibus hæc breuiter Papirius Massonus: *Eustachij Ribomontis consilio multum mouebatur. Is suasit remotis, decurtatísque hastis, hostes inuadendos, vt minori periculo in eorum castra penetraretur. Deligendos equites grauis armaturæ non amplius trecentos, qui aditum ad Anglos ferro quærerent. Id consilium funestum Francis fuit.* Huius pugnandi rationis cum mentionem facit Paulus Æmylius, de auctore Ribemontio tacet. Scribit tamen posteà: *Trecenti magistro alæ Eustathio Ribomontano, & suopte ingenio feroces, & testimonio Ducum, & mutua æmulatione, & pollicitatione regis sublatis animis, ante signa procedunt.* ac deinde narrat, quo modo vna cum Eustachio miserandum in modum fermè omnes hostium iaculis confixi perierint. Huius viri corpus intra templum S. Petri Insulæ tumulo mandatum, mihi persuadet id, quod illic epitaphium ad dexterum chori latus subter effigie viri militaris B. Virgini Mariæ supplicantis descriptum cernitur: quandoquidem ei nomen, cognomentum, pugna, cædis locus, aptissimè conueniunt. Hoc autem sic habet, vt ante annos quinquaginta (nunc enim renouata scriptio est) legebatur.

Chronic. Fland. cap. 91. Froiss. to. 1. Robert. Gaguin. Paul. Æmyl. Massonus, Meierus.

Lib. 4. Annal. Franc.

B

A la bataille de Poictiers,
Entre plusieurs bon cheualiers
Demoura (dont ce fut dommage)
Celuy cy par son Vassellage.
Et auoit, comme on list, adont
Nom Eustache de Ribermont.
En guerre fut prompt & habille,
Seigneur † de Poucques & de Næufuille.
Lequel quand fut ceste iournee
De chascun crainte & redoubtee,
** Monté sur vn cheual nuisant,*
Les armes de Meleun portant.
Auquel faict d'armes morut,
Par faulte d'estre secouru,
En Septembre le iour XVIe.
L'an mil III^c. XII^c.
En sainct lieu de grace
Dieu le veuille colloquer,
Pour son ame on en doit bien prier.

C

† in nonnullis literis cum toparchâ de Parpes nominati video.
* Monts.

D

Inhæret tamen non leuis animo dubitatio, veréne ad nostrum Eustachium & dies & annus hic adscripti possint referri. Etenim Robertus Gaguinus, Nicolaus Gillius, Ioannes Tilletus, Papirius Massonus, Iacobus Meierus, & alij, Pictauiense prælium, & Francorum calamitatem anno millesimo trecentesimo & quinquagesimo sexto, ac luci Septembris nonæ & decimæ assignant: à quibus sanè vehementer hoc epita-

phium

A phium discrepat, quoniam Septembris sextum & decimum diem, annúmque 1312. proponit. Sed enim cõtrà, nusquam obseruatur eo tempore, quod in hac tumuli epigraphe præscribitur, in Pictauiensi agro aduersus Anglos, aliosúe hostes, ab Francis pugnatum esse: vt meritò liceat opinari, non leue mendum circa diem annúmque in hanc sepulchralem inscriptionem, quæ iam aliquoties fuit renouata, irrepsisse pictorum vitio. Vtrúmne autem Gallo-flandriæ præfecturam ad postremum vitæ diem Eustachius produxerit, incertum quibusdam videtur. Etenim credi possit, Iacobum Meierum anno Christi 1347. Insulensem facere Gubernatorem Carolum Montemorencyum, dum hęc scribit in tertio ac decimo Annalium libro: *Cotra hos veniunt Ioannes Luceburgensis Castellanus Insulensis, & Carolus à Montemorency præfectus ibidem, cum regij præsidij quadringentis equitibus, ac peditibus circiter quingentis.* Verùm ex monumentis Insulensibus id tantùm deprehenditur, Carolum Insulensi Pręfectum arci fuisse.

Eustachio igitur crediderim datum successorem Balduinum de Lens toparcham d'Annekin, cuius etiam modò epitaphium effigiémque exhibet S. Petri templum Insulæ. Gallo-flandriæ curam adeptus, fidem Duacensibus obstrinxit anno 1357. quemadmodum ex monumentis vrbis eius colligo. Claruit multa virtute militari, equestríque donatus ordine, duxit in bellum Arcubalistarios Franciæ, vt præter epitaphium habet Ioannes Tilletus, cùm docet apud Francos id officium magni nominis & momenti fuisse; eóque pollentem, solitum vocari Arcubalistariorum Magistrum, cui posteà successerit peditum Chiliarcha, quem hodie Colonellum dicimus. Vitam perdidit anno millesimo trecentesimo & sexagesimo quarto, dum fortiter ad Cocheriellum dimicaret. Quod positum ipsi epitaphium repræsentat Insulensium ædes Canonicorum, his Gallicis constat versibus parum limatis, ac minimè constantibus,

BALDVINVS DE LENS, VEL D'ANNEKIN.

B

En ce dur monde transitoire
Doibt par droict estre memoire
Du vaillant homme de renom,
Lequel eut Baudouin à nom
D'Anekin, & fut cheualiers,
Et maistres des Arbalestriers;
De Lille, Douay Gouuerneurs
Des appartenances meineurs.
Par deuant Cocheriel morut,
En la bataille, que y fut
L'an de Grace mil trois cens
LXIIII. *la presens.*
Fut en la bataille en Ieudy
XVI. *iour en Iuing perdy*
Captal de Bœuf, qui y fut pris
Comme capitaine de hault pris.
Des deux partis y eut moult grand perte:
Mais à nous fut la victoire apperte.
Car tous y furent desconfits
A leur perte noz ennemis.
Or prions la vierge Royne,
Qui porta la vertu diuine;
Qu'elle vueille à son filz prier
Pour l'ame du bon cheualier.

C

D

A

Hunc videtur Iacobus Meierus Balduinum Danum nuncupare dum hæc libro Annalium tertio ac decimo ad Christi annum supra millesimum & trecentesimũ quinquagesimũ nonũ inseruit: *Odardus Rentiacus, & Enguerrannus Hisdinensis Bapalmas, Balduinus Danus magister Balistariorum Fanum Quintini, aliique alia custodiebãt oppida.*

RICHARDVS POVRCHIAVX.

Balduinum excepit Richardus Pourchiaux equestri decorus balteo. Eum Duacẽsia monumenta memorant iniuisse Duacum anno 1364. ibique fidem iurasse Maij mensis die quinto & vigesimo. Duos menses duntaxat eo fuit munere perfunctus.

OVDARDVS DE RENTY.

Lib. 13. Annal Fland. an. 1347.

Richardo subrogatus est Oudardus de Renty, quem asserunt libri Duacẽsis Senatus eodem anno fidelitatem Duaci iuratum nono & vigesimo die Iulij. Haud dubiè militarem virum fuisse, verùm euentibus variis agitatum historię testantur. De ipso hæc primùm suggerit Iacobus Meierus: *Tum Flandri Duce Odardo Rentiaco, patria à Rege Philippo pulso, Gallos acriter insequuntur. Arkas incendunt. Tria habebant millia peditum, sed equites non amplius sexaginta. Ad nouam Fossam hostem recurrẽtem operiuntur. Fortiter ibi pugnatum est. Circumcincti ab Hispano & Fiennio Flandri tandem cedere coguntur.* Et nõnullis interiectis, cum de pugna in agro Quercetano iuxta Insulã commissa memorat: *Flãdrorum Dux erat Odardus Rentiacus, vir Francus, notus, & exul. Pugnatum est vtrimque haud segniter: sed Flandri ex suis mille ducentos amiserunt.* Deinde; *Addunt autem Rentiacum à Flandris grauiter frementibus reiectum fuisse, ideò quòd non solum hic, sed & alibi eodem ductore infeliciter pugnassent. Odardus autem breui post cum Rege in gratiam rediit: putabántque nostri dolo malo ab Rege fuisse pulsum, & subornatum, vt Flandros proderet.* Anno verò sequenti, cùm de perfida proditione Caleti loquitur, hæc breuiter narrat: *Odardus Rentiacus, qui pecuniam attulit, primùm intromissus est, soluitque viginti millia aureorum, & mox cum socijs captus est.* Addit postmodũ anno 1351. *Godefridus Charniacus, Eustachius ab Rupimonte, & Odardus Rentiacus ex Anglicana captiuitate ad Fanum Audomari redeunt, iussi à Rege eum custodire limitem.* Subiũgit denique anno 1359. Bapalmis impositũ fuisse, vt aduersus Anglos eas tutaretur.

B

TRISTANVS DV BOIS.

Post bienniũ Magistratus, Oudardo successit Tristanus du Bois, vel du Bos, in equestrẽ assumptus ordinem. Erat ipse toparcha de Famechon & Roncheual itéque Tornacesij Gubernator, vt ex libris Duacẽsibus, aliisque veteribus monumentis accipio.

C

NICOLAVS DE LE CLYTE.

Huic subiungunt Fasti Duacensis Magistratus Nicolaum de le Clyte, ab Comite Flandriæ id muneris adeptum: sed non exiguo temporis errore, cùm admotum asserunt prouinciæ anno Christi 1360. partim quoniam Tristanum adhuc exhibent Gubernatorem anno 1366. partim quia non priùs Gallo-flandriam Comes Flandrorum recepit, quàm flueret annus Salutis 1369. quo tempore inter Margaretam Comitis filiam, & Philippum Burgundiæ Ducem nuptias Rex celebrauit.

IOANNES DOMINVS DE HEM.

Post Nicolaum Ioannes Hemi regulus ab Comite Flandriæ tribus Gallo-flandrorum vrbibus gubernandis adhibitus fuit anno 1370. quo Duacenses annotauere, ipsum in oppido suo fidem obligasse sacramento Martij sexto die.

GERARDVS DE RASSEGHEM.

GILLETVS DV CATEL.

Vix dubito successisse Ioanni Gerardum Rasseghemium equitem, & dynastam Basserodium. Hunc enim liber Senatus Duacensis indicat, suscepto regimine Duaci fidem obstrinxisse anno 1379. Martij die decimotertio. Nisi admittamus, Gilletum du Catel inter vtrumque gubernasse, quem liber quidam Duacensis calamo exaratus anno 1379. Gallo-flandriæ nostrę Gubernatorem nominat. Et ne putemus Ioannem de Menin (quem posteà dicam Insulensi pręfectum arci fuisse) moderandam Gallo-flandriam adeptum eodem anno, quædã faciunt. Quamuis enim Duacensia monumenta prorsus affirment, ex forma Gubernatoribus proponi solita iuratum Duaci Aprilis quinto & decimo die anno 1379. eo tamen anno ipsum duntaxat Insulensis arcis Præfectum nominant Fasti Senatus Insulensis, dum primo Nouembris inter Senatorum lectores numerant: haud dubiè Gubernatorem nuncupaturi ex more, & priuilegio, si regendæ Gallo-flandriæ fuisset admotus. Dein Gerardum etiam posteà nobis anno 1387. Gubernatorem Flandriæ Gallicæ præbet diploma quoddam Phanopinensis monasterij. Possemus tamen arbitrari, Gerardo legatione, vel aliqua expeditione alibi detento, Gallo-flandricarum vrbium curam Ioanni traditam fuisse, ideóque fidem ipsum Duacensibus iuratum.

D

Dum

A Dum millesimus trecentesimus & nonagesimus partæ salutis annus excurreret, Petrum Vanderzieppe Gallo-flandris imperasse Philippi Ducis, & Flandriæ Comitis nomine, ex libris Insulensibus colligo. Fuit is iuris Doctor, equestríque fulsit dignitate, ac Entreghem rerum potiebatur. Eum propter sapientiam ac multiplicem virtutem consiliis etiam suis admouere Ludouicus Maleanus Flandriç Comes, Philippus gener eius ac Burgundiæ Dux, Margareta huius vidua. Præfuit vnà summo Flandriæ Senatui: frequenter legendis Magistratibus Insulanis adhibitus fuit. Viuis eum mors anno post millesimum & quadringentesimum quarto eripuit. Iacet in tẽplo D. Petri Insulæ. Cùm de Curia per Philippum Ducem intra muros Insulenses constituta mentionem facit Iacobus Meierus, de ipso hæc proponit: *Eius noui Concilis primus Præses institutus à Duce Petrus cognomento Vanderziepe eques Hyprensis.*

PETRVS VANDERZIEPPE. *Epitaph. Fasti Senat. Insul.*

Hunc, vt arbitror, excepit Henricus de Mortaigne, dictus de Lespiere, Lintellij & Blatonis dominus. Equestrem adeptus honorem, Ioannis Burgundiæ Ducis cõsiliorum fuit particeps. B Posset tamen quispiam opinari, hunc inter ac Petrum Vanderzippium aliquem alium Gallo-flandris datũ Gubernatorem, cui nomen fuerit Henrico Vanderzippio, & fraterna cũ Petro intercesserit coniunctio. Etenim anno 1405. eum Iacobus Meierus Insulanæ terræ Procuratorem nominat his in verbis: *Responsum est per dominum Henricum Vanderziepe Procuratorem terræ Insulanæ, hæc omnia Ducem admittere.* Sed inhærendum Fastis Insulensibus iudico, apud quos nulla eius mentio, dũ electores Senatus numerant, in quibus iam tum cœpere censeri Gubernatores.

HENRICVS DE MORTAIGNE.

Igitur Henricum de Lespierre secutus est Ioannes Lannoyæ dynasta, vt Cameræ Rationum monumenta, & Insulenses Fasti repræsentant.

IOANNES DE LANNOY.

Huic proximus fuit Hugo Lannoyus, Santensis toparcha, & inter primos Aurei Velleris equites lectus. Laudes eius amplissimè sumus prosecuti, cum de Lannoyana familia sermonem fecimus; quas variis etiam locis Enguerrannus Monstreletus, Oliuerius Marchanus, Iacobus Meierus proponunt. Quin tamen hac in serie Gubernatorum eius proferam epitaphium, ea minimè patiuntur, quę breuiter in eo plu- C rima eius facta secundùm veritatem ipsius auctor memorat. Id autem in eo Insulensis D. Petri templi sacello, quod ipse viuens adornauit, & in quo tumulatum est eius corpus, ex ære tabula sic exhibet.

HVGO DE LANNOY. *Fasti Insul.*

Comme la vie humaine est non stable, & la duree des hommes se passe tantost, comme la fleur creüe aiourdhui, est demain fenee. Ainsi combien que a pleurs ie dis, vn noble iadis Cheualier Monsr. Hues de Lannoy, Sr. de Santes, cy mis en repos a fine ses iours plain de clarté, & ses vigoureux longs ans menés au paisage tel, que ses peres, par naturelle ennemye mort &c.

Posteà enim memoratur, quì magnum Hugo locum apud Franciæ Regem Carolum Sextum, deinde apud Ioannem eiúsque filium Philippum Burgundiæ Duces fuerit adeptus; ac denique hæc subiiciuntur: *Premierement en l'aage de vingt ans receut l'ordre de Cheualier au tressainct lieu de Ierusalem: dont au retour auec le maistre de Liflant s'en alla en Prusse, frontiere contre les Turqs: ralla auec le Duc Witoeq encontre les Tartares: fit cognoistre & releuer son nom en plusieurs haults & valeureux faits par tout, plus que homme de sa nation. En son retour en France trouua guerres & diuisions entre les Prin-* D *ces; s'exposa diligemment en tous perils auec le Duc Iean son prince, & son party. conquesta auec le Seigneur Helly toute la Conté de Poictou; fut capitaine de Poictiers, & maistre des eaux & des fortresses; & par certain traicté la rendist en la main du Roy, & leresist capitaine de Montargis, redemeurant aussi capitaine de Opicque; & assiegé dedans, en tira son honneur saulf. fut grand Maistre des Arbalastriers de France, & Capitaine de Meaux. Se trouua homme de grand los en maintes batailles, comme en Liege, Haynault, Senlis, le Pont S. Clou, & autres: en sieges, & assauts souuent, en France & Hollande. Et fut en ses xl. ans commis iuge ordinaire, & Gouuerneur de Lille, & Gouuerneur depuis de Hollande, & Zelande, & de basse Frise, pays dangereux: ou sa prudence donna fruict & autorité beaucoup, & sa preudhomie grand los. A haultes ambassades souuent a esté deputé: & pour le parement de sa personne, trouua la pluspart des Princes Chrestiens. Par plusieurs fois visita S. Iacques, & de soy mesme Rome la cité. En ses lx. ans pour rendre cette haulte aage non serf fors à Dieu, a delenqui offices & auctoritez de Court, renoncé aux pensions des Princes, &*

content à viure du sien seullement en treslarge & honorable estat, est venu prendre demeure en celuy tresnoble College de S. Pierre, ou il a hanté le seruice diuin: & en examinant sa conscience sur toutes choses passees, en œuures & deuotions meritoires pensé de son salut. Aux lieux desolez de France plusieurs a esté secret distributeur de ses biens, amiable secours aux eglises à son pouuoir, de propres offences reparateur, & vray nourrisseur & traicteur de paix. Qu'en diray-ie? Sinon que si hault, & plain de iours de septante deux ans, ou nature l'a mené, il a fermé ses yeulx à supernelle clarté; quand splendeur d'honnesteté, vertu, & vie, luy a donnee renommee memorable à tousiours. Trespassa d'icy le plus viel Cheualier de la Toison, le plus ancien Conseiller & Chambellan de son maistre le tresexcellent Duc Philippe, le premier iour de May M. CCCC. LXVI. *&c.* A

BALDVINVS DE LANNOY. *Fasti Insul.*

In Hugonis locum subrogatus est regulus Molembaisij Balduinus, ex eadem ortus Lannoyana domo, cui Balbo fuit cognomen. Ad equestrem Velleris Aurei dignitatem eum euexit Burgundiæ Dux Philippus.

BALDVINVS D'ONGNIES *Fasti Insul. Epitaph.*

Huic proximus fuit Balduinus Ongniesus eques, Estreesi & Gruisonij dominus, quem Dux Burgundiæ Philippus inter Consiliarios, cubiculi Præfectos, & Aulæ Magistros adlegerat. Diem clausit extremum anno 1459. eiúsque corpus in eo ecclesiæ S. Stephani sacello terræ mandatum est, quod suis ipse struxerat impendiis, ac perpetuo censu donauerat Insulæ. B

Ceteri deinceps Gallo-flandriæ Gubernatores in Fastis Senatorum Insulensium hoc ordine recensentur: licet quorumdam vel nomina, vel officia non suppeditent, vt aliunde nobis fuerit opus ea petere.

IOANNIS DE LANNOY.

Igitur post Balduinum Gallo-flandriam moderatus est Ioannes Lannoyæ toparcha, equestrique Aurei Velleris ordine ab Duce Philippo Burgundo huius militaris collegij auctore donatus, cùm Montibus is Hannoniæ consessum equitum haberet. Vitæ finem anno 1492. fecit, postquam imperio exutus grauissimos aduersæ fortis pertulit casus. Quod res eius omnes complexum est, descriptum è templo Cruciferorum Lannoyæ degentium in hæc verba ipsius epitaphium loquitur:

Ie fus iadu au monde en grand prosperité.
D'honneurs, de biens auois à treslarge planté. C
Car ie fus seruiteur du Duc Philippes le Bon.
Ce bon Seigneur me tint longtemps en sa maison,
Et l'vn des Cheualiers de l'Ordre du toison:
Dont aux rois & aux princes fus per & compaignon.
En Hollande, en Zelande me fit son lieutenant,
Pareillement de Frise, ou ie le fus seruant
Quinze ans, ou enuiron. puis me fit Gouuerneur
De Lille, Douay, d'Orchies, dont i'eu tant plus d'honneur.
Puis me fit capitaine, & aussi Seneschal
De toute Gorrechom, office especial.
En plusieurs embassades luy pleut moy enuoyer, D
Ou grand honneur receu, dont, Dieu, vous doit mercier.
Et assez-tost apres du vouloir & bon gré
De ce bon Duc mon maistre, & Seigneur redoubté,
Ie fus Bailly d'Amiens de par le Roy commis.
Dudit Amiens aussi fus Capitaine mis,
Et tout pareillement de Dourlens & Cité.
Encore veut le Roy par sa grande bonté
Moy retenir à luy, & à sa pension,
A deux mille bon francs par an, dont i'eu le don.

l'allay

A *I'allay en Angleterre de par ces deux seigneurs:*
Tels pooirs me donnerent, dont ie ne vis greigneurs.
Car seul pooir auois de traicter paix finale
Entre les deux royaumes, par grace especialle.
Le dongon de Lannoy, & le chastel aussy
Auecques la chapelle, & ceste eglise icy
Ie fis en mon temps faire, & la ville aisement,
Qui est priuilegé moult bien & grandement.
La chapelle de Lys fis faire à mes despens.
I'aquis Rume & Sebourq par estre diligens,
Le chasteau de la Marche, & ville de Forchies,
B *Le Locon & Courcelles, dont i'eu plus seignories.*
Deux fois fus marié, dont ma femme premiere
Fut dame de Brimeu, seul' fille & heritiere.
Ensemble eusmes deux filles; & l'vne fut donnée
Au seigneur de Gasbecq, auquel fut mariée;
Et l'autre tresspassa en asses iosne eage.
Et ma seconde femme, que i'eu en mariage
De Ligne & † Brabancon elle fut fille aisnee. († Barbançon.)
De huit enfans aussy fismes nous assemblee.
Et apres par enuie fortune m'assaillit,
Moy cuidant tout destruire. Mais Dieu y pourueït.
C *Car par vraye vertu, & dame verité,*
Auec patience, d'honneur fus suscité:
Et plus que parauant fus par tout honnoré.
Dieu par sa grace face à mes nuisans pardon,
Et vn chascun reduisse à redeuenir bon,
Apres moy fleurissant en honneur & en grace.
Apres que i'eu vescu vne bien longue espace,
Le plaisir de mon Dieu, mon iuge & createur,
Fut de moy enuoyer du monde la douleur.
C'est la mort, qui tous mord sans nulluy espargner.
Aussy finay mes iours, sans plus pooir targer,
D *En l'an nostre Seigneur mil auec quatre cens,*
Et quatre vingt & douze, payant de mort le cens
Dixhuit iour en Mars. Si requiers humblement,

. . . .

Il leur plaise pour moy à Iesus requerir,
Afin qu'a leurs prieres puisse à grace venir.

Hunc secutus est Antonius Ongniesus, toparcha de Brouay & Ligni, eques, ac Ducis Burgundiæ Philippi Cubicularius & Consiliarius. (ANTONIVS D'ONGNIES.)

Antonium excepit Ioannes Rosimbosius Fourmellarum dominus, equestrísque ordinis, quem Consiliis & Cubiculo suo Burgundiæ Dux adhibuit. E viuis abscessit anno 1479. eiúsque corpus traditum sepulchro est in S. Petri templo Insulæ. Ad familiam Rosimbosiam de ipso quædam attulimus. (IOANNES DE ROSIMBOS. Epitaph. eius.)

IOANNES DE HAMES. Huic proximus gubernauit Ioannes de Hames Sangati, Betencutiæ, & Bonduæ dynasta, eques, & arcanorum Burgundiæ Ducis particeps ac Cubicularius. A

IOANNES DE LA GRVTHVS. Huic proximè successit Ioannes Gruthusius, Despierij dominus.

BALDVINVS DE LANNOY. Datus est posteà huic regioni gubernator Balduinus Lannoyus Molembaisij regulus, inter equites Aurei Velleris assumptus.

IACOBVS DE LVXEMBOVRG. Iniit deinceps regimen Iacobus Luxemburgius Fiennarum dominus, etiam donatus Aurei Velleris torque.

IACOBVS DE LVXEMBOVRG. Hunc proximè excepit Toparcha d'Auxi, quem Duacensia monumenta Iacobum Luxemburgium nominant, vnáque Ber d'Auxy & Baronem de l'Eaüe fuisse asserunt. Fulsit is quoque Aurei Velleris torque, ac præcedentis filius fuit.

IACOBVS DE LVXEMBOVRG. Ab hoc Gallo-flandriam moderatus est alius, quem genuerat ipse, Iacobus Luxemburgius, Gaueræ Comes, & Fiennarum regulus, quémque Barcino vidit à Carolo Hispaniarum rege Aurei Velleris torque ornari anno supra millesimum & quingentesimum octauo & decimo.

ADRIANVS DE CROY. Iniit subinde Gallo-flandriæ Præfecturam Adrianus Croyacus, vnà cum Iacobo in Ordinem Aurei Velleris Barcinone assumptus. Admodum is charus fuit Carolo V. Romanorum Imperatori maximo. Quippe primùm is Cubiculo & Consiliis adhibuit: Marescallum totius exercitus, seu Castrorum Metatorem constituit: Reuxium eius dominium ad Comitatus dignitatem euexit: ipsum toti Artesiæ Præfectum imposuit. Et præclarè tot acceptis ab Cæsare beneficiis Adrianus respondit semper, at præsertim cùm Morinorum vrbem Taruannam obsidione premeret: prorsúsque Francorum spiritus domuisset, nisi mors eum priùs abstulisset obsidij laboribus fatigatum, quàm ea caperetur ac deleretur ciuitas. B

IOANNES DE MONTMORENCY Habuit successorem Adrianus Ioannem Montmorencyum, toparcham de Courieres, & Baronem de Poucques, insigni virum virtute, & prudentia: quem ideò Carolus Quintus Imperator Aurei Velleris equitem creauerat, sibique esse voluerat à Consiliis & Cubiculo.

MAXIMILIANVS DE GAND ET VILAIN. In huius demortui locum suffectus est Maximilianus à Gandauo Vilanus, equestri ornatus dignitate, ac primùm Baro Rasseghemius, dein etiam Comes Isseghemius, quo denique titulo ipsum Philippus Hispaniarum rex ob multos eius causa toleratos labores, & propter insignem erga Deum & Principem suum fidei constantiam decorauit. Regiis admotus Consiliis, & Fisci principalis caput, etiã Alostensem egit Bailliuum. Marquettensis, Crucius, & Waterloënsis ager olim hæreticorum sanguine maduit, quos ipse, sectarum acerrimus hostis, ferro cecidit, tractis in eos Insulensi præsidio, ac Insulensis vrbis incolis accolísque. Qui vices eius subierint, vel cùm legationes obiret, vel in custodia Gandaui ab rebellibus attineretur, tres inuenio: Franciscum Montmorencyum, equitem, Wattinarum & Berseæ regulum; N. Bournellum Toparcham Estiembechium & Bapalmarum gubernatorem; Adrianum Ongniesium, equitem, & Willeruallis dominum. C

PHILIPPVS DE RECOVRT. Maximiliano vita functo successit Philippus de Recourt Baro Licquensis, equestri fulgens dignitate.

IOANNES DE ROBBLES. Traditum posteà Ioanni de Robbles equiti, & Byllìensi Baroni huius ditionis gubernaculum. Alam equitum priùs hic in bello duxerat, & Germanorum egerat Chiliarcham; cum Cortracenses supremum habuerant Bailliuum. Ob merita denique Annappij Comes renunciatus est. Insignem pro Catholica fide ardorem animi semper patefecit, omnésque homines diuino numini per vota religionis adstrictos singulari beneuolentia complexus est: eóque nomine plurimum ipsi debet Iesu Societas, quòd ei præsertim fuerit tum Insulæ tum Duaci variis in rebus ac negotiis patrocinatus. D

PHILIPPVS DE GAND ET VILAIN. Ab huius morte cum biennium integrum caruisset Gubernatore Gallo-flandria, anni 1624. Februario huic denique regioni Philippus à Gandauo Vilanus, Maximiliani iam laudati nepos, & Iacobi II. Isseghemij Comitis filius, ac Comes Isseghemij tertius, tam propter aui patrísque merita, quàm propter eas, quibus admodum fulget, heroicas virtutes, admotus est Præfectus.

Atqui

A Atqui hæc de viris hactenus dicta sint, quos impositos sibi Gubernatores venerati sunt Gallo-flandri. Nunc ad ea, quæ spectant ad hunc magistratum, sermonem conuertamus. Quoties igitur aliquem Comes Flandriæ Præfectum Gallo-flandris attribuit, ante omnia is indicat Comitis voluntatem, eásque præbet litteras, quibus ab Comite ad gubernationem euehitur: dein dicto die, publica ciuium pompa, in vrbes introducitur. Ad hanc in armis prodeunt bellicæ societates, dein totus oppidi Senatus. Intra vrbem Gubernator & Senatores alternis fidem verbis stipulantur adhibito etiam sacramento. Publica denique hi omnes paratum pecunia conuiuium in vrbis Curia celebrant.

Ad munus verò Gubernatoris multa pertinent. Eius scilicet officij est, regionem aduersus hostes tueri; vrbium securitati aduigilare; firmas eis custodias adhibere; ad vigilias in eis incolas cogere; iura Comitis Flandriæ & patrimonium tutari, si qui milites intra regionem hibernent, aut iter faciant, iis sedes, aut viam præscribere; vim eorum arcere; de voluntate Comitis Ordines cogere; edicta Comitis proponere; B hæc vti seruentur, aduigilare; Senatores quibusdam locis legere; per se suósque ius dicere; in reos etiam capitali supplicio animaduertere; dum in vrbibus pernoctat, earum claues noctu asseruare, tesserámque vigilibus indicere.

Ad officium Gubernatoris Gallo-flandriæ quid spectet.

Ad cognoscendum de litibus & criminibus, habet Insulæ & Duaci tribunal, quod vel ab ipso, vel regione subiecta, Gubernantiam vulgò vocitant. Ibi supremus ipse Iudex præsidet, vel aliquis eius Vicariorum. Insulæ præcipuo iure in eos agit, qui muros extra vel in suburbiis, vel in pagis consident; aliquo etiam præuentionis in vrbanos. Qui iuuent, aut vices suppleant, non paucos habet. Vel absentis, vel occupationibus distenti duo vices subeunt, quos passim appellant eius locum tenentes. Horum alter in vrbe frequentiùs agitat, alter pagos circumuolat (vnde & Volantis vulgò nomen accepit) nisi priore vel morbo, vel negotiis impedito, vrbs destineat. Plus illi dignitatis & negotiorum, ideóque plerumque nobiles admodum viri, & donati laurea Iuris id officium experiuere. Domi causas cognoscit, iudicátque: foris C etiam interdum apud Principes in Aula, variis incumbit negotiis. Et frequenter Gubernatoris loco legendis Senatoribus ab Comite Flandriæ adhibitum comperio. Quò plus floreat huius tribunalis consessus, legum periti duo, consiliis adiuuandi causa, Iudici assident, quos modò Assessores, modò Consiliarios nominant. Hos vt audire tenetur, ita non sequi iudex potest. Adsunt etiam Fisci Principalis Aduocatus, & Procurator, ac denique scriba vnus. Quod visitur Duaci Gubernatoris tribunal, eorum est litibus causísque comparatum, qui præsertim agrum Duacensem & Orchiensem incolunt. Quamquam illic minùs hominum subsit, minúsque causarum peragatur, duplicem tamen habet Gubernatoris vicarium, Aduocatum vnum, itémque Procuratorem & Graphiarium: vt iudicia legitimè exerceantur.

Eius tribunal iudicijs habendis, Insulæ,

Et Duaci.

D

De Capitaneo trium Gallo-flandriæ vrbium.

CAPVT VII.

Praeter Gubernatorem ad totius Gallo-flandriæ curam incumbentem, etiam quandoque olim tribus eius vrbibus impositum generalem Capitaneum deprehendo, virum sanè quà genere, quà factis militaribus nobilem. Sed non quibusuis temporibus eum ciues vrbium tulere. Solùm rebus trepidis, & quatiente viciniam bello, vel expetebatur, vel tolerabatur, vt imminens periculum arceret. Hoc me docuit exorta grauis inter regulum Despierrium, à Philippo Austriaco Maximiliani Cæsaris filio Capitaneum Gallo-flandricæ Tripoleos nominatum, ac Senatum Insulensem altercatio: cùm ille vel pacis tempore, vel mitiori

Quo tempore vrbibus Gallo-flandriæ Capitaneus dari solitus?

bello,

bello, ac nondum ingruentibus periculis, Capitanei munere fungi cuperet; hic contrà niteretur. Quando verò Gallo-flandricæ vrbes huiusmodi virum ad tutelam acceperint; quæúe ipsi ex officio peragenda fuerint, ex formula Iuris iurandi, quo vrbibus eum obstringi oportebat, satis colligitur. Primum iuramento cogebatur spondere, maxima se fide vrbes, incolas, ciues, omniúmque fortunas seruaturum, vt immunitates, priuilegia, iuráque vrbium sarta tecta ciuibus manerent, daturum sese operam; deinde nihil omissurum laboris ac studij, quo ciues in officio, & fide Ducis Burgundiæ, ac Comitis Flandriæ retineret. Non igitur supra Ducum Burgundiæ tempora huiusmodi Capitanei institutio referenda mihi videtur: quandoquidem ea formula, quæ nôn dubiè ab initio huius instituti condita fuit, Duces Burgundiæ Comitibus Flandriæ iungit. Neque ante Ducum eorum hic dominantium ætatem vllam talium Capitaneorum memoriam ingerunt Fasti Senatorum Insulensium. A

Quando coeptus creari?

Nomina quorundam huiusmodi Capitaneorum. VValterus Halevvinus.

Quem primum inuenio nostris vrbibus Capitaneum Generalem adhibitum, is fuit Walterus Halewini dominus, qui sacramentum dixit Insulæ decimonono Iulij die anno quarto & decimo supra millesimum & quadringentesimum. Si rectè suspicor ex Iacobo Metero, aliísque, hunc Capitaneum dicendi causam peperit trium Flandriæ membrorum ad Franciæ regem, & Armeniacos legatio, horúmque fluxa fides rebus iam turbatis, capta Suessionum vrbe. B

Ioannes Luxemburg.

Interiecto multorum annorum spatio, ad tutandos vrbium muros delectus est Ioannes Luxemburgius. Erat is Luxemburgicæ familiæ, ac Petri diui Pauli Comitis nothus, Haubourdinij toparcha, manu impiger, & consilio promptus: ac ideo Burgundiæ Duci Philippo charus in paucis; iámque inter Aurei velleris equites fulgebat. Quod grauiter inter Burgundum & Gandenses bellum exarserat, necessitatem attulit eum virum vrbibus Gallo-flandricis imponendi. Qui vicarium eius munus obiret, Ioannem du Metz Anstaïni regulum, & equestri donatum dignitate, Dux addidit. Vterque nono & vigesimo Iulij die obstrinxit iurando fidem Insulæ, anno Christi millesimo quadringentesimo & quinquagesimo secundo. C

Philippus Pot.

Quo tempore vitam morbo perdidit Ioannes Luxemburgius, vel Haubourdinius, in Capitaneum ab Duce Burgundo assumptus est Philippus Pot Rupis toparcha, quem equestri ornatum balteo inter Cubicularios is cooptauerat, & consiliis suis adhibuerat. Hic Insulæ fidem obligauit iuramento penultima Ianuarij die, cùm sexagesimus sextus Christi annus post millesimum & quadringentesimum iniret. Tum temporis Francorum rex timebatur, quamuis Dionantios asperrimo Burgundus bello fregisset.

Ioannes de Hinguettes.

Quinto inde anno, exeunte Februario, Ioannes de Hinguettes Fretinij dominus, & equestri cingulo fulgens; in eadem cum Philippo verba iurauit Insulæ, tutelam vrbium adeptus. Vehementi tunc bello Burgundi Francique ardebant: & cùm staret in partibus Franciæ regis Tornacum, Gallo-flandriæ periculum minabatur.

Iacobus Luxemburgius.

In Fastis Senatorum Insulensium anno 1477. Iacobus Luxemburgius Fiennarum dynasta, vrbium & castellaniarum Gallo-flandriæ Capitaneus nominatur. D

Raoulus Despierrius.

Anno posteà millesimo quadringentesimo & octogesimo tertio Philippus Austriacus adhuc puer suorum consilio regulum Despierrium Generalem in Gallo-flandria Capitaneum instituit. Verùm is cùm Insulam veniret, obligaturus fidem ciuibus, postulatis quibusdam Senatum perculit. Quamuis enim Francorum rex Ludouicus, & Maximilianus Philippi Austriaci parens iis conditionibus pacem firmassent, vti Margareta Philippi soror in nuptias Caroli Delphini concederet: nihilominus tamen rebus iam lętis, & absterso belli metu, admodum vrgebat, vt etiam id temporis officio Capitanei fungeretur; ab ipso Senatu stipendium acciperet; Respector aut quis alius, penes quem vrbis claues asseruarentur, sacramentum ipsi diceret nihil in vrbe moliendi, priusquam moneretur. Sed hæc omnia magistratus aspernati eò denique hominem perpulere, vt maiorum conditionibus Ca-

pitanei

A pitanei officium capesseret; in vrbe nihil auctoritatis & potestatis haberet, nisi Ordines iudicarent graue periculum ingruere; vt ceteri fecerant, ab Comite Flandriæ stipendio donaretur; Respectorem Senatúmque solitis muneribus perfungi sineret. Animaduerto posteà in Fastis Insulensium Senatorum Balduinum Lannoyum Molembaisij regulum anno 1499. & Iacobum Luxemburgium Fiennarum Dynastam anno 1501. vnà gubernatores & capitaneos trium vrbium arciúmque Gallo-flandriæ vocari: ac deinceps eas duas præfecturas ita coaluisse accipio, vt idem semper sit Gubernator & Generalis Capitaneus Gallo flandriæ.

De Præfectis & Capitaneis arcium Gallo-flandriæ.

B

CAPVT VIII.

Olim fere vbique castra in vrbibus vtriusque Flandriæ.

RAVCA olim oppida Flandrorum Castris, vel arcibus caruere, vbi tum Principes sedem haberent, tum præsidia quædam hostibus arcendis consisterent, & circùm ædes multæ conderentur. Visum fuit Atrebati Castrum Nobiliacum, vbi modò D. Vedasti cœnobium, Prouincialis Senatus Curia, D. Petri templum & S. Magdalenes, forum piscarium, & iunctus illi carcer: Gandaui, aliud, quo loco nunc S. Pharaildis ecclesia, & Comitis castellum conspiciuntur: Brugis, vbi modò cathedrale templum diui Donatiani, palatium Episcopi, Senatus Vrbani & Franconatus Curiæ: Cortraci, qua parte ecclesia Canonicorum D. Virginis cernitur. In tribus Gallo-flandriæ nostræ vrbibus, qui neget fuisse, nullum inueniri crediderim. Quidquid spatij comprehendunt Duaci ecclesia Canonicorum Amatensium, Gubernatoris Curia, & Regis Collegium, ac plerumque circà C spatium, id olim omne complexum est Castrum. In colliculo aquis cincto supersunt quædam Orchiaci monumenta veteris Castri. At Insula multis quondam arcibus nobilis fuit. Vetustate primum adepta est locum ea, quam modò Buccensem, modò Phinartiam veteres Annalium scriptores & Chronicorum nominant, in illa oppidi parte, vbi nostra ætate S. Mauritij parœcia, & pons Phinartij. Secundæ locum occupant D. Petri templum, ædes Canonicorum, pars portus, Ioannæ Comitis Nosocomium, & Motta, seu Collis dominæ. Tertia breui tempore ad eam stetit portam, quæ pone S. Mauritij templum angusta conspiciebatur Dergneau nomine. Quartam, Pulchri Franciæ regis opus, via Cortracensi procurrentem his extremis adhuc annis vidimus. Et verò certum est, propter eas arces & castella, non rarò vrbes & oppida nomen Castrorum induisse. Vt enim *Castrum Antuerpum*, vel *Andouerpum* & *Castrum Louanium* Brabantia olim nominauit: ita *Castrum Gādauum*, *Castrum Corteriacum*, & alia id genus in Flandria quidam dixere. De Insula non pauca suppetunt testimonia. Qui secundam eius arcem nobilitauit, Balduinus Insu- D lensis in eo diplomate, quo plurima Canonicis D. Petri largitur, non semel sic appellare cernitur his in verbis: *In suburbio eiusdem Castri, id est Islensis, vnicuique Canonicorum curtile vnum; infra Castrum autem totam terram, quæ adiacet ecclesiæ, officinis & domibus Clericorum aptam &c.* Badericus eiusdem ferè temporis scriptor eam paucis complectens, quam Imperator Henricus expeditionem aduersus eundem Balduinum in Flandriam susceperat Duce Ioanne Atrebatensi Aduocato, non semel ita nominat: *Pertransiens autem*, inquit, *clausulam illam, & interfectis à dextris & à sinistris occursantibus sibi, ad Islense Castellum peruenit, vbi Lambertus Comes Lensensis cum multis ei occurrens interfectus occubuit. Ab eo quidem Castello diuertit ad Tornacum ciuitatem.* Rigordus Philippi Augusti Francorum regis Sacellanus: *Die ergo crastino scilicet sexto Kalendas Augusti, mouit rex de Tornaco, vt iret ad castrum, quod Insula nominatur.* De Duaco quidam veterum scriptorum idem produnt. Apud Baldericum ita legitur: *Præterea etiam apud Castellum Duwaicum monasterium est Canonicorum.*

Et ab his sæpe vrbes Castra nominata.

Lib. 3. Chron. Camer. c. 70.

Lib. 1. Chron. Camer. c. 21.

Lib. 5. c. 23.

corum. Et paullò pòst: *Postquam vero incolatus huius castelli cœperat, illic nauigij vsus deriuatur.* Et Gaufridus Neubrigensis in Anglicana historia *Nobile Castrum Duay* nominat. Libri quoque Miraculorum D. Rictrudis, qui manuscripti seruantur in cœnobio Martianensi, & Chronicon Martianense, *Castrum Duacum* ab Erchenoaldo instauratum, non semel dicunt. Neque sanè desunt, qui tribuant Orchiaco Castri nomen. Ludouicus ille Pius Caroli Magni filius, in quodam diplomate, quod scripsit anno regni sexto, *Orcam castrum regium* nominat, cùm de Orchiaco loquitur. A

Fverintne quondam castris vrbium Gallo-flandriæ dati præfecti et Capitanei. Aliqvot Insvlanæ arcis præfecti proponuntur. Gerardvs Bvccensis. Lib. 3. Annal.

Nunc vero hisne trium Gallo-flandriæ vrbium arcibus impositi quondam fuerint à Comite Flandriæ Præfecti, & Capitanei; ac num aliqui Castellanorum inde nomen, officium, hereditatem traxerint, id scilicet inquirendum diligenter. Vt primùm de Præfectis militaribus agam, non facilè datos comperio Duacensi & Orchiacensi arcibus: quamquam nihil dubitem illic positos aliquandò, cùm trepida & sæua bellorum exigerent. De Insulensi multa prorsus affirmant. Iam tum Roberti Frisonis temporibus Gerardum Buccensem illi præfectum fuisse antè memorauimus. Nec facilè illi persuadent, qui volunt eum, non arci præpositum ad custodiam, sed Castellanum ex officio fuisse. Nam plusquam semel eum Flandrici Annales disertè castro Præfectum asserunt: nec aliter dicit Iacobus Meierus, cuius hæc verba: *Insulam item Frisius ope Gerardi Buccensis arcis præfecti recepit.* Quosdam posteà partim Fasti Senatorij, partim alia monumenta nobis ingerunt, quibus imposita fuit Castri cura, quod quartum exstruxit Pulcher ad portam Cortracum ducentem. Inter primos exhibetur Carolus Montmorencyus anno 1347. cuius certè insignis ob virtutem militarem apud Ioannem Froissartum & Iacobum Meierum mentio habetur; & de quo iam aliquid in Gubernatoribus nostris attulimus. Post Carolum Ioannes de Menin eques eadem decoratus est præfectura. Ac ne quis putet hunc functum Castellani Insulensis officio, vt quidam existimant, expressè in Fastis additur, præfectum Castro fuisse anno 1377. Eum proximè secutus est Ioannes de Poucques etiam equestri dignitate conspicuus. Transieritne posteà Præfecti nomen in Capitanei, vt qui arci præficeretur, is vocaretur eius Capitaneus, non ausim asserere. Video tamen iisdem in Fastis haud multò pòst aliquot nobiles viros & equites auratos, eo insigniri titulo. Inter alios ita censeri comperio anno 1466. & sequentibus aliquot, Philippum Pot Rupis toparcham, & Ducis Burgundiæ Cubicularium. Item dominum Despierres anno 1478. & Balduinum Ducis Burgundiæ nothum anno 1485. & videtur posteà Gubernatoribus Gallo-flandriæ huius arcis cura concredita, vt eius etiam Capitanei dicerentur. In Fastis Senatoriis non semel Balduinus Lannoyus Molembaisij regulus, & Gubernator Gallo-flandriæ, & castri Insulensis Capitaneus anno 1496. & aliis sequentibus nominatur. Iidem tituli posteà tribuuntur Iacobo Luxemburgio Fiennarum Dynastæ anno 1501. & 1502. Et qui vices eius in castro gereret, vocatur Antonius Teneramondius. Vt id denique arbitrer in consuetudinem abiuisse, hoc præsertim compellit, quòd posteà nullos videam nominari vel Præfectos, vel Capitaneos arcis, verùm ibidem modò Gubernatorum vicarios: dein arcem ipsam Gubernatores insederint, quod certum habeo de Maximiliano Rasseghemij Barone. Quod verò vergat in laudem Præfectorum, vel Capitaneorum, & quandoque Vicariorum arcis Insulanæ quos omnes enumeraui, accipio variis eos temporibus aliquoties à Flandriæ Principibus cum aliis delectos, vti magistratus Insulæ dicerent. Eandem posteà traditam ab iisdem video potestatem Francisco toparchæ de Haynin, Iacobo du Chastel equiti, & Blangeruallis Dynastæ, Philippo du Chastel Iacobi filio, in Castro Insulensi Gubernatorum vicariis, vt exhibent Senatorum Fasti.

Carolvs de Montmorency.

Ioannes de Menin.

Ioannes de Povcqves.

De Capitaneis arcis Insvlensis.

B C D

A

De Castellanis Gallo-flandriæ.

CAPVT IX.

NVNC ad se nos Castellani euocant, quos in tribus Gallo-flandriæ nostræ vrbibus quondam fuisse vetera docent monumenta; modò, præter vnum, desiisse certum est. Duacenses Castellanos apud Iacobum Meierum, & alibi, quotdam reperio. Walterus horum vnus cum fratre Hugone litteris subscripsit, quibus Comes Flandriæ Balduinus Insulensis ecclesiæ & Canonicis D. Petri Insulæ dotem impertiit. Idem fortassis anno 1078. cum Gerardo Episcopo Cameracensi translationem corporis D. Amati celebrauit, eíque tumulum marmoreum suis parauit impendiis: ac posteà socium se præbuit itineris & armorum Roberto, Frisonis filio, ad bellum in Palæstinam abeunti, magno iam natu & matura virtute conspicuus. Ecclesiæ Atrebatensis tabulæ alium nobis Walterum exhibent, qui magnis Assonem Episcopum difficultatibus circa salutis annum 1240. incessit. Earum hæc sunt verba: *Eo regente ecclesiam Atrebatensem, Castellanus Duacensis Walterus nomine, nitens fraudulenter ea, quæ apud Vitriacum ad censum perpetuò de Episcopatu tenebat, mutare in fœudum, in regali curia, vbi quæstio terminari debuit, inter se longo tempore litigauerunt.* Thomas Flandriæ Comes, Ioannæ maritus, iis litteris, quibus pascua & paludes Duacensibus concedit anno 1241. Castellani Duacensis meminit, cúmque videtur dicere tunc temporis officium exercuisse. Exstat Duaci vetus instrumentum, quo testatur Walterus alter Duacensis Castellanus, minora se portoria & vectigalia Duacensi Senatui anno 1263. vendidisse. Ibidem asseruantur litteræ, quibus se probat Walterus eius filius natu maior, toparcha de Wasquehal, & patris heres, mulsi & cereuisiæ vectigalia iisdem Senatoribus accepto pretio cessisse ad Christi annum millesimum ducentesimum, & sexagesimum octauum. Eadem in vrbe vidi Margaretæ Flandrorum Principis diploma, quo multa de portoriis per Scarpum flumen Scaldímque constituit, ac inter cetera, quæ Castellano Duacensi debeantur, enumerat. Guido Flandriæ Comes quibusdam litteris anno 1284. signatis etiam Walteri Duacensis Castellani meminit. Paucis pòst annis Fromaldus itidem Duacensis Castellanus Robertum Attesiæ Comitem secutus, propter Cortracum pugna Groninghana cum ceteris occubuit. Anno 1368. ea Castellaniæ dignitas in viris nobilibus finem accepit. Etenim Mathildis de la Vigne, Guilelmi de Neelle S. Venantij toparchæ coniux, omne ius eius venditione in Senatus Duacensis potestatem transtulit, vt litteræ hoc de contractu conscriptæ fidem faciunt.

Lib. 3 an. 1066. CASTELLANI DVACENSES. *Lib. argent. S. Amati.* *Iac. Meier. l. 4. an 1096.* B C *Iac. Meier. lib. 10 Annal.*

Quidam Orcienses Castellani variis è diplomatibus eruuntur. Nam eorum nonnullis Castellanorum Orchiacensium titulo subscribunt aliqui nobiles viri, quibus *Sainghien* & *Pontuerdin* gentilitia fuere cognomina. Et videtur inter Castellanos ille censendus, quem Margareta Flandriæ princeps in litteris, quibus donata hospitali vrbano confirmauit, *Ioannem de Castello de Orchies* nominat anno 1260.

CASTELLANI ORCHIACENSES. D

De Castellanis Insulensibus, plurima suppetunt nobis tum vetera, tum recentia monumenta. Sed priusquam de his singillatim agamus, haud leuiter inquirendum est, quid Castellani nomine censeatur. Fueritne Castellanus reipublicæ administrationi & iudiciis adhibitus? Idne nomen officio incumbens fuerit assecutus, & posteà curis vacuus beneficio Principum obtinuerit? Quin fluxerit à Castello Castellani nomen, nulli dubium est. Quid eo significetur, alius aliter censet. Illos eo comprehendi, qui præfecti sint arcibus, vel castellis, ad loci defensionem, & cum præsidio militum insideant, negari non potest. Quosdam ita nominari iura fœudorum insinuant, qui fœudi beneficio castra possident, & non gratia tuendi. Claudius Fauchetus Baronibus Castellanos olim subiungi solitos refert,

CASTELLANI INSVLENSES. QVID SIT CASTELLANVS. *Lib. 1. c. 6. de orig. dignit. Franc.*

 villis

vt illis ordine nobilitatis & gradus proximi essent. Eo verò nomine designari om- A
nes, quibus castra obtinendi ius obuenerit. Inter claras Franciæ familias eo præser-
tim titulo emicuisse Castellanos du Puiset in Beaussia, de Coussy, de Cortenay, de
Montleherry, iunctos omnes per nuptias Capeticę regum familię. Vti Castellaniam
instituere quis possit, quodam in Francia Senatus regij decreto sancitum, intra fi-
nes eius Abbatiam, vel Prioratum conuentualem, furnum indictitium, & alia quæ-
dam comprehendi debere. Ceterùm ipsemet eius est opinionis, haud aliud Castella-
nos olim fuisse, quàm oppidorum minorum arte, vel ingenio munitorum, Capita-
neos; cùm maiora Comites insiderent: vt ipsi quasi Comitum in iis vicem sustinue-
rint. E Speculatore Iurisconsulto facile est deprehendere, solis nominibus, non offi-
cio, distingui Castellanos & Vicecomites. Primùm enim ei Vicecomes dicitur ille,
cui dominus temporalis committit executionem iurisdictionis suæ in aliquibus castris. quod
optimè Castellanis conuenit. Deinde non alia formula Castellanum, quàm Viceco-
mitem, officio docet admoueri. Speculatori prorsus adhæret Florentius Vanderha-
rius, D. Petri Insulæ Canonicus & Thesaurarius, cùm de Castellanis Insulensibus B
agit: eámque omninò induit opinionem, haud alios fuisse olim Castellanos, quàm
Burgrauios, & Vicecomites, ac primos Comitum Vicarios, qui de causis tum ci-
uilibus, tum criminalibus cognoscerent; ideóque Castellanos dici solitos, quòd
iis in oppidis ius dicerent, vbi castra existerent, ipsaque castrorum nomine cieren-
tur. Quamquam ista mihi non displiceant, iudico tamen audiendum maximè Bal-
dericum Nouiomensem & Tornacensem Episcopum. Is enim cùm sæpiùs in Chro-
nico suo de Castellanis Cameracensibus, eorúmque sæuis facinoribus illa memorat,
quæ partim vidit, partim ab oculatis testibus accepit; non semel indicat, quod fue-
rit eius vrbis Castellani officium. Duos tantùm inde locos decerpam, quibus de
Waltero Secundo agit Cameraci omnia pessimis artibus corrumpente. Igitur fœ-
Lib. 1. Chron. Camer. c. 120. dis eius facinoribus enarratis hæc subiungit: *Creberrimè deplorantium ciuium conque-*
stiones inuicem conferuntur, miseros se non habere patronum, sed expilatorem publicum.
Alibi referens Imperatorem Henricum Comitibus imperasse, vti Castellanum eun- C
dem ad se pro meritis castigandum deducerent, hæc de eodem Cæsare subiungit:
Lib. 3. c. 1. *Certè satis admirans, quòd cùm se Castellanum, Aduocatúmque ciuitatis aiebat, nunquam*
aulam regiam frequentaret. His de locis id scilicet conficio, impositum fuisse Camera-
co Castellanum, vt tradita sibi ab Episcopo potestate, ciues vrbémque tueretur. Id
enim patroni nomina & Aduocati prorsus indicant: quoniam iis temporibus vel vr-
bes, vel ecclesias, vel monasteria viri potentes Aduocatorum, vel Patronorum voca-
bulo aduersus aliorum infestationes procubui defendebant, vt posteà videbimus. Et
verò Canon Saluator, causa 1. quæst. 3. dum Chalcedonensem explicat Synodum,
videtur Aduocatum & Castellanum pro eodem censere, dum inquit: *Nomine Procu-*
ratoris intelligit præfata Synodus quemlibet ecclesiasticarum rerum procuratorem, vt verbi
gratia Præpositum, Oeconomum, Vicedominum; defensoris nomine Aduocatum, siue Castal-
dium, & Iudicem. Omninóque putat cum Aduocato eundem esse Castellanum
Gualbertus Martianensis Monachus in Poletico c. 10. cùm ait: *Castellani, idest, Aduo-*
cati, auctoritas. Quòd si cupido incessit cognoscendi, num illud officium Castellani D
aliquando in beneficium transierit, & posterorum hereditati accesserit: non erit illud
difficile iisdem ex libris Balderici eruere. Primùm enim Walterus senior, eius, de quo
diximus, parens, priusquam exueret vitam, Erluinum Episcopum per legationem
flagitauit, *vt filio suo Waltero terram suam beneficiaret, eique filius saluo vsu paternæ he-*
reditatis, militaret: idque pontifex, tametsi multum initio reniteretur, facturum se de-
nique promisit. Et videtur paullò pòst Seiheri Lensensis Castellani precibus indu-
ctus, ac promissis Walteri minoris tum libras aliquot argenti in satisfactionem, tum
vitæ correctionem pollicentis, oneratus, antequam ipse mortem oppeteret, conces-
sisse. Quippe Gerardus eius nominis primus, qui post Erluinum ab Henrico Cæsare
datus est eidem ecclesiæ pontifex, quamuis sæpiùs de Walteri sceleribus apud eun-
dem Cæsarem quereretur, nunquam tamen eum negauit Castellanum esse Came-
racensem. Deinde Lietbertus post eum Episcopus eidem adhibitus ecclesiæ, cùm

Ioannem

A Ioannem Aduocatum Atrebatensem, interempto ab inimicis Waltero, & ducta in coniugem eius vidua, pro Castellano sese Cameraci gerentem vrbe propulisset, eam Castellaniam Walteri nepoti restituit, quòd eius filius etiamnum puer e viuis abiuisset. Id hunc in modum memoriæ tradidit Baldericus: *Pontifex verò, euecto Ioanne, præcauens in futurum, & timens, ne vel ille Ioannes, vel quilibet tyrannus hanc similiu in Castellaturam illam aut vi, aut ingenio intraret, & posteà iustus heres eam repetens inde turbas faceret, vltrò Hugonem Walteri Castellani defuncti nepotem, eo quòd legitimus heres erat, adsciuit, eique Castellaturam eam concessit.* Iam autem si velimus aliquid de Castellanis Tornacensibus inuestigare: duo etiam de ipsis sese nobis offerent. Vnum quidem est, eos ab eiusdem vrbis Aduocatis omninò diuersos fuisse, & in castello ex officio iudicia exercuisse: alterum verò, eos vel officium, vel dignitatē Castellaturæ ab Episcopo in beneficium fœudúmque accepisse. Vtrumque non modò hi versus antiqui ecclesiæ Tornacensis indicant: Lib. 3. c. 66.

B *Signifer ecclesiæ vexilli munere grato,*
Et Castellanus fœudum capit à Cathedrato.

(his enim significatur, Aduocatum, qui signifer est ecclesiæ Tornacensis, & Castellanum, Aduocatiam & Castellaturam non aliunde, quàm ab Tornacensi pontifice fœudali iure possidendas obtinere:) verùm etiam diuersę litteræ confirmant. Quippe in harum quibusdam Balduinus Castellanus Tornacensis dicitur *homo ligius Episcopi Tornacensis*, & quidquid habebat *apud Tornacum in fluuio Scaldi, siue in viagio, siue in iustitia, siue in quibuslibet alijs*, id omne *de fœudo domini Episcopi* habuisse scribitur. In aliis cùm fit mentio donationis Gossuini Aduocati Tornacensis, ea percipienda dicitur *de fructibus iustitiæ, quam præfatus Gossuinus tenebat* de Episcopo *in fœudum in ciuitate Tornacēsi.* Ex his omnibus igitur licet nobis arbitrari, Castellanos, siue Castaldos, nunc Vicecomitis officium exercuisse, causas cognoscendo, & iudicando; nunc Aduocati personā sustinuisse, subditos sibi locos hominésque tutando.

C

De Castellanorum Insulensium initijs, officio, dignitate, potestatéque.

CAPVT X.

HIs eum in modum præstructis, videamus modò attentiùs quid de Castellanis Insulensibus vel aliqui sentiant, vel monumenta vrbis Insulensis, aliorúmque locorum proferant. Non equidem inficias iuerim, hæc tam doctè, quàm prolixè ab Florentio Vanderhario, quem suprà laudaui, duobus ferè libris comprehensa fuisse; vt actum agere videar, si quid horum nunc ingeram. Verùm quoniam & Gallico sermone libros is suos conscripsit, & nonnulla silentio prætermisit, quæ mihi subticenda non videntur: hæc potissimùm de ipsis breuiter docere
D cōstitui; quando cœperint florere Castellani Insulenses; quod eorum olim officium fuerit; quid modò sint; quid ipsis pręstare debuerint ciues Insulani; qua serie temporum vixerint; in quas abiuerint familias; quid rerum gesserint.

Igitur qui primus aliqua de Castellanis Insulensibus memoriæ tradidit, is fuisse videtur Clemens Sainguinius armorum rex, seu fecialis, magna vir quidem eloquentia, & multarum rerum cognitione præditus, verùm incertæ admodum fidei: ex quo sanè nihil certum vel de initiis, vel de successionibus Castellanorum erui possit. Eo posterior Franciscus Pietinus Phanepinensis Canonicus Regularis multum studij & operæ consumpsit, tum vt Clementis errores conuelleret, tum vt seriem Castellanorum ab ipsis arcesseret primordiis, eorumque facta describeret. Ingenuè tamen is fatetur, quamuis multò veriora, quàm Clemens, de Castellanis nostris compererit, nihil se tamen assecutum, DE CASTELLANIS INSVLENSIBVS QVI SCRIPSERINT. CLEMENS SAINGVINIVS. FRANCISCVS PIETINVS.

vnde certum aliquid afferat, vt probet, quo tempore ij cœperint, vnde profluxerit corũ origo. Neque Florentius Vanderharius de his audet aliquid asserere, quantumuis studij ad hoc incumbens opus vtiliter collocauerit, homo sanè legendi vetus, & multę antiquitatis indagator. Hęc itaque mihi, ne quid laboris susciperem vltrà quęrendo, satis esse videbantur, cùm venit in mẽtem, haud facilè quidpiam reperiri, quo cõstet, aliarum vrbium Castellanos in superiora Saswalonis (qui primus in notitiam venit Castellanorum Insulensium) ætate tempora proiici posse. Nullum ante id tempus ab Iacobo Meiero his in locis nominari video, qui tamen omnium diligentissimus fuit tum vetera monumenta discutiendo, tum officia & dignitates cuique suas assignando. Neque verò, vt particularia proponamus, obuium est alicui vetera scrutanti quidpiam eodem prius tempore, quod ad Tornacenses, vel Duacenses Castellanos pertineat. Neque videtur Baldericus vltra tempus Erluini Castellanorum Cameracensium initia producere, quem constat Cameracensem iniisse pontificatum anno 996. & circiter annum 1012. deposuisse onus fatis absumptum. Verùm neque coniecturis hac in re niti lubet, neque latum vnguem ab aliis discedere, quibus grauior ætas, maiúsque studium plus cognitionis attulit.

Florentius Vanderharius.

Insulenses Castellani quandò cœperint.

A

B

Igitur his omissis, de officio Insulensis Castellani quæ se multa offerunt, expediamus. Placet Vanderhario, primum in hac Flandrię Comitatus parte Comitis Vicarium fuisse, idémque sortitum officium, quod alibi Vicecomites & Burgrauij sustinuerint. Duobus in locis ius dicendi potestatem adeptum, intra muros scilicet vrbis Insulensis, extráque eosdem in agris, quibus Insulensis Castellaniæ nomen adhæserit: ideóque tantum curę complexum, quantum modò simul Bailliuus & Prępositus Insulẽses suscipiunt. postquam enim officio fungi desiit, in vtrumque distractos eius labores; vt ille vrbem extra, hic intra muros, in reipublicæ curam incumbant, malos puniendo, contrà tuendo bonorum res vitámque. eius rei argumento, vtrumque ab Castellano etiam hodie carcerem, satellites aut apparitores, & lictorem accipere; ipsi partem mulctarum tribuere. Quæ non ita dici arbitror, vt velit tum denique Bailliuum Insulæ datum, vbi Castellanus beneficio Comitis in primum euectus Castellaniæ feudatarium nobilem, officium exuit. Palàm enim arguunt multa Insulensium monumenta, etiam antè Bailliuum Insulam habuisse; istic eum ad reipublicæ curam excubasse, alia tamen, quàm modò, præditum potestate.

Quod eorum officium olim?

C

Quid autem erga ciues operæ ex officio impendere Castellano incubuerit, ex ea iurandi formula deprehenditur, quam produnt vetera vrbis Insulanæ monumenta Gallicè olim conscriptam hoc modo: *Sire vous fianchiés & iurés à porter foy, & loyaulté as Bourgeois de le ville de Lille, & le loy & le franchise, les corps & les cateux des Bourgeois & Bourgeoises, & des enfans des bourgeois & des bourgeoises de le ville aidier & wardier à vo pooir. Et se on tort faisoit as bourgeois de le ville dedans le Chastelerie de Lille, ne se ou catel de bourgeois ou de bourgeoises, ou d'enfant de bourgeois y arriestoit, venir deués vous & vos forche auec le forche de le ville, & y estre auec eaux, tant que li honte & li tort fait soit adreschies au bourgeois de le ville; & se li baillius volloit le ville, ou aucun bourgeois, ou bourgeoises, ou enfant de bourgeois mener hors Loy, requerre vous en doibt, que fachies loy en le ville, & vous le deués faire preuc que vous n'en ayés deffence d'ou seigneur de le Tierre, ou de personne de par lius. Et deués vne fie, aultre & tierche aller à vo frait au Seigneur de le tierre, pour prier par vous, & par vos amis, qu'il maine le ville par loy. Et se on va en l'ost, venir deués auoec vo chastellerie, & vos auoeries dedens le ville, & yssir auoec vos bannieres, auoec le commugne de le ville, & aller en l'ost auoec le commugne, & reuenir auoec le commugne a tout vos bannieres iusques en le ville. se vous n'auiés tel soine, que vous n'y peuissiés venir: & adont y deueriés enuoyer personne souffisant pour conduire, mener, & ramener le commugne de le ville, si que dit est: & deués y estre a vo coust & à vo fret en le ville auoec vos pers don castiel, se li ville en a mestier, à estage, treschi à le vollenté d'Eschevins. & tout ensi, que vous l'auez fianchier, si le iurés vous à tenir bien & layalement &c.* Tria igitur ea formula iurandi potissimè comprehendit. Primum eò spectat, vti bona corporáque ciuium Castellanus, ex iure ac priuilegiis vrbis, tueatur; magistratũ ac priuilegia conseruet, ac secundũ leges ius dicat,

Quid præstare Insulensibus olim debuerint.

D

si Bail-

A si Bailliuum contra ius fasque in aliquem ciuium agere contingeret; apud Comitem denique vrbis dominum insistat, vti per Scabinos ciues regantur plectantúrue. Certe priusquam potestatem officiúmque Castellanus exueret, satis constat, eum operam iuri dicundo Insulæ dedisse, in eósque sæpè manus iniecisse, quos aliqua reos crimina fecerant. Vbi ius diceret, curiam habuit, quod Castellum vocabant; ibíque Pares non paucos, qui deciderent, coëgit, vt ex producta iam formula, & aliunde facilè constat. Placet nonnulla de litteris quibusdam decerpere, quibus M. Cantor, G. Scholasticus ecclesiæ Tornacensis, & G. Prior de Fiuia, sententiam aduersus Vrsonem de Fretin equitem, pro libertate ecclesiæ S. Petri Insulensis, anno Christi 1212. tulerunt: vti palàm fiat, Castellanum officio fungentem, ad suspectorum, vel reorum criminis prehensionem vigilasse. Igitur illic hęc inter alia leguntur: *Hubertus sacerdos iuratus dixit, quòd tempore Robini Præpositi vidit & præsens fuit, quòd dominus Robinus liberauit quendam hominem S. Petri, quem ceperat Ioannes Castellanus Insulensis in foro, quia non audebat aliquis Burgensis manum mittere in eum propter*
B *libertatem S. Petri.* Paullò pòst, cùm inducitur testimonium Petri sacerdotis de Verlenghehem: *Vidit etiam, quòd quando Castellanus & Regina saisiuerant catalla sua, S. Petrus liberabat ea.* Deinde: *Euerardus de le Hutem idem dixit, quòd vidit, quòd S. Petrus cõduxit hospites suos, cubantes & leuantes, & liberabat in qualibet curia; & vidit quẽdam hominem ex hominibus S. Petri, qui erat conuictus in Castello, liberari per ecclesiam S. Petri.* Denique: *Fulco de Wascemi idem dixit, tempore Castellani Hugonis, & Ioannis, Gilleberti, quòd quandò capiebant homines S. Petri, ecclesia liberabat eos.* Proponit etiam præclarum Gualterus Morinensis Canonicus exemplum, ex quo Castellanum Insulensem agnoscamus prehendẽdis criminum auctoribus operam ex officio impendere debuisse. Sic enim is habet, dum de Burchardo Vanderstratio, qui fœdissimo Carolum Flandriæ Comitem parricidio interemit, sermonem instituit: *Hugo ergo communicato cum Fratribus suis consilio, licet nepotem suum seruare magis, si tamen auderet, quàm prodere, maluisset; Insulano tamen Castellano, & Burgensibus Burchardum se*
C *nuntiauit inuenisse; & citò venirent, ac tanti criminis reum vltione, quam dignam arbitrarentur, punirent, mandauit.*

Alterum, quod formula iuramenti suggerit, iubet Castellanum factam ciuibus iniuriam armis & viribus vindicare. Id quomodò perageretur, posteà prolixiùs explicabo, nunc paucis tantùm indicare allubet. Vbi compertum fuit, aliquem ciuium à quopiam extra vrbem in Castellania Insulensi commorante, grauiter læsum, vel occisum fuisse, in eum iure agebatur. Si nihil ea via proficeretur, dato campanæ signo, & palàm expositis in foro vexillis, ad arma ciues euocabantur. His effusis oppidi porta, domúmque rei perductis, ter ille, foras vt prodiret, ciebatur. Vbi comparebat, in vrbem eum deducebant subeundi iudicij ergo. Si post tertiam euocationem subterfugeret, ignis eius domui iniiciebatur; quidquid illic erat, incendium consumebat, excepto, si quod esset, sacello. Ad id negotij quoties Castellanum Ducem poscebant vrbis Senatores, is ex officio & de facto inquirere, & comperta rei veritate Respectorem vrbis, ciuésque domum rei ducere tenebatur; illi flammas *Cap. 11.*
D apponere; haud priùs in vrbem eos reducere, quàm proclamatum esset, ne quis indequidpiam auferret, flammæ omnia corrumperent; vt hoc peracto, illata ciui vindicaretur iniuria.

Quod verò in formula iurisiurandi tertiùm dicitur, Castellano necessitatem copias Insulenses in castra ducendi iniicit. Si carmen illud, quo ciues ad arma cieri superiùs ostendimus, in memoriam reuocare libeat, facilè constabit, non modò Comitis mandato, verùm etiam Castellani nostri nomine, arma indici. Et certum est, inter equites Flandros eum gradum Castellano Insulensi datum, vt inter vexilliferos, quos Galli Bannerets, quidam Bandophoros vocant, censeretur. Quin si quosdam audiamus, eam ipse dignitatem adeptus est, vt perpetuum Flandriæ Conestabilis, vel Magister equitum esset. Igitur si Castellano integrum erat, ipsum copias Insulenses ducere oportebat. si quædam negotia occupatum alibi sonticè detinebant, qui duceret, aliquem præficere cogebatur. Quod cecinit Guilelmus *Oudegh. c. 46.*

Brito de gestis Philippi Augusti libro secundo, cùm Flandrorum copias enumeraret, quas bellum facturus aduersus regem pro Comitatu Veromandiæ Philippus Elsatius Flandriæ Comes coëgerat, id de Castellano Hugone intelligendum vult Florentius Vanderharius, vt Nichous, pro Hugoius, legatur, qui duxerit Insulenses. Hæc sunt Guilelmi carmina: A

Insula post illos. Nichous exerit arma
Hostica, non paucas armans in bella phalanges.

Sanè vixit eodem Hugo tempore, vti non pauca diplomata vel Phanopini, vel alibi significant. Et pronum fuit vitio scriptorum, vel impressorum, Hugoi nomen in Nichoi traducere. Eorum, quos Insulensium Duces ciuium fecerint Castellani, aliquos hîc ponam ex monumentis Insulensibus depromptos. Anno 1276. Ioannes Castellanus Guidonem Flandriæ Comitem aduersus Leodiensium Pontificem bello secutus, duos Equites auratos ducendis eodem Insulensibus copiis præfecit. B Anno 1292. quòd Castellanus negotiis distringeretur, Ioannis de la Haye huius vicarij flagitatione, Thomas Insulensibus Castellanis ortus, nondum tamen Equitis adeptus dignitatem, ducendi Quercetum in Hannoniam Insulenses curam suscepit. Nolim etiam transire silentio id, quod formula iuramenti de Aduocatiis proponit, quas vnà tenebatur cum Insulensibus ad bellum ducere Castellanus. Illic enim significatur, quarumdam villarum, seu pagorum, quos tueri ex officio debebat, incolas simul cum Insulæ ciuibus à Castellano in castra ducendos. Quæ verò ea fuerint loca, iam antè ex veteri Senatorum libro exposui.

Hunc lib. c. 4.

At hæc olim fuerunt. Modò curam officiúmque posuere Castellani vel iuris vice Comitis dicendi, vel reos persequendi: ipsísque satis est, primo Salæ, vt vocant, beneficio, ceteris perpetuùm anteire Insulensis Castellaniæ nobilibus viris. Vrbi tamen adhuc obstringuntur, & ipsam, & leges eius tuendi obligatione, C vti me docuit sacramentum, quo Iacobus Sabaudus Romontij Comes, ac per vxorem Castellanus Insulensis eius rei fidem dedit anno post millesimum & quadringentesimum octogesimo tertio. Quo verò tempore in feudum transierit Castellani dignitas, distracto in Bailliuum & Præpositum vrbis officio, parùm sanè liquet. Certum tamen videtur, longè priùs id factum fuisse, quàm Iacobus Sabaudus matrimonio sibi Castellanam iungeret. Quippe iam tum anno 1393. Euerardum le Cheure Præpositum nobis exhibent Fasti Senatorij legendis Senatoribus ab Duce Burgundiæ cum aliis adhibitum. Ceterùm etiam hoc tempore multa monasteria sub Insulensis Castellani patrocinio quadamtenus conquiescunt, eúmque defensorem & Aduocatum habent, propter pagos, villasque in variis Castellaniæ partibus iacentes. De Phanopinensi Monasterio, eiusque possessionibus omnibus id certum est iis ex litteris, quas Guilelmus Insulensis Castellanus, & Ioannes Castellanus Peronensis eius nepos ac heres, dederunt Phanopinensibus anno Saluatoris 1234. vbi hæc inter alia: *Et le Chastelain doit l'Eglise de Phalempin & toutes ses appendances deffendre & warandir en bonne foy, comme Auoës de l'eglise.* D Idémque constat ex litteris Ludouici Luxemburgij Franciæ Conestabilis, & Castellani Insulensis, quibus Flandriæ Comiti omnia enumerat, quæcumque sibi propter feudum in Castellania competunt. Ceteri tum pagi, tum vici, quos idem, vt Aduocatus, obnoxios habet, quósque tueri tenetur, ab eodem Ludouico iisdem litteris comprehenduntur, & suis assignãtur singuli monasteriis. Vtrorúmque nomina hic breuiter complector. Diui Vedasti Atrebatensis cœnobio subsunt Enneulinum, Bauuinium, Mons Pabulanus; Abbatiæ S. Petri in monte Blandinio Gandaui, Camphinium & Ennetiera; S. Bertini Audomaropolitano monasterio, pars quædam Salommé iuxta Basseam; S. Trudonis asceterio in Hasbania, Prouuinium; S. Quintini in Insula phrontisterio, quædam in Melanthoiso Sainghinij portio; Prioratui Gorrensi, domus

Castellanus Insulensis multorum est monasteriorum Aduocatus.

quædam,

A quædam, quam Harteuent nuncupant. His omnibus Anecuriam annumerant Insulensia monumenta.

Nunc verò videamus, quid Insulenses suis olim Castellanis præstare oportuerit: & num iam aliquo teneantur officio eorum inaugurationem celebrare. Quæ Castellanis ipsos quondam obstrictos habuerint, qua vtebantur, iurandi formula satis indicat. Ea sic vetusto sermone Gallico loquebatur: *Sire nous fianchons & iurons, que se vous auez mestier de l'ayuwe de le ville, que li ville vous doit aidier à sauuer vo corps & vo tierre, si lonc, que li castellerie dure. Et y doit li ville, & li commugne aller à armes, quant de vous, ou de vo certain message en sera requise, ensi que de soleil luisant doit issir le ville, & de soleil luisant doit entrer en le ville. Et se vous auiez mestier d'armes, que bourgeois ayt en le ville, on les vos doit faire auoir, sauf chou, que le bourgeois en demeure garnis pour sen corps, & pour se maisnie telles armes que à lui appartient. Et s'il vos plaisoit el temps, que tel wiere, ou tel estrit ariez, retourner en le ville, loiaus denrees vous doit on faire auoir, & à ceux, qui auec vous seroint: & si deuez auoir vo entrer, & vo issir en le ville, & vos gens à vo volenté. Et si doit on faire ban & deffence par le ville sour l'amistié, que nus ne presle armes ne cheuaus à cheus qui seroient contre le Chastelain, & que nus ne les herberghe, ne soustroicte, ne leur face vinage ne amistet, tant qu'ils seront en wierre contre le Chastelain. & que si li Sires de le Tierre voloit le Castelain mener hors loy, enuoyer doist li ville a sen coust & a sen frait au Seigneur de le Tierre pour luy prier qu'il maine le Castelain par loy. Et toutes ches choses sont à entendre viers tous hommes, fors viers le Seigneur de le tierre.* In eo igitur ciuium Insulensium aduersus Castellanum officium præsertim versatur, vt Castellani corpus ac bona tueantur; vbi res postulat, contra eius hostes arma corripiant, intra fines Castellaniæ ab ortu solis ad occasum vsque pro ipso copias ex vrbe deducant; arma ipsi suppeditent & commeatum; eius hostibus arma viresque ne sufficiant; si ab Comite secius tractetur, quàm iura legésque patiantur, apud eum pro ipso intercedant.

QVID INSVLENSES CASTELLANO SVO PRÆSTARE DEBEANT.

B

C Solitos prætereà Insulenses Castellanum vrbem primùm ineuntem aliqua non mediocri pompa excipere, ac quibusdam muneribus donare, ipsa me docent Senatorij libri monumenta. Anno Christi 1422. die Nouembris 17. Comes S. Pauli Castellanus Insulensis, vti fidem pręstaret Insulensibus, primùm Insulam venit. Egressus vrbe Senatus omnis obuiam iuit, vt Haubourdinio digressum exciperet, ac intra muros duceret. In curia Senatorum vtrimque iuramento fides stipulata. Vas vnum vini rubri, & aliquot argenteæ pateræ quinque libras Flandrici ponderis pendentes Castellano ab Senatoribus oblata.

Anno 1481. Petrus Luxemburgius etiam S. Pauli Comes & Castellanus 26. Iulij die ab omnibus magistratibus in vrbem pompa solita deductus est; quæ tamen ipsi donata fuerint post mutuas fidei stipulationes, nondum comperi.

Anno 1483. Ianuarij die decimoquarto Iacobus Sabaudus, Comes Romontij, & Mariæ Luxemburgiæ Ludouici filiæ Insulensis Castellanæ maritus insciis omnibus primùm Insulam aduenit. Quæ res equidem grauiter Senatores affecit, ei solita pompa gratulari cupidos. Iurata tunc vtrimque in Curia fides. Et Iacobo in hospitium deducto Senatus cyathum argenteum auro inductum, & vini pocula octo & quadraginta obtulit, ac summisse deprecatus est, ne noxæ & fraudi duceret, quòd extra muros eum excepturi nō prodierint: id enim sine noxa factum fuisse, omnem in famulum eius culpam traduci oportere, si quid peccatum fuerit, quoniam is minimè steterit de aduentu nunciando promissis. ceterum grata Comiti dona fuere, & Senatus excusatio.

D

A

Series Castellanorum Insulensium.

Capvt XI.

Diu nos ea detinuerunt, quæ de Castellanis Insulensibus dicere propositum erat. Nunc horum superest tum seriem, tum familias pertexere, in quas ipsi temporum successibus abiuere. Et quoniam hoc vtrumque abundè præstitit integro fermè libro Florentius Vanderharius: placet ea nos breuitate constringere, vt ferè tantùm indicemus, quo quisque tempore successerit; quas nuptiis affinitates contraxerit; quibus memoriam sibi conciliauerit factis; vbi sepulturam fuerit adeptus.

Saswalo primus Castellanus Insulensis cognitus.

Igitur qui primus Castellanorum Insulensium vel in diplomatibus, vel in libris B posteritati nomen transmiserit, Saswalonem inuenio. Is, vt vidimus, Phanopinense monasterium anno Domini nono & trigesimo supra millesimum condidit. Quam duxerit vxorem, à nullo proditur. Nec satis video, vtrùm illi cognomen Insulensi adhæserit, quod posteri quidam eius arripuere, & nuper absumptâ letho Margaretâ, Comitis Busquoyani post insignes victorias in Hungaria infeliciter cæsi matre, extinctum est. De morte ac sepulchro ipsius hæc apud Franciscum Pietinum in Phanopinensi Chronico leguntur: *Sed quando noster Saswalo, aut vbinam terrarum mortem obierit, incertum quidem est; verùm aiunt illius cadauer in hoc cœnobium illatum, ac pro foribus huius templi sub fornice in pariete exciso, humili admodum sepulchro conditum esse: verùm absque vllis indicijs. Nam cum tumulum nuper refodi iussit R. in Christo Pater D. Andreas Mundet eius cœnobij Abbas dignissimus, veritatis cognoscendæ studio: at nullum prorsus argumentum eius apparuit. Ea tamen persuasio omnium animos habet.*

Quis proximus ipsum exceperit, inter Franciscum Pietinum, & Florentium C Vanderharium ingens omninò est controuersia. Rogerium eius nominis primum Saswaloni sufficit Pietinus in libello de Castellanis Insulensibus, cúmque nepotem eius fuisse arbitratur. Sed nullum inter vtrumque floruisse vix ordo temporum permittit. Quanta enim annorum series ab anno 1039. quo Saswalo admodum senex monasterium Phanopinense fundauit, ad annum vsque 1090. quo Castellani officium adeptus est hic Rogerius, ipso tradente Pietino? Et verò idem hic auctor sibimet alibi vehementer est contrarius. Cùm enim Phanopinense Chronicon scribens Insulensium Castellanorum texit catalogum, hæc Saswaloni subiicit: *Robertus primus, qui etiam Rogerius dictus est, filius eius Castellanus Insulensis claruit anno* 1050. vbi sanè apertissimè, Saswaloni filium binonimem successisse, asserit. Vanderharius contrà nec Robertum Saswalonis filium agnoscit, nec Saswaloni seniorem Rogerium iungit. Huic enim Gerardum præmittit, quem Iacobus Meierus Buccensem cognominat, ac memorat Richildis Balduini Montensis viduæ, & Arnulphi Infelicis Flandriæ Comitis eius filij tempore, Insulensi castro præpositum fuisse: quémque D Petrus Oudegherstius Castellanum nuncupat Insulensem, & Teutonica scriptum lingua Flandriæ Chronicon nunc Insulensem Castellanum, nunc Arcis Insulanæ præfectum vocitat. Verùm de hoc quid sentiam, dixi superiùs: neque iam facilè illuc perducor, vti credam Castellanum fuisse, quem arci ad custodiam impositum aliqui narrant. Igitur cùm de Rogerio & Gerardo neutri accedam, medius hæreo, & qui Saswaloni Rogerium insertus commiserit, Robertum fuisse arbitror. Cur verò id autumem, bina, quæ vidi apud Phanopinenses Ascetas, diplomata inducunt Tornacensium Episcoporum, Anselmi & Gerardi; quorum ille Robertum Saswalonis, iste Sawalonis filium nominat.

Lib. 3. Annal. Fland.

Cap. 50. Annal. Fland.

Robertus 2. Castell.

Rogerius 3. Castell.

Qui successit Roberto, Rogerius fuit cognomento Senior, Roberti, vt apparet, filius, & nepos Saswalonis. Ogiuam sibi matrimonio copulauit magna fœminam pietate. Horum auspiciis & liberalitate monasterium Phanopinense, quod iam penè

conci-

A conciderat, in pristinum est redditum nitorem, & reformatis Canonicis Regularibus, vt appellant, traditum: quemadmodum antè narrauimus.

Horum filius item Rogerij nomine cognitus, patrem excepit. De hoc apud Pietinum in Chronico Phanopinensi hæc lego: *Robertus secundus, qui etiam Rogerius dictus, tertius huius nominis, filius eius, Castellanus Insulensis floruit an.* 1140. Verùm sine dubio in errorem hic lapsus est Pietinus, dum ex duobus Castellanis vnicum facit. Facilè námque deprehenditur, Rogerium Iuniorem Insulensem Castellaniam patre mortuo adiuisse, huiúsque Rogerij filium natu maximum Robertum, eius nominis secundum, eodem officio posteà claruisse: quam successionem etiam agnoscit Vanderharius. Quid causæ Pietinum induxerit, procliue est arguere. Non satis scilicet Phanopinensis Archiui litteras excusserat, ideóque Rogerium & Robertum eius filium ac successorem pro vnico censuit, qui morte vitam amiserit circiter annum Christi millesimum centesimum & quinquagesimum. Nam vtriusque mentionem ingerunt diuersis temporibus Phanopinensia monumenta. Quæ Rogerius cœnobio Phanopinensi attribuit, Summus Pontifex Alexander, Theodoricus Elsatius, Philippus huius filius, diuersis litteris confirmant, quas, ipso è viuis ablato, rogati scripsere. Quæ Robertus eidem obtulit, stabiliuntur litteris ab Simone Tornacensi pontifice anno 1143. conscriptis. Et ne sit vltrà dubitandi locus, vtriusque nomen separatim exhibet diploma Guilelmi Normanniæ Ducis priuilegia Audomorensis oppidi confirmantis anno salutis 1127. quod sanè tempus infra Rogerij Senioris ætatem descendit, cùm, vel Pietino teste, vix annum 1110. excesserit: vt tollatur omnis dubitatio, ne per Rogerium in ea subscriptione, Senior sit accipiendus. Ad hæc binæ apud Phanopinenses litteræ nostram stabiliunt opinionem. Earum enim prioribus hæc continentur: *Quos Robertus Castellanus frater eius Ierosolymam proficiscens ecclesiæ in eleemosynam dederat, & duo plaustrata nemoris, quæ pater eorum singulis hebdomadis ecclesiæ concesserat.* Posterioribus autem ista: *Quæ de eleemosyna Rogerij Castellani, & Roberti filij sui ecclesiæ diminuta erant.* Et ne quenquam dubium incessat, verénè hæc scripta fuerint, harum auctor est litterarum tertius Phanopinensis Abbas Hemfridus, qui priores anno 1155. alteras anno 1156. exarauit. Ceterùm si quid de Castellani huius in cœnobium Phanopinense munificentia cognoscere aues, ea consule, quæ suprà de ipso in eius Abbatiæ fundatione narrauimus. Ad Rogerij liberos quod attinet, mares omninò quatuor habuit, Robertum, Raynaldum, Hugonem, Rogerium; ac filiam vnicam nomine Saram; vt rectè libris suis mandauit Florentius Vanderharius: longè profectò aliter, quàm Pietinus fecerat, qui perperam Rogerio Seniori Robertum vel Rogerium, Reinaldum, & Hugonem ex his filios attribuit, quos omnes sibi inuicem successisse non falsò asserit, vt statim patefaciemus.

ROGERIVS 4 CASTELL.

Vt igitur cœptam Castellanorum seriem persequamur, Rogerium patrem Robertus filiorum maximus excepit: eúmque arbitror, ante Domini annum 1143. parente iam vita functo, Castellaniam adeptum; quoniam Simon Episcopus Tornacensis iis, quas eo anno dedit, litteris ipsum disertè Castellanum Insulensem nominat, quod non fecisset superstite patre. Quæ donauit Phanopinensibus Religiosis, iam anteà explorauimus. Ad ipsum referenda sunt, quæ his verbis habet Pietinus in Chronico: *Is relicta fratri suo Reinaldo ditione, sacram militiam professus, dextrúmque humerum insignitus lanea cruce rubra (quam sacram paludamento assutam in bello gestaret) in Asiam militatum abijt annos tres, Theodoricum Elsatium Hierosolymam secundò proficiscentem anno 1147. secutus, cum illa multò maxima expeditione, quæ fraude Græcorum irrita cecidisse traditur, Emmanuele Græcorum Imperatore perfidia plusquam Punica Christianorum farinæ gypsum immiscente. A qua tamen noster Rogerius incolumis domum rediisse creditur vnà cum suo Principe Theodorico anno 1150. Siquidem fratri Reinaldo anno 1162. animam agenti adfuisse legitur.* Nihil enim hìc est, quòd nomine Rogerij mouearis. Disertè siquidem de Roberto Hemfridus Abbas citatis litteris hunc in modum loquitur: *Quos Robertus Castellanus frater eius Ierosolymam proficiscens &c.* Et verò apud Pietinum in Phanopinensi Chronico hæc leguntur: *Reinaldus filius Rogerij*

ROBERTVS 5. CASTELL.

(Margin letters B, C, D mark later sections of the page.)

gerij & Ogiuæ, Castellaniæ Insulensis ditionem à fratre Roberto Hierosolymam proficiscente accepit: donóne, an pecunia numerata (vt multi ea ætate ob sacros sumptus suam ditionem vendidisse leguntur) incertum est. Abiit autem è viuis Robertus nulla sobole relicta. Num tam serò mortem oppetierit, vt annum 1162. attingeret, omnino dubito; & potiùs contrarium admittam. Quod enim habet Pietinus, Rogerium morienti fratri Reinaldo adfuisse, nullo modo ad eum spectat, verùm de ipsius fratre Rogerio natu minimo dicitur, quemadmodum ex his Philippi Elsatij verbis colligitur, dum litteris ecclesiæ Phanopinensis bona confirmat: *Illud quoque nolo præteriri, quòd Renaldus prædictus Castellanus moriens, me præsente & concedente, coram fratribus suis Hugone & Rogero & sorore hoc ipsum concedentibus, præfatæ ecclesiæ dedit.* A

REINALDVS 6. CASTELL. Vt autem ex dictis certissimum euadit, post Robertum frater eius Reinaldus Insulensium fuit Castellanus. Nuptiásne is aliquas contraxerit, incertum habeo. certè nullius parens prolis hominem exuit anno 1162. De muneribus ab eo Phanopinensibus concessis, dictum est alibi.

HVGO 7. CASTELL. Hunc secutus est Hugo frater filiorum Rogerij Iunioris tertius. Per matrimonium in manus ei venit Ermentrudis, è qua duos sustulit filios, vtrumque Ioannem nomine. Horum minor Phanopinensis Abbas multos annos exstitit: maior militiæ nomen dedit. Quàm in Phanopinense monasterium sese liberalem præstiterit, suprà retulimus. B

IOANNES 8. CASTELL. Hugone mortuo, grandior natu filiorum eius Ioannes paternas opes & officium iniit anno ferè 1177. Haud dubiè virum sapientem esse oportuit, quoniam Balduinus Flandriæ Comes, qui posteà Byzantinus fuit Imperator, cum Mariæ coniugi suæ à consiliis esse voluit, cum, eâ in Belgio relictâ, sacrum iter aggressus est anno 1200. Mathildem Bethunæam coniugem duxit, Pontis Rorardi, Meulembeckæ, & Blaringhemi dominam. Ex ea nati sunt ei Robertus, Rogerius, Guilelmus, Nicolaus, & Elizabeth.

Pet. Oudegh.

ROGERIVS 9. CASTELL. Quòd iam Robertus absque liberis, nondum exempto viuis parente, extremum diem obiuisset, frater eius Rogerius patri successit. Id quod suis ipse litteris testatur, Mariam duxit vxorem, quæ nullam ipsi prolem dedit, vitámque anno 1217. perdidit. Clemens Sainghinius coniugē ei tribuit Clementiam Hellini Armenteriç domini filiam: vt possimus arbitrari hanc eum secundis nuptiis accepisse; cùm asserat Pietinus, ante ipsum Mariam vita defunctam. De Rogerio hæc idem Pietinus proponit in Phanopinensi Chronico: *Conditor fuit eius sacelli, quod apud Ploichium Phanopinæ partim, partim Siclinianæ parochiæ vicum D. Petro Apostolo 29. Maij dicatum est. In ornamentum D. Piati Martyris capitis dedit Siclinianis sacerdotibus quidquid aureorum monilium & argenteorum, ac vasorum ex argento sibi fuerat. Iisdem sacerdotibus dedit quotannis duas raserias, quas vocant, tritici, & auenæ tantumdem. Nostro cænobio dono dedit 120. libras semel. Fuit eques honoratus, quem militem vocant.* Quæ donauit S. Petri templo Insulæ, iam à nobis ea memorata sunt, quando res eius ecclesiæ stylo sumus prosecuti. Si fides sit adhibenda Pietino, fundum dedit Ioannæ Flandrorum Principi, anno Salutis 1225. vt S. Iacobi domum hospitalem erigeret. Verùm, vt alibi docemus, eam sibi donationem tribuunt Insulenses Scabini. Apud Ascham in Brabantia rem fortiter gessit, cùm Ferrandus Flandriæ Comes Henricum Brabantiæ Ducem prælio aggressus est, eúmque viuum cepit anno 1217. Clemens Sainghinius fatis absumptum refert anno 1229. & in monasterio Laudensi terræ traditum: quamquam hîc nullum tumuli eius exstet modò vestigium. C D

GVILELMVS 10. CASTELLAN. Quoniam verò absque liberis Rogerius vitam posuit, eius hereditatem Guilelmus fratrum proximus capessiuit, factúsque est Insulensis Castellanus, quamuis adeptus Insulæ D. Petri Præposituram subdiaconatus ordine fulgeret. Eum præsertim vnà cum Decano & Capitulo Canonicorum S. Petri fundatorem suum agnoscunt Insulenses D. Dominici asseclæ: ipsique S. Ioannis Euangelistæ sacelli, quod in æde S. Petri Insulensis cernitur, molitionem adscribunt Canonici. Corpus eius in Laudensis monasterij sacro peristyliô iuxta templi ianuam sepulcro mandatum est.

Huic

A Huic nepos Ioannes successit, Castellanus Peronensis, & sororis Elisabethæ filius. Is accepta in vxorem altera Elisabetha, trium factus est parens liberorum, Ioannis, Rogerij, & N. Roberti Waurinij coniugis. Apud auunculum Laude iacet in monasterio. IOANNES II. CASTELLAN.

Post patrem in officium & hereditatem venit Ioannes. Mathildem Mortaigniam, Arnoldo Mortaigniæ domino, & Tornacensi Castellano patre progenitam, in coniugem accepit, ex eáque gnatos quatuordecim habuit. Hæc de ipso Pietinus in Phanopinensi Chronico: *Eius ætate claruit Ioannes Castellanus Insulensis eius nominis tertius, eques honoratus, superioris Ioannis Peronensis & Insulensis Castellani filius, vir admodum pius, & liberalis: de quo multa perperam prodidit Clemens à Singuinio ex duobus vnum faciens. Nec minùs hallucinatus est in eius parentibus inueniendis, quod multis ac solidis testimonijs mihi constat. Exstant eius ad nos tabulæ annis 1265. 1271. & 1273. datæ. Multas opes ac priuilegia varijs templis ac cœnobijs largitus est, dum viueret, Laudi nominatim. Nostro etiam cœnobio dono dedit viginti libras semel, & viuarium, quod palustre* B *vulgò, aut maretz dicitur, hoc Nicolao Abbate, 1273. tabulis inde confectis, quibus eam donationem ipse vxórque eius ratam habuerunt. Riuum, qui ab Haubourdinio ad Insulam excurrit, sua industria, ac sumptu nauigabilem fecisse proditum est.* Ita Pietinus, nonnihil in eo dignus animaduersione, quod de riuo memoriæ tradidit. Is enim non ab Haubourdinio tantum, sed etiam ab oppido Bassea per quinque leucas Insulam vsque Ioannis opera ductus est, cùm Insulenses ei mille & quingentos florenos in sumptus necessarios numerassent. Intra Laudensis monasterij claustrum, iuxta parentem, in magnifico iacet mausoleo, quod eius, coniugis, ac liberorum quatuordecim effigies repræsentat. Adscriptum ipsi hoc epitaphium in tumuli pede, quod propter vetustatem difficulter legitur, & nonnulla obscuritate ac mendis laborat. IOANNES II. CASTELLAN. *Litt. Ioan. & Insul.*

Tres C. *pone quater*, L. X. *bis*, I. *duplica ter.*
Annis sub Christo numero currentibus isto,
C *Sextò sex annis vita florente Ioannis,*
Simonis & Iudæ prope festum mors quasi sude
Eius fodit hepar, cui rarus inest patriæ par,
Prudens, formosus, pietate fruens, animosus,
Dando iudicio constans, à limite recti
Nec prece, nec precio poterat cor nobile flecti.
Christo deuotus orat; à plebe remotus,
Perfusus lachrymis, animum tollebat ab imis.
† scilicet, de pœnis † *Exime, de venia spe fixa virgo Maria.*

Iuxtim pro vxore hæc cernuntur carmina:

Digna viro tali meritò Magtildis amanda
Lege maritali, spe prolis ei socianda.
D *Consensit gratis, cui Mauritania patre,*
Couchiacus matre tituli sunt nobilitatis.
Ex qua, lege Dei seruata, nobilis heros
Bis septem pueros genuit miræ speciei.
Hæc, vt prædixit, quasi turtur & viduata,
Esse Deo grata satagens, castißima vixit.
Ad redimenda viri peccata remedia quærens,
Instabat mœrens, cum quo voluit sepeliri.
Lector, quotidie, pietas monet, à monumento
Vt superis iuncti viuant, orare memento.

Verùm etsi memoriæ Mathildis hi versus consecrati eo loco legantur, eius tamen corpus

corpus ſepulturam in Phanopinenſis Abbatiæ templo ſortitum eſt. Sic enim hac de muliere nobiliſſima ſcripſit in Chronico ſuo Pietinus: *Matildis à Moretania, ſiue mortuo ſtagno, Barona Phanopinenſis, vxor eius fuit; quæ ſuis opibus ſacellum D. Petri à Ploichio, quod Rogerius Quartus extruxerat. Poſt fata, quæ ſubijt anno 1311. Aprilis 17. die, in hoc noſtro cœnobio condita ſub marmoreo ſaxo ad læuam ſuperioris chori, ſecus pro nepotis ſui Ioannis à Lucemburgo tumulum.* Ceterùm Laudenſes Religioſi Ioannem ſuos inter benefactores collocant. A

IOANNES 13. CASTELL. E liberis huius, Ioannes omnium primus paternam creuit hereditatem, & Caſtellanus Inſulenſis renuntiatus eſt. Fuit ei coniux Beatrix Clermontia, vel Neella, Rodulphi Franciæ Coneſtabilis ſoror. Simonem & Guyottam liberos reliquit iuxta Cortracum pugna Groeninghana cæſus anno 1302.

VVALERANDVS LVXEMBVRG. 14 CASTELL. Intra fines adoleſcentiæ mortuo fratre, Guyotta paternas opes adiit, ſecúmque ex Inſulenſi familia (quæ per Thomam eius patruum, & Freſnoyenſem dominum propagata, in matrem Buſquoyani Comitis ab Hungaris interempti, cognomen Inſulenſe protraxit) in Luxemburgicam domum, cui Lignyæ cognomentum adhæſit, Caſtellaniam Inſulenſem tranſtulit, iuncta per nuptias Walerando Luxemburgio, Henrici Septimi Cæſaris cognato, & Lignyj, Rouſſij, Beaureuoirij & Deinſæ domino. B

IOANNES LVXEMBVRG. 15. CASTELL. Ex eo natus coniugio Ioannes Luxembergius Inſulæ Caſtellanus factus eſt. Aliſam Flandricam Guidonis Flandrici & Namurcenſis filiam, Guidonis Flandriæ Comitis neptem, Richebourgij & Archinghehemi dominio pollentem matrimonio ſibi copulauit.

GVIDO LVXEMBVRG. 16. CASTELL. Suſceptus iis nuptiis Guido Luxemburgius, & primus Lignyj ac Rouſſij Comes, paternas & maternas poſſeſſiones, vnáque Inſulenſem Caſtellaniam in ſuam traxit dynaſtiam. Cuius filiam ſibi per nuptias illigauerit, alius aliò trahit. Franciſcus Pietinus Mathildem Chaſtillioniam Guidonis S. Pauli Comitis, & Mariæ Britannicæ filiam vnicam, ideóque paternarum heredem ditionum, ei tribuit vxorem. Contrà, Meurchinij dominus Alexander Mathildi patrem aſſerit Ioannem Chaſtillionium S. Pauli Comitem, matrem verò Ioannam Fienneſam Roberti Fiennarum dynaſtæ, & Franciæ Coneſtabilis filiam, quæ marito S. Pauli Comitatum, & Fiennas attulerit. Cum Alexandro cenſet Florentius Vanderharius; cum Pietino Ferreolus Locrius, qui diſertè memorat Mariæ parentes Ioannem Britanniæ & Brabantię Ducem, ac Beatricem Richemontij Comitiſſam, Eduardi Anglorum regis filiam. Verùm iis, quæ Locrius narrat, obrogare videntur Paradinus, & Pontus Heuterus, qui Ioanni & Beatrici vnicam filiam, eámque non Mariam, ſed Blancham, Philippo Arteſio nuptam, tribuunt. Quæ res facit, vti Alexandro potius adhæream. Certè Iacobus Meierus Ioannis Chaſtillonij mentionem ingerit, cùm eos enumerat, qui Bethuniam pro Philippo rege Franciæ aduerſus Flandros tutabantur anno Domini 1346. prorſus apto tempore, vt is Mathildis pater fuerit, cùm Guido Luxemburgius Caſtellaniam adiuerit anno 1364. Et fatetur Pietinus, Walerandum Guidonis filium eiuſdem familiæ primum ſuis inſeruiſſe titulis Fiennarum dynaſtiam. C

VVALERANDVS 17. CASTELL. Poſt Guidonem filius eius Walerandus in paternam receptus eſt dignitatem & hereditatem. Binas is contraxit nuptias. Primis accepit Mathildem Thomæ Hollandi filiam, & ſororem Richardi hoc nomine Secundi Angliæ regis vterinam: ſecundis Bonam Henrici Ducis Barenſis filiam. Vnicam modò filiam ſuſtulit, vti Meierus cenſet, è poſteriori matrimonio, contrà ex altero, vti vult Oudegherſtius, Ioannam nomine. In Francia Stabuli Comes claruit. D

ANTONIVS VALESIVS 18. CASTELL. Ioannæ ditionum paternarum heredi maritus obtigit Antonius Valeſius cognomento Burgundus, Brabantiæ Dux, & Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filius. Ex eo matrimonio filij duo ſuſcepti, Ioannes & Philippus: quorum ille Ducatum Brabantiæ obtinuit, & Louanienſem Academiam condidit; hic verò maternam adeptus hereditatem, etiam Inſulæ Caſtellaniam adiit.

PHILIPPVS VALESIVS 19. CASTELL. PETRVS LVXEMBVRG. 20. CASTELL. Philippo abſque liberis defuncto, venit in eius ditiones iure cognationis Petrus Luxemburgius Ioannis Beaureuorij toparchæ filius, Guidonis Luxemburgij S.

Pauli

A Pauli Comitis nepos: ideóque factus est S. Pauli, Brianæ, Conuersani Comes, & Insulensis Castellanus. Mariam de Baulx maximo natu filiam Francisci Ducis Andriæ filiam duxit vxorem.

LVDOVICVS LVXEMBVRG. 21. CASTELL.

In Ludouicum Petri filium paterna cecidit hereditas, & Insulensis Castellania. Duas sibi iunxit vxores, Ioannam Barensem Marleæ & Suessionis Comitissam, Ghistellæ, Dumkerkæ, Warnestuni dominam: & Mariam Sabaudam Ludouici Ducis filiam, Amedei in summum Pontificem electi neptem. Magister equitum Franciæ iussu regis suo Parisios cruore, ferro cæsus, imbuit anno 1476. quòd proditionis suspiceretur.

PETRVS LVXEMBVRG. 22. CASTELL.

E Ludouici liberis Petrus secundo loco natus S. Pauli Comes effectus, etiam Insulensem Castellaniam obtinuit. In manus eius per nuptias venit Maria Sabauda, quæ duas ei filias peperit, Mariam & Franciscam.

IACOBVS SABAVD. 23. CASTELL. FRANCISCVS BOVRBONIVS 24. CASTELL.

Mariæ paternum adeptæ patrimonium maritus obtigit primis nuptiis Iacobus Sabaudus auunculus & patrinus, Romontij Comes, Lutosæ & Condati toparcha, B Ducis Ludouici filius: secundis Franciscus Bourbonius Comes Vindocinensis.

CAROLVS BOVRBONIVS 25. CASTELL.

Susceptus è Francisco Carolus Ducis Vindocinensis titulum primus induit. Vxorem accepit Franciscam Alenconiam, quæ multæ ipsum parentem prolis fecit.

ANTONIVS BOVRBONIVS 26. CASTELL.

Secundo loco natus iis nuptiis Antonius Vindocinensem Ducatum & Castellaniam Insulensem tenuit. Quam sibi matrimonio iunxerat, Ioanna regis Nauarræ Henrici filia, Nauarrei regis titulum, & Henricum filium dedit.

HENRICVS FRANCIÆ REX ET NAVARRÆ 27. CASTELL. LVDOVICVS FRANCIÆ ET NAVARRÆ REX 28. CASTELL.

Paternarum factus heres ditionum Henricus, Franciæ monarchiam denique obtinuit, & iuncta sibi Maria Medicæa, inter alios filios Ludouicum genuit, qui modò tertiùs ac decimus eius nominis Franciæ regnum moderatur, minimè spreta Insulæ Castellania.

C

De Baillivis Gallo-flandriæ.

CAPVT XII.



BAILLIVI vocabulum à Gallico idiomate ductum videtur. Quibusdam enim Gallorum, Baillia potentiam & gubernationem significat; nonnullis, custodiam tutelámque. Hanc deriuationem nominis dum expendit Iacobus Marchantius, ita loquitur in Flandria: *Baillivi nomen à Baila voce Gallica tutelam custodiámque significante, originem elicere videtur. nam illud deducere à Græco βαλιὸς, quod maculosum signat, turpe: à βάλλω, quod petere & impetere denotat, odiosum: & quia virgas manúsque iniectionem Baillivi habent, dicenti periculosum.* Rectène Baillivi Latinè Prætores appellentur, malo ex eiusdem Marchantij verbis condiscas, D quàm meis. *Scabinos*, inquit, *Baillivi dignitate, & loco præeunt: vnde forsitan à cupidis amictus Latini Prætores communiter appellantur, nulla similitudine functionis: quum Scabini potiùs Romanos Prætores, iuris dicendi, condendíque potentes, eminus referre videantur.* Vt autem cognoscas quòd sit officium Baillivi, eiusdem auctoris locum proponere placet, quo Scabinos ab his docet differre. Hæc igitur ipsius verba sunt: *Nostris verò moribus Baillivi Schultheique hoc modo, his officijs à Scabinis differunt: Scabini iudicant, Baillivi iudicatum, & Scabinorum scita, Principúmque constitutiones exequuntur: illi vocationem habent; hi prehensionem, missionem in carcerem, accusationem: illis quotannis honorarium; ab his Principi annua pecunia dependitur, ex mulctarum sorte compensatis: illi annuæ, aut biennij mutationi obnoxij sunt; hi mandati diuturnioris limitibus: denique Scabini iura populi, hi Principis magis respiciunt, eorúmque dynastarum, à quibus committuntur, & Scabinos ad ius in propatulo tribunali dicendum ritè & necessario submonent, atque tribunalis locum potestatémque velut aperiunt, vnde etiam tribunalia nostrati*

BAILLIVI VOCABVLVM VNDE?

BAILLIVI OFFICIVM.

vocabulo Vierscharen, hoc est, quatriturbæ nominantur: quia nimirum quatuor personarum illic vsus est, Actoris, Rei, Iudicis & Baillivi. Huiusmodi autem Magistratus, quos Bailliuos nominamus, quales habeat tum Teutonica tum Gallica Flandrici pars Comitatus, nunc ordo postulat vt despiciamus. Toti Flandriæ primus olim Ludouicus Maleanus Flandriæ Comes cum maxima potestate summum imposuisse Bailliuum, quem Soueraínum appellarit, à quibusdam falsò creditur. Etenim diu antè hunc Magistratum habuisse Flandriam comperio. Quippe litteris Ioannæ Flandrorum Principis Magistratus Insulenses constituentis anno 1235. *Th. de Beuerne Castellanus de Dikesmude, & Bailliuus totius Flandriæ* subscribit. Is quasi supremus criminum, quæ reos capitis arcessunt, quæsitor & vindex, in homicidas, & vagabundos exules incumbit. vbi manus in eos iniecerit, de sententia duorum nobilium Comitis beneficiariorum, vel morte plectit, vel alia pœna castigat, quam causa exigit. In relegatos, furti reos, & homicidij præter voluntatem, aut sese tuendo magis, quàm consilio & insidiosè, patrati compertos, auctoritate sibi permissa, & à Carolo Quinto Cæsare probata, mitiùs agit, vt illis exilij pœnam abroget; his etiam vitam concedat, crimine remisso, vbi damnum passos, & proximum cæsi consanguineum conciliauerint, tum iniunctam sibi secundùm enormitatem & fortunas pecuniam Principi numerauerint; modò Flandriæ Senatui constet, aut cui obnoxij sunt, Magistratui, quæ fassa fuerint, esse veritati consentanea.

SVPREMVS FLANDRIÆ BAILLIVVS OLIM CONSTITVTVS.

Qui verò Bailliuorum nomine & Officio conspicui Flandriæ totius adepti sunt curam, è Gallo-flandris hi præsertim ab Iacobo Meiero & Marchantio numerantur.

E GALLO-FLANDRIS QVI SVPREMI FVERINT FLANDRIÆ BAILLIVI.

IOANNES COMINÆVS. Ioannes Cominij regulus, eques, ab anno 1424. ad 1435. quo vitam exuit.

COLARDVS COMINÆVS. Colardus Cominæus Ioannis germanus, toparcha Ruschuriæ, Watenarum, Buschuriæ, ab anno 1435. ad annum 1453. quo mortem oppetiit.

IVDOCVS HALEVVINVS. Iudocus Halewinus eques, dominus Peenarum ad Casletici montis pedem, ab anno 1453. vsque ad 1472. quo vitam posuit Caroli Ducis Burgundiæ Consiliarius & Cubicularius.

THEODORICVS HALEVVINVS. Theodoricus Halewinus equestri donatus dignitate, & arcanis Burgundiæ Ducis admotus, per aliquot menses, Iudoco Halewino in Anglia legationem obeunte.

IOANNES HALEVVINVS. Ioannes Halewini regulus, & Rolariæ Procomes, quem equestri conspicuum cingulo Carolus Audax Burgundiæ Dux secretis suis & cubiculo adhibuerat, paucis mensibus in officij labores incubuit.

E Bailliuis aliis quidam ditionibus & Castellaniis, vrbibus quidam & pagis à Flandriæ Comite præficiuntur. Inter primos eminet Alostanus, qui semper è principe regionis nobilitate. Id officium ab annis compluribus Villani obtinent, Isseghemij Comites, & Barones Rasseghemij, notum charúmque in Gallo-flandria nomen. Ij námque tametsi Gandauo sint oriundi, & inter cognomina Gandauum præferant: iamdiu tamen in Gallo-flandria Lommij sedem fixere. Ab ea igitur familia tres Alostum Bailliuos continua serie habuit; Maximilianum, de quo priùs diximus, Gallo-flandriæ Gubernatorem, & primum Isseghemij Comitem; Iacobum secundum Isseghemij Comitem, Maximiliano genitum; Philippum Isseghemij Comitem tertium, Iacobi filium, & Maximiliani nepotem, qui modò id onus in alium deposuit factus Gallo-flandriæ Gubernator.

Post Alostensem Bailliuum emicant Gandauensis, Brugensis (quem Schulthetum appellant) Terræ Francæ, seu Franconatensis, Casletensis (qui olim hereditario iure Stauelana de gente, nunc de Hornia per nuptias) Iprensis (qui nunc Wisij regulus, ad quem Busbequa nobilis in Gallo-flandria Baronatus peruenit) Gortracenus, Furnensis, & alij, vbi Teutonica lingua viget.

At in Gallica Flandrici Comitatus parte præter Supremum Bailliuum, tres alij conspiciuntur insigni potestate pollentes, qui sunt Insulensis, Duacensis, & Orchiacenus. Supremus ditionis huius Bailliuus idem, qui Gubernator. Nam varia eum diplomata Supremum Gallo-flandriæ Bailliuum & Gubernatorem iunctim

SVPREMVS GALLO-FLANDRIÆ BAILLIVVS.

nomi-

A nominant. Alia etiam supremi Bailliuatus Gallo-flandricarum vrbium nuncupant Gubernatorem. Et fors priusquàm Gubernatoris nomen inualesceret, Pulchro rege Franciam administrante, is supremus Gallo-flandriæ Magistratus Baillini nomine inuigilabat, minori tamen potestate. Verùm ea de re nihildum è monumentis veteribus erui.

Tres alij Baillini per omnes agros iis vrbibus obnoxios, à quibus appellationem sortiuntur, potestatem porrigunt. Insulensem instituti veteris esse multa produnt. Inuenio iam tum imperante Margareta Guidonis Flandriæ Comitis matre, Michaëlem de Dupla, vel de le Deulle, eo pollentem officio, ad negotia quædam Phanopinensia delegatum anno 1273. In veteri formula ciues Insulanos ad arma bellúmque ciendi, quo tempore Francorum reges Gallo-flandria potiebantur, de mandato Castellani & Bailliui proclamatum video, vt omnes sese armis & rebus ad exercitum necessariis instruerent. Expressa etiam fuit in antiqua iurandi formula, qua se Castellanus Insulensibus obstringebat, vti promitteret, sese, quidquid Bailliuus ciues malè tractando admisisset, emendaturum. Multos verò B Bailliuorum Insulensium à Flandriæ Comitibus legendis Insulæ Magistratibus adhibitos fuisse, Fasti Senatorij fidem faciunt; & quidem anno 1376. Henricum Ricassium. Ac ne parui hoc officium æstimetur, non paucos benè nobiles viros, equestríque ornatos balteo ea floruisse, variis è monumentis & epitaphiis colligo. Florentio Vanderhario huius Bailliui munus è Castellanis Insulensibus fluxisse videtur, ex quo cœperint ipsi totius regionis iurisdictionem exuere, qua priùs pollebant, translato in alios iuris dicendi onere, & retento cum fructibus quibusdam titulo dignitatis hereditariæ. Huic rei pleraque sunt argumenta. Primùm enim Bailliuus in Sala, vt appellant, ius dicit, vbi quondam præerat Castellanus. deinde carcerem, apparitores, & lictorem Castellanus Bailliuo sufficit. ad vltimum idem à Bailliuo tertiam recipit mulctarum partem, quas ij persoluunt, qui in leges ordinarias aliquid commiserint. Verùm ea de re quid sentiam, alibi iam ostendi, cùm de C Castellani officio quædam protuli. Ceterùm magis olim, quàm modò, huius Bailliui officium protendebatur. Haud enim minùs ciuium intra muros degentium negotia causásque, quàm foris agitantium comprehendebat. Ideóque non semel aut liber Fastorum Senatus Insulensis, aut quædam monumenta nonnullos ingerunt, qui simul vrbis Insulensis & Castellaniæ Bailliui nominentur. Vti modò se res habet, cùm de ciuibus intra vrbem considentibus agitur, ad eum nihil pertinet; si de ciuibus extra muros degentibus apud Senatum quæstio mouetur, aut eorum crimen in iudicium huius trahitur, tantum interest, ac submouet. De aliis omnibus in Castellania sedem habentibus alibi cognoscit, & per fœudatarios aut beneficiarios homines decerni curat. Quod olim in aula Comitis Flandriæ, quam Salam vocabant, tribunal haberet, inde factum est; vt eius Curia, vbicumque modò statuatur, illà destructà, etiam hoc tempore Sala nominetur, vnde multa beneficia, & clientelæ nobilium dependent.

INSVLENSIS BAILLIVVS.

Duacensis Bailliuus in Castro Duaci præsidet; in Curia Orchiacensis. Assident D vtrique semper aliquot viri, quos beneficia, vel fœuda Comiti Flandriæ obstringunt: ideóque variis in diplomatibus Homines Comitis appellantur. Horum, eis submonentibus, munus est, de criminibus & causis diligenter agitatis sententiam dicere. Fuerítne quondam Bailliuus Orchiensis Maior appellatus, non equidem certò scio. Sunt, qui arbitrentur ex his Margaretæ Principis Flandriæ verbis, in eo diplomate, quo nonnulla donat Nosocomio vrbi afflito anno 1260. *Modios sex & decimam, quam Theobaldus Maior de Orchies miles, & Ioannes de Castello de Orchies de ipsa tenebant.*

DVACENSIS BAILLIVVS, ET ORCHIACENSIS.

Regr. Gram. in Orchiaco.

Iam verò multa oppida, pagi, vicíque generis alterius Bailliuos habent à Principe; à priuatis etiam dominis quædam accipiunt. In his illi quatuor eminent, quos generales appellant. Qui hos legunt in Castellania Insulensi, quatuor summi iustitiæ administri vocantur. Ij sunt Castellanus Insulensis, Baro Cysoniensis, Waurignij & Cominij toparchæ. Castellani Bailliuus Insulæ, tribunal habet in loco, quem

QVATVOR GENERALES BAILLIVI IN CASTELLANIA INSVLENSI.

mottam, seu collem, dominæ nuncupant, vbi de litibus & causis ditionum domino suo subditarum cognoscere & iudicare homines beneficiarios iubet. In iis alij locis præsunt iudicio, à quibus nomen traxere. Cùm ordines huius regionis euocantur, hi quatuor Bailliui Generales, quòd raro intersint ij reguli, quorum ipsi sunt ministri, non exiguam partem comitiorum constituunt, & multa pollent auctoritate vel negandi, vel concedendi, quæ Princeps auxilia poscit, dein dati & accepti rationes audiendi. A

Ceterùm vbique Bailliui cùm publicè munus funguntur, prælongam gestant virgam ligneam, Balduini Montensis Flandriæ Comitis instituto, vt his verbis post alios indicat Iacobus Marchantius: *Albæ virgæ seu vindictæ, quam longam rectámque Flandriæ Bailliui gerunt, auctor fuit, ad annum* 1068. *quæ & gestantem recti candoris, & prætereuntes reuerentiæ admoneret, & à flagitio cohiberet.*

B

De Præpositis Gallo-flandriæ.

CAPVT XIII.



VERVMENIMVERÒ inter Magistratus & Ministros vel Comitis, vel reipublicæ, non paucos habet Præpositos Gallo-flandria: quibus id nomen sit inditum, vel quòd aliis præponantur, vel quòd publico præficiantur muneri. Horum vnus in totam incumbit regionem; in vrbes singulas, oppidáue, alij.

PRÆPOSITVS MARESCHALLI.

Qui totius ditionis curam sustinet, is Mareschalli, vel castrorum Metatoris, Præpositus appellatur. Eum præsertim quatuor Insulensis Castellaniæ viri nobiles instituunt, quos suprà diximus summæ ius habere iustitiæ, aut eorum Bailliui quatuor. Publicis Ordinum impendiis alitur, & quos habet horum mandato, equos & milites indidem sustentat. Præcipuum munus eius est, regionem frequenter obire, locos omnes latronibus, exulibus & criminum reis tergere. Quos prehenderit, eos Insulam deducit, ibíque sceleris compertos pœnis adiudicat. & ne quid temerè statuat, aliquos habet pro tribunali secum assidentes consiliarios, ex quorum sententia ipse decernit, & reos capite plectit. Olim ei prehensionis ius erat Insulæ. Verùm id sustulit anno Christi 1518. Carolus Quintus Romanorum Imperator. Is enim tum temporis Præposito seuerè mandauit (erat is Thomas de Cuinghien) ne cui deinceps Insulæ vel ciui, vel aduenæ manus iniiceret: nisi fòrs aliquis militum ipsius peccaret, in quem suo iure vbilibet locorum vti permitteretur. C

PRÆPOSITVS INSVLENSIS.

Inter vrbium Præpositos eminet Insulensis. Hic à Principe concessus nullo annorum termino magistratus circumscribitur. Primum inter Senatores occupat locum, siue tribunal adeat, siue publicis conuentibus intersit, quod Comitis Flandriæ personam sustineat. Ad iustitiam exercendam Scabinos submonet. quæ Comes, quæ Senatus mandauerit, sanxeritue, exsequitur in vrbe. In criminum suspectos, iuris interuersores, edicta contemnentes, incumbit. Publicos obit vrbis locos; ad rixas, tumultus, fraudes mercium, adulterinam vel damnatam monetam, vectigalium subductiones, homicidia muros intra deprehendenda, cum suis excubat. quos prehenderit, in custodiam coniicit; de his refert ad Senatum; quid commeruerint, edicit; quam habitis quæstionibus sua Scabini sententia pœnam irrogauerint, per lictorem infligit. Ex mulctarum emolumentis familiam & dignitatem tuetur. Præcipua eius potestas intra vrbis mœnia, vel pomœrium: extra pomœrium, & intra fines Castellaniæ Insulensis nulli manus iniicere potest, nisi forsan aliqui ciues inerrent, lateántue, quos Senatores extra ditionem exilij sententia emiserint. Et si quem prehendat in vrbe, solùm ei pro Senatus tribunali ad causam cognoscendam, & habendam quæstionem sistere licet: vetatúrque vinculis eos absoluere, quos semel ferro vinxerit, & in custodiam miserit, nisi Senatus imperet. D

Neque

A Neque quemquam ciuium domi prehendere potest, nisi Scabinorum aliquis comitetur. Ab olim multos huius vrbis Prępositorum insigni generis nobilitate floruisse; quosdam eorum legendis magistratibus vnà cum aliis Commissariis Comitum Flandriæ voluntate adhibitos fuisse, Fasti Senatorij frequenter ostentant.

Duacense oppidum duos habet Præpositos. Horum alter in potissimam vrbis partem, quæ dextera fluminis obtinet, incumbit. Is Flandriæ Comitis personam sustinens, haud alia ferè potestate, quàm Insulensis, vtitur. Et ne modici nominis, aut dignitatis censeatur id officium, pernobilis & perillustris familia Meluneorum minimè respuit. Iam enim ab annis plusquam centum ei genti titulus adhæsit Præpositi Duacensis, transfuso in posteros hereditario iure obtinendi, quo Barones Antoingij, & Principes Espinoyæ claruerunt. Nunc propter coniugem Meluneo nomine illustrissimam, & Principum Espinoyæ filiam ac sororem, Lignij Princeps inter titulos pręfert. In alteram Duacensis vrbis partem alter Præpositus curas porrigit. Ab eo is legitur, qui Lalano claret Comitatu; & præcipua pollet auctoritate per obnoxium D. Albini dynastiæ oppidi tractum, quæ ad eundem spectat Comitatum. PRIOR PRÆPOSITVS DVACENSIS. ALTER DVACENSIS PRÆPOSITVS.

B

Vnus etiam Præpositus cernitur Armenteriæ, Lannoyæ, & Cysonij non parua, vt præcedentes, præditus potestate. Illum constituit Armenteriæ dominus, qui nunc Princeps Gauerensis: alterum Lannoyani oppidi toparcha, qui nunc Comes Middelburgensis è Merodiana familia: tertium Baro Cysoniensis, qui hodie Lignij Princeps. Non deest suus quoque Halewino, Esquelmisque Præpositus non absimili pollens auctoritate. Et video vtriusque in veteribus monumentis mentionem fieri. adeóque olim floruit Halewini Præpositura, vt Rogerius quidam equestri ornatus dignitate anno 1234. administrauerit. ALII GALLO-FLANDRIÆ PRÆPOSITI.

Basseæ contra duobus Præpositis, & vni Waurignij multò minus potestatis & nominis datum: cùm illi ferè satellitum vel apparitorum, hic carceris præfecti munus obeant.

C

De Senatoribus, aliisque Magistratibus vrbium & oppidorum Gallo-flandriæ.

CAPVT XIV.

EORVM autem Magistratuum, qui corpus Senatorium constituunt, & subditos spectant, in Gallo-flandria quidam annuatim mutantur, quidam ad vitæ exitum perseuerant. Illius generis sunt, Respectores, Scabini, Consiliarij, & Viri huius, Pensionarij, Procuratores, Scribæ. Respectores ij vocantur, quorum munus est circumspicere, vti per vrbem omnia pacificè gerantur; ne quid desit ad tutelam, consulere; absente gubernatore nocturnam vigilibus tesseram dare, claues vrbis seruare. Tales Insulæ, Basseæ, & Siclinij spectantur. Iis proximi sunt Scabini. Hos Escheuinos dicimus Gallica origine, quod reipublicæ damna vitare debeant: quemadmodum Flandri Teutones Scepenos, dein Scabinos nominant. In Capitularibus Caroli Magni, & Ludouici Pij, frequenter Scabinei vocantur. Ij præcipuam Senatus partem conficiunt. Ex munere suo priuilegia iuraque oppidi tuentur: quæ lites in iudicium pertrahuntur, examinatas decidunt: ferendæ sententiæ normam habent statuta municipalia, consuetudines, aut si quæ horum defuerint, ius scriptum & commune. Vbi quispiam criminis arcessitus in manus venerit, cum examinant, fateri nolentem quæstionibus dedunt, & tormentis veritatem extorquent. scelerum compertos pro criminis enormitate pœnis damnant, vitæ necísque domini. Ob hæc munera in dictis Capitularibus Iudices nuncupantur. Hinc scriptum est in Cartulario Besnensis monasterij: *Iudices, quos Scabineos vocant*: ac in veteri Glossario RESPECTORES. SCABINI.

D

 legitur:

legitur: *Scepeno, Iudex.* Horum Principes Senatum conuocant, primas occupant sedes tribunalis, & peractis omnibus, abeundi potestatem faciunt. Quibusdam locis Consiliarij adiunguntur, qui sententia sua, ceu consilio, viam iis ad decernendum muniant. Viros nominant, qui probis moribus eliguntur variis in rebus Scabinos iuuabundi. Qui suggerendis consiliis duo vel tres viri graues, & Legibus imbuti, ab ipso Senatu cooptantur: eos, vel Pensionarios, ab eo, quod dependitur ipsis, ære nominant; vel ab iis, quæ consulunt in publicum, Consiliarios. His velut ore Senatus vtitur, seu proponant aliquid, seu respondeant, seu legationes obeant. Qui procurandis rebus ad vrbis bonum pertinentibus præponitur, is appellatur Procurator. Scribas eos, vel Graphiarios nuncupant, qui Senatus Acta in tabulas referunt. Qui pecuniam publicam colligant, expendant, annotent, éque Senatus sententia in varios vsus distribuant, his Magistratibus Quæstores aliqui iunguntur, eósque frequentius nominant Argentarios. A

CONSILIARII. VIRI. PENSIONARII. PROCVRATOR. SCRIBÆ. QVÆSTORES. ELECTORES MAGISTRATVVM.

Ceterum quos annis mutari singulis diximus, eos vel Comitis Flandriæ Commissarij, vt appellant vulgò, eligunt; vel Pastores vrbium, vel ciues ipsi, aut Senatores dicunt, vti posteà singillatim explicabimus. Nec in eorum consortium vllus admittendus, quem constat crapulæ deditum esse: quoniam eiusmodi homines Carolus Quintus Imperator anno 1531. procul edicto arcuit, eósque iussit amoueri, si vitio lecti fuerint ita poculis assueti. Iisdem omnibus quotannis aut vestis, aut pecunia in honorarium penditur. B

Quos autem Senatus sibi legit Pensionarios, Procuratores, Scribásque, ad vltimam vsque vitæ periodum ij floret officio; nisi ad maiora euehat virtus & meritum; aut scelera consessu arceant, infirmitásue. Et varia ipsi pro munere colligunt emolumenta. Igitur illis, quos enumerauimus, alibi frequentioribus, alibi paucioribus Respublica Magistratibus constat regitúrque, nisi quædam interdum plus difficultatis habeant, plúsque ponderis, ac ideò plus consilij poscant negotia. Quos Notabiles vocant, quíque priùs gesserint magistratum, ea propter adhibentur, quamquam deliberaturi magis, quàm vltimam laturi sententiam. Et si poscat opus, vbi præsertim aliquid tribuendum vel peragendum multis obnoxium, quidam opificiorum Decani ad consultationem euocantur. C

Senatus, aliýque Magistratus Insulenses.

CAPVT XV.

VERVM quæ paucis multa de Magistratibus Gallo-flandriæ complexus sum, iuuat modò singillatim persequi, vrbes singulas obeundo; & quos quæque Magistratus habeat, à quibus ij legantur, quid de ipsis statutum fuerit, explicando. D

SENATVS INSVLENSIS. RESPECTOR.

Vt ab Insula initium ducam, ea multiplici gradu, & insueto alibi Magistratuum numero superbit. Omnem Senatum viri quadraginta conficiunt. Huius párs potior Respectore & Scabinis duodecim eminet. Respectori (Rewardum vulgò nominant; quædam Latinè scripta diplomata etiam Regardum, & Respectum) in conclaui Patrum dignitatis perparum & potentiæ. Post Scabinos sessitat, & qui aditum petunt, eos admittit. In publico plus honoris & auctoritatis obtinet. Cùm abest Gubernator, ab eo tessera vigiliarum indicitur. penes eum noctu seruantur claues vrbis. in plateas, ædes, vrbis tutelam præcipuus cura pollet. primus in edictis & diplomatibus nominatur. in supplicationibus, Principum receptione, publicis conuiuiis dexterum latus occupat. An is etiam pacis & amicitiæ cōciliandæ curam olim habuerit, nescio: saltem eum Ioanna Flandriæ Princeps Respectorem amicitiæ vocat, dum litteras de Magistratuum Insulensium creatione perscribit. Nec aliter

nominat

A nominat Maximilianus Rex Romanorum in eo diplomate, quo multa circa Magistratus Insulenses in melius restituit. Et video ferè alibi hoc ei vocabulum iungi. Dum magistratum capessit, hæc iureiurando spondere cogitur: *Sincera fide, vrbem sese Scabinósque consilijs adiuturum; leges vrbis ac priuilegia seruaturum; vrbis ciuiúmque opera & negotia promoturum.* Maximilianus Austriacus in memorato diplomate Respectorem Insulæ natum esse desiderat.

Scabinorum verò caput est Maior, quem Insulæ vitam hausisse necessitas cogit eiusdem Maximiliani regis instituto. Pro tribunali plurimum ei potestatis est. In eo primus obtinet sedem, primus eloquitur, & quæ sunt agenda, proponit, tantò faciliorem ceteris ad rectè sentiendum viam faciens, quantò plus consilij & prudentiæ promit explicandis rebus, quas in medium profert calculis omnium signandas. quò enim trahentibus momentis grauioribus inclinat, eodem plurimi auctoritate pellecti animos appellunt: vt summa rerum sæpè ab ipso pendeat. Si quid apud regionis Principem agitandum sit, is potissimùm deligitur, legatúrque. Senatum is euocat, ac dimittit. MAIOR, SCABINORVM PRINCEPS.

B Iisdem è Scabinis secundus & tertius Laterales appellantur, quòd Maioris latera stipent pro tribunali sedendo. Horum alter, Maiore vel propter sontica impedimenta, vel ob morbum absente, Senatui præest. Ceteris Scabinorum id iuris minimè competit: par tamen est omnibus iudicandi potestas, & in reos vitę necísque dominium. Priusquam hi magistratum ineant, hæc asserere iurando imperantur: *Nulli se supplicasse, vel nullum ad intercedendum impulisse; nihil vel sua, vel aliorum manu largitos: vti Scabini crearentur.* Vbi verò in Senatus coaluere corpus, hæc sancto iuramento promittere Delegati Principis iubent: *Dei, ecclesiæ, Comitis Flandriæ, iura se seruaturos: vti viduæ, orphani, leges, ac priuilegia vrbis nusquam violentur, omni se opera præstaturos: quoties euocati fuerint, sancto cuncta testimonio firmaturos.* Olim consuetudo inoleuerat, vt in verba iuraturi ędem S. Petri adirent; coram Decano ac duobus Canonicis ita se, vt dictum est, obstringerent: ex aduerso Decanus ijque Canonici aliò se ipsis obligarent sacramento Capituli nomine. Nunc intra Curiam Senatoriam hæc peraguntur, adiuncta Catholicæ fidei, ex decreto Philippi Secundi Hispaniarum Regis, professione. De horum officio hæc suis litteris inseruit Ioannes Francorum Rex anno 1361. *Cùm, prout intelleximus, Scabini villæ Insulensis in festo omnium Sanctorum anno quolibet ex parte nostra in ipsa villa de probioribus, prudentioribus villæ, atque in facto iustitiæ expertioribus, absque fauore, & personarum acceptione creari, fieri, & institui debeant; qui quidem Scabini legem & iudicium ad coniuramentum Baillius, siue Præpositi dictæ villæ, pro ac nomine nostro, facere tenentur.* Quibus persimilia scripsit Carolus eius filius ac successor, dum anno 1366. creandi magistratum facultatem quibusdam impertit. SCABINI ALII.

C

Scabinis adiuncti sunt Consiliarij duodecim. Horum primos quatuor Veros Iuratos, alios octo Iuratos nominat Ioanna Flādriæ Comes, cùm magistratus Insulenses enumerat. Et his omnibus ex officio ac iureiurando incumbit, vrbem consiliis Scabinósque fulcire; vrbis leges ac priuilegia sarta tecta seruare. At Veris Iuratis etiam sacramentum necessitatem inijcit syncero cuncta testimonio muniendi, quoties ad id agendum excientur. CONSILIARII.

D

Vltimi sunt ij, quos appellant Octouiros, vel Probos Homines. Ad horum munus spectat pręsertim, vnà cum Scabinis tributum Comiti Flandriæ pendendum vel per familias partiri, vel rebus imponere: ærarij rationibus aduigilare: opera publica cum Scabinis consilio promouere: æs publicum ne prodigatur, efficere. His autem omnibus Insulæ magistratibus anni vnius imperium. Quos ipsi ad subsidia, & officia legunt, ac suo corpori adiungunt, ij sola morte, infirmitate, vel crimine dirimuntur. Hi sex numero, Pensionarij tres, Procurator vnus, Graphiarij duo: quos omnes Permanentes ab officij diuturnitate nuncupant. OCTOVIRI. PENSIONARII. PROCVRATOR. GRAPHIARII.

Spectat etiam ad Senatum primarius Ærarij publici Quæstor (quem Argentarium vocant) post triennium amotioni obnoxius, nisi totidem in annos ab electoribus confirmetur. Eique minor aliquis ab Senatu iungitur, qui perpetuùm census mino- ARGENTARIVS.

res colligat. Non adeo veteri statuto Argentarium habet Insula. Qui primus attri- A
buit, Philippum Burgundiæ Ducem cognomento Bonum fuisse comperio. Antè,
quatuor Hansæ vel Ratiocinatores, vel Comites, ærario præficiebantur. Eos Ioanna
Flandriç Princeps Comites Hansç nominat eo diplomate, quo de Magistratuum In-
sulensium annua renouatione multa constituit: ac de iis ab Scabinis, vbi Magistra-
tum iniuerint, legendis, hæc imperat: *Insuper debent capere quatuor homines Comites
Hansæ, ita quòd Scabinus eos capientibus inter se alio modo consanguinei sint, vel affines,
quàm Scabini inter se possunt esse. Quòd si aliter factum fuerit, alij loco eorum quàm citius
fieri potest, per Scabinos apponantur.* Sed quoniam tot ærarij capita multum exhaurie-
bant publicæ stipendiis suis pecuniç, parúmque operç prçstabant: Burgundiæ Dux
Philippus Ioannæ decretum antiquauit, anno Domini 1466. hísque sublatis Hansæ
Comitibus, vnicum ærario Præfectum imposuit Argentarij nomine. Et postmodum
eius facto subscripsit Maximilianus rex Romanorum, iisdẽ anno partç salutis 1477.
rursus aditum ad Magistratum prçcludendo. Vt autem aliquid lucis decreto Ioannç
Comites Hansæ instituentis afferamus: Hansa quorumdam mercatorum est colle- B
gium iisdem iuribus ac priuilegiis vtentium: vel quarumdam vrbium societas, in
quam adscitç nonnullis vel priuilegiis, vel immunitatibus, & consuetudinibus ex
condicto fruuntur. Quoniam igitur in huiusmodi societatem cooptatæ ciuitates
Hansaticæ vocantur, & cum multis aliis vrbibus & oppidis Insula quondam sodali-
tium instituit: eam Ioanna Princeps Hansam nuncupare videtur. Quæ verò cum
hac vrbe olim iungebantur, ista potissimùm fuere, Cabillonum, Remi, Quintino-
polis, Cameracum, Ipra, Duacum, Atrebatum, Tornacum, Perona Veroman-
diæ, Huum, Prouuinium, Valentianæ, Gandauum, Brugæ, Audomaropolis,
Monstrolium ad mare, Abbatis-Villa in Comitatu Pontiuensi, Ambianum, Bello-
uacum, Dixmuda, Bailliolum, Poperinga, Orchiacum. Ab anno ferè 1467. Hansæ
Magistratum desiisse, docent etiam Fasti Senatorum, qui nullos Hansæ Comites ab
eo tempore proferunt.

QUÆ CUIQUE ORDINI MAGISTRATUS INSULENSI DATA POTESTAS.

Verùm vt ad hodiernos Insulæ Magistratus stylum reuocemus, Scabinis omni- C
bus, vt Maiori, ius competit de criminibus morte vindicandis, aliísque causis om-
nibus, iudicandi: ceteris sola de his deliberatio permittitur; licet etiam in iis decer-
nant, quç ad regimen & gubernationem, ac concessionem pertinent. Veri Iurati
eo præstant ceteris inferioribus, quòd etiam de causis sponte ad Senatum delatis
iudicent. Cùm autem de re aliqua sententiæ sunt perferendæ, hic ordo seruatur.

ORDO SENTENTIAS DICENTIUM IN SENATU INSULENSI.

Respector in pedes consistens omnium assidentium sententias vicissim perrogat.
Primus eam dicit Pensionariorum maximus, dein Veri Iurati quatuor, & Iurati om-
nes. tum Pensionarius secundus; inde Octouiri, Pensionarius vltimus, Procurator,
Scribæ, Argentarius. Tandem Respector ab Maiore sententiam poscit: is reciprocè
ab Respectore flagitat. postquam hic quid sentiat, explicuit, tum Maior & Scabini
reliqui animorum sensa depromunt.

At enim sunt etiam Insulæ minoris notæ Magistratus aliquot. Eorum quosdam
Orphanorum Custodes nominant à munere Orphanorum causas bonáque tuen-

CUSTODES ORPHANORUM.

di. Quinque sunt numero, & suum tribunal habent, déque iis iudicant, quæ ad pu- D
pillorum rationes pertinent. Dum Magistratum ineunt in hanc sententiam iurare
coguntur: *Tam pauperum, quàm ditium orphanorum fortunas se seruaturos: vtrorumque
rationes fideliter collecturos; nihil ex eorum bonis sibi vendicaturos, aut à socijs in suos vsus
verti permissuros.*

PACIFICATORES.

Aliis Pacificatoribus vocabulum est inditum, à labore conciliandi rixosos, & dis-
cordes. Ij etiam sunt quinque: & vbi res suas agitent, locum habent. Vti legantur
annuatim, Ioanna Flandriæ Comes edixit. Hęc iureiurando promittunt: *Ad pacem
& concordiam ciuium parandam omni se nisu & consilio grassaturos: æquè pauperibus
ac opulentis in amicitiam reuocandis operam se daturos; conciliationis negotium gratis obi-
turos: ab reis, qui vel homicidium perpetrauerint, vel alium crure, manu, aliòue membro
debilitauerint, quinque tantùm asses sumpturos.* Exstántque permulta in libris Senato-
rum, quæ ad eorum munus, decreta, & auctoritatem pertinent: vt etiam sæpissimè

grauis-

A grauissima quidam pœna mulctati sint, qui pactas per eos inducias, aut pacem violauerant.

Ac nequid circa pannos quà leues, quà densos peccetur, duo præcipuis eorum opificiis tribunalia sunt erecta, duplicésque dantur Magistratus. Prius tribunal saëtariis statuitur. Hîc præsunt viri duo senatorij, aut qui Magistratum gerunt vrbanum, duo mercatores, & totidem opifices saëtarij: quibus omnibus ex officio incumbit, vt de iis omnibus cognoscant, & agitent, quæ ad saëtariam artem spectant. Duodecim alij subsunt (hos Ferratores nuncupant) qui textrinas adeant, pannos visitent, horis vetitis texentes impositæ mulctæ reos faciant; qui ad designatum perferuntur locum, pannos adiectis plumbeis signis approbent, aut non signatos reiiciant. Huic tribunali Maior, & aliqui officiales minimè desunt. Bourrettariorum opificio aliud erectum tribunal. Istic etiam viri duo graues, & in altiorum Magistratuum vrbis ordinem cooptati, totidem mercatores, & bourrettarum textores, consessus capita sunt. De bourrettis, & pannis aliis etiam densioribus, qui foris pertexuntur, & in B vrbem concinnandi, tingendique deferuntur, agitant; & ortas de iis controuersias decidunt. Duodecim iis adsunt, quos Agardos nominant. Horum id munus, vt pannos tum densos, tum tenues dispiciant, num scilicet ij ad præscriptum Senatus longi, lati, benè pertexti sint: vt quos viderint probos, admittant, & signis plumbeis ornent; ex aduerso fraudi factos condemnent. Hoc tribunal suum etiam habet Maiorem, & nonnullos Officiales, ac Perticæ nomen obtinet, sicut illud Vigesimæ.

TRIBVNAL VIGESIMÆ.

TRIBVNAL PERTICÆ.

Sed omnes, qui modò supersunt, Insulæ Magistratus omninò varia olim fuit, éstque nostris temporibus legendi ratio. Primùm præterita excutiemus, dein hodierna tractabimus. Quæ præsertim de legendis quondam Insulæ Magistratibus laborauit, Ioannam Ferrandi Comitis coniugem ac Flandriæ Principem manuscripta exhibent monumenta. Et si quid fortè nepos eius Guido etiam Flandriæ Comes circa eos mutauerit, vt videtur indicare Iacobus Meierus, cùm scribit Insulensem eum rempublicam ordinasse, saltem nihil ingerunt libri Senatorij, vel Archi- C uum. Igitur Ioanna cùm Magistratus in vrbe nostra dicendi creandíue modum præscribit, de Scabinis ita statuit. *Nouerit vniuersitas vestra, quòd nos Scabinis, Iuratis, totique communitati villæ Insulensis pro pace & vtilitate eiusdem villæ concessimus, & creantauimus de consensu & voluntate eorumdem Scabinorum, Iuratorum, totiúsque communitatis antedictæ; quòd nos, & successores nostri debemus facere annuatim omnibus diebus, hoc est, de anno in annum, in die omnium Sanctorum duodecim Scabinos, probos homines, & legitimos villæ, sufficientes, burgenses Insulenses, bona fide, per consilium quatuor Presbyterorum Parochialium super eorum ordines, & facere scabinagium iurare, & hoc die omnium Sanctorum, quando scabinagium deficit. Et eadem die debent esse deportati à suo scabinagio illi, qui antè fuerunt Scabini. Et hoc scabinagium nos Ioanna Flandriæ & Haynoniæ Comitissa debemus primò facere à festo instanti omnium Sanctorum in vnum annum legitimè, & de consilio dictorum Presbyterorum, sicut dictum est, vel nostri successores, si interim de nobis deficeret. Et etiam ipsa dicta die omnium Sanctorum debemus esse apud Insulam, vel aliquis homo, siue plures ibidem esse debent ex parte nostra Scabinos fa-* D *cientes, sicut superiùs est expressum.*

VETVS RATIO LEGENDI MAGISTRATVM INSVLÆ.

Dein de Veris Iuratis quatuor, ac Respectore sic eadem edicit: *Quando verò dominus terræ fecerit Scabinos, sicut dictum est, Scabini debent capere quatuor Veros Iuratos, & Respectorem amicitiæ.* Et non multò pòst, de Octo Iuratis: *Præterea Scabini post Veros Iuratos & Respectorem amicitiæ, debent capere Octo Iuratos vbicumque in villa voluerint, burgenses tamen, ad hoc vtiles, bona fide.*

Vbi verò de Octouiris decernit, in hæc verba loquitur: *Quatuor Presbyteri Parochiales Insulenses capient Octo Homines communi assensu vbicumque voluerint, in villa, burgenses Insulenses, probos & legitimos super eorum ordines, quos meliores & vtiliores esse nouerint ad tailliam faciendam. & hoc facient, quandò à Scabinis requisiti fuerint.*

Addit verò de horum officio, quæ sequuntur: *Et illi Octo Homines debent esse cum Scabinis ad tailliam faciendam per assisiam. Dicti verò Octo Homines eandem habeant potestatem, quam & Scabini in taillia facienda. & debent scire debita villæ, & solutiones.*

Et hæc

Et hæc omnia debent facere benè & legitimè, & iurare, quòd ita facient, tactis reliquijs A
sacrosanctis. Subiungit deinceps modum, quo Scabini & Octouiri ad indicenda ve-
ctigalia vtantur: Dicti verò quatuor presbyteri parochiales Insulenses debent facere duode-
cim breuiculos, & scribere in octo breuiculis signum Crucis; & quatuor dimittere vacuos;
& ipsos duodecim breuiculos tam signatos, quàm vacuos, includere in globis cereis; & po-
nere ipsos globos super altare, inter duo linteamina, vbi à Scabinis capiantur. Si autem
aliquis, vel aliqui Scabinorum nominatorũ absentes essent, Scabini præsentes facient per ali-
quem, vel aliquos Homines nomine illius, siue nominibus illorum, qui absentes essent, reli-
quos globos capi. Et illi octo Scabini, qui habebunt octo breuiculos signatos, debent tailliare
villam cum Octo Hominibus antè dictis benè & legitimè super eorum sacramentum. Et
dicti Octo Homines debent habere eandem potestatem, quam & Scabini in taillia facien-
da, & in debitis soluendis & sciendis, & computationibus audiendis. Et notandum, quòd
in qualibet taillia facienda, si necesse fuerit, renouari debent Octo illi Homines vel muta-
ri, ita quòd dicti presbyteri Octo Homines illos, qui antè fuerint, vel alios de nouo semper
nominabũt, & ad minus omnes mutari debẽt in festo omniũ Sanctorum. Et si fortè ipsi pres- B
byteri dictos Octo Homines nollent capere, Octo Homines vltimò capti debent capere alios
Octo Homines probos & legitimos super eorum sacramentum. Et si aliquis, vel aliqui de di-
ctis Octo Hominibus decederent, vel præsentes esse non possent, illi, qui remanerent, debent
alios capere, vsque ad octo: qui Octo Homines nec inter se, nec cum Scabinis consanguinei,
vel affines aliter sint, quàm Scabini inter se possunt esse. Et si fortè vnus, vel duo de dictis
Octo Hominibus, vel aliquis de Scabinis esse non possent ad diem computationis à Scabinis
assignatam, reliqui cum Scabinis remanentibus debent computare, sine messfacere, & sine
cartam violare. Et quolibet anno debent dari octo breuiculi signati, & quatuor vacui, vt
sint octo Scabini, cum Octo Hominibus, sicut superiùs est expressum. Et non possunt esse ad
tailliam faciendam per totum plus quàm sexdecim homines. Et quando illi sexdecim homi-
nes fecerint tailliam, quatuor dicti Presbyteri parochiales capiẽt viginti homines in suis pa-
rochijs, quos meliores & vtiliores esse nouerint, & scient à tailliatoribus ad quantum quis-
que de dictis viginti hominibus erit tailliatus. Et tunc facient dicti Presbyteri viginti bre-
uiculos, decem signatos, & decem vacuos: & sicut suprà dictum est, super altare inter duo C
linteamina ponent eos, & à viginti hominibus ibidem, sicut de Scabinis dictum est, ca-
pientur. Et illi, qui habebunt decem signatos, tailliabunt duodecim Scabinos & Octo Ho-
mines superiùs nominatos benè & legitimè super eorum sacramentum. Si verò tempore, quo
fiet taillia, vnus siue duo, tres, vel quatuor Scabini fuissent deficientes, quatuor, vel plures si
præsentes fuerint, cum Octo Hominibus à Presbyteris captis sine chartæ violentia tailliam
facient bona fide.

De Pacificatoribus hæc eadem denique tradidit: Debent etiam quatuor dicti Pres-
byteri Parochiales probos viros quinque nominare super eorum ordines, quos ad hoc melio-
res & vtiliores crediderint esse, qui mortales inimicitias, & omnes alias villæ Insulensis
concordent; qui statim vt capti fuerint, iurent corporaliter, quòd bona fide officium suum
exequentur. Nec aliter inter se consanguinei sint vel affines, quàm Scabini inter se possunt
esse: & stabitur eorum consilio, & quod dicti quinque, vel tres eorum super huiusmodi
concordijs duxerint ordinandum, tam à nobis, quàm à Scabinis debet obseruari, & si necesse D
fuerit, & à nobis, & à Scabinis compellendi sunt contradictores, & rebelles. Et si aliquis
de dictis quinque decederet, vel ad pacem & concordias faciendas esse non posset, videlicet oc-
casione discordiæ ad ipsum vel ad suos pertinentis, vel propter aliam rationabilem causam,
alius loco sui per dictos presbyteros eligetur. Et sciendum, quòd ad annum, scilicet in fe-
sto omnium Sanctorum, dicti quinque probi viri ex toto debent mutari, & dicti presby-
teri super eorum ordines debent alios quinque probos & legitimos homines nominare, quos
meliores & vtiliores esse crediderint ad pacem & concordias faciendas, sicut superiùs est
expressum.

Noua ratio Senatum dicendi Insulæ.

Hæc igitur olim Ioanna multum auctoritatis ac potestatis tribuens quà Scabinis
iam creatis, quà Presbyteris vrbis Parochialibus; parum sibi posterísque suis, ac de-
legatis reseruans circa noui Senatus creationem. Modò contrà Commissariis (vt
nominant) plurimum tribuitur, & Parochiarum Curionibus; nihil ferè Scabinis re-
linquitur:

A linquitur: cùm legitur annis singulis Insulæ Senatus. Respectorem, Scabinos omnes, Consiliarios duodecim, seu Veros Iuratos quatuor, & octo Iuratos, Orphanorum Custodes, Quæstorem primum, Comitis Commissarij faciunt: Octouiros & Pacificatores, quatuor vrbis Parochi præcipui: Pensionarios, Scribas, Procuratorem, secundum Quęstorem, ipse sibi Senatus deligit, quando res postulat, aut mors alicuius intercedit. Annis singulis eos etiam hic scrutinio asserit, qui præcipuis opificiis pręficiuntur.

Quos autem Flandriæ Comes delegat Magistratibus creandis, ij modò plures, modò pauciores fuerunt, pro ipsius voluntate: ac nunc altioris, nunc depressioris ordinis. Olim quidem priuilegia tres quatuórue poscebant: verum ambitio, & honoris cupido quandoque septem, ac nouem etiam impetrauere. Quia tamen maximis inde vrbis ærarium impendiis grauabatur, Maximilianus Austriacus ad quatuor restrinxit anno Christi 1478. solúmque veniam concessit, interdum vel Præpositum, B vel eius Vicarium aduocandi. Igitur anteà ferè semper in iis Gubernator, & quidam è Rationum Camera, alij vel equites Aurati, vel scutiferi nobiles; interdum aliqui ecclesiastica dignitate fulgentes, aut Canonici. Et sæpenumerò adiuncti nunc Bailliui, nunc Præpositi vrbis. Ac priusquam annum vnicum statuisset Maximilianus, illi ferè triennium huic negotio præficiebantur. Ab annis circiter quinquaginta obtinuit, vt cum Gubernatore Rationum Præses, & cum iis alij duo, quos Flandriæ Comes designauerit, perpetuùm legant; interdum vrbis Præpositus iis adiiciatur: quemadmodum ex Fastis colligitur. Quotannis tamen ab ipso Flandriæ Principe quatuôr ij nouis diplomatibus nouos dicendi Magistratus potestatem sibi factam ostendunt, in quibus ex veteri vrbis priuilegio ipsorum omnium nomina, cognomina, dignitates, officia, gradus exponantur; ne si aliter fiat, ij, qui Magistratibus exuuntur, ipsorum potestati obrogent. Ex antiquo, vt vidimus, instituto Ioannæ iam memoratæ, Kalendis eos Nouembris nouos legere Magistratus oportet. Si autem seciùs faciant (vt olim accidit prorogatis etiam in finem mensis aliquandò C comitiis, sicut Fasti exhibent Senatorij) dilationis causas à Principe tenentur afferre. Et priusquam Senatum legere aggrediantur, edicto Maximiliani Austriaci, vel Cancellario Flandriæ, vel Præsidi Concilij Flandrensis, vel alteri ab Comite Flandriæ commisso hæc duo potissimùm iureiurando confirmare coguntur: Nullos scilicet malarum artium notos, feneratores, non idoneos, sese scienter Magistratibus admoturos: nullum deinde se, suósue, munus, aut emolumentum ab ijs quomodolibet recepturos, quibus Magistratum impertiuerint. Ceterùm suo tempore à Flandrorum Comite litteras postulare, quibus Commissariis facultas nouum creandi Magistratum concedatur, solius est Insulensis oppidi Procuratoris secundum antiqua priuilegia, quorum vnum Philippus Franciæ Rex scripsit anno M. CCC. XLVI. alterum filius eius Ioannes etiam rex Francorum anno M. CCC. LV. condidit.

Qui verò Magistratibus ex priuilegiis, & Principum decretis ac diplomatibus, arceantur, vel admoueri queant, nunc memorandum est. Ioanna Flandriæ Prin- D ceps eo diplomate, quo dicendi Magistratus Insulæ potestatem facit, in Scabinos tales eligi iubet, qui sint *probi, legitimi, sufficientes: & Burgenses*, seu ciues *Insulenses*. Ac posteà de eisdem hoc statuit: *Illi verò, qui erunt Scabini in vno anno, non possunt esse Scabini vsque ad tertium annum proximè sequentem. Et sciendum, quòd non possunt pariter esse Scabini auunculus, siue patruus, & nepos; vel sororij, nec cognati germani, nec pater & filius, nec pater & gener, nec adeò proximi. Et quando Scabini exibunt à suo Scabinagio, Nos & Presbyteri non poterimus capere proximos ad ipsos pertinentes aliter, quàm superius est expressum. Et si fortè aliquis esset captus in Scabinagium, qui non posset esse Scabinus secundum dictum chartæ huius, à Scabinagio deportari debet, & alius assumi loco eius quàm citiùs commodè fieri poterit per Nos & per Presbyteros, per quos alij sunt assumpti.*

De admittendis in Senatum Insulensem, aut ab eo arcendis, varia Principum decreta.

De Respectore & Veris Iuratis in hunc modum eadem Ioanna sancit: *Scabini debent capere quatuor Veros Iuratos & Respectorem amicitiæ. Ita quòd nec Scabinis eos capientibus, nec inter se alio modo consanguinei sint, vel affines, quàm Scabini inter se possunt*

possunt esse. Si autem consanguinei, vel affines contra dictum Chartæ inuenti fuerint, alij loco eorum à Scabinis, quàm citiùs commodè fieri poterit, assumentur. Si autem illi quinque, quatuor Veri Iurati, & Respector amicitiæ affines, vel consanguinei, fratres, siue sororij, auunculi, siue cognati germani fuerint Scabinis, vel quatuor Veris Iuratis, siue Respectori amicitiæ anni præteriti, super hoc libertas Chartæ nullam sentiet læsionem. A

Eadem Octouiros iubet esse *Burgenses Insulenses, probos ac legitimos.* Dein eisdem, vt Pacificatoribus, eosdem consanguinitatis & affinitatis gradus prohibet, quos Scabinis, Respectori, & Veris Iuratis interdicit, his verbis: *Et hoc idem intelligi volumus de quatuor Comitibus Hansæ, & de Octo Hominibus, qui erunt cum Scabinis ad tailliam faciendam, & de quinque, qui erunt ad pacem & concordias faciendas.*

At Christi anno 1341. Philippus rex Franciæ Eustachio de Ribemont Gubernatori Gallo-flandriæ dedit in mandatis, ne quos Aduocatos, vel causarum patronos, quibus aliquid penderetur, vlli Magistratuum admoueret. Iis enim se perpetuùm quolibet officio Senatus interdicere.

Cùm flueret annus Domini 1344. idem Rex diplomate quodam eos omnes arcuit Insulensi Senatu, qui non essent ciues ac indigenæ: quoniam exteri homines minùs erga rempublicam afficiuntur. B

Durante anno 1346. idem Philippus rex cùm animaduerteret apparitores suos, vel aulæ regiæ ministros eò contendere, vti Scabini, vel Magistratus alij Insulæ dicerentur: illud ne fieret, litteris cauit; quòd id vehementer moribus, & priuilegiis oppidi aduersari conspiceret.

Paullò pòst anno 1347. idem Francorum rex alio diplomate constituit, ne quis in Scabinum, vel alium quempiam Magistratum Insulensem eligatur, qui cælibem agit vitam, ducta nondum coniuge, idque seruari præcepit, vt antiqua consuetudine roboratum, quòd ea tempestate plerique id genus homines ad Scabinatum viam sibi præstruere molirentur.

Cùm Ioannes huius filius ac successor Gallo-flandriæ Gubernatori potestatem concedit Magistratum legendi Insulæ, inter alia hæc habet: *Scabinos de personis discretis, sufficientibus & idoneis, ipsius villæ, fauoribus & muneribus cessantibus quibuscumque.* C

Carolus etiam rex Franciæ anno à Christi natiuitate 1364. hæc designatis ad legendos Insulæ Magistratus imperauit: *Ne de cetero aliquem, vel aliquos de familia, vel Robis vestris, seu vestrûm alterius, nec verò vsurarium, aut vsuraria prauitate diffamatum in Scabinum, vel Scabinos villæ prædictæ Insulensis, seu in receptorem vel receptores reddituum, seu emolumentorum ad communitatem villæ eiusdem pertinentium, nec etiam in consulem vel consules villæ eiusdem eligatis.*

Philippus Audax Burgundiæ Dux anno post millesimum & trecentesimum octogesimo quinto in Scabinum aliósque Magistratus eum deligi prohibuit, qui non fuerit Insulensi patre genitus; nisi alias fuerit in Senatorium ordinem cooptatus.

Maximilianus Austriacus currente anno Domini 1478. edixit, vt Maior & Respector nati sint Insulæ: Scabini, Respector, Veri Iurati, ac Iurati omnes ciuitatem Insulensem adepti sint, annúmque integrum ac diem vnum in vrbe consederint. Quæ Franciæ reges de Aduocatis, aliísque sanxerant ab Senatu semouendis, eadem omnia rescripto suo firmauit. D

In Fastis Senatorum comperio, nulli fas esse in ordinem Senatorium cooptari, vel qui lite cum Senatu contendit, vel qui pro tribunali aliquo Baillliuus aut consiliarius existit. Et si fors electus fuerit, is se Magistratu abdicare cogitur, vel officio exuere, litémque abrumpere, vel in alium transmittere.

A

Senatus, & alij Magistratus vrbis Duacensis.

CAPVT XVI.



VT modò Magistratus omnes Duacensis vrbis inuisamus, ordo instituti nostri postulat. Igitur qui corpus Senatorium, vel Consilium, vt nuncupant, illic constituunt, duplicis ij sunt generis. Horum aliqui tertio decimo mense Magistratu exuuntur: ad extrema vitæ officium alij porrigunt. Illorum duplex ordo, Scabini scilicet duodecim, & Sexuiri. In aliis Consiliarij duo Legum scientia fulti, Procurator vnicus, Scribæ duo, Quæstor vnus, quem comperio Massardum olim à Francis rerum hîc potientibus nominatum, quo modo Quæstor Tornacensis vrbis hodiéque nuncupatur. Scabinis eadem potestas in causas, crimina, vitam, necémque subditorum, quæ Insulæ. In vrbis sarta tecta, & publica opera Sexuiri incumbunt: neque licet Scabinis aliquid moliri, vel publicos sumptus facere, his assensum negantibus. Minoris ordinis Magistratus ibidem vnicus cernitur viros septem complectens, quibus ab officio Pacificatoribus nomen inditum. Est enim penes eos potestas insignis inimicitias & rixas ciuium componendi, eósque pœnis grauibus afficiendi, quos pacem respuere, vel infringere deprehenderint.

Senatvs Dvacensis, qvibvs constet.

B

Pacificatores Dvacenses.

Hos omnes Magistratus qui dicat faciátue, nullus ab Comite Flandriæ Duacum mittitur. Iam inde ab anno 1228. Ioanna & Ferrandus Flandriæ Comites ipsis potestatem ciuibus impertiuere Scabinos legendi. Anno verò 1268. iisdem Margareta Ioannæ soror, septem Pacificatores dicēdi veniam tribuit. Anno denique millesimo trecentesimo & septuagesimo tertio Ludouicus Maleanus etiam Flandriæ Comes priuilegium concessit eligendi Sexuiros, vt eius litteræ fidem faciunt.

Dvacenses Magistratvs a qvibvs legantvr.

C

At enim ipsa legendi hos omnes Magistratus ratio pro temporum varietate multiplex fuit, vti varius eorum, qui dicebantur, numerus. Ioannæ Ferrandique instituto sexdecim Scabini olim fuere, quos ita deligi litteris suis imperauere anno 1228. dum Querceti agerent in Hannonia: *Nouerint vniuersi, quòd Nos dilectis Scabinis & Burgensibus nostris de Duaco concessimus Scabinagium de anno in annum perpetuò habendum de tredecim mensibus in tresdecim menses in hunc modum. Videlicet quòd transactis tredecim mensibus Scabini, qui exient à Scabinagio, debent eligere quatuòr Burgenses in villa de Duaco in quatuor Escrovetis: & illi quatuor Burgenses electi tactis sacrosanctis iurabunt, quòd accipient ad melius, vt poterunt, quatuor Burgenses alios, qui iurabunt Scabinagium, & iurabunt, quòd seruabunt ius Ecclesiæ sanctæ, & nostrum ius, & legem eiusdem villæ. Et quando illi quatuor Scabini primi facti fuerint, dicti Burgenses quatuor Electores recedent, nec illis tresdecim mensibus Scabini esse poterunt. Et dicti quatuor Scabini tunc facti eligent quatuor Burgenses, qui etiam iurabunt Scabinagium modo prædicto. Et quando illi octo Scabini facti fuerint, quatuor Scabini primò facti exient, & secundi quatuor Scabini accipient, vt melius legitimè poterunt, quatuor Burgenses, qui iurabunt similiter Scabinagium, vt prædictum est. Et cùm illi duodecim Scabini facti fuerint, insimul conuenient, & accipient alios quatuor Burgenses vltra aquam in Duaculo, qui iurabunt etiam Scabinagium, vt superius est expressum. Et sciendum, quòd quando Scabini exire debent à Scabinagio, & alij debent fieri Scabini, Nos, si præsentes fuerimus, vel Bailliuum nostrum vocare debent, ad sacramentum Scabinorum recipiendum. Quòd si Nos, vel Bailliuus noster, recipere nollemus, Scabini, qui exient, de nouis Scabinis recipere debent, & possunt, iuramentum.*

Vetvs ratio legendi Magistratvs Dvaci.

D

Ab Scabinis Magistratum ineuntibus intra tres primos dies septem Pacificatores Margareta Ioannæ soror dici voluit.

Ludouicus Maleanus hunc legēdi Scabinos & Sexuiros posteà modum statuit: vt nimirum ipso die Magistratus creandi summo mane in Curiam confluerent omnes,

qui proximis duobus annis Magistratum gesserant;ij nouem ciues eligerent;hi quadam in aula obseratis foribus clauderentur;ibi quos idoneos iudicarent, duodecim ciues Scabinos dicerent; sex alios in Sexuiros eligerent. A

NOVA RATIO IBID. SENATVM DICENDI.

Nunc ex decreto Caroli Quinti Cæsaris, & sororis eius Mariæ, quondam Hungariæ reginæ,ac Belgij Gubernatricis, ita res conficitur. Manè conueniunt omnes, qui proximè lapso anno abiuere Magistratu, quique sunt eo die abdicaturi. ij iuramento constricti probos viros eligendi, in aulam se aliquam Curiæ Senatoriæ abdunt.ibi foribus clausis viros nouem è variis vrbis Parœciis sic eligunt,vt quatuor ex D. Petri parœcia, ex aliis quinque singuli sumantur,eósque vocant Electores.His in Curiam euocatis,& verbis solennibus vrbi fidem iuratis, domum discedunt. interim Electores obducto foribus pessulo in aula quadam continentur. ibi votis communibus duodecim dicunt Scabinos, quorum nouem ex parœciis aliis,ex D. Albini tres eligantur. Deinde sex deligunt viros,qui publicis operibus præsint. postquam Scabini Magistratum iniuere,septem Pacificatores intra triduum nominant.

DECRETA PRINCIPVM CIRCA MAGISTRATVS DVACENSES.

Quid verò varij Principes circa Magistratus, de quibus nunc agimus, statuerint, paullò latiùs est dicendum. Vti recèns conscripti Patres nulla vel consanguinitate, vel affinitate maiori iungantur,Ferrandus & Ioanna sic imperant: *Nec poterunt simul esse Scabini consanguinei,germani,vel aliqui proximiores parentes,nec aliqui,quorum alter filiam alterius habeat in vxorem.* Deinde subiiciunt: *Et qui in vnis tresdecim mensibus Scabini fuerunt,non possint esse Scabini in aliis tresdecim mensibus proximè subsequentibus.* Et mox hæc addunt de iudiciis eorumdem Scabinorum : *Et si Scabini Duacensium in iudiciis faciendis discordes fuerint, minor pars maiorem sequi debet in iudiciis. Et si aliquis dixerit contra iudicium Scabinorum Duacensium, quando omnes concordes fuerint, qui ad iudicium erunt, vsque ad dictum eorum eis emendabitur.* B

Anno 1311. Philippus Franciæ rex Gallo-flandriam obtinens Scabinis iniunxit,vt è quatuor vrbis partibus viros sedecim eligerent,probis moribus notos,qui cum ipsis rempublicam administrarent; vrbis peculium, census, annuos redditus colligerent,ac expenderent; diplomatum copias seruarent;vnà cum Scabinis sigilli claues haberent. Verùm hi non multò pòst abrogati sunt. C

Cùm circa ducendos Duaci Magistratus aliquid decerneret Ludouicus Maleanus, hæc inter alia diplomati inseruit anno Domini 1373. vt quicumque vel Electores, vel Scabini, vel Sexuiri legentur, ij ciues sint Duacenses, probis moribus,fide optima, legitimis natalibus præditi; bonum ac legitimum mercimonium exerceant:quicumque Magistratus nominauerit,aut Scabinus exstiterit,ad neutrum id officium eligi possit,priusquam ab inito Magistratu tertius annus exspiret. Sexuirorum nullus denuò sumatur, priusquam annus secundus post abdicationem effluxerit:siue Magistratus nominent Electores,siue iudicent Scabini,pars maior præualeat: absque Sexuirorum consensu nihil operis publici vel indicatur, vel suscipiatur, nihil impendiorum publicè fiat; & saltem trium sententia decernat, vt assentiri putentur.

Quòd pleræque fraudes admodum graues hac in vrbe circa Magistratus legendos admitterentur, Carolus Austriacus, qui posteà fuit Imperator, per intimum Belgij Senatum anno 1506. hæc constituit: vt Magistratuum Electores ad trigesimum annum ætatem produxerint: neque tangant ipsos eligendos consanguinitate, neque aliquo ipsi vinculo consanguinitatis mutuò nectantur intra gradum patruelem : non sint etiam vel soceri, vel generi, vel leuiri : ad Magistratum non promoueantur publicæ pecuniæ, Nosocomiorum, Xenodochiorum, aliorúmque locorum talium quæstores, quorum administratio Scabinis competit: Electorum, siue Scabinorum, siue Sexuirorum nomina vrbis Bailliuo tradantur, priusquam ipsi ad sacramentum dicendum euocentur. D

Verùm Maximilianus Imperator Caroli auus,cùm intelligeret paucos Magistratibus idoneos in vrbe repertum iri,si non etiam aliqui quæstorum huiusmodi eligerentur,permisit anno 1513.vti horum quidam Magistratibus admouerentur.

Anno denique 1534. subortis etiamnum grauibus circa Magistratus dicendos erroribus,

A roribus, Maria Hungariæ Regina sic decreuit. Duorum annorum Scabini, priusquam creandis Magistratibus viros nouem eligant, solemnibus verbis iurabunt, sese nouem viros de ciuibus electuros, qui moribus probatissimis cernãtur; nullum ipsis, quos eligent, per se suósque commendasse, vti promoueatur; nullum extorsisse promissum aliquem legendi; nullo se modo eosdem alicui vel precibus, vel commendatione conciliaturos, vti Scabinis vel Sexuiris inseratur. Electores, priusquam Magistratus nuncupent, iuramento fidem faciant, omni se commendationi, vel precibus renuntiaturos: si quorundam flagitatione, vel beneficio anteà deliniti fuerint, nihil hoc ponderis habiturum: quantum in ipsis fuerit, daturos se operam, vti probos fidósque homines eligant in Scabinos & Sexuiros. In vtrumque ordinem haud plures tribus frumenti institoribus cooptaturos: de ciuibus, qui tonsura clericali insigniti fuerint, extra vrbem commorantur, ab Senatu litis causa prouocauerint, aliquos deligere possint tantisper, dum aliud constituatur, etsi aliàs secus factum fuerit. Intra triduum ab initis Magistratibus ad Comitem Flandriæ Senatus perscribat, qui fuerint
B Electores, ſine nobiles, an mercatores, aut artifices; quæ nomina eorum, cognomina, dominia; quod artificium, vel mercimonium. idem de Scabinis & Sexuiris faciat. eos catalogos Bailliuus & Scriba vrbis sigillo muniant.

De Pacificatoribus vrbis huius ita Margareta Princeps anno 1268. censuit, vt eligantur ad hoc munus ciues septem probi, fideles, ac idonei componendis mortalibus inimicitiis, aut grauibus odiis, ac discordiis omnibus, quę vel Duaci, vel muros extra, inter ciues Duacenses, aut eorum liberos subortæ fuerint, aut nasci poterunt. ipsi pacis conciliatores præsente Bailliuo, vel eius Vicario, formula solemni iurent, suo se munere fideliter perfuncturos. ad id officium nulli legantur, qui vetita Scabinis vel propinquitate, vel consanguinitate iunguntur, neque diutiùs, quàm Scabini Magistratum administrent. si quis interim mortem oppetat, dum eo fungitur officio, alius in eius locum sufficiatur.

Anno 1278. mense Septembri decretum aliquod Scabinis volentibus conditum
C fuit, quod ipsi Pacificatores inito Magistratu perpetuùm proclamari iubeant. Illic inter alia dicitur, datam esse Pacificatoribus potestatem omnes eos exciendi, qui discordias alunt, & grauiter odiis certant; inter eos pacem conciliandi; vbi pacem quis respuerit, eùm vel pecunia, vel exilio mulctandi; si pace conciliata quispiam pacta infregerit, eum vel capite vel grauibus aliis pœnarum generibus puniendi; & si fòrs ipse clanculùm exulabundus ex vrbe discesserit, ne Comitis solenniter inaugurandi lætus aduentus restituat, obrogandi liberè.

Senatus vrbis Orchiacensis, aliorumq; Gallo-flandriæ oppidorum.

CAPVT XVII.

D



RCHIACI septem viri Scabinorum corpus constituunt. Hic eligendi modus. Ad ferias S. Huberti septem ij, quos decursum anni tempus Magistratu exigit, tres viros proba fide, & spectatis moribus nominant. Hi paullò pòst in Curiale templum adducuntur. vbi sacrum tetigere codicem, & iureiurando idoneis Magistratibus legendis obnoxios se fecerunt, in ecclesiæ sacrario clauduntur obseratis foribus. Suis ij suffragiis tres Scabinos afferunt. hi duos alios nominant; ab his quinque collatis vocibus iterum duo leguntur. Ita creati Senatores Bailliuo Comitis Flandriæ, ac Curioni in templo exspectantibus offeruntur. & postquam sese ante aram maximam stitere, Actuario verba præeunte solenniter iurant. Eorum qui primum occupat locum, is Maioris obtinet nomen, & plus capessit auctoritatis. ceterùm aliis par potestas in vitam necémque ciuium, vbi vel crimen, vel innocentia horum alterum postulat. Præter Scribam his nullus alius adiungitur.

SENATVS ORCHIACENSIS A QVIBVS LEGATVR, ET QVIBVS VIRIS CONSTET.

 Quòd

Quòd oppida minoris ordinis suo quæque regulo subsint, ab eo singula Magistratus accipiunt, quædam annuatim, quædam post biennium. Neque verò pari cuncta Senatorum numero gaudent, neque iisdem eos cient nominibus. Pridie Sanctissimæ Trinitatis peruigilij, Basseæ nouus dicitur Senatus vel à toparcha, vel ab eo, quem is delegauerit. E melioris notæ ciuibus octo Scabini leguntur, quorum caput Respectorem nominant: deinde Iurati quinque. Penes hos omnes stat cuncta oppidi cura, & iuris administratio. Ipsis postridie Magistratus initi edicta condere, & proclamare; horum contemptores pœnis afficere licet, dein etiam criminum omnium reos morte mulctare. Qui litteris mandet acta, Scribam vnum, & duos reis tractandis Prępositos, idem habet Senatus. A

BASSEENSIS SENATVS.

ARMENTERIENSIS MAGISTRATVS.

Armenterię Magistratum gerunt Scabini septem numero. Olim præscriptum fuit anno 1208. vt annis singulis ij mutarentur. ac tum oppidi regulus, qui nouos legerent Scabinos, de suis familiaribus, aut amicis, aliquos mittebat. Verùm quando hæc ditio Maximiliani Austriaci temporibus bellis & motibus variis agitabatur, placuit Magistratus in biennium producere: ac tunc etiam statutum est, vt ipsemet vrbis Dynasta Scabinos diceret. Qui perpetuum gerant Magistratum, Scribæ duo deliguntur, dein publicæ Quæstor pecuniæ vnicus, quem vocant Argentarium. B

COMINIENSIS SENATVS.

Cominij à duodecim Scabinis publica res administratur, quorum sex iis è ciuibus, qui oppidum incolunt, ex iis alij sex, qui foris sparsim intra fines territorij sedes habent, desumuntur. His vnus adest Actuarius decretis in tabulas referendis.

LANNOYENSIS MAGISTRATVS.

Lannoya Scabinos septem habet. Hos aliquis à toparcha nominatus coram Parocho deligit, qui frequentiùs est vrbis Præpositus. Dies hunc Magistratum creandi quotannis Dominicæ S. Martini festum proximè sequenti addicitur. Et huic perpetuam Graphiarius vnus operam nauat. Verùm hæc de vrbium ac oppidorum Magistratibus sufficiant. Aliò nunc igitur oratio conuertatur.

De Cameris Legali, Hoofstredenenga, Rationum, Concilij Flandriæ. C

CAPVT XVIII.

AGISTRATVVM, quos instituit Flandrię Comes, alij Celsitudinem eius, & patrimonium tuentur; alij subditos. Prioris generis ea Conclauia, quæ Cameras vocant; alterius Bailliui, Scabini, aliíque vrbium vel oppidorum Senatores. De his abunde iam diximus, quos habet Gallo-flandria: de illis aliqua nunc singillatim dicenda sunt, vt videamus, quid eorum sit in Gallo-flandria, quídue in ea fuerit; quid in aliis Flandriæ partibus conspiciatur; quíue his regiones istæ vel cohæreant, vel dissideant. Igitur Camerarum Comitatus Flandriæ alia Legalis est, alia Hoofstredenenga; quędam Rationum dicitur, quędam Prouinciale Concilium. D

CAMERÆ FLANDRICI COMITATVS.

CAMERA LEGALIS. *Iacob. Meier. Fland. tom. 10. Oudegh. c. 170. Iac. Marchant. l. 1. Fland.*

Omnium præcipua Legalis, seu viros, qui pręsunt, seu latam ab iis sententiam consideres. Cùm Pares in Flandria dignitatem obtinerent, eam ipsi conficiebant. Nunc beneficiarij & Consiliarij Comitis Flandriæ, quo numero, quóue loco vel Teutonicæ, vel Gallicanæ Flandriæ ipsi placuerit, conuenturi: quamuis Gandaui frequentiùs congrediantur. Olim ad hos afferebantur grauissima quęque Comitis amplitudini, curęque propria: sed ea modò, vel ad sanctius & adhęrens Principi Concilium deducuntur, vel ad fixum Gandaui Flandriæ Senatum. Igitur hac ętate quotquot è fœudalibus Comitis Flandrię Curiis fœudorum controuersię appellantur, eas is consessus & recipit, & iudicat nulla vlteriùs prouocatione concessa. Ad eiusmodi conuentum, quos vel Consiliarios, vel beneficiarios cogi oportet, eos Comes euocat, aut maximus eius in Flandria Bailliuus. Et pręsidet modò Comes ipse, modò Cancellarius, modò Concilij Flandrię Pręses. Si Comes interfit,

A dispanso tapeti puluinus imponitur,& huic nudus ensis,meri supremíque testis imperij. Vti maiestas eius Consessus,& nobilitas,quali olim floruit, deprehendatur,iuuat hîc attexere, quid Flandriæ Comes Guido fecerit. Grauis orta fuerat quæstio, cuius beneficio tenerentur ab domino Aldenardensi Ioanne, Flobeca, nemus Polsbergium, Lessináque: & cùm finis disceptandi nullus esset, Legalem indixit Conuentum Guido Comes;vt cum ceteris adessent, Robertum filium natu maximum, Ioannem nepotem, procerum plerosque, in his Guilelmum Mortaignium, Ghistellæ, Hiesselij, Formesellæ regulos exciuit, quò plus ponderis obtineret sententia,quam is Consessus diceret.

CAMERA HOOFTREDENINGA. *Iacob. Meier. Fland. tom.10 Oudegh. c.170. Iac Marchant. l. 1. Fland.*

Alteri Cameræ Hooftredenenga, vel contractiùs, Renenga nomen est, quòd ea suprema sit rationum Curia. Is consessus constat beneficiariis hominibus,& hereditariis Flandriæ Comitis Quæstoribus, qui summi sunt ratiociniorum præsides aut præfecti. Inter illos Iacobus Meierus refert emicuisse proceres Assembrochanum , Medioburgium, S. Aldegondis, Basseueldanum, propter Spiras, vt vocant, B Rupelmondanam , Gandensem , Iprensem , & Dixmudanam. Quæstorum Comitis magnus est numerus, & propter familias fœudáque non modicus splēdor. Colligendis olim quatuor rebus inuigilabant. Horum enim alij rem Spicariam, alij Vaccinam procurabant:aliis inerat cura Lardarij, Breuiúmque,vt suprà notauimus. *Lib. 3. cap. 1.* Eius classis caput erat Flandriæ Cancellarius,qui anteà Præpositus S. Donatiani Brugis,nunc Brugensis Episcopus. Inter ipsos Quæstores assumptæ sunt admodum nobiles aliquot familiæ. Rem Spicariam procurant Alosti Zouerghemia , Cortraci Croyaca,Rupelmondæ Vtenhouia, Dixmudæ Vandereyka, Harlebecæ Walla , & Bera Furnis. Pecuniam recipit ob litteras & breues Maldeghemias Clarhouta,ob Lokeras Niuernia,ob Altrias Gandaua. Lardario inuigilant Brugis Noyella,Bergis Schotta,Furnis Burchia. Rei Vaccariæ Furnensis curam habet Laurina. Hos igitur omnes supremus Comitis Bailliuus quotannis euocat ad Iulij diem, quem Præfecti Rationum præscripserint. frequentiùs Insulæ conueniunt. Veteri præest instituto C Cancellarius,aut Quæstorum primus : iísque assident à Comite delegati Bailliuus, Fisci Procurator,& Scriba vnus.Triduum,vel ampliùs,si opus fuerit,de rebus variis agitant ad patrimonium,& prouentum Comitis pertinentibus.Si qui se vexatos,aut postulatos iniustè à Principalis pecuniæ Quæstoribus conquerantur, causas eorum audiunt,& decidunt. Dein de personalibus omnibus,& quibusdam realibus actionibus inquirunt ad canonem & peculium Comitis spectantibus, déque his iudicant, nulla spe relicta aliò prouocandi. ad libellos supplices rescribunt : & si qui recens ad patrimonij Principalis curam euehuntur fœudatarij Receptores, eos sacramento fidelitatis obstrictos in consessum admittunt.

RATIONVM CAMERA. *Auctores suprà citati.*

Rationum Camera Insulæ sedem habet,ipso conspicua nobili virorum concilio, & subditarum ei numero ditionum. Eam Præses vnus, quatuor Ordinarij rationum Magistri, quinque Auditores Ordinarij, Scribę tres constituunt. Hæ prouinciæ, vrbésque subsunt,Flandria, Artesia, Hannonia, Namurcum,ab olim clarissimi Comitatus;Mechlinia,Tornacum,Valentianæ:vt quidquid iis in regionibus & territoriis D patrimonij aut peculij Principalis existit,huic consilio sit obnoxium vnà cum Principalibus vel prouinciarum,vel vrbium, vel pagorum & nemorū Quęstoribus. Igitur quoniam circa Quæstores & pecuniam Comitis huius Cameræ cura vertitur,præcipuum id munus est eius Pręfectorum,Quęstores,aliósque conuocare,qui Principis æs colligunt : ab iis rationes dati acceptíque poscere : has diligenter expendere : vbi omnes probè constare viderint, iis subscribere; si contrà nutare,aut fraudi factas,interuerso videlicet ęre,aduerterint,repetundarum agere,mulctam irrogare,interdum re postulante,capitis arcessere:quę Principis nomina,quibus ea pecuniis dissoluenda sint,quid ęris Principi numerandum,statuere : priuilegia regionibus,oppidis, sacrisque locis à Comite concessa seruare. Quas autem maximè trutinant rationes,eæ pecuniam Principis spectant,quam prædia,siluæ,portoria,confiscationes, mulctæ,pro derelictis habita bona,res è mari proiectæ, mortui absque liberis nothi, homagiorum, & recognitionum iura fœudalia,Bailliuorum pēsiones,& alia id genus emolu-

menta conferunt. Ad rationum expenſionem huc trahuntur è Flandria Quæſtores omnes fœudatarij, tum Receptores mãdatarij duo, quos à ſitu regionis, Orientalem & Occidentalem nũcupant: dein omnes, qui pecuniam Comitis vel cogunt, vel debent iis in prouinciis, vel vrbibus, quas antè memorauimus. Iam inde à prima inſtitutione huius Cameræ comperio, frequenter ex eo conſeſſu quoſdam à Principe delectos modò Præſides, modò Magiſtros, qui cum aliis ad dicendos Inſulæ Magiſtratus delegarentur. Qui primus à Philippo Duce Burgundię ad hoc munus electus eſt, Petrus Vanderzipe, eius Senatus Preſes, in Faſtis Senatorum Inſulenſium deprehenditur anno 1387. priuſquam Gallo-flandriam gubernaret. Ioannes de Paris rationum Magiſter poſteà frequenter huic electioni adhibitus, & deinceps alij multi: haud tamen cõtinua temporum ſerie; vt non rarò nullus ex eo conſeſſu ab Ducibus vel Comitibus ſumeretur. Extremis ferè tẽporibus video ſemper delectos Præſides, vt quintus iam, non interrupta ſucceſſione, Principum voluntate id munus obeat. A

Ceterùm olim plus huic Cameræ fuit poteſtatis, duobus adiunctis à Comite Conſiliariis. Nam tunc omnia, quæ Principis amplitudinem afficiebant, dein oblatas quibuſcumque de rebus querimonias audiebat, déque iis ferebat ſententiam: officiales culpæ compertos amotione mulctabat, ſiue ad Comitis patrimonium, ſiue ad iuſtitiam incumberent. Ita quidem initio Philippus Audax primus Burgundiæ Dux, per nuptias cum Margareta Ludouici Maleani filia Comes factus Flandriæ, inſtituit. Verùm neque ſubdebantur ei Gallo-flandri, neque Flandri Teutones vnquam adduci potuere, vt ei ſubiicerentur. De Gallo-flandris id certum habeo: poſtquam Pulcher Franciæ rex, inducto nimis facilè Roberto Bethunæo, Gallo-flandriam ſibi ſubdidiſſet, ſtabilito iſtic Gubernatore, & regio tribunali, cui Gubernantię nomen traditum, ita rem eum conſtituiſſe, vt qui ab eo tribunali, & legibus tum Inſulenſibus, tum Duacenſibus & Orchiacenſibus condemnati prouocarent, Pariſios cauſas traducerent ad ſupremum illud Senatus regij Concilium, quod Parlamenti nomine nuper erexerat. Et tenuit ea ratio etiam multis pòſt annis, poſitâ Inſulæ ab Philippo Duce Camera, de qua nunc agimus. De Flandris verò Teutonicis id comperio: nunquam eos induci potuiſſe, vti ſuas Inſulam cauſas pertrahi ſinerent: eos ſemper intra terminos ſuos ſtetiſſe, vt legibus tantùm Gandenſibus, Brugenſibus, Iperanis & Franconatibus ſuas decidi lites permitterent. Et quamuis idem Philippus multa cõminiſceretur, quibus eos prudenter & ſuauiter ad id, quod optabat, perduceret, nihil tamen vnquam obtinuit. Igitur eo defuncto cùm Ioannes eius filius Gandaui Flandriæ Comes inaugurararetur, quatuor Flandrię Comitatus Membra (ita vocant Gandauum, Brugas, Ipram, Franconatum, & oppida municipiáque eis ſubiacentia) hæc ab eo flagitarunt: vt ſuis Flandros Teutonicos priuilegiis vti ſineret; cauſas eorum patriis legibus in Curiis fœudalibus, quas habebant, decidi antiquo more permitteret; litigantes extra fines ſuos nullo modo traheret; ſi quid celſitudinem eius tangeret, ſi quid patriis legibus decidi nequiret, id quidem Concilium eius ventilaret, déque eo ſententiam diceret, verùm intra Liſam & Oceanum idiomate Teutonico id faceret. Henricus Vanderzippius Inſulanæ terræ procurator Ioannis nomine, quæ petebantur, omnia permiſit. Et paullò pòſt ita diuiſa eſt Inſulenſis Camera, vt Ratiocinatores iſtic ſoli perſiſterent, Conſiliarij iudices aliò traducerentur: quos modò Aldenardæ, modò Cortraci, nunc Ipræ, nunc Teneramondæ conſiſtere iuſſit Ioannes, cauſáſque cognoſcere. B C D

Iac. Meier. l. 15. Annal.

Concilium Flandriæ. *Auctores citati.*

Cùm ne ſic quidem ex animi ſententia res fluerent, Concilium Gandaui Ioannes ſtabiliuit ab expeditione Leodienſi in Flandriam reuerſus. Ab minoribus cauſæ tribunalibus vt eò prouocarentur, impetratum initio fuit; à maioribus Membrorum quatuor, nunquam. Neque priùs à tribunalibus Gallo flandricis eò pertractæ ſunt lites, quàm, Maximiliani & Philippi Auſtriacorum Archiducum temporibus, rex Franciæ iuſſit ad conſeſſum Flandriæ ab his prouocari, inde ad ſupremum Pariſienſem Senatum regium. Et perſtitit ea ratio appellandi, donec Cæſar Carolus Quintus ab rege Franciæ, eiúſque Senatu, Flandriæ Comitatum emanciparet. Nunc igitur, vt alij Flandrorum, ita Gallo-flandri ad Concilium Flandriæ fixum Gandaui,

inde

A inde Summum ad Senatum Mechliniam prouocant; exceptis D. Amati Duacensibus Canonicis. Vt enim iis priùs in Castro Bellæquercus iuxta Dorlenium lites suas agitare venia Regum Franciæ licebat; ita modò ad Senatum Prouincialem Artesiæ causas perducere Principum Belgij indulto permissum est, dum litem aliis intentant.

Ceterùm varius Gandensis Cameræ numerus fuit, & quæ traducerentur eò causæ, minùs patebat, priusquàm multa in ordinem Carolus Cæsar redigeret. Modò Præside vno, cui dignitatem equestrem officium conciliat, octo Consiliariis, quatuor Commissariis, Aduocato & Procuratore Comitis, obuentionum Quæstore, Scriba, Notario, constat. Quibus de rebus hæc Curia cognoscat, iudicétque, Carolus Quintus Imperator eâ prodidit Institutione, quam ad annum vigesimum & secundum supra mille & quingentos edidit. Vt quasdam enumerem, quæ Principis auctoritatem, iura, celsitudinem tangunt, ibi agitantur: dein quæ Bailliui, Monetarij, in Ecclesiam & prouinciam grassatores, appositæ Principis tutelæ infractores, crimina commiserint: tum controuersiæ, quibus vrbes & Castellaniæ vel inter se, vel cum exteris, B disceptant; ab harum & Magistratuum sententiis prouocationes; indultarum à Comite criminibus gratiarum & remissionum verificationes.

De Ordinibus, seu Statibus Gallo-flandriæ.

CAPVT XIX.

QVÆ tot Cameris, quas diximus, efflorescit, maximum quoque reipublicæ Concilium non ignorat Flandria, conuenientibus vnum in cœtum plurimis vndique sapientibus viris. Quòd hi variis distinguantur C subselliorum gradibus, Ordines appellant; quòd eorum consilio, auctoritate, sententiis, reipublicæ salus statuatur, etiam Statuum nomen induunt. Cogendi causas præbent vel rerum acerba & trepida; vel Comes minimè per ætatem, aut captiuitatem, ad regendum idoneus; vel quædam in commune corrigenda, vel belli susceptio, aut pacis desiderium; vel à populo irroganda Principi pecunia. Bini per Flandriam eiusmodi Conuentus, quibusdam harum causarum exigentibus, coguntur; Gandaui, vnus, Insulæ alter; illic eorum, qui Teutonica lingua loquuntur; hic eorum, qui Gallica. Vtrobique triplex Ordo ad consessum maximum legitima euocatione tendentium. Ordinum primus Ecclesiastica dignitate & auctoritate pollentibus viris constat; alter gentilitia nobilitate conspicuis; tertius à Membris, vel ciuitatibus, legatos insigni prudentia, vel doctrina, ciues continet. Eorum, qui Gandaui coguntur, prima classis Episcopos tres Gandensem, Bruganum, Iprensem; Abbates plurimos, Canonicorum quà sæcularium, quà Regularium, vt vocant, D Præpositos aliquot complectitur. Secundam Principes duo, Gauerensis, & Steenhusanus, Comites non pauci, multi Barones, Vicecomites, & Bendophori nobiles conficiunt. Vltima missos à Membris quatuor comprehendit. Ea quatuor vel ciuitatibus, vel ditionibus censetur, Gandauo scilicet, Brugis, Ipra, Terra Franca, seu libera: quibus reliquæ vrbes, seu Castellaniæ, ad ærarij Principalis subsidia, & arma nectuntur.

Dvplices in Flandria Ordines.

Flandrorvm Tevtonicorvm.

Cùm generalia & maxima Insulæ Comitia dictis de causis habentur, primus Ordo Abbates quatuor, Præpositos & Decanos Canonicorum aliquot includit cum adiunctis Canonicis Capituli nomine. Alter Castellanum Insulensem, Cysonianum Baronem, Toparchas Waurignium & Cominæum, aut quatuor eorum Bailliuos, dein Marchionem vnum Robacensem, Comites aliquot, & plurimos primæ notæ Comarchos exhibet. Tertius totum Insulensem Magistratum, ab Duaco & Orchiaco legatos complectitur. Sed maximus ille Conuentus raro agitur: quot hebdoma-

Et Flandrorvm Gallicanorvm.

dis quatuor suprà nominati Bailliui, ac de Senatu Insulensi Maior, lateralium, vt vocant, Scabinorum prior, Pensionarius maximus, & vrbis Procurator, Insulensis ditionis Ordinum nomine, Insulæ certis diebus cum scriba vnico & quæstoribus duobus conueniunt, vt de vectigalibus, & rebus aliis ad hos Ordines spectantibus agitent. Quoties autem subsidiaria pecunia in Comitem conferenda est, ad Comitia totus Insulensis Magistratus conuenit, dein Duacensium & Orchiacensium legati cum Regulis, vel eorum Bailliuis quatuor iam nominatis. Interdum, vbi ad pecuniæ subsidia opus est pluribus, etiam Ecclesiastici & Nobiles euocantur litteris Gubernatoris. Quoties verò Generales Ordines cogi oportet in subsidia vel Principis, vel publicæ rei, Comes ipse Flandriæ conueniendum litteris edicit, aut eius nomine Flandriæ Concilium pro Gandensi Conuentu, pro Insulensi Gubernator. Ad sacros antistites, & Nobiles litteræ mittuntur, quibus nominatim dicto die ad Comitia cientur: ad Magistratus etiam scribitur, vt viros statuto tempore delegent. Vbi omnes conuenere, missus à Comite Aulicorum aliquis, vel Gandaui Concilij Præses, vel Insulæ Gubernator, cogendi causam Conuentus explicat: dein aliquot dies præscribit, vt interim domi deliberent, iísque elapsis condicto tempore rursus in cœtum coëant, & ad petita respondeant concedendo, vel negando. A B

SEMPERNE DIVISI FVERINT HI FLANDRIÆ ORDINES?

Verùm ea Statuum in Flandria diremptio neque semper fuit, neque satis certò dici potest, quandò cœperit. Constat enim præteritis temporibus in vnum tam Teutonicos, quàm Gallicos Flandros cœtum venisse, quoties Ordines cogi vel Comes, vel necessitas imperaret. Quæ causa, quod tempus discrimen fecerit, minùs apertè colligitur. Non absurdè credi potest, diremptionis initia, vel causas struxisse Pulchri regis Facinus, quo Tripolim Gallo-flandricam à cetero Flandriæ corpore distraxit, eámque tenuit ad cessionem inducto per fraudem Comite Roberto, vt anteà fuit memoratum. Quippe nostra hæc ditio ita Regi subiecta, cum ceteris Flandrici Comitatus membris minimè obstringebatur ad eam pecuniæ summam Comiti persoluendam, quod Transportum vocabant, aliquid conferre: eóque mansit onere liberata, cùm Burgundiæ Duci Philippo per contractas cum Margareta Flandrica nuptias traderetur. Neque posteà obnoxiam fecerunt vel Ioannes Burgundus, cùm Transportum reformaret; vel Carolus Quintus Imperator, Ioannis partitionem antiquando. Quo tamen tempore disiungi vtriusque Flandriæ Ordines cœperint, inde nondum satis probo. Etenim anno 1484. cùm generalis Belgij Conuentus haberetur, defuncta Maximiliani coniuge Maria, qui de tota missi Flandria Comitiis interfuere, vnius corporis membra censebantur. Et sanè id ætatis cùm Regi Franciæ fidem obstringeret Flandriæ Comes, quasi vnicum esset totius Comitatus Flandrici corpus, vno id actu conficiebat. Verùm ea tempestate, qua inter Ludouicum Franciæ Regem & Flandros, Maximilianum Regem Romanorum & alios Belgas bellum gerebatur, anno 1488. diuisos fuisse Flandriæ Ordines apparet; quandoquidem ij separatim cum toparcha Esquerdio inducias pacti sunt Waurignij, quemadmodum latè ex eorum litteris in Annalibus nostris memoramus. Postmodum Carolus Imperator cùm diplomate quodam Prouinciarum Canones proponeret, vt inde faciliùs vnaquæque perspectum haberet, quantum quotannis pendere teneretur: Gallo-flandricam regionem ab reliquo Flandriæ Comitatu discreuit, eámque iussit separatim contribuere, quantum pars octaua Flandriæ conficeret. Ceterùm duos habent hîc Ordines pecuniæ publicæ Quæstores, qui eam & colligant, & dependant, prout ipsi statuerint, ac Scribam vnicum, qui decreta ipsorum tabulis mandet. C D

De Aduocatis, & Paribus Gallo-flandriæ.

CAPVT XX.

FREQVENTER ætate media libri Aduocatorum, Aduocatiæ, & Aduocationis memoriam ingerunt, non paullò diuersa veteribus Romanis significatione, & officio. Odgerum S. Bertini Aduocatum, Fastredum S. Bauonis, Balduinum Tornacensium, Eustathium Morinensem, Galterum Bergensem, Robertum Bethuniensem, & alios plerosque memorat variis locis Iacobus Meierus in Flandricis Annalibus. Verùm quid Aduocatus id ætatis significauerit, non satis constanter asseritur. Idem Iacobus Meierus, cùm de Arnulpho Taruennæ Aduocato disserit, iudicat, nihil aliud tum temporis indicatum eo nomine, quàm ciuitatis Principem. Et modò videtur quibusdam locis in Magistratibus eo significatu Scabinorum Princeps nominari. Sanè manet id nomen & officium Stegris, oppido Flandriç ad Lisæ ripam ex aduerso Allodiæ sedenti. Contrà, Petrus Pithœus in Glossario Capitularium, eo vocabulo Protectorem ac defensorem significari, autumat. Ideóque Aduocatiam, vel Aduocationem, plus quàm semel Baldericus Tornacensis Episcopus, pro defensione, patrocinio, & munere huiusmodi Aduocati vsurpat: itémque Alexander Romanorum tertius eius nominis Pōtifex extra de Iure Patronatus cap. Quia Clerici. Igitur Aduocati nomine quosdam appellatos crediderim, qui obstricti vel aliquo fœudo, & beneficio, vel officio fidem & auxilium, & defensionem alteri debent. Quia verò nonnunquam erga ciuitatem, interdum erga ecclesias id patrocinium impenditur: à Pithœo rectè notatum est, alios esse ciuitatum, alios ecclesiarum Aduocatos. Vt enim ille memorat, Augusta Tigurinorum, Atrebatium vrbs, S. Winoci Bergæ, Bethunia, suos etiam Aduocatos habuere; dein ecclesiis Canonicorum & Religiosorum quamplurimis ij sunt attributi. Quòd autem nullum in Gallo-flandria vrbium fuisse Aduocatum videam, de talibus vltrà nihil inquiram. solùm hîc de ecclesiarum defensoribus & Aduocatis quæstionem mouebo: ac priusquam perscruter, fuerintne olim, ac sint modò tales Aduocati in Gallo-flandria, de ipsis paullò latiùs disseram. Ab Ioanne Molano notatum animaduerto, priscis temporibus Imperatores ac Reges tutelam ecclesiarum, ac monasteriorum defensionē sponte suscepisse, ac vtrorúmque se Aduocatos ideò nominasse, quò magis in res ecclesiasticas suum patefacerent affectum. Id vetus institutum fuisse Principum, satis ex eo constat, quod Engolismensis monachus in vita Caroli Magni apud Pithœum sic exhibet: *Post Pipinum Pium, regnauit dominus Carolus filius eius, quem posteà Romani elegerunt sibi Aduocatum S. Petri contra reges Longobardorum.* Adeóque gauisus est eo titulo magnus ille rex Hierosolymorum Godefridus Bullonius, vt inter eius titulos legeretur, *Gratia Dei ecclesiæ S. Sepulchri Aduocatus.* Et patet ex Canone 99. Afric. Synodi, post consulatum Stiliconis inductam esse pro causis ecclesiæ Aduocatorum defensionem. Quia verò plerique Principes ob negotiorum multitudinem minùs ipsi harum ecclesiarum defensioni & patrocinio insistere poterant: factum est deinceps, vt eam nobilibus viris curam commiserint. Hinc, vt legitur in Chronico Besuensi, *anno* VIII. *regni sui Chlotharius Rex defensorem & Aduocatum Gengulfum virum illustriss. monasterio Besuensi instituit, quod eius indicant litteræ.* Hoc modo Aldonem de Vido ecclesiæ D. Gaugerici, apud Cameracenses Aduocatum fuisse, &, quoniam potestate abutebatur, ea prorsus exutum ab Gerardo Cameracēsi Episcopo, refert Baldericus. Vrbis Tornacensis Aduocatum eo sensu fuisse Fastredum in Chronico veteri Tornacensi legitur: idémque sentiendum de aliis item Aduocatis Tornacensibus. Ij nàmque ecclesiæ Tornacensis defensionem præsertim suscipiebant, eóque ab Episcopo, cuius olim dominio Tornacum subiiciebatur, vexillum accipiebant: vnde & in hoc versu veteri Signiferi nominantur:

Quid præter communem significationem notet nomen Aduocati.

Lib. 5. Annal.

Lib. 1. Chron. Cam. c. 10. & 3. c. 37.

Aduocati quidam ciuitatum, quidam ecclesiarum.

Lib. 1. de Canon. cap. 46.

Lib. 3. Chron. Cam. c. 37.

A

Signifer Ecclesiæ vexilli munere grato,
Et Castellanus fœudum capit à Cathedrato.

Cap. In quibusdam lib. 5. tit. 37. de pœnis.

Et huiusmodi certè Aduocatorum mētionem faciunt Decretales, cùm abusus quorumdam reprehendunt, & quod sit horum officium, his verbis ostendunt: *In quibusdam prouincijs ecclesiarum patroni, & Aduocati, seu Vicedomini, se in tantam insolentiam erexerunt, quòd non solùm, cùm vacantibus debet ecclesiis de pastorib. idoneis prouideri, difficultates ingerunt & malitias: verùm etiam de possessionibus aliisque bonis ecclesiasticis pro sua voluntate ordinare præsumunt, & (quod horrendum est dicere) in necem prælatorum prorumpere non formidant. Cùm igitur quod ad defensionis subsidium est inuentum, ad depressionis dispendium non debeat retorqueri: prohibemus expressè, ne patroni, vel Aduocati, vel Vicedomini super præmissis de cetero plus vsurpent, quàm reperiatur in Iure permissum: & si contrà præsumpserint, per seueritatem Canonicam districtissimè compescantur.* Vides itaque hinc ad defensionem ab ecclesiis ascitos fuisse Aduocatos, eósque horum pœnis coërcendos, qui potiùs eò nituntur, vt officio ad ecclesias molestandas abutantur. Huc respiciunt etiam, quæ nobis in Poletico Martianensi Gualbertus monachus hunc in modum proponit: *Qui nunc Aduocatus immeritò nuncupatur, honorifico nomine olim Defensor ecclesiæ laudabiliter vocabatur: quoniam sapientia, ratione, armis etiam, si res exegisset, omnia, quæ erant Ecclesiæ, viriliter defendebat, & vigilanter protegebat.* Video etiam in Can. Saluator, causa 1. quæst. 3. Chalcedonensem Synodum. Defensoris nomine Aduocatum, siue Castaldum, & Iudicem intelligere. Talésne verò fuerint vnquam Aduocati in Gallo-flandria, id modò scilicet examinandum. Equidem dum expendo Balduini Insulensis Flandriæ Comitis diploma, quo dotem Insulensi Canonicorum S. Petri Ecclesiæ assignat; non obscurè deprehendi posse video, aliquem ei ecclesiæ concessum fuisse Aduocatum. Quid enim aliud volunt hæc eius verba? *Eisque ad vsus necessarios de rebus possessionis meæ tradidi, quæ inferiùs continentur, libera videlicet omnimodò, & ab omni dominatione seu potestate cuiusquam absoluta, excepta eius quidem, quem Præpositus, & Canonici eiusdem ecclesiæ in loco à progenitoribus Isla nominato fundatæ, communi elegerint voluntate, qui & ipse quoque tamdiu, & non vlteriùs, eorum rebus præsit, quamdiu eis placuerit.* Dare scilicet videtur Balduinus Præposito & Canonicis potestatem eum sibi, quem voluerint, virum potentem deligendi, qui quamdiu permiserint, sit ipsorum, & rerum ad eos pertinentium Aduocatus & Defensor. Quo sanè indulto dum fruuntur, varios variis temporibus, à quibus defenderentur, nunc Principes, nūc alios sibi adsciuere. Ita Defensor eorum aliquandò fuit Ambianensis Bailliuus, interdum eorum Gardianus (ita Franci vocabant) Gallorum rex fuit. Et notat Ioannes Molanus, Maximilianum Archiducem Austriæ, & Regem Romanorum lite peruicisse, vti Comes Flādriæ eo patrocinio polleret: vt in eam forsan opinionem quis veniat, Flandriæ Comitem huius Collegij nobilissimi Defensorem & Aduocatum modò existere. Equidem quo die is Comes inauguratur Insulæ, in eo ipse templo sese obstringit sacramento, Canonicos, eorúmque res & priuilegia tuendi: & mox ab ipsis donatur nunc pane viníque lagena, nunc alio munere; ceu per eam protectionis & defensionis promissionem, bonorum eius ecclesiæ particeps efficiatur. Verùm hæc non ita velim accipi, vt, si forsan tam celebris Capituli Præpositus & Canonici aliter fundatoris sui verba interpretentur, alitérque malint eum nominari, cuius eligendi potestatem concedit Comes Balduinus, eorum velim sententiæ aduersari.

B

Cap. 4.

Fuerintne, ac sint hodie quidam Ecclesiarum Aduocati in Gallo-flandria? Ecclesia S. Petri Insulensis an Aduocatum habeat.

C

In natalib. SS. Belgij.

D

Vt enim ab hac insigni Ecclesia minimè mihi exemplum sufficiatur, quo possim certò peruincere, aliquos eo significatu, quem diximus, Aduocatos in Gallo-flandria nostra reperiri: equidem alia compluria non deerunt, quibus idipsum comprobetur.

De Martianensis Monasterii Aduocato quædam afferuntur.

Quin olim Martianense monasterium suos habuerit Aduocatos, haudquaquam dubium esse potest. Etenim Osbertum militem villæ cuiusdam Martianensis Aduocationem inuasisse, vetera memorant Martianarum monumenta, ideóque grauissimas incurrisse diuinitus pœnas Alberici Abbatis tempore. Deinde cœnobium

A Richardo moderante, villæ ipsius Martianensis Aduocatiam Heluinus vsurpauit, homo ferox & tyrannidis, quàm patrocinij, appetentior: qui sexaginta sibi milites adsciuit, quò liberiùs grassaretur. Sic enim de ipso Anonymus auctor Miraculorum S. Rictrudis: *Hic eiusdem villæ Aduocationem sibi vsurpauerat, & pro Aduocati officio aduersus ecclesiam & eius homines tyrannidem exercebat &c.* Et verò Gualbertus anteà citatus, cùm sui temporis Aduocatos cum iis comparat, qui priùs ecclesiam Martianensem defenderant, omninò certè clarum reddit, suis non caruisse Aduocatis hoc Asceterium. En eius locus è Poletico, cuius anteà partem dedimus: *Qui nunc Aduocatus immeritò nuncupatur, honorifico nomine olim defensor ecclesiæ laudabiliter vocabatur: quoniam sapientia, ratione, armis etiam, si ita res exegisset, omnia, quæ erant ecclesiæ, viriliter defendebat, & vigilanter protegebat. Rapax non erat, nec inferiorum expoliator, sed qui ad sui tutelam pertinere videbantur, quæcumque habere poterant, sine auferendi timore securè possidebant. De his verò, qui modò sunt, ideò dictum est, Aduocatus immeritò nuncupatur, quia nec nominis proprietas admittit, vt huius appellatione vocabuli fungatur, donec*
B *ad adiuuandum & succurrendum ab his, qui inferiùs iniuriam patiuntur, fuerit inuitatus, hoc est Aduocatus. Administrationis istius vtilis profectus his temporibus (heu) in contrarium versus est. Nam afflictis & mœrentibus, facultatula sua expoliatis inclamantibus auxilium, nullum omninò confertur solatium. Voces inuocantium is, qui Aduocatus dicitur, dissimulat audire, quem horum districtissimum vindicem celerrimè oportuerat esse.*

Et verò quamuis omnibus his testimoniis essemus destituti, abundè tamen nobis suppeteret huius, qua de agimus, rei veritas è variis tum Principum diplomatibus, tum litteris Antistitum, quæ omnia de Martianensis ecclesiæ scripta sunt Aduocatis. Vt hìc aliquid ex iis in medium proferam tum propositi mei ratio, tum veritatis è tenebris antiquitatis eruendæ cupido plurimùm impellit. Igitur quid primùm Balduinus Insulensis Flandriæ Comes litteris mandauerit proponam; deinde nonnulla ex Caroli eiusdem Flandriæ Comitis sanctissimi aliorúmque Flandriæ Principum diplomatibus dabo: ex quibus principio clarum euadat, Martianenses
C Monachos ecclesiæ ac bonorum Aduocatos habuisse; ac subinde perspiciatur, quid iuris eis fuerit concessum, quid ipsi arrogauerint sibi. Insulensis autem diploma sic loquitur.

Prudenter satis antiquorum excogitauit sollertia, vt litteris commendarent, & confirmarent, quæ honestè ac rectè à se facta posteros latere nolebant. Vnde & ego Balduinus Dei gratia Flandrensium Comes, ad notitiam tam futurorum, quàm præsentium hìc annotari iussi, qualiter B. Rictrudis Martianensis Abbatiam per quadringentos, vel eò ampliùs annos, hoc est, à sui constitutione semper fuisse ab omni redditu Aduocationis liberam coram Baronibus meis cognouerim, & testatus sim, annuens humili Albrici Abbatis, & Fratrum ipsius ecclesiæ, suggerente etiam & concedente Adela Comitissa coniuge mea filia Regis Roberti. Sed quoniam præualente sæcularium nequitia ad sui defensionem Aduocato indiget, vt sim ecclesiæ fidelis Aduocatus & defensor; supradictus Abbas mihi dedit duos molendinos, qui sunt in villa Berbera, & duos carrucatus terræ in villa Nigella, ecclesia tamen in sua antiqua libertate semper manente. Ego autem molendinos illos cum terra supradicta per ma-
D *num ipsius Abbatis dedi Hugoni Hauet de Albiniaco, eo tenore, vt in omnibus sit ecclesiæ Marcianensi promptus adiutor. Quòd si neglexerit, me præsente coram Baronibus meis iudicauit, vt & successores eius & ipse datum supradictum, atque Aduocationem, quam de me tenent, perdant. Et hæc sunt, quæ in potestate ecclesiæ accipiet. De omni forisfactura, vbi ecclesia ope indigens eum in auxilium vocauerit, si per iustitiam eam aliquid acquisiuerit, ipse tertiam partem habebit. Quòd si non fuerit vocatus, nihil omninò debebit habere. Maiores dabunt ei in Natiuitate duo sextaria vini, & duos capones & ipse cibabit eos, & homines eorum pane, & carne, & vino. In Paschis dabuntur ei duo sextaria vini tantùm. Adiutorium tempore obsidionis, vel hostilitatis generalis, quatuor, vel quinque hebdomadarum, accipiet in potestatibus, id est, de carruca duos solidos, de dimidia vnum, de operario diuite † an paupere tres denarios. Cocus ecclesiæ, magister pistorum, cambarius, & qui cum carro de nemore ligna adducit, nihil dabunt ei, quia omninò ab omni redditu Aduocationis semper liberi erunt. In hoste quoque regali per manus ministrorum Abbatiæ in potestatibus accipiet octo*

† forsan forte non.

palefri-

palefridos. Et hoc semel in anno, si necessitas euenerit. Sin autem, nihil omninò. Palefridos ferrare faciet; hominibus, qui eos ducent, in victu & calceamentis prouidebit. Cùm fuerit reuersus, statim omnes palefridos illos restituet dominis suis. Quod donec fecerit, nihil pro eo faciet ecclesia, nec homines ecclesiæ. Præter hæc, nihil debet habere Aduocatus in ecclesia, nec ista accipere, nisi per manus ministrorum Abbatiæ. Pro supradictis tamen molendinis & terra seruire debet ecclesiæ, & promptus esse adiutor. Non bannum faciet, nec precariam, nec .... accipiet, nec coreuiaas, nec palefridos: nec ministri eius aliquid accipient. Sciendum quoque, quòd non interpellabit quemquam ad campum de hominibus ecclesiæ; sed ille, contra quem aget, iudicio Scabinorum, cum sacramento, sola manu purgabit se. Nec licet ei, nec alicui terrenæ potestati in aliqua villa S. Rictrudis contra voluntatem Abbatis, vel monachorum manere, vel conuiuia præparare, nec placita tenere, nec denariorum, vel pecuniæ collectionem ab incolis exigere nec vllam violentiam inferre. Æqualem libertatem habebunt omnis hospites potestatum tam aduenæ, quàm indigenæ. Iterum non licet ei terras ecclesiæ emere, aut in vadimonium accipere; nec seruos, vel ancillas eiusdem ecclesiæ in feodo nobilibus dare, nec aliquid ab illis per violentiam exigere. In siluis quoque S. Rictrudis, vel in agris ipsius nullam habet potestatem. Nec homines ecclesiæ contra voluntatem Abbatis manutenere potest. Et vt hæc firma & inconuulsa permaneant, studui sigilli mei impressione hoc priuilegium roborare, & testes inferiùs designare. S. Balduini &c. Hoc placitum fecerunt quatuor milites Aduocati, Vdo, Vrsio, Garderus, Mambodo. Actum Atrebati curte publica in capella S. Benedicti anno Domini M. XXXVIII. *Indictione* VI. *epacta* VII. *anno quarto Balduini Comitis gloriosi, rege Francorum Henrico.* A B

Ita quidem rectè Balduinus de Aduocato Martianensis Abbatiæ constituit. Verùm successu temporum adeò sensim multa sibi quidam propter huius ecclesiæ Aduocationē arrogauere, vt & ipsi eiúsque subditis ob grauissimas exactiones visi sint prorsus intolerabiles; eámque ob rem coacti sint eos nouis diplomatibus primùm Carolus, dein Philippus Elsatius, Flandriç Comites, reprimere. Iis in litteris, quas scripsit anno 1125. hæc in primis habet Carolus: *Amandus Abbas & monachi S. Rictrudis de monasterio Martianensi nostram beneuolentiam humiliter postulauerunt, quatinus hospites eiusdem Sanctæ, qui manent in regione, quæ* Weppes *dicitur, contra prauorum hominum incursiones ob amorem Dei tueremur, & maxime contra eorum violentiam, qui se Aduocatos & defensores verbis dicunt, factis autem negant. Sunt enim oppressores pauperum, & sicut lupi vespertini caulis ouium, ita substantiolis eorum diripiendis, tam per se, quàm per officiales suos cotidie insidiantur.* &c. Iis quæ Balduinus & Carolus scripsere, persimilia litteris mandauit Philippus Elsatius anno partæ salutis millesimo centesimo, & sexagesimo quarto. C

Nunc verò paullùm ad Balduini diploma reuocanda est oratio, vt nonnulla in eo breuiter expendamus. Primùm igitur hæc verba, *vt sim Ecclesiæ fidelis Aduocatus & defensor*, satis ostendunt Aduocati officium esse, ipsam, cuius curam habet, ecclesiam tueri ac defendere. Quæ sequuntur de translatis in Hugonem Molendinis, & terræ carrucatis, déque eodem Hugone ecclesiæ Martianensis constituto Defensore & Aduocato, non sic accipienda sunt, vt officio & nomine Aduocati Martianensis exuerit se Balduinus, eáque prorsus in Hugonem eiúsque successores transmiserit: D verùm ita sunt intelligenda, vt Comes summus remanserit Martianensis Ecclesiæ Aduocatus, ac Hugonem tanquam vicarium, ac minorem Aduocatum sibi substituerit. Quod sanè Comites, qui posteà secuti sunt, non aliter videntur interpretari, cùm se Summos Martianensis Ecclesiæ Aduocatos nuncupant. Ita quidem facit Philippus Elsatius, in eo diplomate, quod suprà retulimus, cùm in hæc verba loquitur: *Quæ omnes cum appendicijs suis sub mea protectione, & Aduocatione sint, qui eiusdem ecclesiæ summus sum Aduocatus, & Aduocati earumdem possessionum de me suas tenēt Aduocationes.* Itémque Margareta Balduini Constantinopolitani Imperatoris & Flandriæ Comitis filia iis in litteris, quas anno 1246. exarauit, iisdem propè verbis vsa: *Quæ omnes cum appendicijs suis sub nostra protectione sunt & Aduocatione, quæ eiusdem ecclesiæ summa Aduocata sum, & Aduocati earumdem possessionum de nobis suas tenent Aduocationes.* Inter eos autem, quos Balduinus Aduocato sibi substituto quidpiam

Cap. 17. huius libri.

pendere.

A pendere prohibet, Cambarius nominatur: quę vox eum significat, qui cereuisiam coquit, exque Camba formatur, cuius nominis origo Teutonica videtur (Cam enim apud Flandros coquendæ cereuisiæ officinam significat) ac propriè locum designat, vbi cereuisia, potus Belgicus, conficitur, quémque vulgò brasseriam, vel braxatoriam nũcupamus. De hoc vtroque vocabulo Georgij Coluenerij ad Cameracense Chronicon Balderici Notas consule. Quid verò per *hostem regalem* debeas intelligere, tam Liber tertius Capitulorum, quàm Balderici Chronicon indicant. Dicti Libri Capitulorum Caput septuagesimum secundũ, cuius titulus est: *De non cogendo bibere in hoste*, sic habet: *Vt in hoste nemo parem suum, vel quemlibet alterum hominem † roget. Et quicumque in exercitu ebrius inuentus fuerit, ita excommunicetur, vt in bibendo sola aqua vtatur, quousque se malè fecisse agnoscat.* vbi vides per hostem exercitum aut castra, significari. Apud Baldericum hæc leguntur: *Hoc viso Imperator Scaldum fluuium, paratis pontibus, transijt, & terram Balduini hosti suæ deuastandam distribuit.* De Henrico Romanorum Imperatore loquitur auctor, qui magnum in Hannoniam aduersus Balduinum Co-

In lib. 1. c. 52.

† forte legend. cogat.

Lib. 3. cap. 68. Chron. Camer.

Lib. 2. cap. 17

B mitem, cuius diploma expendimus, exercitum adduxerat. De palefridis aliquid iam suprà diximus; nonnulla hîc adiicienda nobis videntur. Ab ætatis mediæ auctoribus equi dicti palefridi, vel palefredi, à parafredis, vel parauredis, aut parauerediś. ac forsan ideò, quòd redam traherent, quæ vox olim Gallica, & currum significat. Nam, vt hinc videmus, palefridi etiam equi dicebantur ad bellum opportuni, seu agminales vel sagmarij, seu sessoribus commodi essent. Vt verò ad Balduini defensionem accommodatum aliquid proferamus, doctissimus Choppinus lib. 3. sacræ politiæ tit. 2. art. 10. meminit equitatus, quem prisci ecclesiæ magnates pręstabant Regi, quémque dicit Luitprandum lib. 3. hist. cap. vlt. appellare Caballicatam, à caballo, id est, equo. Frater Guillelmus de Nangis in gestis S. Ludouici Francorum Regis cap. 42. Caualcatam appellat, vel Caluacatam (si tamen hoc rectè scriptum est) dum inter quasdam eius leges hanc refert, non absimilem Balduini prohibitioni: *Subditos nostros nouis exactionibus, vel consuetudinibus, Baillaui & alij officiales non affligant. Caluacatas extor-*

C *quendæ pecuniæ causa non mandent, sed ex causa omnino necessaria. Et tunc volentes facere personalem Caluacatam, ad eam redimendam pecunia non compellant.* Scripserat priùs Rex Carolus, qui Imperator etiam fuit, apud Pistas in Admonitione: *Vt pagenses Franci, qui caballos habent, vel habere possunt, cum suis Comitibus in hostem pergant; & nullus per violentiam talibus Francis res suas, aut caballos tollat, vt hostem facere, & debitos parauere dos, secundùm antiquam consuetudinem, nobis exsoluere non possint.* In Capitulis Episcoporum anno DCCC. LVIII. mense Nouembri in Carisiaco Palatio conscriptis ita sancitum fuit: *Iudices &c. faciant nutrimina congrua, & necessaria, & custodiant siluas, pastionem defendant, excolant prata, vnde habeant pabula. Quatenus non sit vobis necesse per quascunque occasiones circuire loca Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, vel Comitum, & maiores, quam ratio postulat, paratas exquirere, & pauperes ecclesiasticos, & fidelium vestrorum mansuarios in carricaturis, & parauereds exigendis grauare.*

Vetat posteà Balduinus quędam à Martianensi Aduocato fieri, quorum pleraque iamdudũ anno 913. prohibuerat Stephanus Põtifex maximus in eo priuilegio, quod

D Broniensi cõcessit ecclesiæ. ibi enim sic legitur: *Scilicet, vt nullus Episcopus, nullus Comes nullus Aduocatus, nulius Iudex publicus, nec quilibet ex iudiciaria potestate, in ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterij præsumat ingredi, aut ad causas audiẽdas, aut precaturas faciendas, aut freda, vel tributa, aut obsonia quælibet exigẽda.* Et nõ multò pòst Ottho Imperator iis in litteris, quibus Abbatiam S. Gaugerici Episcopo Cameracẽsi tribuit anno 947. *Vt nullus Comes, vel quilibet rei publicæ minister illic potestatẽ habeat aut mallũ tenendi, vel bannum, vel freda exigendi.* Ex quibus primùm appatet, Comitem nostrũ id velle, ne in locis ecclesię Martianensi obnoxiis aliquem proscribat Aduocatus, vel pecunia mulctet; cũ bãnus proscriptionẽ & mulctam significet. Deinde colligitur ab eodẽ vetari, ne Aduocatus precarias, vel precaturas, vel præstaturas, vel donationes sibi fieri exigat, quæ dominiũ vtile, vel vsum fructũ saltẽ in annos quinque tribuant. Eiusmodi enim donationem hac voce designari ostẽdit G. Coluenerius in obscurarũ Balderici vocũ explicatione: de qua vide Gloss. Pithœi.

Quod sequitur de *Campo*, & per *manum purgatione*, longiorem paullò moram requirit, ac notationem. Campum hîc duellum significare nihil dubito. Cùm Baldericus Balduino synchronus scriberet Cameracense Chronicon, vulgarem huius vocis acceptionem ita proponit: *Et ob hoc suum Aduocatum in ius quærentes, ipsum quidem hominem ad singulare certamen, quod rusticè dicimus campum, prouocauerunt.* Glossarium Pithœi ad lib. Capitularium, in verbo Campus: *In duplomate Roberti Regis: Legem duelli, quod vulgò dicitur Campus.* Hinc legitur in Glossario Isidori, *Campiones, gladiatores, pugnatores.* Iam verò frequentissimè fuit olim vsurpata criminis incerti vel probatio vel amolitio, iis singulari certamine in arenam descendentibus, quorum alter accusabat, alter arcessebatur. Multa huiusmodi iudicij mentio in Caroli Magni, eiúsque filij Ludouici Pij Capitularibus mentio. Ac primùm lib. 3. c. 46. habetur: *Campo, vel cruce contendant.* Dein l. 4. c. 23. *Scuto & fustibus in campo decertent.* vbi arma exprimuntur, quæ tum in huiusmodi certaminibus vt plurimùm vsurpabantur. Ibidem: *Huiusmodi testium diuersitas campo comprobetur.* Et iterum cap. 29. *Liceat ei contra vnum ex his, cum scuto & fuste in campo contendere.* Vt autem ad Comitem nostrum veniamus, is mihi hoc loco præscribere videtur, ne quemquam Martianensi ecclesiæ subditum Aduocatus ad duellum compellat, vt eo se purget, cùm fuerit criminis accusatus. Quod sanè admodum rectè ab eo fuit constitutum; vel quòd eiusmodi purgatio perquàm incerta sit, ac plerumque accidat, vt is, qui reus est impacti criminis, de hoste victoriam consequatur; vel quòd eadem fuerit libro singulari ab Episcopo Lugdunensi Abogardo, & ab Imperatore in Capitularibus improbata; vel quòd denique talis monomachia omni iuri repugnet ex communi Doctorum sententia, vt ex variis auctoribus colligit Martinus Delrio, quem tu consule. Iis, quæ sequuntur, verbis vulgaris per ignem & manum purgatio indicatur, quam Balduinus iudicio Scabinorum fieri permittit. Cùm autem varius olim mos fuerit per ignem ab se crimen impositum amoliendi (nam per rogum, per prunas, per ferrum id fiebat; vel per ignem, prunas, vomeres ignitos incedendo; vel candentes vomeres, lateres, conticulas manu tractando premendóue; vel ardentes chirothecas induendo) eum modò videtur Comes indicare ac permittere, quo quis crimen ferrum candens attrectando premendóue abstergat: qui certè modus olim fuit vsitatissimus, ideóque ferrum illud interdum fuit Iudicium nuncupatum, vt patet ex iis, quæ Petrus Leloyher apud Delrium refert ex S. Mauritij Andegauensis Archiuo. Porro hîc Comitem vnà cum ferri tractatione iuramentum desiderare existimo, vt ad plenam manus purgationem vtrumque iungatur: quod etiam apud Iaponios in vsu est hoc tempore; quoniam ij, dum aliquis furti accusatur, eum in charta id scribere imperant, quod iurandum est, eóque folio ferrum candens inuoluere, ac vtrumque manu constringere; quemadmodum docet Luisius Froës in epistola, quam ex Iaponia scripsit anno 1595. Igitur mens ea fuisse videtur Comitis, vt accusatus ferrum ignitum manu premens, sese iuret, eius criminis auctorem minimè esse, cuius arcessitur. Sitne secutus Balduini permissionem Philippus Elsatius, nescio: saltem de huiusmodi probatione hæc statuit apud Meierum: *Si quis vulnus in nocte acceptum alij imputauerit, si Scabinis dignum videtur, ferro candenti se excusabit accusatus.* Item; *Si fur vocatus accusatus fuerit, ferro candenti se excusabit,* vbi ferrum candens laminam nominat Meierus. Ceterùm hîc vides hoc à Balduino permitti iudicio Scabinorum, à Philippo, si Scabinis dignum videatur: vt agnoscas non sponte suscipiendam huiusmodi purgationem, quòd ea Deus tentari videatur, vt docet S. Iuo epist. 74. quam alioquin non improbat, si ex iudicio superiorum, & consilio virorum proborum admittatur. Vide Martinum Delrium loco citato sect. 3.

Lib. 1. c. 10.

Lib. 4. disquis. mag. c. 4. q. 4. sect. 4.

A B C D

DE ADVOCATIS CYSONIENSIS COENOBII.

Neque verò defuisse Cysoniensi Cœnobio Aduocatum crediderim. Primùm enim antiquis temporibus eius Aduocationem, vel Defensionem obtinuisse Landastensis familiæ nobiles viros comperio. Id quod hæc epitaphia quæ monasterij huius ædes repræsentat, testantur: *Hic iacet Rogerus Aduocatus huius ecclesiæ. Hic iacet Engelbertus & Ioannes filius, Aduocati huius ecclesiæ.* Hos siquidem

A quidem omnes è domo Landastensi profectos fuisse ipsimet Cysonienses Ascetæ asserunt: qui etiam Arnulphum Landastensem suum quoque fuisse Aduocatum memorant. Successu temporis fluxisse posteà hanc Abbatiam tuendi munus in regulum Cysoniensem, ea videtur formula significare, qua is ab olim constrictus fuit suam ei fidem & patrocinium promittere, quam hic iuuat oculis legentium, vti verbis Gallicæ linguæ obsoletis concepta est: *Iou N. Sires de Cysoing, ou Baillieus, ou Prouuos, iure sur me foy, & sur quanques ie tieng de Dieu, & sur les Saintes Euangilles, que iou warderai les drois & les franquises del Eglise de Cysoing, & le teneur de leurs cartres, & de leurs priuileges à men pouuar, ne procurrai, ne consentirai cose, qui soit encontre les coses deuant dites, ne par mi ne par autrui, parquoi li Eglise en ait damage.* Deinde vix dubium est, quin defensorem & Aduocatum huius se Abbatiæ præstiterit rex Franciæ Philippus cognomento Pulcher. Cum enim de huius monasterij fundatione ageremus, litteras eius, quas Saluam Gardiam appellant, quibúsque suam ipse protectionem pollicetur, in medium produximus.

B Quòd autem ad ecclesiam Phanopinensem & loca quædam alia pertinet, non fuerit difficile cognoscere, suum ea quoque Aduocatum habuisse, si placeat illa in memoriam reuocare, quæ suprà docuimus, cùm de Castellani Insulensis officio tractauimus. Illic enim asseruimus, ecclesiæ Phanopinensis, & subditarum ei rerum, dein Enneulini, Montis Pabulani, ac quorumdam aliorum pagorum ac villarum Aduocatum existere, eo patrocinio in posteros transeunte. De Tornacensi Pontifice, quoad ecclesiam Cominiensem, id reperio, Aduocatum eius esse Flandriæ Comitem. Hoc me docent Margaretę Flandrorum Principis, & Walteri Tornacensium præsulis diplomata, post Christi natales anno M. CC. L. conscripta. Illius hæc verba: *Ita tamen, quod dictus Episcopus, & successores sui, nos, & successores nostros Comites Flandriæ, qui pro tempore fuerint, si indiguerint auxilio, aduocabunt, nec alium dominum secularem poterunt aduocare.* Walterus autem sic loquitur: *Non possumus alium dominum secularem, quam Illustrem dominum Comitem Flandriæ, qui pro tempore fuerit,*
C *Aduocatum pro habendo auxilio postulare, vel etiam inuocare.*

At hæc modò de Aduocatis sufficiant. De Paribus Gallo-flandriæ si quid dicendum reperiatur, videamus. Notat Otho Frisingensis suo tempore in Germania Pares fuisse Curiæ. Et Claudius Fauchetus etiam his temporibus apud Germanos reperiri asserit. Passim quoque in Francia olim fuisse, idem post Ioannem Tilletum memoriæ tradidit. Quid verò per Pares ipsi intelligant, ita litteris mandant. Parium similitudine, quos Reges Franciæ sibi adsciuerant de rebus summis iudicaturos, quíque pares dicebantur, quòd pari, non cum rege, sed inter se iudicandi potestate pollerent, in Curias vel Ducum, vel Comitum, vel Baronum, vel toparcharum supremæ iustitiæ ius habentium, adscitum scilicet fuisse numerum quorumdam fœudatariorum, vel beneficiatorum hominum: eos illic pari potestate iudicandi præditos de rebus in controuersiam tractis decernere: eos pari priuilegiorum, iurisdictionis, præeminentiæ, officij, nobilitatis auctoritate florere. Tornaci Pares eiusmodi exstitisse, notat idem Tilletus. Narrat enim Ri-
D chardum Pilatum quondam Tornacensem Aduocatum, priusquam Aduocationem Philippo Pulchro regi Franciæ anno 1323. vendidisset, ab hominibus fœudatariis Tornacensibus in Parem receptum. In resolutione quadam Senatus regij Parisiensis anno 1300. Abbatis Elnonensis, seu D. Amandi in Pabulana ditione, Pares quatuor ita nominantur, Hugo Antoingij toparcha, Balduinus Mortaigniæ, Guilelmus Libleux Monugnij, Petrus Sainghinij, equites. Neque verò suis Paribus caret Armenteriæ dominus, qui, dum staret huius oppidi castrum, ibi iudicabant. Insulensi Castellaniæ attribuit Ioannes Tilletus, & multis ante ipsum sæculis formula iurandi quondam Castellanis Insulensibus proposita, cùm inaugurarentur. Ibi enim quędam coguntur hi suis expensis prętare cum Paribus Castelli vel Curiæ, in publicum vrbis bonum. Quæ tamen potestas iudicandi Paribus istis conceditur, non præripit spem aliò prouocandi;

Lib. 1. c. 11. de gest. Frederici
Lib. 1. cap. 1. de Orig. dignit. Franc.
De Regib. Franc.
QVID SINT PARES.
QVI PARES FVERINT IN GALLO-FLANDRIA.

adeóque licet post eorum sententiam ad superius tribunal litem traducere. Apud Ioannem Tilletum hoc comperio. Obstricti fœudo vel beneficio viri nobiles Castellaniæ Insulensis, cùm difficultas aliqua iis in causis oriretur, quas ipsos decidere oportebat, ad Comitem Flandriæ, vel Senatum eius sanctiorem referebant, vti lucem & consilium ad res expediendas acciperent. Postquam verò Philippus Franciæ Rex cognomento Pulcher eam obtinuit Castellaniam, iidem obnixè postularunt, vti sibi liceret ad Senatum sanctiorem iis de causarum difficultatibus Parisios referre. Verum huius Senatus decreto anno 1316. pernegatum id fuit; quoniam ab hominibus beneficiariis & Paribus, dein ab Camera Flandrensi ad Parlamentum Parisios prouocabatur. Datus est tamen Seneschallus Insulensis, à quo peterent consilium soluendis difficultatibus. Exstant hodiéque vel intra vrbem Insulensem, vel extra, domus & toparchiæ, à quibus Pares plerique nuncupantur.

A

B

De Mancipiis, quæ olim in Galloflandria.

Capvt XXI.



QVæ totâ quôdam in Flãdriâ, ceterísque Belgij regionibus grauissima homines tenuis fortunæ, rusticos præsertim, seruitus obligabat, ea non dubiè Gallo-flandricos intra fines eosdem dominis subdiderat iure modóque mancipiorum. Rem istam vt arguam, multa mihi suppetunt monumenta è variis ecclesiarum vrbiúmque Archiuis eruta. Horum quædam nonnulla monasteriis donata mancipia, seruitiáue ostentant; quædam ecclesiis Canonicorum attribuunt; in libertatem asserunt alia.

MANCIPIA QVÆDAM OLIM ECCLESIIS DATA IN GALLO-FLANDRIA

C

Valgarius sacerdos, ac primus Sacellanorum B. Eurardi Comitis, ac Cysoniensis monasterij fundatoris, cùm aliqua eidem monasterio legat, etiam seruos quatuor donat. Eius hæc verba iis è litteris, quas Aduocationem vocant; *In loco qui vocatur Holtem, mansum vnum cum casticijs suprapositu, in quo Ragenarius residere videtur: vbi appendunt de terra arabili bonaria quatuor, & mancipia quatuor, videlicet mulier eiusdem Ragenarij, & filij eius duo, & vnus nepotum eius.*

Ea mulier, quæ D. Callisti ope cæcitatem ab oculis absterserat, dum eius corpus ab Italia Cysonium deferretur, vbi ad illud venerabunda peruenit, seruulum eum, *quem Ducem & Comitem in sua cæcitate habuerat, B. Callisto tradidit*, vt scriptum est in historia Translationis eius Martyris & Papæ corporis.

Ernoldus, eiúsque coniux Richildis, cùm anno Domini 1002. Bouinas vicum in Castellania Insulensi positum S. Amandi monasterio concedunt, & seruos & ancillas aliquot vnà tribuunt, & cùm vtrosque in litteris donationis nominauere, hæc subdunt: *Quæ familia vnoquoque anno in festiuitate S. Amandi, quæ est VII. Kal. Nou. persoluat de respectione capitis sui duos denarios; de mortua verò manu sex, de licentia maritali sex simili modo: & vt nullus inibi, nisi solius Amandi dominetur Aduocatio, vel Defensio.* Qui locus in memoriam alium reuocat, vnde lucem aliquam accipiat. Cùm enim Ermentrudis Galteri cuiusdam vidua eidem Amandino cœnobio, seruum ancillámque dono tribuit anno Christi 1041. hanc addit conditionem: *Vt pro censu capitali* (non Capituli, vt Ferreolus Locrius fors reponendum arbitratur) *duodecim denarios; & pro licentia maritandi quinque solidos, pro mortua verò manu totidem solidos persoluat.* Vnde licet miseram eorum mancipiorum seruitutem colligere, vt non modò eorum corpora quoad possessionem, & labores, dominis subderentur; sed ne quidem nuptias contrahere possent, nisi priùs pensa pecunia veniam impetrarent.

D

Saswalo Cœnobij Phanopinensis conditor etiam aliquot huic loco mancipia donauit, quemadmodum Hugo Nouiomensis & Tornacensis Episcopus

in di-

A in diplomate, quod scripsit anno Domini 1039. testatur his verbis: *Hæc autem sunt nomina seruorum per familias eidem Abbatiæ concessa, Dodo, & vxor eius cum infantibus, Bernardus cum vxore & filijs, Dauid, Tetuum, Algis, Berengarius, Tetricus, Herbertus, &c.*

Qui sua D. Petri Insulensis ecclesiæ mancipia religionis ergo transcripserint, aliquot inuenio. Familias duas donauit diuersis temporibus Rabodo de Rumia, vt binæ litteræ fidem faciunt ab ipsis conscriptæ Canonicis. Priores ita loquuntur anno ab Incarnatione Domini M. C. XCII. *Notum sit omnibus tam præsentibus, quam futuris, Rabodonem de Rumia Sibyllam vxorem Hermanni de Ricantines, & Ioannem & Gerardum, & Gonterum, & Hermannum & Nicholaum Sibyllæ filios, & Heluidim, & Elisabeth, & Adelidim, & Pieronam eiusdem filias, totámque ipsius posteritatem consilio nobilium virorum ibi assistentium à seruitutis iugo in libertatis statum sublatos B. Petro Islensi in eius ecclesia præsenti Capitulo obtulisse.* Posteriorum hæc B verba: *Ne præsentium defectu, vel obliuionis deleatur interitu, notum facimus tam præsentibus, quàm futuris, Rabodonem de Rumia, & vxorem eius, & Rogerum fratrem eiusdem, & Idam sororem eiusdem, & Mariam matrem eorum, Galterum Brumum, & Hermannum de Tonchoeth fratrem eiusdem à seruitutis iugo sublatos sine vlla reclamatione B. Petro Islensi obtulisse &c. Actum anno ab Incarnatione Domini* M. C. XCIII. III. *nonas Iulij.*

Rabodonis exemplo stimulati Balduini Cominæi pater & filius nonnulla etiam mancipia D. Petro transmisere, aliqua tamen addita conditione, vt ex iis colligere licet litteris, quas in Cominiensi familia repræsentauimus.

At Rogerus Waurinius paullò antè, cùm aliquot è seruitiis suis in libertatem assereret, pulcherrimum manu missionis exemplar nobis reliquit. Ex Archiuo S. Petri Insulensis totum id hoc loco describam: *Ego R. de Waurin dominus Lilerij & Seneschallus Flandriæ omnibus tam posteris, quàm præsentibus notum fieri in perpetuum volo, quòd Iulianam de Frigido Manso, & Alburgin de Maresco, & earum pro-* C *genies, quæ mihi & successoribus meis iugo seruitutis obligabantur, diuino amoris intuitu, & pro anima mea, & charissimæ vxoris meæ Sibiliæ, & antecessorum & successorum meorum salute, liberè manumisi, & eas omninò liberas feci, eisque tanquam liberis abeundi quocumque voluerint, & sese quibuscumque voluerint ecclesiis commutandi potestatem liberam concessi, laudante pariter & concedente dilectissima vxore mea, concedentibus etiam carissimo fratre meo Hellino, & Hildarde & Maroia, & Ada sororibus meis, & R. de Senghin, & Gosuino patruis meis, & A. de Meallens, & T. de Spineto amicis meis carissimis. Ne autem prædictas I. & A. vel earum posteritatem aliquis sub nomine seruitutis aliqua supprimere præsumpserit exactione: ego & vxor mea, & omnes præscripti successores mei, eas, vel earum progenies, à quibuscumque ecclesiasticis personis manutenendas & sustinendas esse in sua libertate concessimus. Rogantes, vt, si quis eam infringere, vel in aliquo minuere attentauerit, ecclesiastica ad satisfactionem compellatur districtione. Quod vt ratum & immutabile in perpetuum permaneat, præsentem paginam tam sigilli mei appensione, quàm testium annotatione com-* D *muniui. S. Petri de Maisnilio, S. Rufelli de Bosco, S. Hellini de Fornes, S. R. de Legra, & B. Fratris mei, S. Nicholai Risflard. Actum apud Fornes anno Domini* M. C. XCIII.

Præclarum illud Philippi Elsatij Flandriæ Comitis Rescriptum est, quo priuilegium Orchiacensi vrbi concessit, vt quisquis etiam grauissima seruitute obligatus, in ea per annum quietus agitaret, omne seruilis iugum conditionis exueret. In hunc modum is loquitur: *Ego Philippus Flandriæ & Viromandiæ Comes, notum fieri in perpetuum volo, quòd hominibus de Orchies liberè concessi libertatem, & legem oppidi Duacensis, & vt nusquam debeant iuristare infra Peulam, nisi infra villam de Orchies. Adhuc etiam, vt quicumque in villa de Orchies diem vnum & annum vnum sine contradictione, & calumnia manserit, liber sit &c.* Et postmodum has litteras Philippi suo etiam diplomate confirmarunt Guilelmus Dampetreus, eiúsque coniux Margareta Ioannæ Flandriæ & Hannoniæ Principis soror, cum id anno 1225. scriberent.

Eiúsne modi priuilegium (quod etiam Valentianis indultum fuisse reperio) impetrare vel noluerit, vel nequiuerit Insula, non habeo dicere: saltem licuit nulli tantæ in ea commorationis tempore libertatem olim sibi vendicare: quandoquidem vetus donandorum ciuitate formula prorsus asserat, nullum seruitute obligatum, etiam adepta ciuitate, à pristina conditione liberari. Verùm ita denique placuit Margaretæ Flandrorum Comitissæ, per subiectas ei ditiones ab hominum ceruicibus fœdissimæ iugum seruitutis excutere, vt etiam seuerissimis verbis vetuerit rursus imponi. A

Quinam olim irrogatas factásue ciuibus iniurias flammis Insulenses vindicauerint.

CAPVT XXII. B

NON videtur mihi hoc loco de veteri Insulensium consuetudine tacendum, qua flammis illatam ciui ab extero iniuriam vlciscebantur. Habuit enim illa, vt ritus varios, ita pompæ plurimum ac tumultus, quemadmodum obiter suprà perstrinxi. Sed cùm videretur quibusdam vltra limites Christianæ vindictæ ac iustitiæ progredi, multos etiam passa est aduersarios, ipsa præsertim Castellaniæ nobilitate vehementer oppugnante. Huius ego consuetudinis initia nondum reperi: id mihi tamen satis constat, ante Christi annum ducentesimum & quadragesimum tertium post millesimum, apud Senatum Insulensem plurimum obtinuisse, cùm eo tempore domum quandam Flersij ex eius instituti ratione incendio absumptam legerim. Neque certiùs asserere possum, Cortracíne, an Valentianis (quibus in locis ea etiam viguit consuetudo) priùs ista vindicandi ratio, an Insulæ principium sumpserit. Igitur de origine missa quæstione, quo res ea modo geri consueuerit, inspiciendum est; ac deinde qui aduersus eam, & quo euentu consurrexerint. C

MODVS INCENDIO VINDICANDI FACTAS INSVLENSIBVS INIVRIAS.

Philippus Franciæ rex cùm decretum aduersus Castellaniæ Insulensis Nobiles conderet anno partæ salutis 1344. ritum ordinémque omnem eius consuetudinis his explicat verbis: *Facta igitur super præmissis per certos Commissarios per nostram Curiam deputatos, inquesta, & deinde ad dictam Curiam remissa, ipsáque de consensu partium ad iudicandum per eandem Curiam, saluis reprobationibus, recepta, ea visa, & diligenter examinata, attento, quòd sine reprobationibus poterat iudicari, hísque consideratis, quòd nostram Curiam mouere poterant, ac debebant, per arrestum dictum fuit: Prædictos Scabinos* (Insulenses) *& communiam* (Insulensem) *ad saisiniam vindictæ per eam allegatæ esse admittendos, in hunc modum videlicet: Quòd quiscunque foraneus in quacumque villa infra Castellaniam Insulensem sub cuiuscunque iurisdictione manens, qui animo iniuriandi in aliquem Burgensem villæ Insulensis extra villam suæ mansionis manus iniecerit violenter, & dictus Burgensis iniuriatus de iniuria sibi facta clamorem suum fecerit Scabinis supradictis, Baillius noster Insulensis, seu eius locum tenens, cum aliquibus dictorum Scabinorum ad eorum requestam ad locum, vbi iniuria facta fuisse dicitur, ire, seu aliquem pro se mittere tenetur, pro compellendo testes tam Burgensis iniuriati, quàm foranei, si quos ad suam innocentiam probandam producere voluerit, ad perhibendum super hoc testimonium veritati. Et cùm fuerint ad locum prædictum, ibidem ex parte nostra ac ex parte Castellani Insulensis, ac Baillivi, & Scabinorum prædictorum, proclamatur, quòd si ille, qui dictam fecit iniuriam, est ibi, veniat, & in suis defensionibus, si quas proponere voluerit, audietur; & si velit, ad emendam recipietur. Et hoc facto si non veniat dictus foraneus, prædicti Scabini suam faciant inquestam, & facti in quantum potuerint, veritatem inquirant, & ita verè pro foraneo, sicut pro suo Burgense iniuriato. Et inquesta huiusmodi facta, ipsam in halla dictæ villæ Insulensis deferunt, per Scabinos dictæ villæ iudicandam. Et si per ipsam inquestam reperiatur dictum Burgensem per suam cul-* D

pam

A *pam fuisse iniuriatum, dicti Scabini ipsum puniunt, & ad soluendas impensas inquestæ compellunt, & foraneus est liberatus. Si verò inueniatur, quòd dictus Burgensis non per suam culpam, sed sine causa rationabili iniuriatus fuerit, & iniuriator non venerit, proclamatur publicè, quòd omnes sint parati in armis, tam eques, quàm pedes, quilibet secundùm statum suum pro eundo cum Bailliuo, Regardo, & Scabinis dictæ villæ ad pulsationem Bancloque & Scalletam. Et postmodum dictorum Scabinorum & Castellani Insulensis vexilla, siue baneriæ promuntur extra ad fenestras Hallæ prædictæ, & ibi tenentur plures dies in signum, quòd si iniurians non venerit, contra ipsum procedetur ad vindictam consuetam. Puniunt enim dicti Scabini dictos iniuriantes ad emendam venientes non in pœnam pecuniariam, sed in peregrinationes emendam conuertunt. Si verò iniuriator ad emendam non venerit, pulsatur ad blancloquam pro gentibus congregandis, & proclamatur publicè ex parte nostra, Bailliui, & Castellani, & Scabinorum prædictorum, quòd quilibet vadat & redeat pacificè, sine damno alicuius, & sub certa pœna, cum Bailliuo, Regardo, & Scabinis prædictis. Et tunc pro vindicta capienda vadunt Bailliuus,*
B *Regardus, & Scabini cum gentibus & vexillis prædictis ad domum iniuriantis. Et ibidem adhuc proclamatur, quòd si iniurians ibi sit, veniat, ad emendam recipietur. Et si non venerit, tunc domus iniuriantis comburitur, & destruitur, & arbores pourprisij dictæ domus extirpantur, etiamsi sit domus dotalij, seu donarij, dum tamen iniurians sit proprietarius dictæ domus. Noster verò Bailliuus Insulensis primus ponit ignem in dictam domum, & percutit primum ictum in arbores prædictas. Et si aliquid remanet de dicta domo, seu de prædictis arboribus, duæ partes sunt nostræ, & tertia pars est Castellani Insulensis. Et semper recipitur iniurians ad emendam, si emendare voluerit, quousque ignis positus fuerit in domum suam. Et si iniurians domum non habeat in dicta Castellania, bannitur per Bailliuum, Castellanum, & consilium dictæ villæ, quousque venerit ad emendam.* Ita Philippus rex in eo diplomate, qui eadem postmodum anno 1350. iisdem propè verbis aliis in litteris repetit. Paullò fusiùs liber Senatus Insulensis, quem Roisinum appellant, huius incendiariæ vindictæ modum ritúsque perscribit idiomate
C Gallico, at vetusto: quæ omnia nec libet hic proferre, nec adscribere necesse est. Paucula tantùm indidem deprompta his, quæ produxi, nunc adiiciam. Ac primò quidem hoc institutum ante omnem hominum memoriam Insulæ viguisse, ac trecentis ferè annis, priusquam hæc formula præscriberetur, quam ex modo loquendi antiquam esse admodum constat, & facilè trium sæculorum patientem. Deinde cùm de circumfusis rei ædibus ciuium copiis, ac eius euocatione agitur, id seuerè præcipitur scilicet, vt totam domum euocantis clamor personet; ac si foras reus prodeat, séque spontè noxæ dedat: Insulam innoxiè statim perducatur, nullis domus eius flammis violetur; in Respectoris ipse domum catenis onustus compingatur, ibi tamdiu maneat, donec iudicio Senatorum, vel peregrinationem obeundi, vel prælato cereo iniuriam expiandi, vel pœnæ alterius sententia perculsus fuerit. Ad hæc ibidem statuitur, vti Castellanus Insulensis, si Senatus submoneat, vel præsente, vel absente Comitis Flandriæ Bailliuo, vrbis copias ducat, ac reducat: si Bailliuus absfuerit, neque aliquem vicarium submiserit, ignem ædibus iniiciat,
D cunctáque peragat ex præscripta vindictæ formula. Vltimo loco decernitur, ne quis abeat priusquam omnia flammis consumpta fuerint; ac tum edicatur voce preconis, vti nullus inde quidquam efferat, omnésque in vrbem innocui, & pacifici sese referant.

Hæc igitur sunt, quæ de incendio domorum, ad vindictam de iis capiendam, qui ciuibus Insulanis iniuriam irrogauerint, vel eos cæde sustulerint, ex Senatus libro, Regiisque decretis percepi. Verùm ea consuetudo ingentium sæpè litium rixarúmque causa exstitit. Primum enim inter D. Petri Canonicos ac Senatores grauis exorta est quæstio, cùm hi desiderio vindictæ succensi flammis reorum ædes popularentur, quæ Canonicorum erant potestati obnoxiæ. Id siquidem certò constat subiectos iis Canonicis agros vicósque in Castellania Insulensi quoad iurisdictionem minimè censeri, atque ideò nullum in eos lege agendi ius habere Senatores, Bailliuum Comitis, & Castellanum Insulensem. Ea nihilominus sæpenumerò

OB HANC INCENDIARIAM VINDICTAM EXORTÆ FREQUENTES DIFFICULTATES. AC PRIMUM AB ECCLESIÆ S. PETRI CAPITULO.

 Senatum

Senatum vlciscendi ciues suos cupido in negatam sibi potestatem abripiebat, vt A
contra ius fásque subditorum D. Petri ædes flammis absumeret. Vt minimùm, qua-
ter id factum vetera ecclesiæ S. Petri monumenta suggerunt: ac primùm quidem
Flersij anno Christi 1243. dein Quesnoyæ anno 1248. Watigniæ anno 1256. & de-
mum Esquelmiis anno 1280.

Sed nunquam eo modo iniuriæ ciuibus illatæ sunt vindicatæ, quin etiam au-
ctores maximis posteà difficultatibus incesserentur, & illata reis damna cogeren-
tur præstare. Quòd Iacobus Insulensis Præpositus Florbiecanis ædibus flammas
iniecerit Quesnoyæ, Margareta Flandriæ Comes omnia incendio absumpta lue-
re debuit. Et tunc grauissimis Walterus Maruisius Tornacensis Episcopus, ipse-
que Summus Pontifex Innocentius Quartus Canonicorum querimoniis pulsati
sunt, vt eam consuetudinem rescinderent, aut saltem D. Petri ditionibus arce-
rent. Multa vterque molitus est tum apud Principem Margaretam, tum apud
Scabinos Insulenses. Et cùm nihil proficeretur, anno sui Pontificatus septimo, B
Christi autem 1249. (sic enim pariat annos Genebrardus) litteras Innocentius ad
Walterum Episcopum scripsit, quibus eum vehementer stimulabat, ne quid laboris
omitteret, vti Senatus Insulensis per terras D. Petri animum iniurias incendio
vindicandi comprimeret. ac si aliter negotium istud conficere nequiret, etiam
eum afflaret excommunicationis fulmine. Neque tamen ita fuisse fractum vindi-
ctæ impetum, ea satis manifestant, quæ sequentibus annis igne consumpta sunt
sententiâ Senatus domicilia.

Deinde a nobilibus Insulensis Castellaniæ.

Exactis ferè annis centum, plerique auratorum equitum ac nobilium Insulen-
sis Castellaniæ aduersus hanc consuetudinem infestis animis exarsere. In his præ-
cipui censebantur Hugo Lannoyus, Guilelmus de Hem, Turberius de Douurin,
Iacobus de le Pontenerie, Robertus Warwaene, Hellinus de Wasiers, equestri om-
nes balteo donati: Eulardus de Poucques, Gadifer de Beaufremés, Ioannes du
Mesnil, Robertus ac Bernardus d'Englos, Ioannes de le Haye, Ioannes & Alar-
dus de Croix, Petrus de Bondues, scutiferi nobiles. Et hi apud Senatum regium C
Parisiis eum vindictæ modum corruptelæ ac iniustitiæ accusationibus onerauere.
Effecit tamen Senatus Insulensis apud patres purpuratos regij Concilij, ne causa
ipse ciuésque sui exciderent. Igitur Philippus Francorum rex nobilibus iam me-
moratis regij consessus sententia perculsis, ita scripsit anno 1344. *Et per idem Ar-
restum dictum fuit, quòd dicti Scabini & communia dictæ villæ lite durante, per ma-
num nostram, vt superiorem, dicta consuetudine, seu saisinia, prout superiùs declaratum
est, vtentur. In cuius rei testimonium præsentibus litteris nostrum nouum iussimus ap-
poni sigillum. Datum Parisius in Parlamento nostro 21. die Maij anno Domini* M. CCC.
quadragesimo quarto per Arrestum Curiæ.

Alij nihilominus posteà eandem querelis consuetudinem impetiuere; rursúsque
apud Regium Parisiensem Senatum Insulenses arcessiti sunt. His tunc aduersa-
bantur Ioannes Luxemburgius Insulensis Castellanus, Robertus de Waurin Liler-
ij & Malanoyæ dominus, Guillebertus Roubaisiæ regulus, & Ioannes S. Venan-
tij toparcha. Verùm hi nihilo magis effecere, quàm alij. Igitur cùm videret fru- D
strà se aduersus Insulenses niti Ioannes Luxemburgius, de regis Franciæ senten-
tia cum iis anno Domini 1348. denique conuenit in has leges; vt ex veteri in-
stituto Insulenses de iniuria in ciuem irrogata vindictam sumant incendio: &
cùm eò vexilla vrbica de fenestris explicabuntur, suum ipse proferat, ac cum aliis
extra vrbem deferri curet, ducendis ad rei ædes ciuibus: si postuletur, operam
ipse suam ad hoc negotium peragendum conferat; Senatoribus ciuibúsque præ-
eat; vt breuiter comprehendit Parisiensis Senatus decretum eodem anno per-
scriptum Philippi regis nomine, ac litteræ ab eodem Ioanne Castellano sequen-
tis anni Ianuario exaratæ. Contrà verò Senatus Insulensis Castellano suo eiúsque
successoribus fidem obstrinxit, numquam huius ac posterorum ipsius ædes igni
se violaturum, in eámque sententiam eodem tempore litteras dedit. Guillebertus
Roubaisius anno 1348. Toparchæ S. Venantij vidua eiúsque filius Ioannes anno

1350. Ro-

A 1350. Robertus Waurinius anno 1352. cùm nihil se aduersus Insulenses promouere viderent, abrupere litem Parisiis. Sed cùm multis pòst annis vetus id Institutum Insulenses sartum tectum regia fulti sententia seruassent, ex eo demum sponte sua decessere, nullúmque nunc eius paret vestigium.

De festo, ludisq; Spineticis olim magno Insulæ apparatu celebratis.

Capvt XXIII.

NVnc vt aliam consuetudini consuetudinem annectamus, etiam de B ludis equestribus, eóque festo, quod Spineticum appellauere, magnis impendiis, multáque pompa quotannis Insulæ celebratis, aliquid promendum est. Vetus id sane fuit institutum, multósque habuit admiratores, necnon maximos quoque fautores aliquot Burgundiæ Duces, adeóque reges Franciæ. Quænam fuerint eius exordia, quis in vrbem induxerit, ab nullo, quod sciam, certò proditur. Burgundiæ Dux Philippus cognomento Bonus cùm litteras his de ludis conscripsit anno Christi nati 1429. & 1430. in multa retrò lapsa tempora huius consuetudinis voluptatem pompámque retulit. Ac iam inde ab anno Domini 1338. floruisse hanc ludorum celebritatem, Philippi Francorum regis diploma fidem facit, quo facultatem Insulensibus tribuit iis se decursionibus oblectandi, quamuis per Franciæ regnum certamina & ludos equestres prohibuisset. Et plusquam centum annis ante hoc tempus eos ludos agitari solitos, ex Iacobo Clericio deprehendo. Is enim cùm anno 1464. C memorat Franciæ regem iis decursionibus recreatum vnà cum Duce Philippo Insulæ, scribit iam tum ab annis ducentis eas exerceri consueuisse. A quibusdam scribi video, D. Ludouicum Franciæ regem horum exstitisse certaminum auctorem. Ad aliquem Flandriæ Comitum hoc institutum aliqui reuocant. Qui regum huius festi nomina, cognomina, insignia chartis tradidere, ac singulorum regnum suis annis assignauere, infra S. Ludouici ætatem horum certaminum initia retrahunt. Ij námque primum regem, qui dominus de Ioye vocabatur, anno pòst millesimum & ducentesimum octogesimo tertio attribuunt, non paruo sane temporis spatio ab Sancti regis obitu, quem annus millesimus ducentesimus & septuagesimus viuis exemit.

Qvando coepti Insvlæ lvdi Spinetici.

Sunt, qui memorent, septuaginta ciues Insulenses claro, nobilíque genere natos, de communi sententia statuisse, vt quotannis Maio mense habitu viridi conspicui decursiones equestres Insulæ aduersus omnes aliunde conuenientes inirent. eum, qui clarissimus victor esset renunciatus, ad ædem Templemartij constructam D magna deducerent pompa in sacello S. Georgij arma de tholo in signum victoriæ suspensurum. qui primus illic post victoriam arma posuit, Ioannem le Nies vocatum. postquam instituti huius certaminis fama longè latéque fuisset vulgata, iámque ad Franciæ Regis aures peruenisset: hunc extemplò arbitratum esse, huiusmodi exercitium nobilibus viris esse perquàm accommodatum, vt armis tractandis, quorum vsus ob profundam continuámque pacem consenuerat, assuescerent; ideóque & has decursiones approbasse, & vt quotannis magnificè vsurparentur ea ieiunij verni Dominica die, quæ proximè Cinerum diem sequitur, mandasse; vtque plus splendoris ea caperet celebritas, ex Insulensi nobilitate deligi quempiam voluisse, qui tunc regiis ornamentis ac titulo decoratus per totum anni tempus regis personam sustineret. annis plusquam ducentis hos ludos equestres vsurpatos. Vt verum fatear, in hac tanta opinionum varietate nihil admodum certi posse constitui arbitror: eámque ob rem de festi huius initiis vlteriùs inquirendis

Martin Doué in tab. Geog. Gallo-fland.

oratio-

orationem abrumpam, ac tria tantùm hîc potissimè tractabo. Primùm enim de nomine famáque ludorum istorum aliquid proferam: tum ceremonias, ordinemque vel regem creandi, vel conuiuia & decursiones equestres celebrandi persequar; ad extremum quid Principes varij his de ludis instituerint, & quando abrogati fuerint, explicabo. A

VNDE NOMEN HIS SPINETICIS LVDIS.

Nomen traxit Spinetici hoc festi genus ab eleganti Spineto, cuius traditione rex creabatur, vti posteà dicemus. Inuenio etiam Gallicè vocatum olim festum *des Brandons*, siue luminarium, quòd eo die celebraretur, quo facibus accensis hortos plateásque lustrabant: quo nomine Rex Philippus iam memoratus nuncupat. Et quandoque festum du Behourt appellatum video, vt exhibet scriptum Gallicè Chronicon Flandriæ. Verùm vtrúmne hæc nuncupatio ab lustratione prodierit, quam etiam hodie Insulenses pueri vsurpant prima Quadragesimæ Dominica, contortis, ac pice illitis funibus accensis, quod Behourt, vel Bouhourt appellant: an potiùs ab Gallica significatione nominis Behourt, vel Bouhourd, aut Bohourt, qua Franci certamen equestre indicant, quo multi ludos exhibentes globatim in orbem concurrunt adipiscendi palmarij gratia (cuius etiam meminit Ioannes Marius in Illustrationibus Gallicis) nondum mihi certò constat. Nam sic in orbem tunc temporis agitatos Insulæ equos minimè deprehendo: cùm potiùs apertè prodatur, infestis ludorum regem aliósque lanceis concurrisse. deinde ab Francis nunquam alio, quàm orbicularis concursionis significatu, vocem Bouhourd accipi constat. B

QVAM INSIGNIS EORVM FAMA FVERIT.

Sed quoniam hoc festum plurimo tam conuiuiorum ac tripudiorum, quàm decursionum & certaminum apparatu Insulæ agitabatur: non minùs fama, quàm visendi cupido, multos huc mortalium pertrahebat. Quem modò memoraui, Burgundiæ Dux Philippus cum his de ludis anno 1429. litteras daret, inter alia hæc asseruit; non solum è Belgio, ac toto Franciæ regno, verùm etiam è regionibus exteris semotísque nobilium ac ciuium quamplurimos huc insigni comitatu aduenire solitos, vti cum Insulensibus decurrerent. ad hæc multos etiam equestri viros dignitate fulgentes, tum nobiles matronas visendi colendíue studio semper affluxisse. ab omnibus denique hanc celebritatem omni tempore plurimi factam; ideóque nunquam vel trepidis rebus, seu morbi pestilentes, seu bella grassarentur, inter missam. C

In ea funebri oratione, quam Insulensis quispiam anno circiter 1557. in laudem Guilelmi Hangouartij Artesiæ Præsidis Latinè conscripsit, hæc inuenio: *Quod Spinulæ festum cùm antiquitatis nomine, tum pulcherrimis ac nobilissimis exercitijs, equestribus certaminibus, aliisque bellicis spectaculis, quæ quotannis exhibebantur apud summum forum, reuulsis inde ad commodiorem vsum silicibus, & circumsepto curriculo commendabatur. ad quod non solum generosissimi quique ipsius Insulanæ ditionis viri, sed etiam interdum Galliarum reges, Duces Burgundionum, ac Flandriæ Comites (qui huius festi institutores fuerant) summique principes conueniebant in tempora vsque Maximiliani, dum intercedentibus bellis, summa annonæ, ac rerum omnium caritate, aliisque calamitatibus, non inueniretur, qui tantis sumptibus par esse posset. Intermisso itaque festo, quidquid tum ad ipsius decorem, tum ad impensarum, quas ingentes sustinere festi Principem erat necesse, subleuationem, contulerant iam dictus Imperator, & superiores Comites, Insulanæ reipublicæ vsibus addictum est ab eodem Imperatore, & eius successoribus, donec reueheretur idem festum.* Hæc etiam ibidem leguntur, quæ non parum ad huius instituti commendationem faciunt: *Porro Spineti festo dignatio magna speciali gratia Principis accessit, cuius præfecti Reges Spinulæ dicti, ornabantur priuilegijs, immunitatibus, & honoribus concessis, & confirmatis per eosdem supremos Flandriæ Principes. Adiectus erat Fecialis sacramento peculiari obligatus eidem vrbi titulo Spinulæ, in hunc vsque diem nomen & officium Caduceatoris retinens; qui solennes ludorum obiret cerimonias; & si vsus deposceret, etiam Principi in bellicis, aliisque negotijs operam inpenderet, quod frequenter olim, & in hunc vsque diem vsu venit; eique priuata Principis gratia sagum militare gestare permiserat exornatum lilio argenteo, in area punicea, quæ vrbis Insulanæ sunt insignia. Est id verò nobile, & magnæ maiestatis beneficium: cùm id genus Magistratus in potentiorum Principum, & illustrium Prouinciarum vsus duntaxat creari permiserint.* D

Duas

A Duas fermè dierum hebdomadas hoc festum conuiuiis, decursionibus, aliísque ad voluptatem pompámque facientibus rebus absumebat, quemadmodum ex decreto Senatorum anni 1459. colligo. Cærimonia, pompaque festi Spinetici.

Primùm igitur, qui ludorum Regem toto anno egerat, iámque dignitate ac imperio exui debebat, eo die Dominico, qui Ceneralibus est proximus, auratorum equitum, ac nobilium aliorum plurimos, è matronis puellísque magno genitis loco non paucas, domum inuitare cogebatur; cum iis ad musicam cornicinum, ac liticinum, & citharædorum harmoniam choreas agitare; dein vesperi cœnam eis opiparam præbere, illatis in singulos missus senis octonísue ferculorum ordinibus. Ij conuiuæ Spinetum, vel Spinulam ordinare dicebantur: ac tunc omnes, qui regio decore ornati fuerant, de noui regis electione sermonem cedebant.

Proximo die Martis eiusdem impendiis Regis lautè prandium instruebatur, cuius imperium consenuerat. Illic etiam omnes aderant, qui regia quondam dignitate B fulserant, ac viri nobiles plerique, tum etiam illi, quos festi Magistros nominabant. Vbi horum omnium sententia regnum alteri decretum erat, insigni pompa portis oppidi excedebatur. In prato suburbano coram innumera hominum multitudine, qui se foras studio visendi effuderant, fecialis, aut Caduceator, Senatus vrbísque nomine, Spinulam ei tradebat, quem Magistri aliique Regem nũcupauerant. Tunc tympanis perstrepentibus, ac personantibus tubis in vrbem multo Rex nobilium comitatu deducebatur. Eius diei voluptatem ingens epulum & tripudia claudebant noui Regis impensis.

Postridie Ceneralium apud Regem peruesperi comessabatur: ac inter vina eas, quæ forsitan difficultates occurrebant circa ciues eos, qui cum Regibus aduersis hastilibus in alios impetum facere tenebantur, is cœtus componebat.

Die Veneris proximo insigni comitatu pompáque Rex in vicum Templemartium ducebatur ad S. Georgij aram, vt eius diui fauor ei conciliaretur, ac sociis. Inde redeunti conuiuium domi paratum erat, quo nobiles viros, ac festi moderatores C multis adiunctis mulieribus exciperet.

Sabbatho rursus ad meridiem lautè mensis accumbebatur. Post prandium Rex eiúsque socij, ac ministri paribus togis induti prodibant lustri cuiusdam gratia. Cœnulam vesperi omnibus Rex præbebat.

Dominico die Rex vterque dapsilibus domi epulis prandium celebrabat, permixtis vnà cum equitibus ac nobilibus viris matronis plerísque, vti Reges Reginasque colerent. Sublatis inde mensis ad decursionem Reges, aliique se comparabant. Equis ipsi pulcherrimis ac magnificè ornatis ad pugnæ locum vehebantur armis elegantibus contecti. Ingens erat spectandi gratia omnis generis hominum multitudo circumfusa, seu theatris altiùs insiderent, siue solo insisterent. Incedentium primò pompa, equósque doctè ac superbè moderantium ars oculos omnium rapiebat, vt ingressus palma merenti adiudicaretur nobilium matronarum sententia; dein decurrentium celeritas, vis, impressio, successus auidissimis obtutibus hauriebantur, ne quem victorum palmario frustraretur earundem iudicium. Post plausum victoribus D datum, eorúmque principi donato accipitre, in Senatorum Curia publicum Regibus, matronis, equitibus, aliísque notæ primariæ spectatoribus epulum præbebatur: dein post choreas nocte profunda comessatio succedebat.

Sequentibus tribus quatuórue diebus, si publicæ decursiones indicerentur, Regem semper victorémque ciuem in equis & armis paratos esse, ac in loco ludis delecto consistere oportebat, vt cum externis certamen susciperent: vesperi verò quotidie accensis in ædium fronte luminaribus variis, matronas vocare, ibi bellaria, saccharum ac vinum præbere.

Hæc igitur sunt potissima, quæ ludis iis peragebantur, partim ad videntium voluptatem, partim ad præbitorum ostentationem effusámque prodigentiam.

Quamdiu rerum in Flandria potiti fuere Duces Burgundiæ, plurimùm his ij spectaculis, festísque oblectati sunt; ad ea tamen præ ceteris Philippus Caroli parens incubuit. Dum enim ea celebrarentur, rariùs aberat, & nihil omisit laboris, consilij, ac libera-

liberalitatis, vti pompa studiúmque spectandi glisceret. Dum is viueret anno 1464. Ludouicus Franciæ rex hos ludos cum ipso auidissimis oculis vsurpauit. Ac tum plerique nobilium Belgij cum Francis equitibus aduersis corporibus certauere. Emicuit iis incursionibus Ioannis Croyaci filius Rentiaci toparcha, nondum viriles annos adeptus, dum Francorum fortissimum equo deiecit, ipsóque casu obruit. de quo sic Iacobus Meierus ex Gallico Flandriæ Chronico: *Insulæ in decursibus equestribus filius domini Croyacensis interfecit magnum diabolum, hoc est, quemdam ministrum Regis nomine Pollarium, quem ob magnitudinem & robur ingens corporis ita Galli nominabant, iactabántque esse inuincibilem, omnique in certamine fuisse inuictum.* A

QVÆ SINT HIS LVDIS ADVERSATA.

Verùm his ludis ac spectaculis & conuiuiis duo frequenter aduersata sunt, impendiorum scilicet grauitas, & è sacro pulpito sacerdotum reprehensio. Non dissimulat ipse Burgundiæ Dux Philippus, cùm eo de festo scribit anno 1459. plerosque ciuium Insulensium huius oneris excutiendi gratia, vitandæque tam grauis expensæ, aliò se familiámque transtulisse: ideóque non rarò difficulter repertos in vrbe, quibus vel regium decus, vel certaminis necessitas volentibus imponeretur. B Ac quidem anno proximè tunc elapso non parum ad summam iis contribui solitam Senatum addere debuisse tolerandis impendiis, quòd omnes illam ab se dignitatem, & certandi pondus amolirentur. Sed præter inutilem nummorum profusionem, etiam viri sacri Quadragesimæ tempus sanctúmque ieiunium tot conuiuiis & comessationibus violari ægrè patiebantur, ac propterea pro concionibus incessere solebant vehementiùs. Exarsit tamen potiùs, quàm exstinctum est, quorundam studium, vt hoc vetus institutum retineretur. numeratum plus auri est, vel regiam personam sustinenti, vel delectis ad concurrendum sociis. neque, nisi admodum serò, in aliud tempus ea reiecta est celebritas.

QVÆ DE IISDEM VARII PRINCIPES STATVERINT. PHILIPPVS FRANCIÆ REX.

Igitur quid varij Principes eos circa ludos sanxerint, nunc explicemus. Cùm flueret annus à Christi natalibus vigesimus octauus supra millesimum & trecentesimum, ægrè tulit Senatus Insulensis, ab rege Francorum Philippo inhibitos fuisse per regni fines decursionum equestrium ludos: ideóque supplices ad eum scripsit litteras, vti suam sibi, communémque omnium hominum Insulam aduenientium voluptatem ne interdiceret. C Et placuit tunc Regi, ne gratum sibi oppidum læderetur, publicis Insulenses litteris recreare, omnibúsque potestatem facere, Spineticum festum decursibus certaminibúsque celebrandi.

PHILIPPVS BONVS BVRGVNDIÆ DVX.

Quem suprà memorauimus, Burgundiæ Dux Philippus anno Domini 1429. tactus eorum miseratione, qui graues sumptus ob ludos iam dictos patiebantur, vectigalia quædam è sale colligi iussit, iísque concedi.

Idem anno supra millesimum & quadringentesimum trigesimo publicum scripsit diploma, quo Spineticis Regibus ac certatoribus id indulsit, vt quoties in Scabinos eligerentur, Maiori proximè assiderent; vbi Consiliarios inter cooptarentur, ceteris antistarent.

Ab eodem rescriptum prodiit anno salutis 1459. cienda maiori Spinetici festi cupidine, vt Regi sociísque certaminum plus pecuniæ penderetur, eam ob rem imposito piscibus aliísque mercibus vectigali. Ac tunc ea omnia Senatus in tabulas redegit, quæ circa ludos istos obseruari perpetuùm cuperet, edictóque publicè cauit, ne quis contrà niteretur. D

Quinto inde anno sancitum est eiusdem Ducis diplomate, ne quis impositam sibi regiam dignitatem excuteret: eiúsque legis causam præbuit Ioannes Oostendanus, qui lapso proximè anno delatum ad se regium decus animo prorsus obstinato respuerat, multóque maluerat Ducis mandato in custodiam detrudi, omnésque impensas luere, quàm id onus capessere.

CAROLVS BVRGVNDIÆ DVX.

Dum curreret annus 1470. Burgundiæ Dux Carolus animo reuoluens, frequenter viuo patre agitatum fuisse, vt horum tempus ludorum mutaretur, ægreque sustinens sacerdotum reprehensiones, qui publicè carpebant initium verni ieiunij non leuiter tot epulis ac decursibus & tripudiis fœdari: Curiæ Rationum Præsidi & Magistris, Gubernatori Gallo-flandriæ, Bailliuo, ac Præposito Insulensi

mandauit,

A mandauit, vt simul dispicerent, quódnam aliud iis tempus magis congrueret. ac tum Regi sociisque solita tribui vectigalia colligi vetuit.

Idem anno quinto & septuagesimo supra millesimum & quadringentesimum vehementer Insulensibus succensuit, quòd in aliud tempus ludos eos equestres indici admodum prohiberent. Et quoniam Brugenses, qui magno Forestarium (vt vocabant) & aliquot equites apparatu in certamen mittere Insulam solebant, per sanctos Quadragesimæ dies his se ludis abstinere statuerant; ne hoc anno Rex eligeretur, ludique præberentur, vetuit Ianuario mense. At paullò pòst adulto Februario facultatem concessit solita populum pompa decursionum & voluptate afficiendi: simul tamē instituit, vt is dies Dominicus, qui proximè Quadragesimam præcedit, iis ludis addiceretur; datísque litteris Brugenses exciuit, vt Insulæ ad eum diem sese sisterent.

Anno sequenti Ducis sententiam ipsi tandem Insulenses complexi sunt, edictoque sanxerunt, vt postmodum semper eo die Dominico ludi celebrarentur.

Imperator Carolus Quintus fluente Christi anno 1518. cùm animaduerteret, publicum vrbis Insulensis ærarium variis operibus, quæ Senatus ad munitionem moliebatur, vehementer exhaustum, duodecim annorum spatio ludos fieri prohibuit, vt grauibus impendiis parceretur. Ac deinde anno 1538. in decennium eos præberi populo nouis litteris vetuit, iisdem munitionibus, & æris publici penuria cogentibus. Videóque, vel eiusdem diplomatibus, vel edictis Philippi eius filij adeò multos annos suspensam horum ludorum celebritatem, vt anno denique 1556. certis de causis ipsemet Philippus Rex in posterum eam prorsus interdixerit. CAROLVS V. IMPERATOR. PHILIPPVS II. HISPAN. REX.

B

Igitur hoc tempore vnicus tantùm eius veteris pompæ aliquid retinet Caduceator, qui Senatui Insulano publicè prodeunti prægreditur sago insignis, & caduceum gestans: vt is, quem anteà memoraui de laudibus Guilelmi Hangouartij dissertasse, verbis à nobis relatis expresè notauit.

C

Ceterùm tametsi huiusmodi ludorum voluptas plurimum inuexerit impendiorum, multósque ad extremam ferè pauperiem pertraxerit: non parum tamen ad publicæ rei vtilitatem, quæ tum inibantur, certamina contulere; quò præsertim is Princeps animum intendebat, qui festi huius auctor exstitit. Etenim nullo fieri modo potest, quin frequentes decursionum & concertationum exercitationes egregiè animos corporáque hominum ad bella in hostem suscipienda præparent. Id cùm sapienter animaduertisset ille, quem superiùs citaui, his suam verbis sententiam paullò fusiùs explicuit, aliorúmque testimoniis comprobauit. *Splendido verò apparatu quotannis repetita decurrendi consuetudo generosos fortium virorum animos ad operam patriæ Principique promptiùs & vtiliùs nauandam præparabat: crescente nimirum per Martialia eiusmodi certamina, peritia tractandorum armorum, quæ posteà, si quando deposceret vtilitas, tempestiuè conferrent ad patriæ tuitionem. Constat enim ciuium robore animíque magnitudine præcipuum Reipublicæ munimentum, quod satis olim vel Romanorum, vel Lacedæmoniorum, aliarúmque gentium declararunt instituta: apud quos egregia patriæ charitas ad perdiscēdas belli pariter & pacis artes generosissimum quemque accendebat. Neque enim temerè est quod scribit Vegetius lib. 1. cap. 1. Qui desiderat pacem, præparet bellum; qui victoriam cupit, milites imbuat diligenter; qui secundos optat euentus, dimicet arte, non casu. Nemo prouocare, nemo audet offendere, quem intelligit superiorem esse, si pugnet. Seneca quoque Epistola 15. Diu apparandum est bellum, vt vincas celeriùs: quia longa belli præparatio celerem facit victoriam. In omni prælio, non tam multitudo, & virtus indocta, quàm ars & exercitium solet præstare victoriam. Non enim longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit, sed potiùs exercitatio. Nam in pugna solet vsus ampliùs prodesse, quàm vires. Nam si doctrina cesset armorum, nil villanus distat à milite, cùm antiqua prudénsque sit sententia, Omnes artes in meditatione consistere. His annecti possunt, quæ Cassiodorus lib. 1. & Chrysostomus auctores grauissimi scribunt: Ars bellandi si non præluditur, cùm fuerit necessaria, non habetur. Discat ergò miles otio, vt dictum est, quod perficere possit in bello. Animos subitò ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos præmissa exercitatione disponunt.*

D

A

RETRACTATIONES, VT QVÆDAM VEL SVPPLEANTVR, VEL CORRIGANTVR.

PAG. 23. D. *ad hæc verba*, Ergo Montis Eligiani &c. *Vt hæc scriberem, sese ducem præbuit Ferreolus Locrius. Sic tamen ea velim intelligas, vt non prius in Abbatem electus fuerit Desiderius, quàm se Nouitijs Religiosa disciplina excolendum inseruerit. Cùm enim posteà in Catalogum aliquem Eligianorum Antistitum incidissem, hæc de ipso illic reperi*: Desiderius anteà Canonicus & Decanus S. Petri Insulensis, habitum Religionis assumpsit, & in Abbatem promotus, scuto bonę voluntatis armatus, cordis desiderio, & ardenti studio ad reparationis statum, & obseruantiam Ordinis Regularis, vehementer est accensus. Nam fortè obseruantia Regularis negligentia prædecessorum suorum, & quorumdam etiam subditorum vita, moribus, & lenitate repugnantibus, dicitur aliquando elanguisse. His bonas personas & honestas secundùm posse suum in Ecclesia sua studuit recipere, ac promouere, quę suum deuotum studium possent adiuuare, atque in effectum perducere. B

Pag. 27. A. *Post verba*, iratum viderit nemo. *hæc pone*: Cùm aliquid quoque luminis ad splendorem huius Ecclesiæ attulisset inter Canonicos virtutibus suis Dauid Kearnæus, apud Hybernos genitus, inde ab Summo Pontifice delectus est, vti Cassellensem Archiepiscopatum sacro delibutus oleo, & infulis ornatus, regeret in Hybernia.

NICOLAVS IAQVERIVS.

Pag. 17. D. temporibus interlapsis, *ista coniunge*: non vulgarem Ordini suo sibique famam Insulæ peperit Nicolaus Iaquerius, cùm hîc ageret anno post millesimum & quadringentesimum secundo & quadragesimo. Eius doctrinæ testes sunt ij labores ingenij, quos aduersus Waldenses edidit, & quam contra Ioannem Hus in Constantiensi Concilio publicè disputationem habuit. Eidem vrbi non parum &c. C

Pag. 29. E. *post verba* quietiùs degendi gratia. *hæc subiunge*. Ceterùm Aubertus Miræus id quod scripsit de anno mortis Alani in Fastis iam citatis, in Chronico Cistertiensi reprehendere videtur, etsi hoc opus illo sit antiquius. Hîc enim ait, perperàm in tabula huius viri tumulo appensa mortis eius tempus anno post millesimum centesimum octogesimo primo asseri. quoniam Ripatoriense Monasterium Alani testamentum conseruat, quod scriptum fuit vno pòst anno, quemadmodum indicat Camusæus in Notis ad Roberti Altissiodorensis Chronicon. Notat Chrysostomus Henriquez in Fasciculo Sanctorum Cistertiensis Ordinis, cùm res Alani explicat, hunc beatum virum, abdicatis Episcopalibus curis, anno 1162. Cistertium se in amicam solitudinem recepisse, ex Roberti S. Mariani Monachi Chronico. Idem mortis eius tempus in annum 1181. reijcit. D

IOANNES DE LA TRAMERIE ABBAS HENNINIACENSIS.

Pag. 31. B. *post hæc verba*, Antistiti sese submisit. *hæc adde*: Tres etiam Abbates Henniniacensi eiusdem Ordinis Monasterio dedit Insula. Horum primus fuit Ioannes de la Tramerie, cui nunc quoque cognomen l'Agache, nunc Insulensi, ob solum natale. Sponte pedum deposuisse inuenio, etsi Canonici Regulares, id ne faceret, insisterent. Diu post Ioannem idem Cœnobium administrauit Franciscus de Glen, in quartum & trigesimum Præsulem electus. Admodum Religionis obseruans is fuit. Quòd ei studia cordi essent, subditos libris inuigilare voluit. Multa eius opera in melius domi forisque restituta. Eius Epitaphij partem hîc profero.

Conditur in medio Franciscus iure sacello
Glendus, sculpturis, fornice quod decorat.
Vestes cancellis sacras tutatus, & arcis,

Altari

A *Altari pictas imposuit tabulas.*
Multa sui moriens liquit monumenta laboris,
Quæ Fratres seri, posteritásque canent.
Plura relicturus, miles ni prodigus æris
Alterius, nostras sæpè vorasset opes &c.

Hunc eiusdem cognominis nepos Balduinus excepit, qui multum ingenio, studijs, prudentia, & præclaris alijs virtutibus, patriæ, Monasterio, Artesiæ splendoris attulit. Apud Ordines Artesiæ magnum sibi nomen comparauerat, ideóque ab eis tres inter Proceres adscitus est, qui rebus Ecclesiasticis in Comitijs, aut legationibus aduigilant. Gratum habuit eius officium Philippus Rex Catholicus, dum vnà cũ Goularto, & Tocqueto Canonicis Atrebatensibus Antuerpiam missus, apud Auraicum intrepidè ac fortiter egit, ne supremum ipsi in Artesia imperium adimeretur; eique per litteras egit gratias. Mira huius Antistitis aduersus pauperes anno 1587. emicuit famis tempore liberalitas, & charitas: cùm ad portam Monasterij constitit, ac omnes indigētes comiter acceptos pane donauit. Vita defunctũ hi versus ornauere. BALDVINVS DE GLIN ABB. HENNINIEN.

B *Glendius Artesiæ iacet hîc pars magna Senatus,*
Relligionis honos, Henniniique Pater.
Passus erat ter quingentos & quatuor annos,
Lustra decem mortis Christus & octo suæ,
Bis dena supra annum acta trieteride, vitam
Hic metit æternam, quam super astra tenet.

Habuit indidem Matthæum A Castro Præsulem Phanopinense Monasterium, cuius inter eius loci Antistites mentionem facimus.

Pag. 35. D. *Vitale crepusculum.* Rescribendum est: *Senij crepusculum.* Exscriptoris negligentia vitium irrepsit, quo tum sensus turbatur, tum acuminis vis obtunditur.

C Pag. 36. D. *Post hæc verba*, quas apprimè calluit. *Hîc adde.* Cæterùm, quæ mutilè citat Hartmannus è sepulchrali huius Doctoris inscriptione, placet nunc ea integrè, vt in Cistertiensis Monasterij sacro peristylio cernuntur, repræsentare. Sunt autem hæc.

Alanum breuis hora breui tumulo sepeliuit:
Qui duo, qui septem, qui totum scibile sciuit.
Labentis sæcli contemptis rebus egens fit:
Intus Conuersus, gregibus commissus alendis.
Mille ducenteno, nonageno quoque quarto,
Christo deuotus mortales exuit artus.

Ex his igitur vides Hartmannum, & Trithemium minùs rectè scripsisse, cùm anno trecentesimo claruisse asserunt. Et mirare mecum eos, qui nescio qua ducti opinione hunc Alanum eumdem fuisse cum Alano superiùs laudato arbitrantur. Nolim
D hîc curiosorum hominum oculis eam historiam de Alani conuersione, ac eiusdem Romana disputatione aduersus hæreticum, subtrahere, quam Anonymus quidam Interpres eius Parabolis in Proëmio proposuit hunc in modum: *Nam auctor istius libri vocabatur Alanus, de quo legitur. Quòd cùm quadam die studeret Parisius, sciens septem Artes Liberales, necnon Leges atque Decreta, suam scientiam proposuit exponere, & in aliquem fructum redigere, seu explicare. Et cùm in crastinum de tota Trinitate prædicare vellet scientiam, & notitiam veram de illa cunctis audientibus exhibere; ipso pergente ad spatium prope quamdam ripariam, cogitans qualiter opus propositum complere posset, quemdam puerum reperit, qui tenens vnum coclear in manu fecerat vnam paruam foueam modicùm procul ab aqua; & hauriens aquam cum suo cocleari portabat ad foueam, quam fecerat. & instanter, sicut puer apposuerat aquam in foueam, aqua in terram intrabat, quia locus erat arenosus. Quod videns Alanus, dixit puero: O puer, quid hîc agis? Et puer re-*

spondens dixit: Totam istam ripariam in foueam meam ponere proposui, nec cessabo, quousque propositum meum adimpleuero. Cui Alanus: Quando putas fecisse opus tuum? licet puerile, tamen est impossibile tibi. Cui puer: Hoc citius fecero, quàm tu propositum tuum adimpleueris. Et Alanus respondens dixit: Quid enim proposui facere? Et puer dixit. Tu proposuisti declarare cras totam Trinitatem per tuam scientiam in prædicatione; quod est magis impossibile tibi. Quod audiens Alanus, multùm territus reuersus est domum: & dicta pueri in se memorans, multùm dolens, & tristis, suam præsumptionem, siue arrogantiam recognouit. Adueniente verò die crastina, & hora prædicationis, vbi multitudo magna populi fuerat congregata: Alanus ascendens cathedram dixit loco thematis: Sufficiat vobis vidisse Alanum. Quibus verbis dictis, descendit de cathedra, & abijt. Quod videns populus, non modicùm stupefactus fuit. Hoc facto, Alanus verecundia perfusus, pergere nolens Parisius, transiuit Burgundiam, & in quadam Abbatia † Cistertiensium nomine pastor ouium fuit: deinde Conuersus ipsius Abbatiæ ad modum laici. Accidit, quòd Romæ quidam hæretici aduenerant, qui per sua argumenta, falsásque syllogisationes totam Fidem Catholicam subuertebant. Quapropter Papa mandauit omnes Prælatos, Abbates, & Clericos totius Christianitatis Romam venire, quatenus dictos hæreticos confunderent. Quod Abbas, Magister Alani, † Alano relicto in Abbatia, voluit Romam pergere. Tunc Alanus, qui iam sensum recuperauerat, dixit Magistro suo; O Domne, me tadet hìc stare, & diu est, quòd Abbatiam non exiui. Quapropter humiliter deprecor, vt vobiscum pergam Romam. Benè seruiam vobis, optiméque pensabo de equis. Tunc Abbas pergens Romam duxit secum Alanum. Adueniente die disputationis, Abbas voluit intrare locum disputationis, cum quo Alanus voluit intrare. Cui Abbas dixit: Vade ad hospitium, & pensa de equis: quia locum istum non posses intrare propter custodes, & clientes hìc existentes, qui non sinunt intrare, nisi Prælatos, & magnos Clericos, & posses verberari. Cui Alanus dixit: Volo verberari, vt intrem. Et supponens se chlamydi, seu cappæ sui Magistri, intrauit dictum locum. Et ipse sedens ad pedes sui Magistri, audiuit disputationem. Hæretici verò proponentes quæstionem, superauerunt, & vicerunt. Quod videns Alanus, exiuit latebras dicens Magistro suo, Iube Domne benedicere. Et Abbas stupefactus, dixit Alano: Sile miser; quid vis facere! Tunc Alanus iterauit, dicens, vt priùs, Iube Domne benedicere, vsque ad tertiam vicem. Quod videns Papa, permisit eum arguere. Et Alanus recitans quæstiones per dictos hæreticos motas, arguit, & confundit illos. Quod videns hæreticus, confusus dixit: Tu es diabolus, aut Alanus. Cui Alanus: Non sum diabolus, sed Alanus. Tunc Abbas, Magister suus, voluit sibi dignitatem donare, quam Alanus suscipere noluit. sed per Papam, & Abbatem fuit sibi concessum, vt duos Clericos haberet in dicta Abbatia; qui Clerici sub se libros, quos ipse dictaret, scriberent: vbi plures libros fecit. Hactenus auctor ille mira scribendi vsus simplicitate; eóque fide dignior: qui quod de duobus Testamentis dubitando diximus ex epithaphio, ad duo refert Iura; & quod de Conuerso, pastísque ouibus habet idem epitaphium, clariùs paullò explicat: vnde profectò, vt ceteris fidem adhibeam, haud difficulter sinam me pertrahi, quamquam nonnullis parùm vera videantur. Nunc autem quibusdam mouere possent dubitationem hæc verba, iuxta tumbam Alani posita, *D. Alanus Doctor Parisiensis, natione Alemanus,* num fuerit hic Alanus, de quo agimus, Insulensis. Verùm facile fuerit hoc dubium tollere, si quis ad Trithemium oculos conuertat. Apud hunc enim Flandriæ Scriptores communi Germaniæ, seu Alemaniæ nomine inuoluuntur. Et verò multorum in Belgio ea est opinio, hunc Alanum Insulæ natum fuisse, ideóque cognomen ab Insulis traxisse. Apud Robertum Holcot lect. 129. in Salomonis Sapientiam, Alanus Magnus de Insulis vocatur.

A

† forsan Cistertium, scrib.

B

† deest aliquid in exemplari.

C

D

Pag. 37. A. *Istis verbis*, diuersis temporibus assignauerit. *Subiunge hæc:* vt fecit quoque Henricus à Gandauo, & in Bibliotheca Sixtus Senensis: quorum etiam opinionem sequi videtur Antonius Posseuinus, qui de gestis Alexandri Poëma non adscribit Magalonensi; quamquam his Valerius Andreas refragetur. Ceterùm à nonnullis huic Galtero Philippi nomen præponi video: quibus etiam placet Castellionis cognomen ab loco, in quo viuis ereptus est, ei donatum, vt hoc indicatur disticho.

A *Insula me genuit, rapuit Castellio nomen.*
Perstrepuit modulis Gallia tota meis.

Pag. 42. D. *Post hæc verba* venerata est. *hæc pone*. In eadem Ecclesia floruit quoque Ioannes Capetius, quem Insulæ parentes genuere; Philosophorum placitis, ac rerum diuinarum insigni cognitione præstantem reddidit Louanium; missa in lucem opera non vulgari fama decorant. IOANNES CAPET CANONICUS INSULENSIS.

Ad idem Theologiæ studium vehementer sese applicuit Ioannes Gantoisus, vel à Cambia, è celebri natus apud Insulenses familia, & in Minorum adscriptus Ordinem. Cum magna laude è pulpito de Rebus diuinis habuit Lectiones Lugduni: ac Theologorum Thesaurum in vulgus protulit. P. IOANNES DE LE CAMBE FRANCISCANUS.

P. Petrus Prus cùm eamdem S. Francisci familiam fuisset ingressus, ac non leues in Theologia progressus fecisset: ob insignem virtutem à Deo meruit Martyrij palmam obtinere, vt memoriæ tradidit Thomas Bouchierus, dum affectos Martyrio B Minores in sui Ordinis historia recenset. P. PETRUS PRUS MINORITA.

Pag. 44. D. in fine: ereptus est Atrebati. *Adde*, Et promptus à natura studióque fuit ad versus variè concinnandos Hubertus Clericus, inter D. Petri Sacellanos cooptatus; eiúsque testantur ingenium, qui typorum beneficio libelli lucem aspiciunt. HUBERTUS LE CLERC.

Pag. 52. B. *In fine capitis hæc statue*: Exstat non inelegans Francisci Hæmi poëma, quo graphicè describitur id incendium huius vrbis, quod anno 1540. tertio Nonas Septembris trecentas propè domos in cineres redegit.

Pag. 7. A. *post ista*, Comitiis legeretur. *Adde*, Neque verò parùm hunc locum tum viuens, tum mortuus illustrauit M. Petrus Famelart Parochialis eius Curio. Vnde virtus eius, & circa tumulatum corpus mira res perspiciatur, hîc ea subiungo, quæ sunt ab viro fide digno Turquoinij collecta, & litteris hunc in modum tradita: M. PETRUS FAMELART PASTOR TURQUOINIENSIS.
Magister Petrus Famelart Turquoinij Pastor, cùm sub annum Domini M. D. LXX. *eques Tornaco reuerteretur, quò se contulerat, vti nonnullos in factiosis hæreticorum tumul-* C *tibus ab Ecclesia parente abdicatos, ad eamdem reduceret: in traiectione pontis, qui villæ des Masures adiacet, in Parochia de Waterlos, interceptus, socijs, qui præibant, ad explosam ex insidijs bombardam, fuga lapsis, ipsius autem equo territo, & restitante, contrucidatus est: ac deinde piorum hominum opera Turquoinium delatus, ibidémque ad aram principem conditus. Qua causa, quorúmque manibus occubuisset, posteà facilè prodidit. Nam post annum circiter vigesimum, quàm sepultus fuerat, cùm tota regione altaris dexterâ cor Dominæ Turquoiniensis egesta humo quæreretur, vt illi cor itidem filij ex Italia transuectum coniungeretur, M. Petrus Driscart Iuris Licentiatus, & vici Baillium, loculum quemdam ligonibus fodientium temerè detectum aperiri iussit, ibique Pastorem suum integrum, perinde atque à recenti cæde in forum aduehi viderat, agnouit, & non sine quodam horrore, quemadmodum ipse, dum viueret, professus est, spectatum rursus contegi præcepit. Atque vt ne illustre miraculum aut cadaueris temperie, aut terræ ingenio possit obtundi, constat templi solum esse eiusmodi, vt corporum ibidem conditorum ne quidem vestigia, nedum ossa, paucis pòst annis appareant. At virum, quo de nunc agitur, certum est tanta fuisse in ege-* D *nos, eósque potissimùm ægros, charitate, vt ijs lectum ipse suum daret vtendum, sibi autem austerum sterneret. Quod quidem in causa fuit, cur aliquando ad necem à sicarijs hæreticis quæsitus, propterea quòd in concionibus assiduè bonos in fide Catholica confirmaret, perfidos Scripturæ sacræ testimonijs insectaretur, imminentes suo iugulo sicas sua virtute auerterit. Cùm enim ab insidiantibus, & iam ad designatum parricidium promptis nocte concubia per cubiculi rimam obseruatus esset, præter strati duritiem capiti ligneum truncum pro ceruicali supponere: non est veritus eorum quispiam dicere, iniuriam innocenti isti factam in se translatum iri; ideóque vel digito attingi non commissurum. Quo iacentis spectaculo, tamquam validæ manus depulsione abacti, victi omnes abcessere. Sed pugil victoriæ inscius, tum quidem elusit hostium tela, quibus se aliquando occasurum diuinitus cognouerat. Sanè verissimum est, dicentem ad populum de suggestu palàm omnibus audientibus sæpiùs affirmasse, certò se scire violentis hæreticorum manibus vita spoliandum: vt minimè dubitandum sit ex quotidiana cum Deo familiaritate, velut vnico in afflicta tot malis republica Christiana so-*

latio, ipsum id, quod posteà euenit, didicisse. Hactenus vir ille & mihi notissimus, & charissimus, à quo nollem, si possem, in aliquo dissentire. quia tamen circa cædis tempus aliquid, cùm Turquoinij agerem, diuersum accepi, quùm id hoc loco indicarem, mihi non licuit aliter facere, quòd à me deprehensi temporis seriem in Annalibus sim secutus. Id autem, vt ab ijs, qui rem sibi perspectam esse asserebant, ad sexagesimum septimum post millesimum & quingentesimum est reuocandum, qui proximus turbis Iconoclastarum his in regionibus fuit. A

Pag. 92. A. *Scalam concorditer vnam.* Existimarem hîc legendum esse, *Scaram*, quæ vox aciem, exercitũ, & cuneum militũ olim significauit. Aimoinus l. 4. c. 26. *Collegit è Franciæ bellatoribus Scaram, quam nos turmam, vel cuneum appellare possumus.* Hincmarus ad Diœcesis Remensis Episcopos: *Domnus Karolus bellatorum acies, quas vulgari sermone scaras vocamus.* Vide Pithoeum in Glossario ad Capitula, & Patrem Syrmondum in Notis.

Pag. 107. B. S. Leonis Episcopus. *Adde*, Vrbs autem ea in Vmbriæ est Ducatu, & Vrbinensi Prouincia. Sedet in arce admodum prærupta Montis Ferretani, tum arte, tũ ingenio naturæ munitissima. Vulgò vocant San Leon, & Latinè Leopolis dicitur. B

Pag. 112. B. habet Præfectum Artesia. *Lege*, nuper habuit. Nam non multò pòst quàm hæc typis mandarentur, is ad plures abiit morte sublatus.

Pag. 124. D. ita gradatim euehentibus. *Adde*, Huius Epitaphium sic repræsentat Clareuallensis Ecclesia: *Hîc iacet Reuerendus Pater Domnus Philippus de Fontanis Religiosus in Laude, Theologiæ solemnis Professor, qui priùs 8. annis Maceriarum, posteà Clareuallensis 38. ac vtilissimus 23. annis exstitit Abbas, & cessit, & 10. Sept. Deo deuotiss. decessit anno 1471.*

Pag. 129. A. Francorum Rex Ioannes. *Hæc adiunge*: ac subinde filius eius Carolus, qui deinceps regnum obtinuit. Ioannæ Principis litteræ sic loquuntur. *Ego Ioanna Flandriæ & Hannoniæ Comitissa Notum facio vniuersis præsentes litteras inspecturis, me concessisse Burgensibus meis de Siclinio, vt habeant & teneant integrè, & liberè talem legem, & talem libertatem, & tales omnino consuetudines, quas habent & tenent Burgenses mei de Insula. Ita videlicet, quòd villa Siclinij tractetur vlteriùs secundùm vsus & consuetudines, secundùm quas tractabitur oppidum meum de Insula. Vt autem hæc mea concessio dictis Burgensibus meis de Siclinio firmiter obseruetur, inde me obligo erga eos per præsentes litteras eodem penitùs modo, quo erga prænominatos Burgenses meos de Insula obligata sum. Datum Insulæ die Veneris proxima post Festum S. Dionysij, anno Domini* M. CC. XIIX. Inter alia Carolus hæc habet: *Nos autem litteras suprà dictas, ac omnia & singula in eisdem contenta, sicut, & quatenus Rewardus, Scabini, Burgenses, & communitas dictæ villæ de Siclinio ipsis vsi sunt, & fuerunt, rata & grata habentes ea volumus, laudamus, approbamus, ratificamus, & de gratia speciali, nostráque auctoritate Regia, & ex certa scientia, tenore præsentium confirmamus &c.* C

In Bibliotheca Belgica. Pag. 147. D. *honesto tumulo collocatus.* Apud Valerium Andream lego, non semel eum Ipris, Episcopo Rythouio præsidente, controuersas de Fide propositiones in consessu doctissimorum hominum propugnasse feliciter, ac præter eos, quos Miræus citauit, multos alios scripsisse libros. D

Pag. 148. C. census cõstituit. *Adde*, In hoc describendo verbis vtar Valerij Andreæ, quem sic in Bibliotheca Belgica loquentem inuenio. *A primis annis Lutetiæ Erasmo familiarissimè, & domesticè est vsus. Erat enim linguæ vtriusque peritissimus, vitæ integritate à puero insignis; in pauperes largus, sui contemptor.* Moribus certè sanctioribus, aut magis pium vidisse neminem *scribit ad Franc. Bonualetum lib.* XXVII. *Epist. Erasmus. Vixit perpetuò cœlebs, & ad supremum Theologiæ gradum peruenit, tametsi Sacerdos non esset, aut vllo ordine insignitus. Sexagenarius Duacum ad excitatam recèns Philippi II. Hispa. Regis auspicijs Academiam venit: in qua tranquillè & placidè consenuit, corpusculo valido, mente quieta, minimè morosus, quod ætatis illius vitium esse solet. Recognouit, & restituit D. Ioannis Chrysostomi opera, & Trãslationem Latinam. Item Enarrationes Theophylacti in Euangelia, Epistolas Pauli, & Prophetas Minores Basileæ apud Heruagium* 1554. & 1570. *Obijt Duaci octogenario maior anno Domini* CIƆ. IƆ. LXXXVI. *Kal.*

Iunij.

A *Iunij*. Ibidem vitæ principium accepit Bernardus Euerardus, ad versus pangendos à natura promptissimus. Anno 1564. vix nata Vniuersitate, Salomon eius, aliáque poëmata Duaci sunt edita. Ad hanc quoque vrbem Petri Hassardi cunabula referuntur, quem ob Medicinæ & Matheseos studium laudant Valerius Andreas, & Iacobus Marchantius. BERNARDVS EVERARDVS. PETRVS HASSARDVS.

P. 149. D. Præsulem habuit. *His annecte*. Alterum vocauere Petrum Boisrondium, qui prudenter ac inculpatè Henniniani Cœnobij Regularibus Canonicis præfuit. Eius hoc Epitaphium. PETRVS DV BOIS-ROND.

Has Pater elegit tumulo Boisrondius vmbras,
Illius nobis ne leuis vmbra foret.
Vtque, per hæc quoties raperemus limina gressum,
In fraterna Patris corda rediret amor:
De Cruce mnemosynon posuit pendentis Iesu,
B *Qualia signa fides, Relligióque petunt.*
Supplicis ergo illi doceat te Abbatis imago
Vnà humili ad tumulum mittere corde preces.

Pag. 159. B. Annus volueretur. *Hæc adijce*. Natale solum Francisci Raphelengij Lannoyam fuisse multi asserunt. De ipso apud Valerium Andream ista legimus. *Franciscus Raphelengius, natus Lanoij, ditionis Insulanæ oppido, an.* D. CIƆ. IƆ. XXXIX. XXVII. *Febr. Gandaui & Norimbergæ (quò, patre vita functo, mercaturæ gratia missus erat) litterarum prima iecit fundamenta. Lutetiæ Parisiorum Græcam atque Hebraicam linguas didicit; atque illam Cantabrigiæ, in Angliá, iuuenis docuit. Antuerpiæ an.* CIƆ. IƆ. LXV. *ducta Margareta, Christophori Plantini filia, in partem typographiæ venit. Vir fuit in Hebræis, Chaldæis, Arabicis, iuxta ac Græcis Latinísque exercitatus, maturo iudicio, sagaci ingenio, forma ipsa faciei aliquid etiam* πολυγλώττου *præ se ferens. Præclaram atque im-* C *mortalem Biblijs Regijs, soceri typis adornandis, vnà cum Benedicto Aria Montano, Guidone Fabricio, & Andrea Masiò, operam nauauit* &c. nam posteà scriptorum eius texit catalogum. FRANCISCVS RAPHELENGIVS.

Pag. 175. A. Ex officio incumberet. *Adde*, Natum quoque accipio Duaci parentibus honestis Simonem de Gouy, quem sextum ac trigesimum Antistitem Henninienses Canonici Regulares venerati sunt; cuius etiam Manibus hos in æde ad parietem versus posuere. SIMON DE GOVY.

Hac pallente Simon celatur Gouius vrna,
Henninij quondam Dúxque Patérque gregis.
Ille suo cursu fatis inuisus, eorum
Morbida sæpè dolens tela minásque tulit.
Sanguineo fluxu tandem corrosus, & extis,
Mortis inexpleto tramite transit iter.
D *Multiplici moriens monimento viuit amoris,*
Quale ædis loquitur densa corona suæ.
Altiùs erecti testantur limina templi,
Et triplicis sedis, quo tumulatur, honos.
Hoc quoque grati animi summum est, quòd pluribus istis
Hanc sibi viuentem vinxerit vsque domum.
Tanti Patris amor, queis æquè fulgeat astris,
Frater, ad ista tuas vult monumenta preces.

Pag. 179. B. Præposuit. *Adde*, In manus quoque doctorum virorum elucubrationes venere, quas in S. Pauli ad Romanos & Hebræos Epistolas concinnauit. In eum Theologici Doctoratus insignia meritò conferri vidit Duacum.

Pag. 180. C. *Post hæc verba*: subsidia, referre statuit. *lege*: Et mox oblata priùs vltrò id desiderantium vtens. A

Pag. 182. B. *Post* opera nonnulla, *hæc iunge*. Grates ipsi quoque Poëtarum fœtus fuisse accipio; & cùm perelegantes poëmatia conderet, eo nomine Carolo Quinto Imperatori acceptum inter alios Vates floruisse. Ad cognomen eius quod attinet, variè scribi video. Apud plerosque scilicet potiùs audit Brentius, quàm Brontius.

GVILELMVS CAOVRSINVS. Pag. 183. B. *Post* panxerit poëmata. *Adiunge*. Claudat hoc caput Guilelmus Caoursinus (nonnulli Cousinum, quidam Coauersinum nominant) qui cùm natus fuisset Duaci, apud Rhodios Equites eam nactus est gratiam, vt eorum, ob præclaram scientiam, Procancellarius renuntiaretur. Factam anno 1480. Rhodi obsidionem scripsit eleganter, aliáque in publicum dedit.

Pag. 198. D. Beuurium, *hìc insere*, quod Caroli Calui diploma Bebrigium nominat.

Pag. 199. *In fine capitis adde*: Sunt hìc quoque Bouuignium, Eráque. Illud ornat insignis arx, toparchę sedes. Bouingeias quondam vocatum in monumentis Martianensibus reperio. Eræ nomen Hederę tribuunt Religiosi Martianenses in vetustis Codicibus. Habet etiam hęc regio Montignium veteri arce nobile, & Baronię titulo: quod nostris temporibus admodum illustrauit è Lallainia familia Emmanuel, qui caput Malecontentorum pro Fide Catholica magnos gessit animos, & legioni Wallonum præfectus insignem se bello pręstitit: vt nos latiùs in Annalibus memorauimus. B

Pag. 275. C. remedium postulant. *Adijce*: Est etiam intra Coustichiani pagi limites eidem constituta magnæ Matri ędicula, vnde non leue peregrini solatium in rebus afflictis accipiunt.

Pag. 286. C. *Post hæc verba*, Non paruas portiones continet. *Adde*, In eadem ædicula S. Caij è legione Thebęorum Martyris caput visitur. Ex eadem Sanctorum legione integrum habent corpus Clarissanę virgines. In S. Iuliani sacello reconditum est S. Cordulę caput. C

Pag. 287. C. Ibidem pars superior *hæc sunt inferiùs reijcienda*: *& post hæc verba collocanda*: In thecis seruantur.

Pag. 289. D. *Post ea verba*: cuncta insigniter conspicua. *Subiunge*: Blandinij seruatur eius beatæ Theclę corpus, cui Beatus Pontifex Eleutherius apparuit, dum corpus suum è terra tolli cuperet.

GVILELMVS DE POILLEO. Pag. 318. B. Interruptóne Ordine, an aliquo interiecto, *insere hæc*: Pręposituram postea obtinuit Guilelmus de Poilleo, qui Francię Regis Clericus cùm esset, etiam Archidiaconus de Sable in Senonensi Ecclesia florebat. Pręfuit subinde Amalricus de Nigella, qui saltem in annum 1295. Pręfecturam tenuit. Quis eum sit proximè secutus, omnino me latet. Saltem ex litteris quibusdam aliquamdiu post Amalricum anno 1342. Ludouicum Derçon Sancti Petri Prępositum fuisse deprehendo. LVDOVICVS DERÇON.

Pag. 324. A. Margareta tunc deuotè, reuerenter &c. *Non dubiè quædam hìc redundant, ac malè repetuntur: quia tamen sic exemplar mihi repræsentauit, nihil mutandum censui.* D

Pag. 329. *post ea verba*, *Habeat facultatem*, ista colloca. Ac paucis ante hunc annis Lucius Tertius Pontifex quoque Romanus, dum anno 1184. pro Martianensibus scriberet.

P. 349. D. non sunt infrequentes. *Hæc cùm scriberem, non veniebat mihi in mentem Fertonis nomen, cuius interdum diplomata quædam vestigia repræsentant: in quibus aliquando fit mentio Fertonis auri, vel argenti: vt sit quoddam auri, vel argenti pondus in beneficij agnitionem dari solitum. Crederem facilè sic à Pontifice scriptum fuisse, si vel auri, vel argenti vox esset annexa.*

Pag. 349. A. Et conueniam. Ita quidem habebat exemplar mihi concessum. at non sine mendo. prorsúsque rescribendum arbitror, *Cum venia*.

Pag. 369. B. Erat hoc altare, *Insere*, vt iam diximus.

INDEX

INDEX
LOCORVM, RERVM,
ET VERBORVM.

In quo numerus paginam, littera partem eius indicant.

Breuis,

bus

Domi-



INDEX
PRÆCIPVARVM PERSONARVM, QVARVM IN HOC OPERE FIT MENTIO.

Blancha

Finis Indicum Gallo-flandriæ.



E R R A T A,

Quæ partim operarum, partim Scriptoris vitio intercurrerunt, sic corrige.

Pag. 2. c. Dulam, lege Eulam. p. 4. b. Runnis, l. Rumis. e. mandat, l. maneat. p. 9. a. assumpsit, l. absumpsit. b. ægræ, l. ægrè. p. 11. d. leucophero, l. leucophæo. p. 12. a. Phanepinensis, l. Phanopinensis. b. Quam appellant Castri ædiculam, l. Quàm Castri ædiculam appellant. vbi, l. vti. p. 14. a. venaunt, l. veneunt. p. 17. a. Oderi, l. Odæi. d. sexta, l. septa. p. 18. a. grauissimè, l. gnauissimè. p. 18. b. mulctaretur, l. multarentur. p. 19. a. Regisselli, Regilleri. c. eo, l. ea. p. 20. c. conniuium, l. conuiuium. p. 22. b. habitus est, l. habitus est. c. Atrebates, l. Atrebatenses. p. 24. a. in marg. pag. l. pan. d. deperat, l. deperent. p. 27. a. Pielinnm, l. Pictinum. p. 29. b. Ripalociensem, l. Ripatoriensem. deinde Ripatorij. d. Magalę, l. Magalæ. p. 31. b. preces, l. prætes. p. 33. a. exstitit. Herim, l. exstitit Herim. p. 34. c. gunphi, l. gomphi. p. 37. d. Mathesim, l. Mathesin. p. 39. d. Cameracensium, l. Cameracesium. p. 42. b. audire, l. audiere. donum, l. domum. p. 44. a. Rogerij, l. Rogeri. p. 48. b. Leulensis, l. Lensensis. p. 51. a. Festo, l. præfato. b. peteracta, l. pertracta. p. ead. b. compendij, l. Compendij. p. 53. a. vtique, l. vbique. Carembaulliam, l. Carembaultiam. b. diploma, l. diploma. De. d. Addamus, l. Adeamus. p. 56. a. Cominicoses, l. Cominenses. p. 58. a. soluisse, l. filuisse. vis, l. vir. c. Chambeta, l. Chambæ. p. 68. d. Coadiurauit, l. coadunauit. p. 69. b. Azincutiano, l. Azincuriano. c. Lassos. In marg. ponendum. VVasqualiorum, l. VVasquehaliorum. p. 72. d. Preceuatem, l. Peceeualem. Dulæ, l. Deullæ. p. 73. b. Burgundio, l. Burgundiæ. c. Virginis, l. Virgines. inuicta, l. inuecta. p. 76. d. infeurit, l. inferius. p. 77. a. Catolum, l. Petrum Ernestum. p. 79. c. Monachi, l. Monachis. p. 83. b. Moliæ, l. Mottæ. p. 103. a. exiente, l. exigente. p. 110. d. Haupoctium, l. Haupottium. p. 117. b. contraditione, l. contradictione. p. 119. b. Hingueltes, l. Hirguettes. p. 121. b. arcus, l. areas. p. 127. b. per nobilis, l. prenobilis. p. 130. d. medium, l. modium. p. 132. a. Gondolconit, l. Gondeleooet. p. 134. a. Post Iuonem, l. Post Herefeidum. p. 134. c. varis, l. varia. p. 138. d. in marg. Henricus, l. AEgidius. p. 144. b. decimò, l. octauo. d. ob fidei, l. ab fidei. p. 145. d. Antonigij, l. Antoingij. p. 147. b. c iter, l. pec iter. p. 150. b. Liberiam, l. Lilleriam. p. 151. a. diu est; reuocasse &c. l. diu est, reuocasse; & coram nobis reuocauerunt penitus & expressè. p. 153. b. abductus &, l. abductus est. p. 157. b. Danzella, l. Sanzellæ. d. Mingualis, l. Mingouallis. p. 158. c. Præclaris ad, l. præclaris naturæ dotibus ad. p. 161. b. vbi Cæsar, l. vti Casse. p. 162. b. duceremus, l. duceremur. p. 163. a. parenti, l. parent. p. 164. c. DD. Eligij, l. DD. Nicasij Ioannis. p. 177. a. mutares, l. nutacce. p. 17. b. tractandis, l. tractantis. c. laudabiles, l. laudabilis. p. 181. a. Barzæ, l. Barzæi. p. 182. c. persetem, l. præsertim. p. 193. d. capiebat, l. rapiebat. p. 200. c. Bronnebroeque, l. Boonebroeque. p. 202. b. Hoc hostem, l. hac. p. 209. a. Si namque, l. Hi. Vedastino, l. Vedastino. p. 210. c. Quas, l. Quos. p. 211. b. Quo salutatam, l. Quem. p. 228. b. multis, l. multas. p. 229. b. turbulentis, l. turbulenti. p. 233. b. quàm fluidę res, l. Quàm sunt fluidæ res. p. 235. b. dormiterium, l. dormitorium. p. 236. d. actutum, l. actum. p. 242. a. Meurinillam, l. Merrillam. p. 246. a. nullos, l. multos. c. Gimella, l. Cimella. d. 175. l. 275. Præpono, l. propono. p. 249. a. Vrbio, l. Vibio. d. quis, l. cui. p. 251. b. Andouerpes, l. Andouerpis. p. 254. d. quicquam, l. cuiquam. p. 255. a. Menaspico, l. Menapisco. b. Boademundum, l. Baudemundum. d. Finijt post, l. finijt anno post. p. 261. b. impetrandi, l. impetrandæ. p. 268. a. donum, l. domum. p. 270. b. VVicinoci, l. VVinoci. p. 276. b. incidunt, l. concidunt. p. 277. b. cultu, l. cultum. p. 278. d. loco, l. loro. p. 281. d. aquam de ipso sanctarum, l. aquam sanctarum. p. 288. c. in margine Chrysogoni vel, l. vel Tryphonij. p. 290. b. templorum, l. temporum. p. 293. b. feiturum, l. ftieurum. p. 298. d. ac solidos, l. ad solidos. p. 300. d. Ioannes VVassonia, l. Ioannes de VVass. Sicliniensi, l. Sicliniens. p. 306. d. essent. Proptec, l. essent) propter. p. 310. c. exemplum gratiæ, l. exemplorum gratia. p. 312. a. Anno Christi IV l. M. C. XI. c. donum, l. domum. p. 313. d. inecat, l. iuerat. p. 314. d. capitium vtriusque, l. capitium; vtriusque. p. 315. b. Odeo, Canonicorum, l. Odeo Canonicorum. in aquis, l. in equis. d. Collegijs, l. Collegis. p. 316. a. in marg. in suos, l. nonos. adsciuerit, l. adsciuerat. c. generes, l. generi. p. 317. a. miseris, l. miseris. p. 318. b. Interruptione, l. interruptione. p. 320. a. grauiter, l. gnauiter. p. 321. a. vnius anni, l. per vnius. p. 322. b. tam ex eo, l. tum ex eo. p. 323. d. in marg. famulis, l. famulos. p. 324. b. etiam expetijt, l. eam. p. 325. d. premit, l. promit. p. 326. a. aliunde, l. abundè. p. 327. a. Atera, l. altera. p. 327. b. Quibus à se, l. Quibus hoc à se. d. Confirmo. Ioannis, l. Confirmo. S. Ioannis Morinensis Episcopi. S. Lamberti Nouiomensis & Tornacensis Episcopi. S. Clementiæ Comitissæ. S. Alardi Pincernæ. S. Balduini Gandensis. p. 328. d. hoc capite, l. 13. capite. p. 329. b. Iis verò, l. is verò. d. hominum, l. hominiam. p. 330. c. Hocaltum, l. Toraltum. p. 331. d. vnum habent, l. verum. p. 334. d. collectandis, l. collectaneis. p. 336. b. ab initio regno litteras, l. regno hic litteras. p. 337. a. Antiquas, l. aot quas. b. Eandem &, l. etiam. c. Monachos, l. Monachis. p. 339. a. Martianensis, l. Martianensi. p. 340. a. Renigis, l. Reningis. c. nouerim, l. mouerim. p. 341. b. in marg. Senior, l. Señor. vsurpant. c. cognouit, l. recognouit. p. 348. c. sibi mentionem, l. fieri. p. 349. d. quem nostrates, l. quam. p. ead. d. Acceptiua, l. acceptine. Oblationis, l. oblationes. p. 350. d. dum eam, l. dum eum. p. 358. b. celonie, l. coloniæ. p. 361. c. Cap. XXLVIII, l. CXLVIII. p. 363. b. exacta, l. epacta. p. 367. a. salao, l. salua. p. ead. b. R. S. Sabinæ, l. tt. S. p. 369. b. tribuerat, l. tribuebat. p. 370. † Hugonis &c. l. † S. Hugonis Episcopi. S. Fureli Archidiaconi. S. Maloldi Abbatis Cœnobij S. Amandi cum reliquis Fratribus. Hugo Tornacensis Ecclesiæ Cancellarius scripsit. ✠ S. Balduini Marchionis Flandrię. S. Athalę Regiæ prolis Comitissæ, filiorum eius &c. p. 371. VValteri Archidiaconi, l. S. VValteri Archidiaconi. S. VVilbaldi Præpositi &c. p. 372. b. & certè in quæ, l. in ijs quæ. p. 373. d. Baldrici Episcopi, l. S. Baldrici Episcopi. S. Lamberti Archidiaconi. S. Segardi Abbatis &c. p. 448. c. Stent ibi, l. stat. d. in marg. Guilelmi, l. VValerandi. p. 449. b. Perscriptis perscribendis, l. præscriptis præscribenda.

DVACI,
Ex Officinâ MARCI VVYON,
Typographi Iurati, ſub ſigno Phœnicis.
Anno M. DC. XXIV.